Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIV
C
30
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ

OPERUM

TOMUS SECUNDUS.

In quo

EPISTOLÆ, ET QUÆSTIONES NATURALES,

Integris JUSTI LIPSII, J. FRED. GRONOVII, LIB. FROMONDI, & ſelectis Variorum Commentariis illuſtratæ.



AMSTELODAMI,

Apud DANIELEM ELSEVIRIUM,

cIↃ IↃC LXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

JUSTUS LIPSIUS
DE
EPISTOLIS
L. ANNÆI SENECÆ,
Quare, Quando, & ad Quem ſcriptæ.

Epiſtolas has ita ſcripſit, & inſcripſit, non quia veræ ſint, & aſsidue ſic miſſæ: non ego arbitror: ſed placuit titulus & ratio ſcribendi libera, in qua incipias, deſinas cum lubet; inſeras, varies, ut lubet; neque adſtringeris ad ordinem aut materiem certam. Eſt velut ſilva quædam rerum, & miſcellanea argumenta: etſi Philoſophiæ tamen finibus clauſa. Ego cenſeo Senecam hæc obiter & carptim ſcripſiſſe, per intervalla, ut quidque meditatus erat, aut incidebat, inter ambulandum, exercendum, in horto, in domo, in lecto. Quando enim illud ingenium quieverit? Sunt igitur cottidiani conceptus, ſive μελετήματα: ſed, ita me Deus, pulchra, utilia, alti animi atque honeſti. Quin tamen & veræ quædam Epiſtolæ intervenerint, haud fortiter eo negatum: ſed quædam. Hoc vel argumento temporis adſtruas, quo ſunt ſcripta. Omnes enim intra biennium, ut facile ex ipſis colligas: conſulatu Memmii Reguli & Virginii Rufi, itemque Lecanii & Licinii: id eſt, haud longe ante ejus mortem. Meminit in epiſtola 91. Lugdunenſis coloniæ exuſtæ, *& deplorat: atqui clades ea illis extremis Conſulibus incidiſſe videtur, cum Tacitus ſcribat* Neronem ſolatum cladem Lugdunenſem quadragies HS, *anno ſequenti. Neque enim iſta remedia differri diu ſolent. Sed & ipſe*

Digitized by Google

Seneca non uno loco oſtendit, Epiſtolas has in ſenio ſuo ſcriptas. Scripſit autem ad Lucilium: & quis ille? Origine humilis, induſtria emerſit, & ad equeſtrem ordinem, tum ad Procurationem Siciliæ pervenit. Diſces ex his epiſtolis, ſi obſervas. Ingenium illuſtre fuiſſe videtur, litteris & poëticæ etiam amicum: iiſque dotibus Senecæ carum. Laudat mirifice eum, etſi colore quodam & figurate, libri 4 Natural. Quæſt. initio, quos ipſos libros ei inſcripſit. Oſtendit ibi ſub Caio potuiſſe, ſub Claudio: fidem ejus commendat, invictum muneribus animum, alia digna lectu, ſi quis virum noſſe cupit. In his etiam Epiſtolis, à juventute ſe ei amicum fuiſſe ſignificat, & ætatem perſeveraſſe. Alia de viro non poſſum, nec cognomen quidem ejus eruere. Nam quod quidam Juniorem *appellant; inducti loco Senecæ (epiſt. 26.)* Junior es? quid refert? non dinumerantur anni: *puer videt, quam ſit puerile. Ad ætatem ea, non appellationem ſpectant. Paullo igitur minor Senecâ fuit, tamen & ipſe ſenex, argumento epiſtolæ nonageſimæ ſextæ. Satis, ſi addidero, dividi à quibuſdam has Epiſtolas in libros: & olim ſic fuit. Agellius palam citat* librum 22 Epiſtolarum: *& ſcripti codices dividunt, ſed diverſe. Seneca ipſe tangere & ingerere videtur, in epiſtola* 33. Deſideras his quoque epiſtolis, ſicut prioribus, adſcribi aliquas voces noſtrorum. *Dividit à prioribus: quid niſi à libro priore contentis?*

L. AN-

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ
AD LUCILIUM EPISTOLÆ.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ I.

Temporis æſtimationem & uſum Lucilio commendat: non differri debere, non elabi, non male poni.

ITa fac, mi Lucili: [1] vindica te tibi, & tempus quod adhuc aut [2] auferebatur, aut [3] ſurripiebatur, aut [4] excidebat, collige & ſerva. Perſuade tibi ſic eſſe, ut ſcribo. quædam tempora [5] eripiuntur nobis, quædam [6] ſubducuntur, quædam [7] effluunt. Turpiſſima tamen eſt jactura, quæ per negligentiam venit: & ſi volueris attendere, magna vitæ pars elabitur [8] male agentibus, maxima [9] nihil agentibus, [10] tota aliud

EPIST. I. 1 *Vindica te*] In libertatem. cui? tibi te aſſere, nec aliis vive aut ſervi. *Lipſius.*

2 *Auferebatur*] A potentioribus, per officia & cultum. *Idem.*

3 *Surripiebatur*] A noſtræ ſortis, per blanditias & ſermones. Amici, fures temporum. *Idem.*

4 *Excidebat*] Tua negligentia & omiſſione. De Vit. Beat. c. 32. *Non multum accepit homo temporis, etiamſi illud totum ſibi vindicat. cui licet nihil facilitate eripi, nihil neglegentia patiatur excidere; tamen ad immortalium cognitionem nimis mortalis eſt.* Idem.

5 *Eripiuntur*] Reſpondet τῷ *Auferebatur.* Idem.

6 *Subducuntur*] Idem quod, *ſurripiebatur.* Idem.

7 *Effluunt*] Explicat illud *excidebat.* Idem.

8 *Male agentibus*] In luxu, libidine, vitiis. *Idem.*

9 *Nihil agentibus*] In otio, ignavia; & maxime ſomno. *Idem.*

10 *Tota aliud*] Aliud agunt, qui occupati non ubi oporteat. Virtus nos vocabat; externa & vana quærimus, & hoc agimus tota vita. *Idem.*

Digitized by Google

aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem [11] proſpicimus: magna pars ejus jam præteriit. quidquid ætatis retro eſt, mors tenet. Fac ergo, mi Lucili, quod facere te ſcribis, omnes horas complectere: ſic fiet, ut minus [12] ex craſtino pendeas, ſi hodierno manum injeceris. [13] Dum differtur vita, tranſcurrit. Omnia, Lucili, aliena ſunt: tempus tantum noſtrum eſt. In hujus rei unius fugacis ac lubricæ poſſeſſionem natura nos miſit, [14] ex qua expellit quicumque vult. Sed tanta ſtultitia mortalium eſt, ut quæ minima & viliſſima ſunt, certe reparabilia, [15] imputari ſibi, cum impetravere, patiantur: nemo ſe judicet quidquam debere, qui tempus accepit. cum interim hoc unum eſt, quod ne gratus quidem poteſt reddere. Interrogabis fortaſſe, quid ego faciam, qui tibi iſta præcipio? Fatebor inge-

11 *Proſpicimus*] Quidam libri, *Quaſi procul eſſe conjicimus*: falſo, & ab ignorantia acutioris dicti. Mortem quaſi inſtantem & futuram habemus! atqui jam in parte venit & fuit. Quomodo? à quo die nati ſumus, morimur: &, ut ipſe epiſt. 24. *non repente in mortem incidimus, ſed minutatim procedimus.* Plura ibi vide. *Lipſius.*

12 *Ex craſtino*] Sic de Brev. Vit. cap. 9. *Maximum vivendi impedimentum eſt exſpectatio, quæ ex craſtino pendet.* Idem.

13 *Dum differtur*] In Epicuro gnome ſimilis, apud Stobæum Serm. 16. Γεγόναμεν ἅπαξ· δὶς οὐκ ἔστι γενέσθαι. δεῖ δὲ τὸν αἰῶνα μηκέτ' εἶναι. σὺ δὲ τῆς αὔριον οὐκ ὢν κύριος, ἀναβάλλῃ τὸν καιρόν. Ὁ δὲ πάντων βίος μελλησμῷ διαπόλλυται. *Semel naſcimur, bis non licet, neque æternum eſſe. Tu autem cum nec craſtini certus ſis, tempus differs. Ita omnis vita differendo intercidit.* Idem.

14. *Ex qua nos expellit, quicunque vult*] Improbe, inquit Lipſius: quis nolentem eo ſpoliet vel Phalaris vel Nero? Manuarii libri: *ex qua expellitur*: quod audio hoc ſenſu: Solus ille poſſeſſione hac ejicitur, qui uti non vult: qui patitur eripi, ſurripi, elabi. Nec male alii, *non expellit*: negando. Sic ille. Certe major pars librorum caret pronomine, *nos*. Sed totum verum eſt, quod ex uno Gallicano obſervatum: *ex qua expellit quicunque vult.* Nam τὸ *nos* ἀπὸ κοινοῦ ex proximo membro repetendum. Sententia vero nihil habet difficile. Una illa res, in cujus poſſeſſionem nos natura miſit, tempus eſt: ejuſque ſolius honeſta avaritia eſt. Nos vero tam ſumus perverſi: in omnia cætera avaros ac poſſeſſionum tenaces ex hac expellit, quicunque vult. Quare? quia nempe omnibus, qui partem ejus petunt, concedimus: à nemine illorum, qui temporis ſunt fures, cavemus: nullius rei tam largi ac prodigi ſumus. Id quod nemo ignorat, & tota hac epiſtola queritur Seneca. Adde de Brev. Vit. c. 3. *Gronovius.*

15 *Imputari*] Quaſi magna beneficia. *Lipſius.*

16 *Im-*

Digitized by Google

ingenue: quod apud luxurioſum, ſed diligentem, evenit, ratio mihi conſtat [16] impenſæ. Non poſſum dicere, me nihil perdere: ſed quid perdam, & quare, & quemadmodum, dicam: cauſſas paupertatis meæ reddam. Sic evenit mihi, quod pleriſque [17] non ſuo vitio ad inopiam redactis: omnes ignoſcunt, nemo ſuccurrit. Quid ergo eſt? non puto pauperem, cui, quantulumcumque ſupereſt, [18] ſat eſt. Tu tamen malo ſerves tua, & [19] bono tempore uti incipias. Nam, ut viſum eſt majoribus noſtris: Sera parſimonia [20] in fundo eſt. Non enim tantum minimum in imo, ſed [21] peſſimum remanet.

EPIST. II.

Corporis quietem approbat, ſed & animi in una aliqua re aut ſtudio. Damnat curioſulos, qui per varios auctores & ſcripta diſcurrunt: pauca bonaque potius legere, & iis immorari ſuadet. Excerpendum ſemper aliquid, & animo inſerendum: à ſuo exemplo, qui ſenſum tunc Epicuri egregium, de Paupertate.

ET ex his quæ mihi ſcribis, & ex his quæ audio, bonam ſpem de te concipio. non diſcurris, nec locorum mutationibus inquietaris. Ægri animi iſta jactatio eſt. Primum argumentum [1] compoſitæ mentis exiſtimo, poſſe con-

16 *Impenſæ*] Mei, *expenſæ*. Senſus. Male pono tempus, ſed ſcio me male ponere: ſicut laxi patres familias expendunt, ſed ratio expenſæ etiam ſine ratione iis conſtat. Medelæ propior ſum, quia novi morbum. *Lipſius.*

17 *Non ſuo vitio*] Sed temporum aut fortunæ. Indicat callide, in Aula ſibi tempus perire. *Idem.*

18 *Sat eſt*] Numquam ſero reditur ad bonam mentem.

19 *Bono tempore*] Ætate bona, & valida.

20 *In fundo*] Viſum & Heſiodo jam olim:

—— *δειλὴ δ' ἐνὶ πυθμένι φειδώ·*
—— *in fundo parcere ſerum eſt.*

Significat Seneca, vetus Romanum etiam verbum eſſe. *Idem.*

21 *Peſſimum*] Epiſt. 108. *Quemadmodum ex amphora primum, quod eſt ſinceriſſimum, effluit, graviſſimum quodque turbidumque ſubſidit: ſic in ætate noſtra, quod eſt optimum, primum eſt.* Idem.

EPIST. II. 1 *Compoſitæ mentis*] Ὁ γὰρ ἀστεῖος, ait Philo in Abrahamo, ἀπράγμονος ζηλωτὴς βίου γεγονὼς, ὑποχωρεῖ, καὶ μόνωσιν ἀγαπᾷ, λανθάνειν τοὺς πολλοὺς ἀξιῶν, οὐ διὰ μισανθρωπίαν· φιλάνθρωπος γὰρ, εἰ καί τις ἄλλος· ἀλλὰ διὰ

conſiſtere, & ſecum morari. Illud autem vide, ne iſta lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & inſtabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. [2] Nuſquam eſt, qui ubique eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt iis qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim & properantes tranſmittunt. Non prodeſt [3] cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur. Nihil æque ſanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebro medicamenta tentantur. Non convaleſcit planta quæ ſæpe transfertur. nihil tam utile eſt, quod in tranſitu proſit. [4] Diſtrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas. Sed modo, inquis, hunc librum evolvere volo, modo illum. Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare: quæ ubi varia ſunt & diverſa, coinquinant, non alunt. Probatos itaque ſemper lege: & ſi quando ad alios [5] divertere libuerit,

τὸ περιβεβλῆσθαι κακίαν, ἐφ᾽ ᾗ ὁ πολὺς ὄχλος ἀσπάζεται, χαίρειν μὲν ἐφ᾽ οἷς στένειν ἄξιον, λυπεῖσθαι δ᾽ ἐφ᾽ οἷς γεγηθέναι καλόν. *Quia vir bonus vitæ quietæ amator, ſeceſſum quærit & ſolitudinem, latere cupiens, non odio hominum: eſt enim, ſiquis alius, eorum amans: ſed quia fugit & proculcat vitia, quibus vulgus delectatur, gaudere ſolitum in quæ dolenda ſunt, & dolere in quæ gaudenda.* Lipſius.

2 *Nuſquam eſt*] Martialis: *Quiſquis ubique habitat Navole, nuſquam habitat.* Idem.

3 *Cibus*] Tali imagine Epictetus in iſtos, qui *cum bucceam dimittere non poſſint, volumina ementes, injicere & devorare conantur.* Arrian. Diſſ. 1. cap. 26. Et Polybius pulcherrime, lib. 5. iſtos librarios helluones æquiparat τοῖς λίχνοις τῶν δειπνητῶν, *catillonibus & guloſis conviviis; qui,* inquit, *appoſitos cibos varie & carptim delibantes, neque in præſentia voluptatem ſolidam, neque fructum aut alimoniam in poſterum ferunt.* Idem.

4 *Diſtrahit animum*] Quidam mei, *Diſtringit librorum multitudo:* fortaſſe vere. Id eſſet, diſtinet & ligat. *Idem.* Reduc illud verbum *diſtringit*, maxime cum illud familiare ſit auctori, quod exemplis probari non eſt inutile, ut ſimul loci reſtituantur, qui in vulgatis aliorum editionibus ſæpe corrupti ſunt, ut Epiſt. 66. *rem diſtrictam & operoſam:* ſic enim ibi idem V. C. vulgo *diſtractam.* Et Epiſt. 123. *epulis in multa pericula diſtrictis*, ubi quidam legunt, *diſcretis.* Et Epiſt. 105. *ubique quo diſtringatur inveniet.* Idem lib. de Brevit. Vitæ cap. 10. *illis diſtrictis in multa*, & c. 14. *variis cupiditatibus diſtricta urbe.* Juretus.

5 *Divertere*] Alias, *tranſire.* Lipſius.

6 *Con-*

rit, ad priores redi. Aliquid quotidie adverſus paupertatem, aliquid adverſus mortem auxilii compara, nec minus adverſus ceteras peſtes. Et cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die [6] concoquas. Hoc ipſe quoque facio: ex pluribus quæ lego, aliquid apprehendo. Hodiernum hoc eſt, quod apud Epicurum nactus ſum. ſoleo enim & in aliena caſtra tranſire, non tanquam transfuga, ſed tanquam explorator. Honeſta, inquit, res eſt, læta paupertas. Illa vero non eſt paupertas, ſi læta eſt. Cui enim cum paupertate bene convenit, dives eſt. Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum paſcat, aut fœneret, ſi alieno imminet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computat? Quis ſit divitiarum modus, quæris? Primus, habere [7] quod neceſſe eſt; proximus, [8] quod ſat eſt.

EPIST. III.

Male & temere ſæpe Amicos dici, qui re non ſunt. Si quis talis; omnia illi fidendum, & communicandum eſſe, tanquam alteris nobis. Timidi & ſubducti arguuntur; ſed & creduli nimis atque aperti. Medium optimum.

EPiſtolas ad me perferendas tradidiſti, ut ſcribis, amico tuo. Deinde admones me, ne omnia cum eo ad te pertinentia communicem, quia nec ſoleas ipſe quidem hoc facere. Ita eadem epiſtola illum & dixiſti amicum, & negaſti. Itaque ſic priore illo verbo [1] quaſi publico uſus es, & ſic

6 *Concoquas*] Bene, ut hæreat in re cibi. ſed libri fere, *excoquas:* unde ego, *excolas*, vellem. *Lipſius.*

7 *Quod neceſſe eſt*] Quod natura requirit: & ut vivere poſſis. *Idem.*

8 *Quod ſat eſt*] Quod humanitas requirit, & ut commode vivere poſſis. Lucillius in hac re argute:

Nam ſi, quod ſatis eſt homini, id ſatis eſſe potiſſet,
Hoc ſat erat: nunc cum hoc non eſt, qui credimus porro
Divitias ullas animum mi explere potiſſe?

Cui quod ſatis eſt, ſatis non eſt, nihil ei ſatis erit. *Idem.*

EPIST. III. 1 *Quaſi publico*] Senſu & more vulgi. de quo & Plutarchus, 4 Quæſt. Convival. initio: *Amicum*

Digitized by Google

& ſic illum amicum vocaſti, quomodo omnes candidatos, [2] bonos viros dicimus; quomodo obvios, ſi nomen non ſuccurrit, [3] dominos ſalutamus. [4] Hoc abierit. Sed ſi aliquem amicum exiſtimas, [5] cui non tantundem credis quantum tibi, vehementer erras, & non ſatis noſti vim veræ amicitiæ. Tu vero omnia cum amico delibera, ſed [6] de ipſo prius. Poſt amicitiam credendum eſt, ante amicitiam judicandum. Iſti vero præpoſtere officia permiſcent, qui contra præcepta [7] Theophraſti, cum amaverint, judicant; & non amant, cum judicaverint. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit: cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte: [8] tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Tu quidem ita vive, [9] ut nihil tibi committas,

cum accipere hic oportet non ſtrictim & Sophiſtice, illum immutabilem & firmum, ſed communi modo, Benivolum. Lipſius.

2 *Bonos viros*] Mos fuit, ut qui in Senatu (ubi ſub Principibus ſuffragia) candidatum produceret, *Bonum* vel *Optimum virum* diceret. Veſtigium ejus in Plinii Panegyrico: *Faciebas ergo, cum diceres Optimos.* Nos odorati ſumus, atque ibi notavimus: vide. *Idem.*

3 *Dominos*] Martialis:

Cum te non noſſem, Dominum regemque vocabam. Idem.

De hac voce *domini*, quomodo in uſu fuerit, vide Torrent. in Sueton. Aug. cap. 53. Item Claudio 39. Lipſium in lib. 2 Annal. Tac. Briſſonium lib. 8 de Form.

4 *Hoc abierit*] Abſunt ea duo verba optimo meo, & quibuſdam libris. Si retines, valent. hoc miſſum fecerim, ne acrius inquiram aut carpam. Alii legunt, *Hac abierit*: hac via & modo excuſetur. *Idem.* Neque delendam hanc clauſulam, neque cum libris quibuſdam ſcribendum, *Hac abierit*, cenſeo, ſed, *Hic abierit*. Ille quem & dixiſti amicum & negaſti. Non agam de τοῦ δεῖνα· perſonam ejus miſſam facio, nec quid in eam congruat, expendo: nolo tecum agere in hypotheſi, ſed in theſi. *Gronovius.*

5 *Cui non tantundem credis*] Quædam ad iſta probæ monetæ Fornerius in l. 223. §. amicos. de verb. ſign.

6 *De ipſo*] Sidonius: *Eſt enim conſuetudinis meæ, ut eligam ante, poſt diligam.* Lipſius.

7 *Theophraſti*] Plutarchus, de fraterno amore: Θεόφραστος ἔλεγεν, ὁ τὰ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν· *Theophraſtus dixit, non amantem judicare; ſed cum judicaveris, amare oportere.* Sic & Sidonius: *Namque ut ſodalis tibi devinctior fierem, judicavi.* Idem.

8 *Tam audacter*] Hoc negant iſti à civili prudentia. ut Publius: *Ita crede amico, ne ſit inimico locus.* Ut Sophocles:

—— ἔς τε τὸν φίλον
Τοσαῦθ' ὑπουργῶν ὠφελεῖν βουλήσομαι,
Ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα· τοῖς πολλοῖσι γὰρ
Βροτῶν ἄπιστός ἐσθ' ἑταιρείας λιμήν·
—— *amico ego velim*
Sic credere atque commodare, ut neutiquam
Semper futuro. nam profecto plurimis
Sodalitatis portus infidus fuit. Idem.

9 *Ut nihil committas*] Libri omnes inſita voce, *ut nihil tibi committas.* Conjicio

tas, niſi quod committere etiam inimico poſſis: ſed quia interveniunt quædam, quæ conſuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas miſce. [10] Fidelem ſi putaveris, facies. Nam multi fallere docuerunt, dum timent falli: & aliis jus peccandi ſuſpicando fecerunt. Quid eſt ergo, quare ulla verba coram amico meo retraham? quid eſt, quare me coram illo non putem ſolum? Quidam quæ tantum amicis committenda ſunt, obviis narrant, & in quaſlibet aures, [11] quidquid illos urit, exonerant: quidam rurſus etiam cariſſimorum conſcientiam reformidant, &, ſi poſſent, ne ſibi quidem credituri, interius premunt omne ſecretum. Neutrum faciendum eſt. utrumque enim vitium eſt, & [12] omnibus credere, & nulli: ſed alterum honeſtius dixerim vitium, alterum tutius. Sic utroſque reprehendas, & eos qui ſemper inquieti ſunt, & eos qui ſemper quieſcunt. Nam illa tumultu gaudens, non eſt induſtria, ſed exagitatæ mentis concurſatio: & hæc non eſt quies, quæ motum omnem moleſtiam judicat, ſed diſſolutio & languor. Itaque hoc quod apud [13] Pomponium legi, animo tuo mandabitur. Quidam adeo in latebras refugerunt, ut putent in turbido eſſe quidquid in luce eſt.

jicio fuiſſe: *nihil tibi conſciſcat.* Sic Lipſius. Vera eſt librorum veterum lectio. *Committere aliquid alicui*, eſt conſcium eum facere. Epiſt. 76. *Vide quam ſimpliciter tecum vivam: hoc quoque tibi committam.* Ut ergo *conſcire ſibi* eſt pravi facti conſcientiam habere, & propterea aliquid ſceleris in ſe admiſiſſe; ita & *committere ſibi* eſt conſcientiam alicujus facti admittere: quod non poteſt qui non conſcivit. Notum eſt illud Horatii: *Nil conſcire ſibi.* Gronovius.

10 *Fidelem*] Livius: *Vult ſibi quiſque credi, & habita fides ipſam obligat fidem.* Plutarchus, Præceptis connubialibus: Ποιεῖ γὰρ καὶ τὸ πιστεύειν δοκεῖν πιστεύεσθαι, καὶ τὸ φιλεῖν φιλεῖσθαι. *Fit enim ut ſi fidas, fides tibi redhabeatur; & amere, ſi ames.* Lipſius.

11 *Quidquid illos urit*] Sic ſæpe loquuntur auctores. Symmachus lib. 5. epiſt. 64. *Externos quoque & memorati viri neſcios cauſa urit indignitas.* Horat. lib. 1. epiſt. 10. dicit calceum anguſtiorem *pedem urere.* Plura Juretus ad lib. 5. epiſt. Symmachi.

12 *Omnibus credere*] Heſiodeum eſt:

Πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.

Ipſa fides homines, & diffidentia perdit. nempe, cum ſine modo. Temperandæ ſunt. *Lipſius.*

13 *Pomponium*] Poëtam Tragicum hoc nomine ſcio, ſed & alios. At iſta non olent poëtam: eſtque in meo libro opt. *Pompeium philoſophum.* Idem.

ce eſt. Inter ſe iſta miſcenda ſunt, & quieſcenti agendum, & agenti quieſcendum eſt. Cum rerum natura delibera. illa dicet tibi, ſe & diem feciſſe & noctem.

EPIST. IV.

Hortatur ad perſeverandum in Philoſophia: à qua in ſerium & gravem, ac vere virum transſcribatur. Ceteros, pueros eſſe: timere non timenda. ut, Mortem inprimis. Atqui hanc finem malorum eſſe, & impetu aut deſperatione multos contempſiſſe: cur non ratione? Vitam ergo non amandam, & cottidie cogitandum, quam ex variis levibuſque cauſſis mors veniat. Emblema dein ex Epicuro, de veris Divitiis.

PErſevera ut cœpiſti, & quantum potes propera: quo diutius frui emendato animo & compoſito poſſis. Frueris quidem etiam dum emendas, etiam dum componis: alia tamen illa voluptas eſt, quæ percipitur ex contemplatione mentis ab omni labe puræ & ſplendidæ. Tenes utique memoria, quantum ſenſeris gaudium, cum [1] prætexta poſita, ſumpſiſti virilem togam, & [2] in forum deductus es: majus exſpecta, cum puerilem animum depoſueris, & te [3] in viros philoſophia transſcripſerit. Adhuc enim non pueritia in nobis, ſed, quod eſt gravius, [4] puerilitas remanet: & hoc quidem pejus eſt, quod auctoritatem habemus ſenum, vitia puerorum; nec puerorum tantum, ſed infantium. Illi levia, hi falſa formidant: nos utraque. [5] Profice modo, & intelliges, quædam ideo minus timenda,

EPIST. IV. 1 *Prætexta*] Quæ puerorum ſcilicet, ad annum pubertatis aut circa. *Lipſius*.

2 *In forum*] Tirocinii die, quo parentes & amici ſolenniter eo deducebant, auſpicii cauſſa, & velut ad res nunc aptum. *Idem*.

3 *In viros*] Diogenes Cynicus, *præcone in Olympiis proclamante, Dioxippus viros vicit: Imo iſte mancipia, inquit, ego viros.* Laertius. Ego aliquid Manud. 2. Diſſ. 1. *Idem*.

4 *Puerilitas*] Tale de Conſt. Sap. cap. 12. *Idem*.

5 *Profice modo*] In ſapientiæ ſtudio, & rerum dilectu. At alii, *proſpice:* nec id male. Intende aciem, & longius vide. *Idem*.

6 *Metus*

da, quia multum [6] metus afferunt. Nullum [7] magnum malum, quod extremum eſt. Mors ad te venit. timenda erat, ſi tecum eſſe poſſet: neceſſe eſt, aut non perveniat, aut pertranſeat. Difficile eſt, inquis, animum perducere ad contemptionem animæ. Non vides, quam ex frivolis cauſſis contemnatur? Alius ante amicæ fores laqueo pependit, alius ſe præcipitavit à tecto, ne dominum ſtomachantem diutius audiret; alius, ne reduceretur è fuga, ferrum adegit in viſcera. Non putas virtutem hoc effecturam, quod efficit nimia formido? Nulli poteſt ſecura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat: qui inter magna bona multos conſules numerat. Hoc quotidie meditare, ut poſſis æquo animo vitam relinquere: quam multi ſic complectuntur & tenent, quomodo qui aqua torrente rapiuntur, ſpinas & aſpera. Plerique inter mortis metum, & vitæ tormenta, miſeri fluctuant: & [8] vivere nolunt, & mori neſciunt. Fac itaque tibi jucundam vitam, omnem pro illa ſolicitudinem deponendo. Nullum bonum juvat habentem, niſi ad cujus amiſſionem præparatus eſt animus. Nullius autem rei [9] facilior amiſſio eſt, quam quæ deſiderari amiſſa non poteſt. Ergo adverſus omnia quæ accidere poſſunt etiam potentiſſimis, adhortare te & indura. De Pompeii capite [10] pupillus & [11] ſpado tulere ſententiam: de Craſſo crudelis & inſolens Parthus. Caius Cæſar juſſit [12] Lepidum [13] Dextro tribuno præbere cervicem: ipſe Chæ-

6 *Metus afferunt*] Muretus, *auferunt*: ſed ſententia, dum planam facere vult, parum arguta aut recta. Teneo cum libris, *afferunt*: ſenſu. quædam non timeas, quia nimium timeas: id eſt mortem. Nam ita hanc times, ut timorem extremum: ſi autem, nonne metu jam omni vindicat? *Lipſius.*

7 *Magnum malum*] Vox, *malum*, ſcriptis abeſt, ſententiæ tamen deeſt. *Idem.*

8 *Vivere nolunt*] Epicteti increpatio: Θαυμαστοὶ ἄνθρωποι, μήτε ζῆν θέλοντες, μήτε ἀποθνήσκειν· *Mirifici homines, nec vivere nec mori vultis.* Idem.

9 *Facilior amiſſio*] Boëtius adſpexit: *Pererile bonum eſt, quod æquo animo feratur amiſſum.* Idem.

10 *Pupillus*] Rex Ægypti, puer & ſub tutela. *Idem.*

11 *Spado*] Pothinus Eunuchus, regis & rerum potens. *Idem.*

12 *Lepidum*] Illum cognatum ſuum, & Druſillæ ſororis maritum. Conjurationis crimine damnavit, de

Chæreæ præſtitit. Neminem eo fortuna provexit, ut non tantum illi minaretur, quantum permiſerat. Noli huic tranquillitati confidere. [14] momento mare evertitur. [15] eodem die, ubi [16] luſerunt navigia, ſorbentur. Cogita poſſe latronem & hoſtem admovere jugulo tuo gladium: ut poteſtas major abſit, nemo non ſervus habet in te vitæ neciſque arbitrium. Ita dico, [17] quiſquis vitam ſuam contempſit, tuæ dominus eſt. recognoſce exemplum eorum, qui domeſticis inſidiis perierunt, aut aperta vi, aut dolo: & intelliges, non pauciores ſervorum ira cecidiſſe, quam regum. Quid ad te itaque, quam potens ſit quem times, cum id propter quod times, nemo non poſſit? At ſi forte in manus hoſtium incideris, victor te duci jubebit, [18] eo nempe quo duceris. Quid te ipſe decipis, & hoc nunc primum, quod olim patiebaris, intelligis? Ita dico, ex quo natus es, duceris. Hæc & hujuſmodi verſanda in animo ſunt, ſi volumus illam ultimam horam placidi expectare: cujus metus omnes alias inquietas facit. Sed ut epiſtolæ finem imponam, accipe quod hodierno die mihi placuit. & hoc quoque ex alienis [19] hortulis ſumptum eſt. Magnæ divitiæ ſunt, [20] lege naturæ compoſita paupertas. Lex autem illa naturæ, ſcis quos nobis terminos ſtatuit? Non eſurire, non

quo Sueton. Calig. c. 24. ego in Comment. ad 14 Annal. Taciti. *Lipſius.*

13 *Decimo*] Scripti, *Dextro*. Parum de nomine. ſed Tribuni igitur ipſi honeſtiores puniebant, occidebant. *Idem.*

14 *Momento mare vertitur*] A Mureto eſt, cum omnes ſcripti & Eraſmus, *evertitur*, probatum etiam Grutero & Opſopœo. Virgilius 1 Æneid. *evertitque æquora ventis.* Noſter Agamemnone:

Rapiuntque pelagus infimo everſum ſolo
Adverſus euro zephyrus & boreæ notus.
Gronovius.

15 *Eodem die*] Quibuſdam, *die*, abeſt: & poſſis ad *momentum* referre. *Lipſius.*

16 *Luſerunt*] In tranquillitate, ſecuræ & vagæ. *Idem.*

17 *Quiſquis vitam*] Tragicus: *Contempſit omnes ille, qui mortem prius.* Juſtinus:

Nihil eſt difficile perſuadere, perſuaſis mori. Idem.

18 *Eo nempe*] Sunt Senecæ, velut reſpondentis. Ducar, inquis. quid tum, aut quo? huc quo ab ipſa Natura côttidie, id eſt ad mortem. Ut tyrannus non faciat, nonne ipſa? nonne per te illuc ibas? *Idem.*

19 *Hortulis*] Epicuri. *Idem.*

20 *Lege naturæ*] Adde de Vit. Beat. cap. 13. *Idem.*

21 *Hu-*

non ſitire, non algere. Ut famem ſitimque depellas, non eſt neceſſe ſuperbis aſſidere liminibus, nec ſupercilium grave, & contumelioſam etiam [21] humanitatem pati: non eſt neceſſe maria tentare, nec ſequi caſtra. Parabile eſt quod natura deſiderat, [22] & appoſitum: ad ſupervacua ſudatur. Illa ſunt quæ [23] togam conterunt; quæ nos ſeneſcere [24] ſub tentorio cogunt, quæ in [25] aliena littora impingunt. Ad manum eſt, quod ſatis eſt.

EPIST. V.

Arcet ab oſtentatione Philoſophiæ, & ne cultu notabilem aut victu ſe faciat. Non ſpernere vulgi omnia, ſed modice adhibere, & citra vitium. Sordes abdicat: ad Naturæ legem nos vocat. Clauſula eſt, ex Hecatone, de Spei & Metus conjunctione. Liberum ab altero eſſe, qui alteram poſuit: obnoxium utrique, qui uni.

QUod pertinaciter ſtudes, & omnibus omiſſis, hoc unum agis, ut te quotidie meliorem facias, & probo & gaudeo: nec tantum hortor, ut perſeveres, ſed etiam rogo. Illud autem te admoneo, ne eorum more qui non proficere, ſed [1] conſpici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu

21 *Humanitatem*] In ipſis conviviis, ant ſermonibus, aut & donis, ſuperbe ſe gerunt, contemnunt aut illudunt. Quidam libri, *humilitatem*. male. *Lipſius*.

22 *Et expoſitum*] Conjecturam Eraſmi adoptavit Muretus: nam omnes libri, *appoſitum*, quod reſtituimus. Epiſt. 71. *Quemadmodum quærimus ſæpe eos, cum quibus ſtamus: ita plerumque finem ſummi boni ignoramus appoſitum.* Sic dicitur quod vicinum, quod in proximo eſt. Cicero lib. 1 de inventione: *Audacia non contrarium* (fidentiæ), *ſed appoſitum eſt ac propinquum: & tamen vitium eſt.* Nat. Quæſt. 2, 6. *Aër continuus terræ eſt, & ſic appoſitus, ut ſtatim ibi futurus ſit, unde illa diſceſſit.* Gronovius.

23 *Togam conterunt*] In officiis civilibus, ſalutatione, deductione: ubi clientuli iſti ſemper togati. Vidi, qui *contexunt* legerent, cæculos. *Lipſius*.

24 *Sub tentorio*] In militia, ut rem faciamus. *Idem*.

25 *Aliena littora*] Longinquas & trans mare terras, eodem fine. Ad mercatores ſpectat. *Idem*.

EPIST. V. 1 *Conſpici cupiunt*] Contra hoc genus multa Epictetus in Diſſert. lib. 4. c. 8. multa, inquam, iſtis gemella. *Idem*.

2 *Ha*

[2] habitu tuo, aut [3] genere vitæ notabilia ſint. [4] Aſperum cultum, & [5] intonſum caput, & negligentiorem barbam, & indictum [6] argento odium, & [7] cubile humi poſitum, & quidquid aliud ambitionem [8] perverſa via ſequitur, evita. Satis ipſum nomen philoſophiæ, etiam ſi modeſte tractetur, invidioſum eſt. Quid ſi nos hominum conſuetudini cœperimus excerpere? Intus omnia diſſimilia ſunt: [9] frons noſtra populo conveniat. Non [10] ſplendeat toga: ne [11] ſordeat quidem. non habeamus argentum, in quod ſolidi [12] auri cælatura deſcenderit: ſed non putemus frugalitatis indicium auro argentoque caruiſſe. Id agamus, ut meliorem vitam ſequamur quam vulgus, non ut contrariam: alioqui quos emendari volumus, fugamus, & à nobis avertimus. Illud quoque efficimus, ut nihil imitari velint noſtri, dum timent ne imitanda ſint omnia. Hoc primum philoſophia promittit, [13] ſenſum communem, humanitatem & congregationem: [14] à qua profeſſione [15] diſſimilitudo

2 *Habitu*] Veſte, aut corporis cultu. *Lipſius.*

3 *Genere vitæ*] Miniſterio, ſupellectile, menſa. *Idem.*

4 *Aſperum cultum*] Veſtem hirtam aut ſordentem. *Idem.*

5 *Intonſum*] Philoſophorum tunc habitu: ideinque in barba, quam aut neglegenter, aut nec tondebant. *Idem.*

6 *Argento odium*] Quod iidem renuebant, fictilibus contenti. *Idem.*

7 *Cubile humi*] Sive ipſe lectus in terra, ſive minus exſtructus. Nam divitum thori alti, aliorum humiles & depreſſi. *Idem.*

8 *Perverſa via ſequitur, devita*] Qua ad gloriam eunt, non eundo. *Idem.* Omnes ſcripti, *evita*. Mutatum ab illis, qui hoc verbum ſemper de effectu dici putabant. At Seneca pro ſimplici crebro utitur. De Benef. 6, 39. *male utentis bona voluntate, & in id vitium incidentis, quod evitat.* Epiſt. 44. *quantum poſſumus, evitemus incommoda quæque.* Epiſt. 94. *Adflatum & vim frigoris in os occurrentis evita.* Diſtincta habes Epiſt. 93. *Quid autem ad rem pertinet, quamdiu vites, quod evitare non poſſis?* Gronovius.

9 *Frons noſtra*] Obvia & exterior omnis iſta facies. *Lipſius.*

10 *Splendeat*] Nitida, recens lota, & pexa: ut in elegantibus. *Idem.*

11 *Sordeat*] Alba, quod ſatis ſit. Vide de Tranquill. c. 1. *Idem.*

12 *Auri cælatura*] Emblema, ſive Latinis *inſerta.* Idem.

13 *Senſum communem*] Non in decretis animi, ſed in externo rerum uſu. *Idem.*

14 *A qua profeſſione*] Id eſt, ab eo quod Philoſophia promittit: jam dictum. Alii, *profeſſionis.* quod ſit, à ſocietate & congregatione ſeparat, diſſimilis profeſſio. *Idem.*

15 *Diſſimilitudo*] Si abimus à *ſenſu communi, congregatione,* & talibus. *Idem.*

16 Secun-

Digitized by Google

tudo ſeparabit. Videamus ne iſta, per quæ admirationem parare volumus, ridicula & odioſa ſint. Nempe propoſitum noſtrum eſt, [16] ſecundum naturam vivere. Hoc contra naturam eſt, torquere corpus ſuum, & faciles odiſſe munditias, & ſquallorem appetere, & cibis non tantum vilibus uti, ſed tetris & horridis. Quemadmodum [17] delicatas res deſiderare, luxuriæ eſt: ita uſitatas & non magno parabiles fugere, dementiæ eſt. Frugalitatem exigit philoſophia, non pœnam: poteſt autem eſſe non incompta frugalitas. Hic mihi modus placet. Temperetur vita inter bonos mores & publicos: [18] ſuſpiciant omnes vitam noſtram, ſed & [19] agnoſcant. Quid ergo? Eadem faciemus, quæ ceteri? nihil inter nos & illos intererit? plurimum. Diſſimiles eſſe nos vulgo, ſciat, qui inſpexerit propius. qui domum intraverit, nos potius miretur, quam ſupellectilem noſtram. Magnus ille eſt, qui fictilibus ſic utitur, quemadmodum argento: nec ille minor eſt, qui [20] ſic argento utitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi animi eſt, pati non poſſe divitias. Sed ut hujus quoque diei lucellum tecum communicem, apud [21] Hecatonem noſtrum inveni, cupiditatum finem, etiam ad timoris remedia proficere. [22] Deſines, inquit, timere, ſi ſperare deſieris. Dices, quomodo iſta tam diverſa pariter ſunt? ita eſt, mi Lucili: cum videantur diſſidere, conjuncta ſunt. Quemadmodum eadem catena & [23] cuſtodiam & militem [24] copulat: ſic iſta

quæ

16 *Secundum naturam*] Commune philoſophorum axioma. De Vit.Beat. c.3.& 8. item epiſt.41. in fine. *Lipſius.*

17 *Delicatas res*] Meus liber: *Quemadmodum petere delicatos cibos, luxurioſi eſt, ita uſitatos & non magno paratos fugere.* Idem.

18 *Suſpiciant*] Taciti venerentur, ut bonam. *Idem.*

19 *Agnoſcant*] Ut non aliam, prorſus, nec ſupra hominem. *Idem.*

20 *Sic argento*] Ariſtippi ea mens. qui increpanti quod perdicem quinquaginta drachmis emiſſet: & *Tu*, inquit, *iſtam obolo non emeres?* Annuente, *Mihi autem*, ait, *quinquaginta drachmæ ſunt obolus.* Idem.

21 *Hecatonem noſtrum*] Stoïcum, Panætii diſcipulum, domo Rhodium. *Idem.*

22 *Deſines timere*] Nam ſuſpenſus hic alter ab altero affectus: Ariſtoteles 2 Rhet. ad Theod. cap. 5. In Tragico alibi: *Qui nil poteſt ſperare, deſperet nihil.* Idem.

23 *Et cuſtodiam*] Ipſum qui cuſtoditur,

quæ tam diſſimilia ſunt, pariter incedunt. Spem metus ſequitur. Nec miror iſta ſic ire. utrumque pendentis animi eſt, [25] utrumque futuri expectatione ſoliciti. Maxima autem utriuſque cauſſa eſt, quod non ad præſentia aptamur, ſed cogitationes in longinqua præmittimus. Itaque providentia, maximum bonum conditionis humanæ, in malum verſa eſt. Feræ pericula quæ vident, fugiunt; cum effugere, ſecuræ ſunt: nos & venturo torquemur & præterito. Multa bona noſtra nobis nocent. timoris enim tormentum memoria reducit, providentia anticipat. Nemo tantum præſentibus miſer eſt.

EPIST. VI.

Proficere ſe in Philoſophia; & argumentum eſſe, quod vitia ſua agnoſcat. Velle ſe cum eo, ut vero amico, omnia communicare, quæ ſint utilia: idque proprium ſapientis. Conſuetudinem bonorum valde efficacem, & ſupra ipſa præcepta videri: quod exemplo Philoſophorum aliquot docet.

INtelligo, Lucili, non emendari me tantum, ſed [1] transfigurari: nec hoc promitto jam aut ſpero, nihil in me ſupereſſe, quod mutandum ſit. Quidni multa habeam quæ debeant [2] corrigi, quæ [3] extenuari, quæ [4] attolli? Et hoc

ditur, reum & in noxa. Epiſt. 70. & 78. *Lipſius.*

24 *Copulat*] Manilius, tales cuſtodes facit qui ſub Andromeda nati, lib. 5.

Vinctorum dominus, ſociuſque in parte catenæ,
Interdum pœnis innoxia corpora ſervat.

Eſt hæc Militaris cuſtodia, & honeſtior: de qua nos ad Tacit. 3 Annal. plene. *Idem.*

25 *Utrumque futuri exſpectatione ſoliciti*] Silent qui plures libros viderunt. Tamen à me collatus & vett. edd. Tarviſina, Veneta, Frobeniana: *ſolicitum.* Quod mutari non debuit. Epiſt. 14. *Qui eget divitiis, timet pro illis: nemo autem ſolicito bono fruitur.* De Brevitate Vitæ c. 17. *Maxima quæque bona ſolicita ſunt, nec ulli fortunæ minus bene, quam optimæ, creditur.* Gronovius.

EPIST. VI. 1 *Transfigurari*] In alium habitum hominemque ire. Epiſtol. 94. *Qui facienda & vitanda percepit, nondum ſapiens eſt, niſi in ea, quæ didicit, animus ejus transfiguratus eſt.* Itaque mutatio hæc ſive *μεταχηματισμὸς*, animorum eſt hominiſque interni. *Lipſius.*

2 *Corrigi*] Prava & curva. alii *colligi* è libris quibuſdam eligunt: nempe

hoc ipſum argumentum eſt in melius tranſlati animi, quod vitia ſua, quæ adhuc ignorabat, videt. [5] Quibuſdam ægris gratulatio fit, cum ſeipſi ægros eſſe ſenſerunt. Cuperem itaque tecum communicare tam ſubitam mei mutationem: tunc amicitiæ noſtræ certiorem fiduciam habere cœpiſſem: [6] illius veræ, quam non ſpes, non timor, [7] non utilitatis ſuæ cura divellit: illius, cum qua homines moriuntur, & pro qua moriuntur. Multos tibi dabo, qui [8] non amico, [9] ſed amicitia caruerunt. Hoc non poteſt accidere, cum animos in ſocietatem honeſta cupiendi par voluntas trahit. Quid ni non poſſit? Sciunt enim ipſos omnia habere communia, & quidem magis adverſa. Concipere animo non potes, quantum momenti afferre mihi ſingulos dies videam. Mitte, inquis, & nobis iſta, quæ tam efficacia expertus es. Ego vero cupio iſta omnia in te transfundere, & in hoc gaudeo aliquid diſcere, [10] ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet eximia ſit & ſalutaris, quam mihi uni ſciturus ſim. Si cum hac exceptione detur ſapientia, ut illam incluſam teneam, nec enunciem, rejiciam. Nullius boni, ſine ſocio, jucunda poſſeſſio eſt. Mittam itaque ipſos tibi libros: & ne multum operæ impendas, dum paſſim profutura ſectaris, imponam [11] notas, ut ad ea ipſa protinus quæ probo & miror, accedas. Plus tamen tibi & viva vox & convictus, quam oratio, proderit.

pe ſparſa, inquiunt, & diſſoluta. *Lipſ.*

3 *Extenuari*] Ubi tumidi affectus. *Idem.*

4 *Attolli*] Ubi viles & depreſſi. *Idem.*

5 *Quibuſdam ægris*] Ut in lethargo: ut in melancholia, ubi inſani maxime ſibi ſani. *Idem.*

6 *Illius veræ*] Noſtræ & Stoïcæ. *Idem.*

7 *Non utilitatis*] Quæ eſt Epicuri amicitia. *Idem.*

8 *Non amico*] Vulgari, de quo epiſt. 3. *Idem.*

9 *Amicitia*] Fructu ipſo qui ex amico capitur, dum caſtigat, monèt, communicat. *Idem.*

10 *Ut doceam*] Stoïcus ſenſus. Ita Cato apud Ciceronem, 3 de Fin. *Impellimur natura ut prodeſſe velimus, inprimiſque docendo, rationibuſque prudentia tradendis. Itaque non facile eſt invenire, qui quod ſciat ipſe, non tradat alteri.* Idem.

11 *Notas*] Cujuſmodi in margine ſolent olim & nunc poni, Laudis vel Culpæ. *Idem.*

12 *An*

Digitized by Google

rit. in rem præſentem venias oportet. Primum quia homines amplius oculis quam auribus credunt: deinde quia longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodo audiſſet. vitæ ejus interfuit, ſecreta perſpexit, obſervavit illum, [12] an ex formula ſua viveret. Plato & [13] Ariſtoteles, & omnis [14] in diverſum itura ſapientium turba, plus [15] ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit. [16] Metrodorum, & [17] Hermachum, & [18] Polyænum, magnos viros non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit. Nec in hoc te accerſo tantum, ut proficias, ſed ut proſis. plurimum enim alter alteri conferemus. Interim quoniam diurnam tibi mercedulam debeo, quid me hodie apud Hecatonem delectaverit, dicam. Quæris, inquit, quid profecerim? Amicus eſſe mihi [19] cœpi. Multum profecit.

nun-

12 *An ex formula*] Meus & meliores, *ut ex formula:* quod eſſet, ideo obſervavit, ut vivere poſſet ad ejus normam. Nam *ſuum* ſic uſurpari, non novum. Malim tamen, *utrum ex.* Lipſius.

13 *Ariſtoteles*] Error aut calor ſcriptionis eſt. ille adeo non convixit Socrati, nec vidit quidem. Nam obiit Socrates primo anno Olympiadis XCV. ut plerique omnes tradiderunt. Atquin Ariſtoteles natus eſt anno primo Olympiadis XCIX. quod præter Laërtium, Dionyſius, Agellius, Euſebius, & apud Suidam incertus ſcriptor: quomodo ergo in convictu ei fuerit? Scio Ammonium in vita Ariſtotelis tradere de *tribus annis*, quos cum Socrate egerit, & quod *vigeſimo deinde ad Platonem venerit:* ſed ſupino errore, & calculus annorum ipſe Ammonii refellit. *Idem.*

14 *In diverſum*] Nam plures ſectæ, velut, aquarum divortia, ab illo capite factæ. *Idem.*

15 *Ex moribus*] De ea re ita Xenophon, lib. 4 de Socr. Οὕτω δὲ ὁ Σωκράτης ἦν ἐν παντὶ πράγματι, καὶ πάντα τρόπον, ὠφέλιμος, ὥστε τῷ σκοπουμένῳ τοῦτο, καὶ εἰ μετρίως αἰσθανομένῳ, φανερὸν εἶναι, διότι οὐδὲν ὠφελιμώτερον ἦν τοῦ Σωκράτει συνεῖναι, καὶ μετ' ἐκείνου διατρίβειν ὁπουοῦν καὶ ἐν ὁτῳοῦν πράγματι. *Ita autem Socrates erat in omni re, & omnimodis, utilis, ut attendenti & vel modice intelligenti liqueret, nihil utilius fieri poſſe, quam illi adeſſe, cum eo verſari, ubicumque, & in re quacumque.* ac plura addit. *Idem.*

16 *Metrodorum*] Duo fuerunt hoc nomine Epicuri diſcipuli. prior *Metrodorus Stratonicenſis*, qui tamen ab illo ad Carneadem defecit: alter, *Athenienſis*, qui perſeveravit, & libris etiam pluribus diſciplinam propagavit. Hunc intellegit. *Idem.*

17 *Hermachum*] Hic eſt *Hermachus*, *Agemarchi filius*, *Mitylenæus*, qui in ſchola & diatriba Epicuro ſucceſſit. Diogenes. *Idem.*

18 *Polyænum*] Athenodori filium, Lampſacenum: item inter diſcipulos. etſi ante Epicurum obiit, ut ex ejus Teſtamento colligas. *Idem.*

19 *Cœpi*] Ea vox abeſt ſcriptis pleriſque. *Idem.*

20 Qui

Digitized by Google

nunquam erit ſolus. [20] Qui ſibi amicus eſt, ſcito hunc amicum omnibus eſſe.

EPIST. VII.

Proficienti turbam vitandam, & vitia ab ea trahi: vitanda item ſpectacula, & maxime cruenta. Neque publice recitandum, aut diſſerendum, apud diſſimiles. Pluris ſit, inquit, unus alterque auditor bonus, aut etiam nullus.

QUid tibi vitandum præcipue exiſtimes, quæris; turbam. Nondum enim tuto illi committeris. Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Numquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod compoſui, turbatur: aliquid ex his quæ fugavi, redit. Quod ægris evenit, quos longa imbecillitas uſque eo affecit, ut nunquam ſine offenſa proferantur, hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Inimica eſt multorum converſatio. Nemo non aliquod nobis vitium [1] aut commendat, aut [2] imprimit, aut neſcientibus [3] allinit. Utique quo major eſt populus cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt. Nihil vero eſt tam damnoſum bonis moribus, quam in aliquo ſpectaculo deſidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia ſurrepunt. Quid me exiſtimas dicere? avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior? imo vero crudelior & inhumanior, quia inter homines fui. Caſu in [4] meridianum ſpectaculum incidi, luſus exſpectans, & ſales, & aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano [5] cruore acquieſcant. Contra eſt, quidquid ante pugnatum eſt, miſeri-

cordia

20 *Qui ſibi amicus eſt*] Et hæc verba item deſunt: ſed deſunt. Ex Stoïco dogmate manat, qui ſe amat, id eſt bonum ſapientemque facit, hunc & alios ſic amare,

Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo. Lipſius.

EPIST. VII. 1 *Aut commendat*] Exemplo. *Idem.*

2 *Imprimit*] Sermone. *Idem.*

3 *Allinit*] Converſatione. *Idem.*

4 *Meridianum*] In arena duplex ſpectaculum, Matutinum & Meridianum. Ibi cum beſtiis; nunc, qui reliqui, inter ſe depugnabant. Me vide 2 Saturnal. *Idem.*

5 *Cruore*] Qui mane affatim effuſus. *Idem.*

6 *Nihil*

cordia fuit. Nunc omiſſis nugis, mera homicidia ſunt: [6] nihil habent quo tegantur: ad ictum totis corporibus expoſiti, nunquam fruſtra [7] manum mittunt. Hoc plerique [8] ordinariis paribus & [9] poſtulaticiis præferunt. Quid ni præferant? non galea, non ſcuto repellitur ferrum. Quo munimenta? quo gladii artes? Omnia iſta mortis moræ ſunt. Mane leonibus & urſis homines, meridie ſpectatoribus ſuis objiciuntur. [10] Interfectores interfecturis jubentur objici, & victorem in aliam detinent cædem. exitus pugnantium mors eſt: [11] ferro & igne res geritur. Hæc fiunt, dum [12] vacat arena. Sed latrocinium fecit aliquis: [13] quid ergo meruit? ut [14] ſuſpendatur. Occidit hominem. qui occidit, ille meruit ut hoc pateretur: tu quid meruiſti miſer, ut hoc ſpectes? Occide, [15] ure, verbera. [16] Quare tam timide incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit?

6 *Nihil habent*] Epiſt. 95. *Homo ſacra res, homo, jam per luſum & jocum occiditur: & quem erudiri ad accipienda inferendaque vulnera nefas erat, is jam nudus inermiſque producitur, ſatiſque ſpectaculi in homine mors eſt.* Lipſius.

7 *Manum mittunt*] Ad ictum. De manibus gladiatoriis, nos quoque in Saturnalibus. *Idem.*

8 *Ordinariis*] Qui legitimo tempore, loco, & apparatu inducuntur, qui proprie & primo gladiatores ſunt. At iſti, velut vicarii quidam & ſubito ſuffecti, minus artis aut pompæ habebant. *Idem.*

9 *Poſtulaticiis*] Plus etiam quam Ordinariis. nam iſti ſepoſiti quidam, & velut Principales erant: quos populo poſcenti, per gratiam indulgebant. *Idem.*

10 *Interfectores interfecturis*] Scripti, *interfectu*: ſed ſententia ita poſcit. A libris Muretus abivit, qui *inter ſe*, fecit. *Idem.* Eſt ab uno libro Pinciani, cum alii ejus, vetuſtæ editt. Gruteri ac Lipſii codices, *interfectu.* Unde Muretus, *inter ſe.* Atteſtor, in membranis, quas ipſe contuli, plene fuiſſe: *interfecturis interfectores.* Gronovius.

11 *Ferro & igne*] Ferro, quo occidunt: igne, quo in cædem agunt. ſtatim: *Occide, ure.* Lipſius.

12 *Vacat arena*] A legitimo & ordinario ſpectaculo, matutino. Statim: *Intermiſſum eſt ſpectaculum.* Idem.

13 *Quid ergo meruit*] Malim, *quid ergo? meruit, ut.* Idem.

14 *Suſpendatur*] In cruce. nam hoc latronibus deſtinatum ſupplicium. Tamen pro mente hic magis fortaſſe, *meruit, ut ſic perdatur?*

15 *Ure, verbera*] Ure facibus, aut candenti ferro; verbera, flagris. Adi epiſt. 37. & nos in Saturn. *Idem.*

16 *Quare tam timide*] Voces & affectus populi. qui ſic in Cicerone: *In gladiatoriis pugnis timidos, & ſupplices, & ut vivere liceat obſecrantes, odiſſe ſolemus.* In noſtro de Ira 1. *Quid gladiatoribus quare populus iraſcitur, & tam inique, ut injuriam putet, quod non libenter pereunt? Contemni ſe judicat, & vultu, geſtu, ardore, de ſpectatore in adverſarium vertitur.* Idem.

cidit? quare parum libenter moritur? [17] Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus [18] nudis & obviis pectoribus excipiunt. Intermiſſum eſt ſpectaculum? interim jugulantur homines, ne nihil agatur. Age ne hoc quidem intelligitis, [19] mala exempla in eos redundare qui faciunt? Agite diis immortalibus gratias, quod [20] eum docetis eſſe crudelem, qui non poteſt diſcere. Subducendus populo eſt tener animus, & parum tenax recti: facile tranſitur ad plures. Socrati, Catoni, & Lælio excutere mentem ſuam diſſimilis multitudo potuiſſet: adeo nemo noſtrum, qui [21] cum maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium poteſt. Unum exemplum aut luxuriæ, aut avaritiæ, multum mali facit: convictor delicatus paullatim enervat & emollit: vicinus dives cupiditatem irritat: malignus comes quamvis candido & ſimplici, [22] rubiginem ſuam affricuit: [23] quid tu accidere

17 *Plagis*] Verberibus, ut ſupra. *Lipſius.*

18 *Nudis & obviis pectoribus excipiunt*] Meus & tres Pall. *recipiunt.* Et puto melius. Alluſum ad feralem illam victoris in arena vocem: *Recipe ferrum.* Epiſt. 57. *Alii gladium facilius recipiunt, quam vident.* De Tranquill. Animi, c. 11. *qui ferrum non ſubducta cervice, nec manibus oppoſitis, ſed animoſe recipis.* Cicero 2 Tuſc. *quis, cum decubuit ferrum recipere juſſus, collum contraxit?* Gronovius.

19 *Mala exempla*] Qui tam libenter occiditis, non timetis à potentiore occidi? *Lipſius.*

20 *Eum docetis*] Manifeſto hoc ad Neronem. & in ejus clementiæ laudem, blande nec tamen falſo (ſub initia quidem imperii) hic inſertum. *Idem.*

21 *Cum maxime concinnamus*] In via & profectu ſumus ad bonam mentem, nondum habemus: fingimus & formamus. His talibus quam vitanda turba, docet & Epicteti Diſſertatio, lib. 2. c. 16. *Idem.*

22 *Rubiginem ſuam*] Quam *aruginem* Horatius dixit. Epictetus: *Ἀμήχανον τὸν συντριβόμενον τῷ ἠσβολωμένῳ, μὴ καὶ αὐτὸν ἀπολαῦσαι τῆς ἀσβόλης.* *Fieri non poteſt, quin qui verſetur & adhæreat fuligine tincto, & ipſe fuliginem ab eo participet.* Idem.

23 *Quid tu accidere his credis*] Libri plerique, *his moribus credis:* non mala item ſententia. Quantum periculi ab iis moribus vitiiſque eſt, in quæ publice conſenſum? Sed melior aptiorque è vulgata. ſi unus alterve convictor corrumpit, aut dejicit: quomodo ii ſtabunt, qui à toto populo petuntur? quod iis evenit, qui turbæ ſe committunt. Sic Lipſius. Sane omnes Gruteri inſerunt hanc vocem, neque aliter noſtræ membranæ, ſed & tres iſtæ veteres editiones. Nec miror repudiatam Lipſio iſto ſenſu. Quomodo *in quos publice factus eſt impetus*, poteſt reddi, in quos publice conſenſum? Plane contrarium volunt verba Senecæ, qui publice oppugnantur. Ergo *his moribus*, explica, horum hominum moribus & bonæ licet indolis

accidere his moribus credis, in quos publice factus eſt impetus? Neceſſe eſt aut imiteris, [24] aut oderis. Utrumque autem devitandum eſt: ne vel ſimilis malis fias, quia multi ſunt: neve inimicus multis, quia diſſimiles ſunt. Recede in teipſum quantum potes. cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt: illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuo iſta fiunt, & homines dum docent, diſcunt. Non eſt ergo quod te gloria publicandi ingenii producat in medium, ut [25] recitare iſtis velis, aut diſputare: quod facere te vellem, ſi haberes [26] iſti populo idoneam mentem. Nemo eſt, qui intelligere te poſſit. Aliquis fortaſſe unus aut alter incidet: & hic ipſe formandus tibi erit, inſtituenduſque ad intellectum tui. Cui ergo, inquis, iſta didici? non eſt quod timeas ne operam perdideris, ſi tibi didiciſti. Sed ne mihi ſoli hodie didicerim, communicabo tecum quæ occurrerunt mihi egregie dicta circa eumdem fere ſenſum tria: ex quibus unum hæc epiſtola in debitum ſolvet, duo [27] in anteceſſum accipe. Democritus ait: Unus mihi

non poteſt ſervari in turba, quæ omnis eam deſtruere nata & operata eſt. *Hi mores* ſunt homines horum morum. Quod genus loquendi ex Cicerone, ubi etiam male acceptum, alibi ſatis illuſtravimus. Terentius Andria: *nam quod tu ſperes, (propulſabo facile, uxorem his moribus dabit nemo) inveniet inopem potius, quam te corrumpi ſinat.* Varro de re ruſt. 3, 2. *Neque hoc accidit his moribus, ut decipiaris.* Livius lib. 10. in verbis Fabii Decium collegam poſcentis: *cum moribus notis facilius ſe communicaturum conſilia.* Noſter epiſt. 97. *Quidquam fuiſſe corruptius illis moribus credis, quibus libido non ſacris inhiberi, non judiciis poterat.* Gronov.

24 *Aut oderis*] Quidam liber, *odiaris*, quod verbi non ſperno: ſed hic locum non habere ſequentia docent. *Lipſius.*

25 *Recitare*] Tua ſcripta in publico, ut olim ſolet. *Idem.*

26 *Iſti populo idoneam mentem*] Aliqui, *mercem.* Idem. Non moveo, quia habent quinque Gruteri. Tamen ad marginem unius, & in Eraſmi Lipſiique libris, *mercem.* Quod ſignificat etiam nobis collatus & vett. edd. vocabulo, *mercedem.* Suſpicor fuiſſe: *ſi haberes iſti populo idoneam artem.* Tacit. 16 Annal. *Flagitante vulgo ut omnia ſua ſtudia publicaret.* De quibus lib. 14. *Ne tamen ludicra tantum imperatoris artes noteſcerent.* Et Coſſutianus lib. 16. criminatur Thraſeam, quod illi *artes principis* ſint ſine honore. *Gronovius.*

27 *In anteceſſum*] Vox à foro & argentariis. ſignificat inante ſolvi, & priuſquam dies ceſſit. Gloſſæ: *Anteceſſum: προχρεῖαι* vult eſſe, dare vel accipere εἰς προχρείαν quod Latinis, *prærogare*, vel *præcipere.* Quinctilianus Declamat. *Quod apud mercatores ſolet, in anteceſſum dedi.* Florus 3. *Marius & Carbo, deſperata victoria, & ne inulti perirent, in anteceſſum ſanguine Senatus ſibi parentabant.* Eas enim duas voces, è fido

mihi pro populo eſt, & populus pro uno. Bene & ille quiſquis fuit (ambigitur enim de auctore) cum quæreretur ab illo, quo tanta diligentia artis ſpectaret ad pauciſſimos perventuræ? Satis ſunt, inquit, mihi pauci, ſatis eſt unus, ſatis eſt nullus. Egregie hoc tertium. Epicurus cum uni ex conſortibus ſtudiorum ſuorum ſcriberet: Hæc, inquit, ego non multis, ſed tibi: ſatis enim magnum alter alteri theatrum ſumus. Iſta, mi Lucili, condenda in animum ſunt, ut contemnas voluptatem, ex plurium aſſenſione venientem. Multi te laudant. Ecquid habes cur placeas tibi, ſi is es quem multi intelligunt? introrſus bona tua ſpectent.

EPIST. VIII.

Pendet à priore epiſtola, & eſt velut objectio. Quid? vitare me vis turbam, & populum? atqui Stoici tui docent rebus accedere, in rebus mori. Reſpondet, non otium ſe ſuadere, ſed ſeceſſum. à ſuo exemplo: qui relictis aliis, Sapientiæ vacat, & præcepta ejus ſcriptis propagat. Hoc operum maximum, & pulcherrimum eſſe. Denique inſerta ab Epicuro, Libertatem veram à Philoſophia dari.

TU me, inquis, vitare turbam jubes, ſecedere, & conſcientia eſſe contentum: ubi illa præcepta veſtra, quæ imperant [1] in actu mori: Quid? ego tibi videor [2] interim ſedere? in hoc me recondidi, & fores clauſi, ut prodeſſe pluribus poſſim. Nullus mihi per otium dies exit: partes no-

è fido codice, nos Floro redonamus. Utitur & noſter, epiſt. 118. initio, de Benef. 4. c. 32. *Lipſius.*

EPIST. VIII. 1 *In actu mori*] Noſter, in Fragmento quod Vitæ Beatæ adhæſit: *Quid agis Seneca? deſeris partes. certe Stoici veſtri dicunt, Uſque ad ultimum vitæ finem in actu erimus.* Idem.

2 *Interim ſedere*] Deſidere, & otioſus eſſe. Suum exemplum objicienti reponit. Vis videre etiam in ſeceſſu actionem, & in otio negotium eſſe? en me & ſtudia mea. Libri tamen plerique: *Quod ego tibi videor interim ſuadere, in hoc.* Idem. Scripti omnes, *ſuadere.* Forte: *Quid ego tibi videor inertiam ſuadere?* Quæ ſequuntur, accipienda, quaſi interpoſuiſſet: Meum exemplum vide: in hoc me recondi di &c. *Gronovius.*

3 *Suſpi-*

noctium ſtudiis vindico: non vaco ſomno, ſed ſuccumbo, & oculos vigilia fatigatos, cadenteſque, in opere detineo. Seceſſi non tantum ab hominibus, ſed etiam à rebus, & primum à meis. Poſterorum negotium ago: illis aliqua quæ poſſint prodeſſe, conſcribo: ſalutares admonitiones, velut medicamentorum utilium compoſitiones, litteris mando, eſſe illas efficaces in meis ulceribus expertus: quæ etiam ſi perſanata non ſunt, ſerpere deſierunt. Rectum iter, quod ſero cognovi, & laſſus errando, aliis monſtro. Clamo, Vitate quæcumque vulgo placent, quæ caſus attribuit: ad omne fortuitum bonum, [3] ſuſpicioſi pavidique ſubſiſtite. Et fera, & piſcis, ſpe aliqua oblectante decipitur. Munera iſta fortunæ putatis? [4] inſidiæ ſunt. Quiſquis noſtrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum poteſt, iſta [5] viſcata beneficia devitet: in quibus hoc quoque miſerrimi fallimur, habere nos putamus, [6] habemur. In præcipitia curſus iſte deducit: hujus eminentis vitæ exitus, cadere eſt. Deinde ne reſiſtere quidem licet, cum cœpit tranſverſos agere felicitas. [7] Aut ſaltem rectis, aut temet frueris.

3 *Suſpicioſi*] Nequid, ſpecie boni, mali lateat. *Lipſius.*

4 *Inſidiæ ſunt*] Martialis lib. 4. in captatorem: *Qui potes inſidias, dona vocare, tuas.* Idem.

5 *Viſcata beneficia*] Quæ qui tangit, obhæret. Plinius lib. 9. epiſt. 30. *Qui iis potiſſimum donant, qui donare maxime poſſunt. quos ego viſcatis hamatiſque muneribus non ſua promere puto, ſed aliena corripere.* Idem.

6 *Habemur*] Noſter epiſt. 119. *Sic divitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cum illa nos habeat.* De Vit. Beat. cap. 22. *Ad poſtremum, divitiæ meæ ſunt, tu divitiarum es.* Valerius: *Proculdubio hic non poſſedit divitias, ſed à divitiis poſſeſſus eſt.* Bionis vetus dictum, in avarum: Οὐχ οὗτος, ἔφη, τὴν οὐσίαν κέκτηται, ἀλλ' ἡ οὐσία τοῦτον· *Non iſte bona poſſidet, ſed bona ipſum.* Bona igitur ſententia: ſed libri tamen noſtri, *fallimur: habere nos putamus, haremus.* & ad viſcum atque aves referri poſſit, quæ dum prædam tenere ſe putant, tenentur. *Idem.*

7 *Aut ſaltem rectis aut temet frueris*] Muretus vulgavit, *Aut rectus ſta, aut ſemel fuge, qui hoc faciunt, non evertit.* Sed nos ſcripturam veterem, noſtrique optimi libri præferre maluimus, in loco hercules corrupto, quid ſi defecto? Quidam ſcripti, pro *frueris*, habent *fruere*; alii, *fuere*. Ego non attollo hunc locum, imo depono. *Idem.* Veterem hanc ſcripturam vocat Lipſius. Plures tamen, *fruere.* Præterea in noſtro & Erf. deſunt τὰ *Qui hoc faciunt:* in iiſdem, *vertit.* Conjiciebam: *Aut ſtatum rectus aut temet tene. non vertet fortuna; ſi cernuet & allidet.* Aut mane in loco & ordine, nulla ſequens fortunæ blandimenta, aut ſi quid eorum appetieris, hactenus capeſſe, ut ſis in

frueris. * Qui hoc faciunt, non evertit fortuna, [8] ſed cernulat & allidit. Hanc ergo ſanam & ſalubrem formam vitæ tenere memento, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Durius tractandum eſt, ne animo male pareat: cibus famem ſedet, potio ſitim exſtinguat, veſtis arceat frigus, domus munimentum ſit adverſus infeſta corpori. Hanc utrum ceſpes erexerit, an [9] varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt: ſcito hominem tam bene culmo, quam [10] auro tegi. Contemne omnia, quæ ſupervacuus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te, præter animum, nihil eſſe mirabile: cui magno nihil magnum eſt. Si hoc mecum, ſi hoc cum poſteris loquor, non videor tibi plus prodeſſe, quam cum ad vadimonium advocatus deſcenderem, [11] aut tabulis teſtamenti annulum imprimerem, aut in ſenatu [12] candidato vocem & manum commodarem? Mihi crede: qui nihil agere videntur, majora

ſis in poteſtate tua, non illi te totum dedas. Ita fiet, ſi quando illa mutabitur, ut te non ſubruat, ſed ſe tibi impingat tantum & recellat & tanquam fluctus ſcopulo illiſa frangatur & repellatur. Potes & *ſuſtine*. Nam quod libri Senecæ, *cernulat*, & Gloſſarium etiam, ſi Diis placet, pro *cernuo* nobis facit *cernulum*; non dubito utrumque eſſe contra analogiam & rationem veterum, ſcribendumque *cernuare*, & *cernuus*, ut apud Varronem, Virgilium, & plurimos alios exſtat. *Gronovius.*

8 *Sed cernulat*] Ergo minus hoc eſt quam *evertere*, quod præivit: an majus? Sane qui cernuum ſe abjicit, præcipitat, &, quod hic addit, *allidit*. *Cernulat* autem in Gloſſario explicatur κυβιστᾷ· in caput ſe jacit pronum: & *cernuus*, πιτανγιστής, quia ita ſolent per luſum id genus. Solinus, de Tigride: *Notantur frequentiſſime, in litore, irrita rabie, cernuari:* cum aſſequi raptores fœtus ſui non poſſunt. Apuleius 1. *Corpus exanimatum in flumen pene cernuat.* Varro apud Nonium: *Pelles bubulas oleo perfuſas percurrebant*, ibique cernuabant. Prudentius:

Cernuat ora ſenex barbatus, & oſcula figit.

Servius in hoc Virgilii lib. 10. *incumbit cernuus armo: In eam partem, qua cernimus, prolapſum* interpretatur. *Idem.*

9 *Varius lapis*] Marmor varii coloris. *Idem.*

10 *Auro*] In laquearibus. *Idem.*

11 *Aut tabulis teſtamenti annulum imprimerem*] Recte: nam teſtes annulo ſuo, vel alieno, qui χαρακτῆρα haberet, ſignare debebant. l. ad teſtium. §. ſi quis ex teſtib. ff. qui teſt. fac. poſſ. §. poſſunt autem. Inſt. de teſtam.

12 *Candidato*] Hoc eſt, quod in eodem argumento noſter, de Tranquill. cap. 3. dixit, *Extrahere candidatos*. Verba: *Nec enim is ſolus reip. prodeſt, qui candidatos extrahit, & tuetur reos.* adde cetera. Quia enim quaſi latentes, *voce & manu*, ut hic ſcribitur, producit & oſtendit: *Extrahere* ibi ſcripſit. Plinius Panegyrico: *Quippe cum orationi oculos, vocem, manum commodares:*

Digitized by Google

jora agunt, humana divinaque ſimul tractant. Sed jam finis faciendus eſt, & aliquid, ut inſtitui, pro hac epiſtola dependendum. id de meo non fiet. adhuc Epicurum [13] replicamus, cujus hanc vocem hodierno die legi. Philoſophiæ ſervias oportet, ut tibi contingat [14] vera libertas. Non differtur [15] in diem, qui ſe illi ſubjecit & tradidit. [16] ſtatim circumagitur. hoc enim ipſum philoſophiæ ſervire, libertas eſt. Poteſt fieri, ut me interroges, quare ab Epicuro tam multa bene dicta referam potius quam noſtrorum. quid eſt tamen, quare tu iſtas Epicuri voces putes eſſe, non publicas? Quam multa poëtæ dicunt, quæ à philoſophis aut dicta ſunt aut dicenda? Non attingam tragicos, aut togatas noſtras: habent enim hæ quoque aliquid ſeveritatis, & ſunt inter comœdias & tragœdias mediæ: quantum diſertiſſimorum verſuum inter mimos jacet? quam multa Publii, non [17] excalceatis, ſed [18] cothurnatis dicenda ſunt? Unum ejus verſum, qui ad philoſophiam

in eadem re candidatorum. Nam ut idem Plinius fatetur (lib. 3. epiſt. 20.) cum jam comitia per Principem in Senatu haberentur, *exceſſerant manifeſtis illis apertiſque ſuffragiis licentiam concionum. Non tempus loquendi, non tacendi modeſtia, non denique ſedendi dignitas cuſtodiebatur. Procurrebant omnes cum ſuis candidatis:* & plura, quæ addit. *Lipſius.*

13 *Replicamus*] Ut ſolet in vertendo & volvendo libros. Ita meus & meliores: alii *complicamus*; vulgo *compilamus*. Idem.

14 *Vera libertas*] Quæ ea ſit, vide epiſt. 75. in extrema. *Idem.*

15 *In diem*] Ut vulgo ſolet in ſervis: qui non ſunt liberi, niſi poſt annorum ſervitutem. *Idem.*

16 *Statim circumagitur*] Ad Romanum ritum. quo manumiſſi, manu capiti impoſita, in orbem vertebantur. Perſius:

Verterit hunc dominus, momento temporis exit
Marcus Dama.

Horatius:

—— quibus una Quiritem
Vertigo facit.

Ritus, qui ſignificabat liberos jam eſſe, huc illuc ire poſſe, quo vellent. *Idem.* Apud veteres quoties manumittebant, alapa percuſſos circumagebant & liberos confirmabant. Meminere hujus moris Appianus lib. 4 belli civ. Arrianus in epiſt. lib. 2. c. 1. & Claudianus lib. de 4 Conſ. Honorii. De hoc Cujacius lib. 5. Obſerv. cap. 15. Briſſonius lib. 1. c. 11. ſel. antiq. & Rævard. c. 7. lib. de aut. prudent.

17 *Excalceatis*] Quod in mimis & comicis, qui ſocco non cothurno utebantur. *Lipſius.*

18 *Cothurnatis*] Tragicis, quorum altiores hi calcei, ut magis ſublimes & auguſtæ eſſent regum aut principum illæ perſonæ. Noſter epiſt. 77. *Ut cothurnati, ſimul exierunt, excalceantur & redeunt ad ſtaturam ſuam.* Idem.

EPIST.

Digitized by Google

ſophiam pertinet, & ad hanc partem, quæ modo fuit in manibus, referam, quo negat fortuita in noſtris habenda.

Alienum eſt omne, quidquid optando venit.

Hunc verſum à te dici non paullo melius, & adſtrictius, memini:

Non eſt tuum, fortuna quod fecit tuum.

Illud etiamnum melius dictum à te non præteribo:

Dari bonum quod potuit, auferri poteſt.

Hoc non imputo in ſolutum, de tuo tibi.

EPIST. IX.

Item pars aut explicatio priorum. Sapientem non quærere homines, ſeipſo contentum. Quid ergo? non etiam amicum? Imo, ſed poteſt & ſine eo eſſe: poteſt amittere, & amiſſum reparare. In eo ipſo fructus & voluptas eſt, dum parat. An ergo ſua cauſſa, ut Epicurei cenſent? Non, ſed potius alterius cui proſit, pro quo periclitetur, pro quo moriatur. Merces virtutis, ipſa eſt. Fuſius deinde & ſubtilius, Quatenus ſe contentus, quatenus non ſit: & in verbis diſtinctiuncula Stoica.

AN merito reprehendat in quadam epiſtola Epicurus eos, qui dicunt ſapientem ſeipſo eſſe contentum, & propter hoc amico non indigere, deſideras ſcire. Hoc objicitur [1] Stilponi ab Epicuro, & his quibus ſummum bonum viſum eſt [2] animus impatiens. In ambiguitatem incidendum eſt, ſi exprimere ἀπάθειαν uno verbo ſcite voluerimus, & impatientiam dicere. Poterit enim contrarium ei, quod ſignificare volumus, intelligi. Nos enim eum volumus dicere, qui reſpuat omnis mali ſenſum: accipietur is, qui nullum poſſit ferre malum. Vide ergo, num ſatius

EPIST. IX. 1 *Stilponi*] Cujus Zeno auditor fuit, & quædam ab eo hauſit. *Lipſius.*

2 *Animus impatiens*] Quorum ſententia nimis rigida erat, Sapientem mediis in rebus neutram in partem moveri, aut inclinare. Id *ἀδιαφορίαν* vocabant, & in hac Summum bonum eſſe. Vide me diffuſe ediſſerentem 3 Manuduct. Diſſ. 7. *Idem.*

3 *In-*

tius ſit, aut [3] invulnerabilem animum dicere, aut [4] animum extra omnem patientiam poſitum. Hoc inter nos [5] & illos intereſt. Noſter ſapiens [6] vincit quidem incommodum omne, ſed ſentit: illorum, ne ſentit quidem. Illud nobis cum illis commune eſt, ſapientem [7] ſeipſo eſſe contentum: ſed tamen & amicum habere vult, & vicinum, & contubernalem, quamvis ſibi ipſe ſufficiat. Vide quam ſit ſe contentus. aliquando ſui parte contentus eſt, ſi illi manum aut morbus, aut hoſtis inciderit. Si quis oculum caſus excuſſerit, reliquiæ illi ſuæ ſatisfacient: & erit imminuto corpore & amputato tam lætus, quam integro fuit. Quæ ſibi deſunt, non deſiderat: ſed non deeſſe mavult. Ita ſapiens ſe contentus eſt, non ut velit eſſe ſine amico, ſed ut poſſit: & hoc quod dico poſſit, tale eſt. amiſſum æquo animo fert: ſine amico quidem nunquam erit. in ſua poteſtate habet, quam cito reparet. Quomodo ſi perdiderit Phidias ſtatuam, protinus alteram faciet: ſic & hic faciendarum amicitiarum artifex, ſubſtituet alium in locum amiſſi. Quæris quomodo amicum cito facturus ſit? dicam, ſi illud mihi tecum convenerit, ut ſtatim tibi ſolvam quod debeo, & quantum ad hanc epiſtolam, [8] paria faciamus. Hecaton ait: Ego tibi monſtrabo [9] amatorium, ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficæ carmine. [10] Si vis amari, ama. Habet autem non tantum amicitiæ uſus, veteris

3 *Invulnerabilem animum*] Parum ſcite exprimit, meo quidem ſenſu. Cur non *imperturbabilem animum* potius? cur non uno verbo (licet enim fingere) *imperturbationem?* Lipſius.

4 *Animum extra omnem patientiam*] Animadvertendum *patientiam*, hic non habere conſuetam ſignificationem, ſed ſonare τὸ πάσχειν, ſeu παθεῖν. Stephanus lib. 2. c. 12. Prood.

5 *Et illos*] Megaricos, inter quos Stilpo. *Lipſius.*

6 *Vincit quidem*] Senſum non adimunt Stoici, victoriam donant: ut noſter de Provid. c. 2. *Nec hoc dico, non ſentit illa, ſed vincit.* Vide me loco dicto. *Idem.*

7 *Seipſo contentum*] Magnificum dogma, & inter inopinata. De quo ego Manud. 3. Diſſert. 10. *Idem.*

8 *Paria faciamus*] Nihil reliqui ſit, neuter in alterius ære. *Idem.*

9 *Amatorium*] Gloſſæ veteres explicant, φίλτρον. Idem Latini, *Venenum.* Idem.

10 *Si vis amari*] Martialis hoc ipſum:

—— *Marce ut ameris, ama.* Idem.

11 *Atta-*

veteris & certæ, magnam voluptatem, ſed etiam initium & comparatio novæ. Quod intereſt inter metentem agricolam, & ſerentem: hoc inter eum qui paravit amicum, & qui parat. [11] Attalus philoſophus dicere ſolebat, Jucundius eſſe amicum facere, quam habere: quomodo artifici jucundius eſt pingere, quam pinxiſſe. Illa in opere ſuo occupata ſolicitudo, ingens oblectamentum habet in ipſa occupatione. Non æque delectatur, qui ab opere perfecto removit manum. jam fructu artis ſuæ fruitur: ipſa fruebatur arte, cum pingeret. Fructuoſior eſt adoleſcentia liberorum, ſed infantia dulcior. Nunc ad propoſitum revertamur. Sapiens etiam ſi contentus eſt ſe, tamen habere amicum vult: ſi ob nihil aliud, ut exerceat amicitiam, ne tam magna virtus jaceat: non ad hoc quod [12] Epicurus dicebat in hac ipſa epiſtola, ut habeat qui ſibi ægro aſſideat, ſuccurrat in vincula conjecto vel inopi: ſed ut habeat aliquem, cui ipſe ægro aſſideat, quem ipſum circumventum hoſtili cuſtodia liberet. Qui ſe ſpectat, & propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat: quemadmodum cœpit, ſic deſinet. Paravit amicum adverſus vincula laturum opem: cum primum crepuerit catena, diſcedet. Hæ ſunt amicitiæ, [13] quas Temporarias populus appellat. Qui cauſſa utilitatis aſſumptus eſt, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit.

11 *Attalus*] E Stoa, ſub Tiberio, philoſophus. de quo epiſt. 108. & alibi. *Lipſius.*

12 *Epicurus dicebat*] Ejus dogma, Amicitiam ob uſum fructumque eſſe. Verba in Laërtio: Εἶναι καὶ γεννᾶσθαι τὴν φιλίαν, διὰ τὰς χρείας· *Eſſe & contrahi amicitiam, ob uſus.* Plutarchus, de amore in liberos: Θαυμάζεται ἐν τοῖς θεάτροις ὁ εἰπών,

Μισθοῦ γὰρ ἄνθρωπον, τίς ἄνθρωπον φιλεῖ;

καθ' Ἐπίκουρον, ὁ πατὴρ τὸν υἱόν, μήτηρ τὸ τέκνον, οἱ παῖδες τοὺς τεκόντας· *In theatris admirationi eſt, qui dicit,*

Mercede nam quis hominis, hominem diligit?

Juxta Epicurum, pater filium, mater prolem, ipſi liberi parentes. Stoïci contra. & hanc quoque virtutem, ut omnes, ſua cauſſa & pretio colendam. Cicero 3 de Finib. *Minime vero probatur huic diſciplinæ* (Stoicæ) *de qua loquor, aut Amicitiam, aut Juſtitiam, propter utilitates adſciſci, aut probari.* Plura nos in Ethicis: & videſis Manuduct. 3. Diſſert. 16. *Idem.*

13 *Quas temporarias*] Temporibus aptas, & cum iis manentes, abeuntes. Ita in Curtio, *temporaria ingenia:* quæ conſilia & ſeſe pro temporibus mutant. *Idem.*

Digitized by Google

fuerit. Hac re [14] florentes amicorum turba circumſedet: circa everſos ingens ſolitudo eſt: & inde amici fugiunt, [15] unde probantur. Hac re iſta tot nefaria exempla ſunt, aliorum metu relinquentium, [16] aliorum metu prodentium. Neceſſe eſt initia inter ſe & exitus congruant. Qui amicus eſſe cœpit, quia expedit; placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, ſi ullum in illa placet pretium præter ipſam. In quid amicum paro? ut habeam pro quo mori poſſim, ut habeam quem in exſilium ſequar, cujus me morti opponam & [17] impendam. Iſta quam tu deſcribis, [18] negotiatio eſt, non amicitia, quæ ad commodum accedit, quæ quid conſecutura ſit, ſpectat. Non dubie habet aliquid ſimile amicitiæ, affectus amantium: poſſis dicere, illam eſſe inſanam amicitiam: nunquid ergo quiſquam amat lucri cauſſa? nunquid ambitionis aut gloriæ? Ipſe per ſe amor, omnium aliarum rerum negligens, animos in cupiditatem formæ, non ſine ſpe mutuæ caritatis, accendit. Quid ergo? ex honeſtiori cauſſa coit turpis affectus? Non agitur, inquis, nunc hoc, an amicitia propter ſe, an propter aliud ſit expetenda. nam ſi propter ſeipſam expetenda eſt, poteſt ad illam accedere, qui ſeipſo contentus eſt. Quomodo ergo ad illam accedit? quomodo ad rem pulcherri-

14 *Florentes amicorum turba*] Communis locus. ſed iſti nomine amici, non re audiunt. Euripides:

Ὄνομα γὰρ, ἔργον δ' οὐκ ἔχουσιν οἱ φίλοι,
Οἱ μὴ 'πὶ ταῖσι συμφοραῖς ὄντες φίλοι·

Nomen quidem, ſed rem ipſam amici non habent,
Qui ſorte triſti, non ſe amicos exhibent.

Lipſius.

15 *Ubi probantur*] Libri priſci, *unde probantur.* recte utrumvis. Ennius:

Amicus certus in re incerta cernitur.

Lucretius:

Quo magis in dubiis homines ſpectare periclis
Convenit, adverſiſque in rebus noſcere qui ſint.

Exactio igitur & probatio Amici, in re triſti. *Idem.*

16 *Aliorum metu prodentium*] Valde inſuavis eſt repetitio illa vocis *metus.* Legerim: *aliorum metu relinquentium, aliorum etiam prodentium.* Ut eadem tamen intelligatur. *Gronovius.*

17 *Impendam*] Ipſe moriar. Ab hac cauſſa argute Panegyriſtes, Theodoſio: *Humilis hac virtus* (Amicitia) *dubiumque an virtus judicabatur, nec Palatiis digna, ſed periculis habebatur.* Lipſ.

18 *Negotiatio eſt*] Cicero 2 de Nat. Deorum: *Amicitiam ſi ad fructum noſtrum referemus, non erit iſta Amicitia, ſed mercatura quædam utilitatum ſuarum.* Idem.

19 *Parat*

Digitized by Google

cherrimam: non lucro captus, nec varietate fortunæ perterritus. Detrahit amicitiæ majeſtatem ſuam, qui illam [19] parat ad bonos caſus. Se contentus eſt ſapiens. Hoc, mi Lucili, perperam plerique interpretantur: ſapientem undique ſubmovent, & [20] intra cutem ſuam cogunt. Diſtinguendum eſt autem, quid & quatenus vox iſta promittat. Se contentus eſt ſapiens, ad beate vivendum, non ad vivendum. Ad hoc enim multis illi rebus opus eſt; ad illud tantum animo ſano, & erecto, & deſpiciente fortunam. Volo tibi [21] Chryſippi quoque diſtinctionem indicare. Ait ſapientem nulla re indigere, & tamen multis illi rebus opus eſſe: contra, ſtulto nulla re opus eſt, nulla enim re ſcit uti, ſed omnibus eget. Sapienti & manibus, & oculis, & multis ad quotidianum uſum neceſſariis opus eſt, ſed eget nulla re: egere enim, neceſſitatis eſt: nihil autem neceſſe ſapienti eſt. Ergo quamvis ſeipſo contentus ſit, amicis illi opus eſt. hos cupit habere quam plurimos, non ut beate vivat: vivet enim etiam ſine amicis beate. Summum bonum extrinſecus inſtrumenta non quærit, domi colitur: ex ſe totum eſt. incipit fortunæ eſſe ſubjectum, ſi quam partem ſui foris quærit. Qualis tamen futura eſt vita ſapientis, ſi ſine amicis relinquatur in cuſtodiam conjectus, vel in aliqua gente aliena deſtitutus, vel in navigatione longa retentus, aut in deſertum littus ejectus? qualis eſt Jovis, cum [22] reſoluto mundo, & diis in unum confuſis, paulliſper ceſſante natura, [23] acquieſcit ſibi, cogitationibus ſuis

19 *Parat ad bonos caſus*] Sic libri: & ſententia bona, clara. Muretus vocem rejectum ivit, ediditque: *ad caſus.* nec male, ſi tamen hoc Senecæ. *Lipſius.*

20 *Intra cutem*] Intra ſe. Proverbiale eſt: ut in Horatio,

— quoniam in propria non pelle quieſſem.

Martiali: *—— memento*

Intra pelliculam cerdo manere tuam.

Idem.

21 *Chryſippi diſtinctionem*] De qua ego Manuduct. 3. Diſſert. 11. *Idem.*

22 *Reſoluto mundo*] Per conflagrationem ſive ἐκπύρωσιν Stoïcam. *Idem.*

23 *Acquieſcit ſibi*] Chryſippus aiebat, *Solum Jovem manere, omnium Deorum, poſt conflagrationem: ipſum autem recedere in Providentiam, atque una manere ambos in ſola Ætheris ſive Ignis eſſentia.* Volebat nempe Jovem, cum Providentia, diſponere futura, & Mundum componere: nec inepte. Vide me 2 Phyſiol. Diſſ. 22. *Idem.*

24 Non

Digitized by Google

ſuis traditus. Tale quiddam ſapiens facit. in ſe reconditur, ſecum eſt: quamdiu quidem illi licet ſuo arbitrio res ſuas ordinare, ſe contentus eſt: & ducit uxorem, ſe contentus eſt: & liberos tollit, ſe contentus eſt: & tamen non vivet, ſi fuerit ſine homine victurus. Ad amicitiam fert illum nulla utilitas ſua, ſed naturalis irritatio. nam ut aliarum nobis rerum innata dulcedo eſt, ſic amicitiæ. Quomodo ſolitudo in odio eſt, ſic in dulcedine appetitio ſocietatis. Quomodo hominem homini natura conciliat, ſic ineſt huic quoque rei ſtimulus, qui nos amicitiarum appetentes faciat. Nihilominus cum ſit amicorum amantiſſimus, cum illos ſibi comparet, ſæpe præferat: omne intra ſe bonum terminabit, & dicet quod Stilpon ille dixit, Stilpon quem Epicuri epiſtola inſequitur. Hic enim capta patria, amiſſis liberis, amiſſa uxore, cum ex incendio publico ſolus, & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio urbium Poliorcetes fuit, Num quid perdidiſſet? Omnia, inquit, bona mea mecum ſunt. Ecce vir fortis ac ſtrenuus, ipſam hoſtis ſui victoriam vicit. Nihil, inquit, perdidi. dubitare illum coëgit, an viciſſet. Omnia mea mecum ſunt. Juſtitia, virtus, temperantia, prudentia, hoc ipſum, nihil bonum putare quod eripi poſſit. Miramur animalia quædam, quæ per medios ignes ſine noxa corporum tranſeunt: quanto hic mirabilior vir, qui per ferrum & ruinas & ignes, illæſus & indemnis evaſit? Vides quanto facilius ſit totam gentem, quam unum virum vincere? Hæc vox illi eſt communis cum Stoico. æque & hic intacta bona per concrematas urbes fert. Se enim ipſo contentus eſt, hoc felicitatem ſuam fine deſignat. Ne exiſtimes nos ſolos generoſa verba jactare: & ipſe Stilponis objurgator Epicurus, ſimilem illi vocem emiſit, quam tu boni conſule, etiamſi hunc diem jam expunxi. Si cui, inquit, ſua non videntur ampliſſima, licet totius mundi dominus ſit, tamen miſer eſt. Vel ſi hoc modo tibi melius enunciari videtur: id enim agendum, ut non verbis ſer-

Digitized by Google

ſerviamus, ſed ſenſibus: Miſer eſt, qui ſe non beatiſſimum judicat, licet imperet mundo. Ut ſcias autem hos ſenſus communes eſſe, natura ſcilicet dictante; apud poëtam comicum invenies:

[24] *Non eſt beatus, eſſe ſe qui non putat.*

Quid enim refert qualis ſtatus tuus ſit, ſi tibi videtur malus? Quid ergo? inquis, ſi beatum ſe dixerit ille turpiter dives, & ille multorum dominus, ſed plurium ſervus: beatus ſua ſententia fiet? Non quid dicat, ſed quid ſentiat, refert: nec quid uno die ſentiat, ſed quid aſſidue. Non eſt autem quod verearis, ne ad indignum res tanta perveniat. Niſi ſapienti ſua non placent. omnis ſtultitia laborat faſtidio ſui.

EPIST. X.

Solitudinem bonam, ſed bonis aut progreſſis, eſſe: aliis aliam. Nam mali aut ſtulti maxime in ea peccant, remoto arbitro, & ſibi relicti. Obiter præceptiuncula de Votis: & nihil concipere, niſi quod palam poſſis nuncupare.

SIc eſt, non muto ſententiam. fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum. Non habeo cum quo te communicatum velim, & vide quo [1] judicium meum abeat: audeo te tibi credere. Crates, ut aiunt, hujus

24 *Non eſt beatus*] Aliquid ego 2 Manud. Diſſert. 17.

Hactenus produxi, & uno tenore per viam ivi: vereor ut deinceps ſic poſſim, æquabili induſtria & diſquiſitione. Quid vereor? imo non poſſum: ita aſſidui languores, & jam nuper acre illud morbi abjecerunt & abjiciunt, ut ægre ad hæc talia adſurgam. Confeſſio exprimitur: EIA VALETUDO CEDO, EN MANUM TOLLO. *Lipſius.*

EPIST. X. Et tamen poſt intervallum admoveo: ſed, ut prædixi, non ſic aſſiduam & intentam. Homini homo ignoſce. *Idem.*

1 *Judicium meum abeat: audeo te tibi*] Et hic deſidero diligentiam eorum, qui ſcriptis libris pluribus uſi. Meus enim, *eum habet: mitti hæreas. audeo te.* Unde nullo negotio facias: *& vide quo judicium meum abeat: tibi hæreas: audeo te tibi credere.* Neque *ſibi hærere* aliter dictum eſt quam *ſecum eſſe, ſe proſequi & componere*, quibus epiſt. 58 & 30 utitur. Plautus Mercatore: *ego mihi comes, calator.* De Benef. 3, 1. *Ideo de ingratis etiam ingrati queruntur, cum interim hoc omnibus hæreat, quod omnibus diſplicet.* Epiſt. 74. *Omnia iſta nobis accedant, non hæreant.* Et verbum frequenter

jus ipſius [2] Stilponis auditor, cujus mentionem priori epiſtola feci, cum vidiſſet adoleſcentulum ſecreto ambulantem, interrogavit, Quid illic ſolus faceret? Mecum, inquit, loquor. cui Crates: Cave, inquit, rogo, & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris. Lugentem timentemque cuſtodire ſolemus, ne ſolitudine male utatur: nemo eſt [3] ex imprudentibus, qui relinqui ſibi debeat. Tunc mala conſilia agitant: tunc aut aliis, aut ipſis futura pericula ſtruunt. Tunc cupiditates improbas ordinant: tunc quidquid aut metu, [4] aut pudore celabat, animus expromit: tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam inſtigat. Denique, quod unum ſolitudo habet commodum, nihil ulli committere, non timere indicem, perit ſtulto: ipſe ſe prodit. Vide itaque quid de te ſperem, imo quid ſpondeam mihi. ſpes enim incerti boni nomen eſt. non invenio cum quo te malim eſſe, quam tecum. Repeto memoria, quam magno animo quædam verba projeceris, quanti roboris plena. gratulatus ſum protinus mihi, & dixi: [5] Non à ſummis labris iſta venerunt: habent hæ voces

quenter legitur de comitantibus. Fabius declam. 330. *harebo miſera comes quotidiano labori.* Et decl. 332. *aſſiduum me haſiſſe lateri ſciebat.* Plin. 7. epiſt. *Tenuis adhuc & obſcurus Africam obtinenti comes haſerat.* Gronovius.

2 *Stilponis auditor*] Auditor, ſed non aſſecla aut ſectarius: nam Diogenis Cynici fuit. Sed tanta Stilponis venus in dicendo, ut pleroſque ſtudioſorum Megaram ad ſe traxerit. inter eos Cratetem hunc, & Zenonem noſtrum. Laërtius in Stilpone. *Lipſius.*

3 *Ex imprudentibus*] Nam *ut mali tragœdi*, ait Epictetus, *ſoli canere non poſſunt, ſed cum pluribus: ſic quidam ſoli deambulare non poſſunt.* At bonus poteſt, & bonis cogitationibus meliorem ſe reddere. Ideo Antiſthenes interrogatus, *Quid ex philoſophia feciſſet lucri?* Τὸ δύναϲθαι, ἔφη, ἑαυτῷ ὁμιλεῖν· *poſſe mecum loqui & verſari*, inquit. *Idem.*

4 *Aut pudore celabat animus*] Pall. plures: *aut metu aut pudore manus celabat.* quod acutiores perpendere jubet. Nec id vocabuli à mala manu cenſet eſſe Gruterus. Accedit illis, quem contulimus: nec magno eſt acumine opus. Scribe: *tunc quicquid aut metu aut pudore malus celabat animus, exponit.* Sic enim, non *expromit*, omnes libri: & quid ceſſarunt correctores, cum alterum mera ſit conjectura Eraſmi? Nec enim video, quare *exponere* non ſit interdum idem quod *expromere*, proferre in lucem & conſpectum. Contra in Livio, *expromere* fecerant, ubi alterum ſervabant libri: adeo nonnunquam libido eſt recedere à mss. *Gronovius.*

5 *Non à ſummis labris*] Sed à pectore & intimo ſenſu. Illud autem prius convenit in eos, qui, ut Lucianus loquitur, *εἰϲ ἄχρι χειλέων φιλοσοφοῦσι· à ſum-*

Digitized by Google

voces fundamentum. iſte homo non eſt unus è populo: ad ſalutem ſpectat. Sic loquere, ſic vive: vide ne te ulla res deprimat. Votorum tuorum veterum licet diis [6] gratiam facias: alia de integro ſuſcipe: [7] roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Quidni tu iſta vota ſæpe facias? audacter Deum roga, nil illum de alieno rogaturus. Sed ut more meo cum aliquo munuſculo epiſtolam mittam, verum eſt, quod apud [8] Athenodorum inveni: Tunc ſcito te eſſe omnibus cupiditatibus ſolutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum rôges, niſi quod [9] rogare poſſis palam. Nunc enim quanta dementia eſt hominum? [10] turpiſſima vota diis inſuſurrant:

à ſummo labio philoſophantur: ſive ut Favorinus dicebat, *μέχρι τοῦ λέγειν, ἄνευ τοῦ πράττειν· verborum tenus, factorum expertes.* Pulchre Epictetus apud Arrianum, 3 Diſſert. 16. hos tales increpat: *Et quare*, inquit, *indocti in ſermonibus & perſuaſione efficaciores ſæpe, quam vos ſunt, ô philoſophi?* Ὅτι ἐκεῖνοι μὲν τὰ σαπρὰ ταῦτα ἀπὸ δογμάτων λαλοῦσιν, ὑμεῖς δὲ τὰ κομψὰ ἀπὸ τῶν χειλῶν. διὰ τοῦτο ἄτονά ἐστι, καὶ νεκρά· *Quoniam illi ſordentia ſua ex decreto, & animi ſenſu, proferunt; vos autem iſta elegantia à labris. ideoque infirma ſunt, & mortua.* Nota opponi iſta, ἀπὸ δογμάτων, καὶ ἀπὸ χειλῶν. Lipſius.

6 *Gratiam facias*] Remittas, non exigas. Epiſtola 20. *Hoc opta, omnia alia vota Deo remiſſurus.* Idem.

7 *Roga bonam mentem*] Id eſt, Stoïce, *rectam*, ſive *perfectam* rationem: Mentem bene eruditam & factam, judicii ſanam. Ita Perſius, inter publica vota:

Mens bona, Fama, Fides. hæc clare, & ut audiat hoſpes.

Petronius:

At ne Bonam quidem Mentem, aut valetudinem petunt.

Juvenalis:

Orandum eſt, ut ſit Mens ſana, in corpore ſano.

Propertius:

Mens Bona, ſi qua dea es, tua me in ſacraria condo. Idem.

8 *Athenodorum*] De quo ego Manuduct. 1. Diſſ. 12. *Idem.*

9 *Rogare poſſis palam*] Pulcherrimus hic locus. Mala, nocitura, aut infamia non pudet à Diis petere; coram hominibus, pudet. Idem noſter, de Benef. 6. cap. 38. *Quam multa ſunt vota, quæ etiam ſibi fateri pudet? quam pauca, quæ facere coram teſte poſſimus?* Idem de Benef. 2. cap. 1. *Vota homines parcius facerent, ſi palam facienda eſſent. adeo etiam Deos, quibus honeſtiſſime ſupplicamus, tacite malumus & intra nos precari.* Catullus:

—— tacito ſuſpendit vota labello.

At contra vir ſapiens,

—— recti cuſtos, imitator honeſti,
Et nihil arcano qui roget ore Deos:

ut Martialis de illo appoſite, lib. 1. Adde & Horatium lib. 1. epiſt. 16. *Idem.*

10 *Turpiſſima vota*] Perſius Sat. 2.

At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuivis promptum eſt, murmurque, humileſque ſuſurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.

Vulgus, atque adeo primi, tacitis votis ſacrificant, & intra ſe precari. quæ turpia,

Digitized by Google

ſurrant : ſi quis admoverit aurem, conticeſcent, & quod ſcire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo ne hoc præcipi ſalubriter poſſit : Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat ; ſic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.

EPIST. XI.

Bene ſperare ſe de amico Lucilii, in quo plurimus pudor & rubor. Hunc aliquando à natura eſſe, nec ullis præceptis excuti : ac ſequi etiam ſapientem. Comparere item in malis interdum, & mali notam. Monitum deinde ſalutare Epicuri : ſemper virum bonum repræſentare nobis, qui coërceat ut pædagogus. Velut illo præſente facere omnia, & loqui.

LOcutus eſt mecum amicus tuus bonæ indolis : in quo quantum eſſet animi, quantum ingenii, quantum jam etiam profectus, ſermo primus oſtendit. Dedit enim nobis guſtum, ad quem reſpondebit : non enim ex præparato locutus eſt, ſed ſubito deprehenſus. Ubi ſe collegit, verecundiam, [1] bonum in adoleſcente ſignum, vix potuit excu-

turpia, Moriatur ille, potiar illa, & quæ palam non audent. Plutarchus, de defectu oraculorum : *Apollinem alii de Theſauris, aut Hereditatibus, aut inceſtis Nuptiis conſulunt : ut plane refellatur Pythagoras, qui dixit, Homines, quando Deos adeunt, fieri meliores. Illi vero, quos animi morbos, coram viro graviore aut ætate maturo, recondere & abnegare decebat ; hos detectos & apertos ad Deum deferunt.* Opportune de Pythagora : cujus etiam hoc fuit, *μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι· Oportere clare & vocaliter precari.* Clemens Alexandrinus 4. Strom. *Τί ποτε οἱ Πυθαγόρειοι βουλόμενοι, μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι κελεύουσιν; Ἐμοὶ δοκεῖν, οὐχ ὅτι τὸ θεῖον ᾤοντο μὴ δύνασθαι τῶν ἡσυχῆ φθεγγομένων ἐπαΐειν, ἀλλ' ὅτι δικαίας ἐβούλοντο εἶναι τὰς εὐχάς, ἃς οὐκ ἄν τις αἰδεσθείη ποιεῖσθαι, πολλῶν συνειδότων· Quid igitur Pythagorei volunt, clara voce precari jubentes? Meo judicio, non quia Numen non poſſet audire tacite aut ſubmiſſe precantes : ſed quia cenſebant juſtas debere eſſe preces, & quas nemo vereretur palam concipere, multiſque conſciis.* Adſpicit huc Macrobius 1 Saturn. *Præceptum eſt Philoſophiæ : Sic loquendum eſſe cum hominibus, tamquam Dii audiant ; ſic cum Diis, tamquam homines audiant.* Lipſius.

EPIST. XI. 1 *Bonum in adoleſcente*] Et mihi ſemper laudatum :

Αἰδομένων δ' ἀνδρῶν πλέονες σοοὶ ἠὲ πέφανται·

Queis pudor eſt, plures ſunt ſalvi, quam perierunt :

ait Sapientiæ fons Homerus. Et Symmachus : *Quorum mens honeſta eſt, eorum imbecilla frons eſt.* Idem.

2 Suffu-

excutere: adeo illi ex alto [2] ſuffuſus eſt rubor. Hic illum, quantum ſuſpicor, etiam cum ſe confirmaverit, & omnibus vitiis exuerit, ſapientem quoque ſequetur. Nulla enim ſapientia, naturalia corporis aut animi vitia ponuntur: quidquid infixum & ingenitum eſt, lenitur arte, non vincitur. Quibuſdam etiam conſtantiſſimis in conſpectu populi ſudor erumpit, non aliter quam fatigatis & æſtuantibus ſolet: quibuſdam tremunt genua dicturis: quorumdam dentes colliduntur, lingua titubat; labra concurrunt. Hæc nec diſciplina, nec uſus unquam excutit: ſed natura vim ſuam exercet, [3] & illos vitii ſui etiam robuſtiſſimos admonet. Inter hæc & ruborem eſſe ſcio, qui graviſſimis quoque viris ſubitus offunditur. Magis quidem in juvenibus apparet, quibus & plus caloris eſt, & tenera frons: nihilominus veteranos & ſenes tangit. Quidam nunquam magis, [4] quam cum erubuerint, timendi ſunt: quaſi omnem verecundiam effuderint. Sulla tunc erat violentiſſimus, cum faciem ejus ſanguis invaſerat. [5] Nihil erat mollius ore Pompeii. nunquam non coram pluribus erubuit: uti-

2 *Suffuſus eſt rubor*] Signum & index Virtutis. Diogenes Cynicus olim, *ἰδὼν ποτὲ μειράκιον ἐρυθριῶν, Θάῤῥει, ἔφη. τοιοῦτόν ἐστι τῆς ἀρετῆς τὸ χρῶμα· cernens adoleſcentulum erubeſcentem, Confide, inquit: talis Virtutis eſt color.* Menander:

Πᾶς ἐρυθριῶν χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ·
Quiſquis erubeſcit, cenſeo hunc ego probum.

Catonis etiam dictum (in Plutarcho): *Τῶν νέων μᾶλλον ἀγαπᾶν τοὺς ἐρυθριῶντας, ἢ τοὺς ὠχριῶντας· Adoleſcentium magis ſe amare erubeſcentes, quam expalleſcentes.* Lipſius.

3 *Et illos vitii ſui etiam*] Nam tale etiam nimius pudor, ſive *δυσωπία*. Stoïci igitur & verbis diſtinguebant, ut ſolent. Plutarchus, de nimia verecundia: Οἱ Στωϊκοὶ καὶ τοῖς ῥήμασι τὸ *αἰσχύνεσθαι καὶ δυσωπεῖσθαι τοῦ αἰδεῖσθαι διείλοντο· Stoïci & verbo ipſo pudere, ab eo quod eſt verecundari, diſtinxerunt.* Ergo illud in vitio, hoc laude: etſi Latinis vix tale diſcrimen. *Idem.* Omnes Pall. ad unum, inquit Gruterus, *vitio*: nec abit noſter & Erf. & duæ antiquæ editiones. Lege: *& illos ultro ſui etiam robuſtiſſimos admonet.* Gronovius.

4 *Quam cum erubuerint*] Sicut in Domitiano notatur a Tacito, *ſævus ille vultus, & rubor, à quo ſe contra pudorem muniebat.* De eodem Plinius: *Pallor in corpore, in ore impudentia, multo rubore ſuffuſa.* Et hunc tacita aut aperta ira ſæpe facit: ideoque ſcite diſparat Sidonius, in ſuo Theoderico: *Lactea cutis juvenili rubore ſuffunditur. namque hunc illi crebro colorem, non ira, ſed verecundia facit.* Lipſius.

5 *Nihil mollius ore Pompeii*] De quo tamen Salluſtius: *Oris probi, animo inverecundo:* indignante Lenæo liberto, & ſcriptis vindicante. *Idem.*

 6 Fa-

utique in concionibus. [6] Fabianum, cum in ſenatum teſtis eſſet inductus, erubuiſſe [7] memini: & hic mire illum pudor decuit. Non accidit hoc ab infirmitate mentis, ſed à novitate rei: quæ inexercitatos etſi non concutit, movet, naturali in hoc facilitate corporis pronos. Nam ut quidam boni ſanguinis ſunt, ita quidam incitati & mobilis, & cito in os prodeuntis. Hæc, ut dixi, nulla ſapientia abigit: alioquin haberet rerum naturam ſub imperio, ſi omnia eraderet vitia. Quæcumque attribuit conditio naſcendi, & corporis temperatura, cum multum ſe diuque animus compoſuerit, hærebunt. [8] Nihil horum vetari poteſt, non magis quam accerſi. [9] Artifices ſcenici, qui imitantur affectus, qui metum & trepidationem exprimunt, qui triſtitiam repræſentant, hoc indicio imitantur verecundiam: dejiciunt vultum, verba ſubmittunt, figunt in terram oculos & deprimunt, ruborem ſibi exprimere non poſſunt. nec prohibetur hic, nec adducitur. Nihil adverſus hæc ſapientia promittit, nihil proficit: ſui juris ſunt, injuſſa veniunt, injuſſa diſcedunt. [10] Jam clauſulam epiſtola poſcit: accipe, & quidem utilem & ſalutarem, quam te affigere animo volo. Aliquis [11] vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit: cuſtodem nobis & pædagogum dedit: nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur,

6 *Fabianum*] Philoſophum & Rhetorem. vide epiſt. 100. *Lipſius.*

7 *Memini*] Vixit enim floruitque, adoleſcente Seneca, ſub Tiberio. *Idem.*

8 *Nihil horum vitari poteſt*] Quatuor Pall. Modianus, duo Opſopœi & noſter & Erf. *vetari.* Quod probavimus olim. Eſt enim prohiberi vel arceri. Epiſt. 95. *Itaque multa illas inhibent extrinſecus & impediunt, ſpes, cupiditas, timor. At hæc quæ artem vitæ profeſſa eſt, nulla re, quo minus ſe exerceat, vetari poteſt.* M. Seneca præfat. 1 Contr. *Jam vero, quam rem inimiciſſimam corpori faceret, vetari nullo modo poterat.* Gronovius.

9 *Artifices ſcenici*] Τεχνῖται Διονύσου Græcis: hiſtriones, & id genus. Vide 7 de Benef. c. 20. *Lipſius.*

10 *Jam clauſulam*] Meus bonus liber, *clauſam.* quidni eſſet, ut Summa, Summulas? *Idem.*

11 *Vir bonus eligendus*] Sub quo velut cuſtode vivas. Nimis ſalutare monitum: de quo in epiſt. 25. & ego in Manud. 3. Diſſert. ultima. *Idem.*

12 Non

tur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius facit. O felicem illum, qui [12] non adſpectus tantum, ſed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, ut ad memoriam quoque ejus ſe componat, atque ordinet! Qui ſic aliquem vereri poteſt, cito erit verendus. Elige itaque Catonem: ſi hic videtur tibi nimis rigidus, elige remiſſioris animi virum Lælium; elige eum, cujus tibi placuit & vita, & oratio; & [13] ipſius animum ante te ferens & vultus, illum ſemper tibi oſtende, vel cuſtodem, vel exemplum. Opus eſt, inquam, aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant. Niſi ad regulam, prava non corriges.

EPIST. XII.

Facete de ſenectute ſua narrat, & in villa ſe ejus admonitum. Admonitum autem ſine triſtitia; nec triſtem eam, imo jucundam eſſe, & vitiis minus opportunam. Omnem vitam brevem: ſed qualemcumque, uſu faciendam noſtram, & manum illi injiciendam. Cottidie dicamus, & cenſeamus, Vixi.

QUocumque me verto, argumenta ſenectutis meæ video. Veneram in ſuburbanum meum, & querebar de

12 *Non aſpectus tantum*] Bene ad ſententiam, non ad libros; qui omnes, *non actus:* quod eſſet, non actiones tantum, ſed cogitationes. Pro priore illa mente ſcriberem, *tactus:* quod notat ſcilicet præſentem. Etſi quidam monent, in ſuis libris, *non præſens tantum*, legi. Sed de ipſa re, Plutarchus habet inter Signa Profectus: *Si magnorum virorum memoria, in affectu aut perturbatione, ſtatim ſe repræſentet, & immotos nos conſervet.* Xenophon Socrati hoc tribuit, lib. 4. Dict. & Factor. ὅτι καὶ τὸ μεμνῆσθαι μὴ παρόντος, οὐ μικρὰ ὠφελεῖ τοὺς εἰωθότας τι αὐτῷ συνεῖναι, καὶ ἀποδεχομένους αὐτόν· *quod etiam memoria abſentis plurimum juvabat eos, qui verſari cum illo ſoliti, & ſermones ejus accipere.* Euripidem huc ducas:

Ἀλλ' ἂν ἔχῃ τι σχῆμα κἂν ἄπωθεν ᾖ
Ἀνὴρ ὁ χρηστὸς, δυστυχοῦντας ὠφελεῖν·
Speciem hoc habet, quod diſſitus quoque vir bonus,
Juvare miſeros, & prodeſſe poſſiet. Lipſ.

13 *Ipſius animum*] Variant libri. Modius volebat: *ipſius ante ſe ferens animum vultus.* Ego probem, cum meo & quibuſdam; *ipſius animo ante te ferens vultus:* id eſt, ejus vultus & imaginem animo præferens, ac proponens, quaſi præſentis. Alii tamen libri, *ipſe animum ante ſe ferens vultus:* id eſt, qui

Digitized by Google

de impenſis ædificii dilabentis: ait villicus, non eſſe negligentiæ ſuæ vitium: omnia ſe facere, ſed villam veterem eſſe. Hæc villa inter manus meas crevit. Quid mihi futurum eſt, ſi jam putrida ſunt ætatis meæ ſaxa? Iratus illi, proximam occaſionem ſtomachandi arripio. Apparet, inquam, has platanos negligi. nullas habent frondes. quam nodoſi ſunt, & retorridi rami? quam triſtes & ſquallidi trunci? Hoc non accideret, ſi quis has circumfoderet, ſi irrigaret. Jurat [1] per Genium meum, ſe omnia facere, in nulla re ceſſare curam ſuam: ſed illas vetulas eſſe. [2] Quod inter nos ſit, ego illas poſueram, ego illarum primum videram folium. Converſus ad januam: Quis eſt, inquam, iſte decrepitus, & merito [3] ad oſtium admotus? foras enim ſpectat.

robur & virtutem vultu prætulit. *Lipſius.*

EPIST. XII. 1 *Per genium meum*] Libri fere, *genium ſuum*: nec damnes. Vulgatum jurare, vel adjurare, per ſalutem ſuam & genium: quem interpretatur Chariſius, τὴν ἑκάστου τύχην, *cujuſque Fortunam.* In Apuleio: *Per fortunas genioſque veſtros.* Sed & per alterius genium, præſertim Principis, aut Domini ſui: ut in Propertio,

Exuitur, geniumque meum proſtratus adorat.

Et plura exempla aliis jam notata. *Idem.*

2 *Quod inter nos ſit:*] Muretus jure ſuo fecerat, *Quod inter nos dictum ſit*: cum Eraſmus dediſſet, *quod inter nos ſit.* At veterem lectionem eſſe, *quid inter nos ſit*, teſtatur Pincianus, quam tamen corruptam exiſtimat, conjicitque: *quid interim nobis ſit.* Nollet factum Gruterus, etſi ſcripti ejus perinde ut Hiſpanici, præter unicum: docetque nos formulam illam velle, quod tibi ſoli à me dictum ſit. Atqui videbat Pincianus, ſenſum illum ridiculum eſſe. Quid enim hic arcani? aut quid cauſæ Senecæ, cur ſolum velit Lucilium ſcire platanos illas ab ſe poſitas eſſe? An erat res turpis & diffitenda? Atqui jactat etiam Nat. Qu. 3, 6. *ego tibi vinearum diligens foſſor adfirmo.* Profecto hoc eſt, quod ille apud Marcum aiebat, acta in aurem legere. Sed & ipſe poſtea hanc ſententiam reliquit, & cum Lectio probat Eraſmicum. Membranæ noſtræ: *Quidem intra nos ſit.* Auſim pro vero jactare, *ſed illas vetulas eſſe. Quidni veteres ſint? ego illas poſueram*, &c. Interrogatio per belliſſimam ironiam. Tale illud epiſtol. 7. *Hos plerique ordinariis paribus & poſtulatitiis præferunt. Quidni præferant?* Epiſt. 40. *Quidni malis tu ſic dicere, quemadmodum Vinicius?* Vide loca. In noſtris membranis erat: *Quidem intra nos ſit.* Gronovius.

3 *Ad oſtium admotus*] Alluſio ad ritum collocandi cadaveris. quod ſolet ad oſtium deponi, pedibus & facie foras verſis. Itaque ludit, & ait: Merito iſte janitor eſt, & oſtium ſervat: nam mox ita locandus, & efferendus. Virgilius adſpexit, lib. 8.

——*recipitque ad limina greſſum,*
Corpus ubi examini poſitum Pallantis.

Plura ego 1 Elect. c. 6. *Lipſius.* Bene Seneca ait, illum ſenem *merito ad oſtium admotum*, ludens in officium hominis, oſtiarius enim erat, & in ſenium; quaſi jam in extrema regula ſtare;

Digitized by Google

pectat. Unde iſtunc nactus es? quid te delectavit, alienum mortuum tollere? At ille: Non cognoſcis me? inquit: ego ſum Felicio, [4] cui ſolebas ſigillaria afferre: ego ſum Philoſiti villici filius, delicioſum tuum. [5] Profecto, inquam, iſte delirat. [6] Pupulus etiam delicioſum meum factus eſt. Prorſus poteſt fieri: [7] dentes illi cum maxime cadunt. Debeo hoc ſuburbano meo, quod mihi [8] ſenectus mea, quocumque adverteram, apparuit. Complectamur illam, & amemus: plena eſt voluptatis, ſi illa ſcias uti. Gratiſſima ſunt poma, [9] cum fugiunt: pueritiæ maximus in exitu decor eſt: deditos vino potatio extrema delectat, illa quæ mergit, quæ ebrietati ſummam manum imponit. Quod in ſe jucundiſſimum omnis voluptas habet, in finem ſui differt. Jucundiſſima eſt ætas devexa jam, non tamen præceps: & illam quoque in [10] extrema regula ſtan-

tem,

ſtaret ſemimortuus, & ideo jure ad januam collocandus, foras ſpectans.

4 *Cui ſolebas ſigillaria adferre*] Dies poſt Saturnalia, itemque ipſa munera (quia ſigillis olim conſtabant) quæ pueris ſollenne offerre, *ſigillaria* dicta. Suetonius Claudii cap. 5. *Quadraginta aureos in Saturnalia & Sigillaria miſiſſe*: atque ibi interpretes. Solent autem majores minoribus fere mittere, & amatores amatis. *Lipſius.* Non tantum dies Saturnalibus adjecti, *ſigillaria*, ſed & ipſa munuſcula ſic vocabantur. de iis vide Sueton. in Claudio c. 5. & 16. Nerone c. 28. & ad eum Torrentium. Gellium lib. 2. cap. 3. lib. 5. c. 4. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 4. Genial. dier.

5 *Profecto inquam*] Divinabam, *perfecte*. Lipſius.

6 *Pupulus etiam*] Eſt puer, ſive parvus pupus: & convenit hic, quia faciebat ſe in deliciis luſibuſque Senecæ fuiſſe. Tamen veteres, *vetulus*: alii, *pepulus*. Lego autem, *& jam*, divulſim. *Idem.*

7 *Dentes illi*] Jocus iterum. nam & pueris ſeptuennibus dentes cadunt, itemque ſenibus. Noſter epiſt. 83. hac ipſa re ludens: *Earinus puer ait nos eamdem criſim habere: quia utrique dentes cadunt.* Idem.

8 *Senectus mea*] Non tam gravis, quam ὑπερόχως facit. Vitam vide. *Idem.*

9 *Cum fugiunt*] Jam cedentia ætati, & abeuntia, ut *vinum fugiens*. *Idem.*

10 *Extrema tegula*] Quaſi lapſui vicinam. Nam inſtabile ibi & ſuſpenſum veſtigium, in extremis dico tectis. Alii ad guttam adſpectum putant, quæ caſura adhuc ibi pendet. Sed ego veterem lectionem præferam, quæ eſt *regula*. Interpretor *lineam extremam*, quæ in ſtadiis ſolita duci, curſui finis. Seneca noſter epiſt. 49. *Admoveri lineas ſentio*: atque ibi vide. Sane has tales lineas Græci etiam κανόνας, & Latini *regulas* dicebant. Statius:

Ut ruit, atque æquum ſummiſit regula limen.

Etiam Caſſiodorus 3 Variarum. Ait autem hic Seneca, *Stantem in extrema regula*: ſicut de Ira 1. c. 11. *Imperium in extremo ſtabat*. Et alibi: *In ultimo gradu poſitus.* Idem.

11 *Fa-*

tem, judico habere ſuas voluptates: aut hoc ipſum ſuccedit in locum voluptatum, nullis egere. Quam dulce eſt, cupiditates [11] fatigaſſe ac reliquiſſe? Moleſtum eſt, inquis, mortem ante oculos habere. Primum iſta tam juveni ante oculos debet eſſe, quam ſeni: non enim citamur [12] ex cenſu: deinde nemo tam ſenex eſt, [13] ut improbe unum diem ſperet. Unus autem dies, gradus eſt vitæ. tota ætas partibus conſtat, & orbes habet circumductos majores minoribus. Eſt aliquis, qui omnes complectatur & cingat: hic pertinet à natali ad diem extremum. eſt alter, qui annos adoleſcentiæ excludit. eſt qui totam pueritiam ambitu ſuo adſtringit. eſt deinde ipſe annus, in ſe omnia continens tempora, quorum multiplicatione vita componitur. Menſis arctiore præcingitur circulo: anguſtiſſimum habet dies gyrum: ſed & hic ab initio ad exitum venit, ab ortu ad occaſum. Ideo Heracletus, cui cognomen Scotinon fecit orationis obſcuritas: Unus, inquit, dies par omni eſt. Hoc alius aliter accepit: dixit enim parem eſſe horis. nec mentitur. Nam ſi dies tempus eſt vigintiquatuor horarum, neceſſe eſt omnes inter ſe dies pares eſſe: quia nox habet, quod dies perdidit. Alius ait, parem eſſe unum diem omnibus ſimilitudine: nihil enim habet longiſſimi temporis ſpatium, quod non in uno die invenias, lucem & noctem; [14] & alternas mundi vices. [15] Plura facit iſta, non alia,

11 *Fugaſſe ac*] Mei & Gruteriani, *fatigaſſe.* Omnino ita fuit: in curſu ſcilicet manet: & ſenex in extrema linea, reliquit à tergo voluptates ac fatigavit. *Lipſius.*

12 *Ex cenſu*] E tabulis cenſualibus, in quibus juniores ſenioreſque notati, & cujuſque adeo ævum. Talis autem citatio in militia & dilectu obtinebat; at non, inquit, in morte. *Idem.*

13 *Ut improbe*] Alii cum negatione, *ut non improbe.* Vulgatum eligam: & quiſque ſenex, ſalva fronte unum diem ſperet: quid ſi annum cum Catone? Ita enim ille apud Ciceronem: *Nemo eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe vivere.* Idem.

14 *Et alternas mundi vices*] Omnes ſcripti, *& in alternas.* Deinde, *plura facit iſta, non alia.* Scribe igitur: *lucem & noctem, & in alternas mundi vices plura facit iſta, non alia, contractior alias, alias productior.* Nempe dies, ille viginti quatuor horarum, *plura facit iſta,* non aliud, plus lucis modo facit, modo plus noctis, *non alia,* non aliud quam lucem & noctem, *contractior alias, alias productior,* ſcilicet alterutra harum, luce vel nocte, idque *in vices mundi*

alia, alias contractior, alias productior. Itaque [16] ſic ordinandus eſt dies omnis, tanquam [17] cogat agmen, & conſummet atque expleat vitam. [18] Pacuvius qui Syriam [19] uſu ſuam fecit, cum vino & illis ſunereis epulis [20] ſibi parentaverat, ſic in cubiculum ferebatur à cœna, ut inter plauſus exoletorum hoc ad ſymphoniam caneretur: [21] βεβίωται, βεβίωται. nullo non ſe die extulit. Hoc quod ille ex mala conſcientia faciebat, nos ex bona faciamus, & in ſomnum ituri, læti, hilareſque dicamus,

Vixi, & , quem dederat curſum fortuna, peregi.

Craſtinum ſi adjecerit Deus, læti recipiamus. Ille beatiſſimus eſt & ſecurus ſui poſſeſſor, qui craſtinum ſine ſolicitudine exſpectat. Quiſquis dixit, Vixi, quotidie ad lucrum

mundi alternas, ut ita alternæ ſint mundi lucem & noctem mortalibus præbentis vices. *Gronovius.*

15 *Planiora*] Quidam *Planeta*: at ſcripti fere, *plura*; itemque *non*, ubi, *vox* ſcribitur. Ego concinnem, *Plura facit iſta non alia, alias contractior, alias productior.* Plures ſunt, inquit, dies, at non diverſi: etiamſi ſpatio diſſident. *Lipſius.*

16 *Sic ordinandus dies*] Horatii præceptum:

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

Muſonius: Οὐκ ἔστι τὴν ἐνεστηκυῖαν ἡμέραν καλῶς βιῶναι, μὴ προθέμενον αὐτὴν ὡς ἐσχάτην βιῶσαι· *Non eſt præſentem diem bene tranſigere, niſi qui proponit velut ultimam illam tranſigere.* Idem.

17 *Cogat agmen*] Bene, à militia. nam ultimi ſunt agminis coactores. Tamen bonus ille meus, *cogat alium.* Idem.

18 *Pacuvius*] Quis iſte, quæro. Proprætorne Syriæ fuit? apparet, & quidem annos plures, ſub Tiberio: cui hoc proprium, continuare imperia. At nullum ego *Pacuvium* ſub eo Syriæ Præſidem, ſed *Pomponium*, cognomine *Flaccum* reperio. qui videtur ſtatim à Germanici morte Syriæ præfectus, tenuitque annos circiter tredecim. Nam obiit anno urbis 786. cepit, ut videtur, 773. Alium equidem illis annis non obſervare memini, qui eam rexerit. At de morte hujus, Tacitus 6 Annali: *Flacco Pomponio Syriæ proprætore defuncto, recitantur Cæſaris litteræ.* De electione, Suetonius Tiberii c. 42. Huic autem ſucceſſit mox L. Vitellius, & tenuit ad Caium: ut nec eſſe quidem alius potuerit, Tiberii principatu, plures illos annos, quam *Pomponius*: quem tamen non auſim in Seneca ſubſtituere. An ſi forte *Pacuvius* ille, non Præſes, ſed Procurator Cæſaris, ibi fuit? *Idem.*

19 *Uſu ſuam fecit*] Ob diuturnum ibi imperium, ut dixi, & moram. *Idem.*

20 *Sibi parentaverat*] Alluſum ad convivia funerum. ſicut ab eodem epiſt. 122. *Non convivantur, ſed juſta ſibi faciunt.* Et de Vit. Beat. c. 11. *Locus, in quo luxuria parentatur.* Idem.

21 Βεβίωκε] E quibuſdam libris, *βεβίωται*. Cicero ad Atticum: *Homini non recta, ſed voluptaria quærenti, nonne βεβίωται?* id eſt, *Vita acta eſt?* Idem.

crum ſurgit. Sed jam [22] debeo epiſtolam includere. Sic, inquis, ſine ullo ad me peculio veniet? Noli timere: aliquid ſecum feret. quare aliquid dixi? multum. Quid enim hac voce præclarius, quam illi trado ad te perferendam? Malum eſt in neceſſitate vivere. ſed in neceſſitate vivere, neceſſitas nulla eſt. Quid ni nulla ſit? patent undique ad libertatem viæ multæ, breves, faciles. Agamus Deo gratias, quod [23] nemo in vita teneri poteſt. calcare ipſas neceſſitates licet. Epicurus, inquis, dixit: quid tibi cum alieno? [24] Quod verum eſt, meum eſt. perſeverabo Epicurum tibi ingerere: [25] ut iſti qui in verba jurant, nec quid dicatur æſtimant, ſed à quo, ſciant, quæ optima ſunt, eſſe communia.

EPIST. XIII.

Format pulchre adverſus fortuita, & robur donat. Maxime autem, ne futurorum metu angamur: incerta ea eſſe, & poſſe non evenire. Spe igitur omnem metum temperandum. Deinde illud robuſtius: Fac & præcipe ventura: à Deo ſunt, & in bonum.

MUltum tibi eſſe animi ſcio. nam etiam antequam [1] inſtrueres te præceptis ſalutaribus, & dura vincentibus, ſatis adverſus fortunam placebas tibi: & multo magis, poſtquam cum illa conſeruiſti manum, vireſque expertus es tuas. quæ nunquam certam dare fiduciam ſui poſſunt,

22 *Debeo epiſtolam claudere*] Omnes Gruteri & noſter & Erf. *includere*. Certe nonnunquam veteres compoſitum pro ſimplici uſurpant. Horatius: *tempora quæ ſemel Notis condita faſtis Incluſit volucris dies.* Noſter de Ira, 3, 19. *Qui imperaverit his, in quos animadverti jubebat, os inſerta ſpongia includi.* Petron. Arbiter:

Mox ubi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, adſimulata perit.
Gronovius.

23 *Nemo in vita teneri*] Tragicus: *Eripere vitam nemo non homini poteſt, At nemo mortem.* Lipſius.

24 *Quod verum eſt*] Me is ille liber, *Quod ſecurum.* Idem.

25 *Ut iſti qui in verba jurant*] Jurisjurandi in verba meminit Horat. Ode 15. Epod. & epiſt. 1. lib. 1. Tacit. lib. 1 hiſt. Briſſon. lib. 5. de form.

EPIST. XIII. 1 *Inſtruerem te*] Alii libri *inſtrueres te*. Velim, *inſtrueres*. Lipſius.

Digitized by Google

poſſunt, niſi cum multæ difficultates hinc & illinc apparuerint, aliquando vero & propius acceſſerint. Sic verus ille animus, & in alienum non venturus arbitrium, probatur: hæc ejus [2] obruſſa eſt. Non poteſt athleta magnos ſpiritus ad certamen adferre, qui nunquam [3] ſugillatus eſt. Ille [4] qui vidit ſanguinem ſuum, cujus dentes crepuerunt ſub pugno, ille qui ſupplantatus adverſarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus, qui quoties cecidit, contumacior reſurrexit, cum magna ſpe deſcendit ad pugnam. Ergo, ut ſimilitudinem iſtam proſequar, ſæpe jam fortuna ſupra te fuit: nec tamen tradidiſti te, ſed ſubſiliiſti, [5] & acrior conſtitiſti. [6] multum enim adjicit ſibi virtus laceſſita. Tamen ſi tibi videtur, accipe à me auxilia quibus munire te poſſis. Plura ſunt, Lucili, quæ nos terrent, quam quæ premunt: & ſæpius opinione, quam re laboramus. Non loquor tecum Stoica lingua, ſed hac ſubmiſſiore. Nos enim dicimus, omnia iſta quæ gemitus mugituſque exprimunt, levia eſſe, & contemnenda. Omittamus

2 *Obruſſa eſt*] Quidam libri, *Hæc ejus probatio obtruſa eſt:* è quo poſſis, *probatio & obruſſa eſt.* Sed prius illud interpretatio videtur. neque enim aliud *obruſſa* (Monetæ verbum) quam auri per ignem examen, & depurgatio. Suetonius Nerone, cap. 44. ibi Scholiaſtæ. *Lipſius.*

3 *Sugillatus eſt*] Gloſſæ veteres: Ὑπωπιασθεὶς, *Sugillatus.* Iterumque: *Sugillat*, πλήσσει, ὑπώπια ποιεῖ· *percutit, vibices facit.* Nam ὑπώπια proprie ſub oculis, & in genis, ἐγχυμώματα· quæ pugilibus crebra ab ictu. *Idem.*

4 *Qui fudit ſanguinem*] Priſci libri, *qui vidit:* recte. Noſter de Provid. c. 4. *Veteranus cruorem ſuum ſpectat, qui ſcit ſe ſæpe viciſſe poſt ſanguinem.* Idem.

5 *Et acrior reſtitiſti*] Duo Pall. noſterque & Erf. cum vet. editione, *conſtitiſti:* nihilque ab ea diverſum ex ſuis produnt Eraſmus, Pincianus, Opſopæus. Solus Gruterus, Legerim, inquit, *reſtitiſti:* quod eſt in Pal. tert. & quart. nec non ad oram primi. Ei paruit Lipſius. Nos reſtituimus alterum, & multo elegantius judicamus. Epiſt. 29. *attolle animum, adverſus formidata conſiſte.* Inde *conſiſtere* forenſis quoque litigii. Marcus Controv. 19. *non enim vindictam, ſed miſericordiam quærit: & cum eo adoleſcente conſiſtit, in quo ita exigit pietatem ut impediat.* Lucius de Ira, 2, 7. *Alius cum matre conſiſtit.* Ubi Lipſium vide. Nempe in athletis & pugnantibus etiam ſtatus obſervabatur, unde *in ſtatu ſtare* & ſimilia. Cornelius Nepos in Chabriâ; *Ex quo factum eſt, ut poſtea athletæ, ceterique artifices, his ſtatibus in ſtatuis ponendis uterentur, cum victoriam eſſent adepti.* Gronovius.

6 *Multum adjicit ſibi*] Creſcit, & ut vetus poëta,

—— *vireſcit vulnere virtus.* Lipſius.

7 *Litem*

tamus hæc magna verba, ſed, dii boni, vera! illud tibi præcipio, ne ſis miſer ante tempus: cum illa quæ velut imminentia expaviſti, fortaſſe nunquam ventura ſint, certe nondum venerint. Quædam ergo nos magis torquent, quam debeant: quædam ante torquent, quam debeant: quædam torquent, cum omnino non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præcipimus. Primum illud, quia res in controverſia eſt, & [7] litem conteſtatam habemus, in præſentia differatur. Quod ego leve dixero, tu graviſſimum eſſe contendes, ſcio alios inter flagella ridere, alios gemere ſub colapho. Poſtea videbimus, utrum iſta ſuis viribus valeant, an imbecillitate noſtra: illud præſta mihi, ut quoties circumſteterint, qui tibi te miſerum eſſe perſuadeant, non quid audias, ſed quid ſentias cogites. & cum patientia tua deliberes, ac te ipſe interroges, qui tua optime noſti: Quid eſt quare iſti me complorent? quid eſt quod trepident, quod contagium quoque mei timeant, quaſi tranſilire calamitas poſſit? Eſt aliquid iſtic mali? an res iſta magis infamis eſt quam mala? Ipſe te interroga: Nunquid ſine cauſſa crucior, & mœreo, & quod non eſt malum facio? Quomodo, inquis, intelligam, vana ſint, an vera, quibus angor? Accipe hujus rei regulam. Aut præſentibus torquemur, aut futuris, aut utriſque. De præſentibus, facile eſt judicium. ſi corpus tuum liberum eſt, ſanum eſt, nec ullus ex injuria dolor eſt: videbimus quid futurum ſit. hodie nihil negotii habet. At enim futurum eſt. Primum diſpice, an certa argumenta ſint venturi mali. plerumque enim ſuſpicionibus laboramus, & illudit nobis illa, [8] quæ conficere bellum ſolet, fama: multo autem magis ſingulos conficit. Ita eſt, mi Lucili. cito [9] accedimus opi-

7 *Litem conteſtatam*] Nos Stoïci cum Epicureis, aliiſque quibus dolor eſt malum: at nobis indifferens. *Lipſ.*

8 *Quæ conficere bellum*] Ad Livii hæc verba dicas adſpectum, libro 27. *Fama bellum conficit, & parva momenta in ſpem metumve impellunt animos.* Idem.

9 *Accedimus opinioni*] Atque ita mala præcipimus, male. Bis terque enim ita miſeri: quod pulchre Diogenes, in Stobæo: Πάντα μὲν ἂν τὰ δ' ετ-

Digitized by Google

opinioni: non coarguimus illa, quæ nos in metum adducunt: nec excutimus, ſed trepidamus: & ſic vertimus terga, quemadmodum illi, quos pulvis motus fugâ pecorum, exuit caſtris, aut quos aliqua fabula ſine auctore ſparſa conterruit. Neſcio quomodo magis vana perturbant. vera enim modum ſuum habent: quidquid ex incerto venit, conjecturæ & licentiæ paventis animi traditur. Nulli itaque tam pernicioſi, tam irrevocabiles, quam lymphatici metus ſunt. ceteri enim ſine ratione, hi ſine mente ſunt. Inquiramus itaque in rem diligenter. Veriſimile eſt, aliquid futurum mali? non ſtatim verum eſt. Quam multa non exſpectata venerunt, quam multa exſpectata nunquam comparuerunt? Etiam ſi futurum eſt, quid juvat dolori ſuo occurrere? ſatis cito dolebis, cum venerit: interim tibi meliora promitte. Quid facies lucri? tempus. Multa intervenient, quibus vicinum periculum vel prope admotum, aut ſubſiſtat, aut deſinat, aut in alienum caput tranſeat. Incendium ad fugam patuit: quoſdam molliter ruina depoſuit: aliquando gladius ab ipſa cervice revocatus eſt: aliquis carnifici ſuo ſuperſtes fuit. Habet etiam mala fortuna levitatem. fortaſſe erit, fortaſſe non erit: interim dum non eſt, meliora propone. Nonnunquam nullis apparentibus ſignis, quæ mali aliquid pronuncient, animus ſibi falſas imagines fingit, aut verbum aliquod dubiæ ſignificationis detorquet in pejus, aut majorem ſibi offenſam proponit alicujus quam eſt, & cogitat non quantum iratus ille ſit, ſed quantum liceat irato. Nulla autem cauſſa vitæ eſt, nullus miſeriarum modus, ſi timetur quantum poteſt. Hic prudentia proſit, [10] hic robore animi evidentem

quoque

τὰ πέφυκε μᾶλλον ἐκπλήττειν τοὺς προσδεχομένους, ἢ λυπεῖν τοὺς πειραθέντας. ὁ δὲ φόβος οὕτω χαλεπός ἐστιν, ὥστε πολλοὶ ἤδη προέλαβον τὸ ἔργον. *Omnia gravia magis percellere ſolent eos qui futura præcipiunt, quam qui jam patiuntur. Metus enim adeo improbus eſt, ut multi quod venturum videtur, anticipent.* Euripides pariter:

Ἤπου τὸ μέλλον ἐκφοβεῖ καθ' ἡμέραν,
Ὡς τοῦ γε πάσχειν τοὐπιὸν μεῖζον κακόν.
Quod eſt futurum, cotidie metus movet,
Ut plus mali exſpectando, quam patiendo, ſit. Idem.

10 *Hic robore animi*] In membranis noſtris

quoque metum reſpue: ſi minus, vitio vitium repelle, [11] ſpe metum tempera. Nihil tam certum eſt ex his quæ timentur, ut non certius ſit, & formidata ſubſidere, & ſperata decipere. Ergo & ſpem ac metum examina: & quoties incerta erunt omnia, tibi fave, crede quod mavis. ſi plures habebis ſententias metus, nihilominus in hanc partem potius inclina, & perturbare te deſine. Ac ſubinde hoc in animo volve, majorem partem mortalium, cum illi nec ſit quidquam mali, nec pro certo futurum ſit, æſtuare ac diſcurrere. Nemo enim reſiſtit ſibi, cum cœperit impelli, nec timorem ſuum redigit ad verum. Nemo dicit, Vanus auctor eſt, vanus: aut finxit, aut credidit. Damus nos referentibus, expaveſcimus dubia pro certis, non ſervamus modum rerum, ſtatim in timorem venit ſcrupulus. Pudet me ſic tecum loqui, & tam levibus remediis te focillare. Alius dicat, Fortaſſe hoc non veniet: tu dic, Quid porro ſi veniet? videbimus [12] utrum veniet: fortaſſe pro me veniet, & mors iſta vitam honeſtabit. Cicuta magnum [13] Socratem fecit: Catoni gladium aſſertorem [14] libertatis extorque, magnam partem detraxeris gloriæ. Nimium diu te cohortor, cum tibi admonitione magis, quam exhortatione opus ſit. Non in diverſum te à natura tua ducimus: natus es ad iſta quæ dicimus. Eo magis bonum tuum auge, & exorna. Sed jam finem epiſtolæ faciam, ſi illi ſignum ſuum

noſtris erat: *hic robur animi evidentem quoque metum reſpuat.* Gronovius.

11 *Spe metum tempera*] Alterum alteri miſcendum eſt, ut præcipit ipſe epiſt. 104. Sed & notabile, *Philoſophos fuiſſe, qui Elpiſtici Græcis ſunt appellati, qui vitam potiſſimum ſpe contineri aſſirmabant: eaque abſciſſa, & oblectatione, quæ ex ea oritur, vitam non poſſe tolerari.* Videntur iſti ſummum bonum in ſpe poſuiſſe. Plutarchus hæc de iis, Quæſt. Convival. 4. c. 4. *Lipſius.*

12 *Utrum veniet*] Quidam libri, *uter vincat:* alii, *utrum vincat:* Tum ego legerem, *utrum vincet:* me ſcilicet, qui obſtabo. *Idem.*

13 *Socraten fecit*] Libri fere: *confecit.* An forte rogando, *non fecit?* Idem.

14 *Libertatis extorque*] Meus & tres Gruteri: *libertatis victor abſtuleris, magnam.* Unde placeret: *Catoni gladium adſertorem libertatis victor abſtulerit, magnam partem detraxerit gloriæ.* Prius membrum per intellectum particulæ conditionalis: quæ etſi addatur in libris, Senecæ tamen eſſe non puto. Viſe ad 3 de Benef. c. 31. *Victor* Cæſar. *Gronovius.*

15 *Et*

ſuum impreſſero: id eſt, aliquam magnificam vocem perferendam ad te mandavero. Inter cetera mala, hoc quoque habet ſtultitia proprium, ſemper incipit vivere. Conſidera quid vox iſta ſignificet, Lucili virorum optime: & intelliges quam fœda ſit hominum levitas, quotidie nova vitæ fundamenta ponentium, novas ſpes etiam in exitu inchoantium. Circumſpice tecum ſingulos. occurrent tibi ſenes, qui ſe cummaxime ad ambitionem, ad peregrinationes, ad negotiandum parent. Quid eſt autem turpius, quam ſenex vivere incipiens? Non adjicerem auctorem huic voci, niſi eſſet ſecretior, nec inter vulgata Epicuri dicta, quæ mihi [15] & laudare, & adoptare permiſi.

EPIST. XIV.

Prudentiſſima epiſtola. Monet corporis vitæque curam habendam, ſed non nimiam. Timeri autem corpori tria, Pauperiem, Morbos, Violentiam: maxime hanc ultimam, quæ à potentibus eſt, aut tyrannis. Ut non timeas, tria vitentur: Odium, Invidia, Contemptus. Quomodo autem, Sapientia dicet: & breviter ipſe.

FAteor inſitam eſſe nobis corporis noſtri caritatem: fateor nos hujus gerere tutelam: non nego indulgendum illi, [1] ſerviendum nego. Multis enim ſerviet, qui corpori ſervit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, ſed tanquam non poſſimus ſine corpore. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, ſolicitu-

15 *Et laudare*] Meus, *adlaudare*: probe. *Lipſius.*

EPIST. XIV. 1 *Serviendum nego*] Nam ut Salluſtius, *Animi imperio, corporis ſervitio magis utimur.* Chryſippus autem (in Claudiano Mamerto, de ſtatu Animæ, lib. 2. c. 9.) *ab ipſo pene principio ſui operis, Animo dominandi jus tribuit, corpori legem ſervitutis imponit.* Scilicet hoc inter fundamenta Sapientiæ (Simplicius in Epictetum) *ut corpori mens imperet, & ſuper id ſeſe efferat: eoque non ut parte, ſed inſtrumento utatur. Qui aliter; ὁ πολὺς ἄνθρωπος, vulgaris homo eſt, ac verbo potius homo, quam re ipſa.* Idem.

2 *Deli-*

licitudinibus onerat, contumeliis objicit. Honeſtum ei vile eſt, cui corpus nimis carum eſt. Agatur ejus [2] diligentiſſime cura: ita tamen, ut cum exiget ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum in ignem ſit. Nihilominus, quantum poſſumus, evitemus incommoda quoque, non tantum pericula: & in tutum nos reducamus, excogitantes ſubinde, quibus poſſint timenda depelli. quorum tria, ni fallor, genera ſunt. Timetur inopia, timentur morbi, timentur quæ per vim potentioris eveniunt. Ex his omnibus nihil magis nos concutit, quam quod ex aliena potentia impendet. Magno enim ſtrepitu & tumultu venit. Naturalia mala quæ retuli, inopiæ atque morbi, ſilentio ſubeunt, nec oculis nec auribus quidquam terroris incutiunt: ingens alterius mali pompa eſt; ferrum circa ſe & ignes habet, & catenas, & [3] turbam ferarum, quam in viſcera immittat humana. Cogita hoc loco carcerem, & [4] cruces, & eculeos, & uncum; & adactum, per medium hominem, qui [5] per os emergat, ſtipitem; & diſtracta in diverſum [6] actis curribus membra; illam [7] tunicam, alimentis ignium &

2 *Diligentiſſime cura*] Nam, ait Epictetus Diſſert. 11. lib. 4. *ſi equum Natura tibi credidiſſet, non prorſus eum neglexiſſes. Ergo nunc etiam puta, corpus tibi tamquam equum eſſe traditum. Lava id, abſterge, facito nequis averſetur, nequis abhorreat.* Et in ſumma, artifex es? utile tibi redde, & ſerva hoc inſtrumentum. *Lipſius.*

3 *Turbam ferarum*] Priſco ritu, quo homines beſtiis objiciebant in Amphitheatris. *Idem.*

4 *Et cruces, & eculeos*] De *eculeo* ſive *equuleo* conſulatur Brodæus lib. 2. c. 9. Miſcell. Turneb. lib. 15. cap. 16. Adverſ. imprimis vero Sigonius lib. 3. de judiciis c. 18.

5 *Per os emergat*] Quod Græci σκολοπίζειν dicunt, ſive *palo infigere*: familiare ſupplicium hodie Aſiaticis. Scripſi in de Cruce, lib. 1. *Lipſius.*

6 *Actis curribus*] Non male. nam ad Quadrigas aut currus alligare noxios etiam ſolent, & in diverſum actis equis diſtrahere. De Metio notum. Tamen ſcripti fere, *cruribus*. Id quoque recte. cum homines arboribus curvatis innexos brachiis pedibuſque, tum in rectum iis dimiſſis, diſcerpunt. Scinis paſſim uſurpavit, atque etiam Alexander in Darii interfectore. *Idem.*

7 *Tunicam alimentis*] Hanc deſcribit Iſidorus, etſi male *culleum* appellet. Ait *tunicam fuiſſe ex ſparto, in modum crumenæ factam, & ſolitam liniri pice & bitumine.* Hanc miſeros illos induebant, & in ea ſic uſtulabant. *Moleſtam tunicam* vulgo appellabant. ut Martialis, lib. 10.

Nam cum dicatur, tunica præſente moleſta,
Ure manum: plus eſt dicere, Non facio.

Et

& illitam & intextam; quidquid aliud, præter hæc, commenta ſævitia eſt. Non eſt itaque mirum, ſi maximus hujus rei timor eſt, cujus & varietas magna, & apparatus terribilis eſt. Nam quemadmodum plus agit tortor, quo plura inſtrumenta doloris expoſuit (ſpecie enim vincuntur, [8] qui patientiæ reſtitiſſent:) ita ex his, quæ animos noſtros ſubigunt & domant, plus proficiunt quæ habent quod oſtendant. Illæ peſtes non minus graves ſunt, famem dico & ſitim, & præcordiorum [9] ſuppurationes, & febrem viſcera ipſa torrentem: ſed latent. nihil habent quod intentent, quod præferant: hæc, ut magna bella, adſpectu paratuque vicerunt. Demus itaque operam, abſtineamus offenſis. Interdum populus eſt, quem timere debeamus; interdum, ſi ea civitatis diſciplina eſt, ut plurima per ſenatum tranſigantur, gratioſi in eo viri; interdum ſinguli, [10] quibus poteſtas populi, & in populum data eſt. Hos omnes amicos habere, operoſum eſt; ſatis eſt inimicos non habere.

Et Juvenalis:
Auſi, quod liceat tunica punire moleſta. Quidni *moleſta*, in qua lento igne ſic ardebant? Tertullianus ad Martyres: *Jam & ad ignes quidam ſe auctoraverunt, ut certum ſpatium in tunica ardente conficerent.* Sæviter ludebant hæc talia, & ſæpe cum argumento: ut ſiquis Herculem OEtæum repræſentaret. Idem Afer, in Apologetico: *Et qui vivus ardebat, Herculem induerat.* Alia etiam uſtulandi ratio in Amphitheatris, & cathedra ferrea ignita, in qua collocabantur. O ingenia ſævitiæ! Euſebius Cæſarienſis, de Attalo martyre, lib. 5. c. 1. Ἐπὶ τῆς σιδηρᾶς ἐπιτέθη καθέδρας, καὶ ἐκνισσᾶτο· *In ferrea locatus eſt cathedra, & amburebatur.* Mox hoc inſtrumentum, aut ſimile, τήγανον appellat, quaſi ad *frigendum* & *torrendum*. Lipſius.

8 *Qui patientia reſtitiſſent*] Meus & Col. apud Gruterum, *patientiæ*. Quæ utique vera lectio eſt. *Patientiam* vocat ſenſum mali, propria quadam & ipſi frequentata notione. Epiſt. 9. *Invulnerabilem animum, aut animum extra omnem patientiam poſitum.* hoc eſt, qui patiendo & ſentiendo malum non frangatur, nec debilitetur: vel qui malum non ſentiat, non eo adficiatur. Epiſt. 91. *Formetur animus ad intellectum patientiamque ſortis ſuæ.* Epiſtol. 66. *quin felicior ſit inconcuſſa valetudo, quam ex gravibus morbis & extrema minitantibus in tutum vi quadam & patientia educta.* Gronovius.

9 *Suppurationes*] Plures libri, *ſuſpirationes.* An non *Aſthma* dictum volunt: quod ipſe epiſt. 54. *Suſpirium* interpretatur? Et tentatum ſe eo genere morbi oſtendit; & nihil moleſtius adfirmat. Itaque poteſt hic teneri, & intelligi: etſi *ſuppurationes* etiam notæ, & Græcorum φθίσεις. Idem.

10 *Quibus poteſtas populi, &c.*] Hæc & præcedentia exponit Duarenus in tit. 4. de conſtit. Princip. c. 1. item lib. 2. c. 19. diſput. anniverſ.

habere. Itaque ſapiens nunquam potentium iras provocabit: imo declinabit, non aliter quam in navigando procellam. Cum peteres Siciliam, trajeciſti fretum. temerarius gubernator contempſit [11] auſtri minas: (ille eſt enim, qui Siculum pelagus exaſperet, & [12] in vertices cogat.) [13] non ſiniſtrum petit littus, ſed id, [14] quo propior Charybdis maria convolvit. At ille cautior, peritos locorum rogat, qui æſtus ſit, quæ ſigna dent nubes, & longe ab illa regione verticibus infami curſum tenet. Idem facit ſapiens: nocituram potentiam vitat, hoc primum cavens, ne vitare videatur. Pars enim ſecuritatis & in hoc eſt, non ex profeſſo [15] eam petere: quia quæ quis fugit, damnat. Circumſpiciendum nobis eſt ergo, quomodo à vulgo tuti eſſe poſſimus. Primum [16] nihil idem concupiſcamus. rixa eſt inter competitores: deinde nihil habeamus quod cum magno emolumento inſidiantis eripi poſſit. quam minimum ſit in corpore tuo ſpoliorum. Nemo ad humanum ſanguinem propter ipſum venit, aut admodum pauci: [17] plures computant,

11 *Auſtri minas*] Vide Conſol. ad Marc. c. 17. *Lipſius.*

12 *In vertices cogat*] Ea natura ejus loci, & *Charybdim mare verticoſum* Plinius appellat. Vide infr. epiſt. 79. *Idem.*

13 *Non ſiniſtrum*] Ubi Scylla eſt, verſus Pelorum. Virgilius:

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet.

Quod ita eſt, Siciliæ reſpectu: & ſi quis ex ea ſolvat. At qui ex Italia, *lævam* Scyllam habent, *dextram* Charybdim: ſi media utriuſque, ut ſolent, nautæ tenent. *Idem.*

14 *Quo propior Charybdis*] Obſerva de *temerario gubernatore* hæc dici, & qui *Auſtri minas*, ipſamque Charybdim contemnit. Itaque propius etiam ad eam ſe admovet: & quaſi provocat pericula, ut quidam *potentium iras*. At cautior ille, inquit, minime: & quæ ſequuntur. *Idem.*

15 *Eam petere*] Libros ſecutus ſum potius, quam Muretum, qui *eam fugere* vulgavit. Sententia ex illo eadem elicitur. non petendam palam ſecuritatem: quia ſic videmur fugere potentes (ſubducendo nos, & removendo): quod eſt tacite eos damnare. *Idem.*

16 *Nihil inde concupiſcamus*] Libri plerique, *Nihil inde concupiſcamus. Rixa eſt inter competitores.* Tolerabilius, quam quod vulgo, fateor: ſed quid tamen illud, *inde*, erit? Meus liber optime, *nihil idem.* Dele mox, *unde.* Idem.

17 *Plures computant*] Id eſt, lucrum ex eo facinore eventurum proponunt: & ideo magis, quam odii ergo, ſuſcipiunt. Seneca de Benef. 5. *Quotuſquiſque uxoris optimæ mortem timet, ut non computet?* Argute. ut non ſimul etiam de lucello, ab ejus morte cogitet. *Idem.*

putant, quam oderunt. Nudum latro tranſmittit: etiam in obſeſſa via pauperi pax eſt. [18] Tria deinde ex præceptione veteri præſtanda ſunt, ut vitentur: Odium, Invidia, Contemptus. Quomodo hoc fiat, ſapientia ſola monſtrabit. Difficile enim temperamentum eſt, verendumque, ne in contemptum nos invidiæ timor transferat: ne dum [19] calcare nolumus, videamur poſſe calcari. Multis timendi attulit cauſſas, timeri poſſe. Undique nos reducamus: non minus contemni quam ſuſpici nocet. Ad philoſophiam ergo confugiendum eſt. hæ litteræ non dico apud bonos, ſed apud mediocriter malos, [20] inſularum loco ſunt. Nam forenſis eloquentia, & quæcumque alia populum movent, adverſarium habent: hæc quieta, & ſui negotii, contemni non poteſt; cui ab omnibus artibus, etiam apud peſſimos, honor eſt. Nunquam in tantum convaleſcet nequitia, nunquam ſic contra virtutes conjurabitur, ut non philoſophiæ nomen venerabile & ſacrum maneat. Ceterum philoſophia ipſa tranquille modeſteque tractanda eſt. Quid ergo? inquis. videbitur tibi M. Cato modeſte philoſophari, qui bellum civile ſententia ſua reprimit? qui furentium principum armis medius intervenit? qui aliis Pompeium offendentibus, aliis Cæſarem, ſimul laceſſit duos? Poteſt aliquis diſputare, an illo tempore capeſſenda fuerit ſapienti reſpublica. Quid tibi vis M. Cato? jam non agitur de libertate, olim peſſundata eſt: quæritur utrum Cæſar, an Pompeius poſſideat rempublicam. Quid tibi cum iſta contentione? nullæ partes tuæ ſunt: dominus eligitur. [21] Quid tua,

18 *Tria deinde*] Inter præcepta Metrodori lego: Ἐν πόλει μήτε ὡς λέων ἀναστρέφου, μήτε ὡς κώνωψ. τὸ μὲν γὰρ ἐκπατεῖται, τὸ δὲ καραφυλακεῖται· *In civitate neque ut leo, neque ut culex educare. Hic enim calcatur, illi inſidiæ parantur.* Duo dixit, Odium & Contemptum: medium omiſit. *Lipſius.*

19 *Calcari nolumus*] Aſſentior Moſtro, *calcare.* Timemus invidiam, & magni eſſe ad opprimendum: ita ipſi mox opprimi opportuni. *Idem.*

20 *Inſularum loco*] Dignitatum & honorum. Vide ad Helviam, c. 13.

21 *Quid tua, uter*] Varie hic locus ſcribitur, atque interpolatur, ut ſolent acuta. Vera lectio mihi iſta: *Quid, tua uter vincat? poteſt melior vincere, non poteſt non pejor eſſe qui vicerit.* Ecce, inquit, duo ſunt, & uterque de impe-

tua, uter vincat? poteſt melior vincere, non poteſt non eſſe pejor, qui vicerit. Ultimas partes attigi Catonis: ſed ne priores quidem anni fuerunt, qui ſapientem in illam [22] rapinam reipublicæ admitterent. Quid aliud quam vociferatus eſt Cato, & miſit irritas voces, cum modo per populi levatus manus, & obrutus ſputis, [23] & portandus extra forum traheretur, modo è ſenatu in carcerem duceretur? Sed poſtea videbimus, an ſapienti opera perdenda ſit: interim ad hos te voco, qui à republica excluſi, ſeceſſerunt ad colendam vitam, & humano generi jura condenda, ſine ulla potentioris offenſa. Non conturbabit ſapiens publicos mores, nec populum in ſe vitæ novitate convertet. Quid ergo? utique erit tutus, qui hoc propoſitum ſequetur? Promittere tibi hoc non magis poſſum, quam in homine temperante bonam valetudinem: & tamen facit temperantia bonam valetudinem. Perit aliqua navis in portu: ſed tu quid accidere in medio maris credis? Quanto huic periculum paratius foret, multa agenti, molientique, cui ne otium quidem tutum eſt? Pereunt aliquando innocentes: quis negat? nocentes tamen ſæpius. Ars ei conſtat, qui [24] per ornamenta percuſſus eſt. Denique conſilium omnium rerum ſapiens, non exitum ſpectat. Initia in poteſtate noſtra

rio & potentia ſua certat, alio titulo. Poteſt ex his duobus melior videri (Pompeius ſcilicet) dum vincit, non poteſt dum vicit. Nam victor animum reſerabit, & ſucceſſus malitiam eliciet, adhuc repreſſam. Plane idem in Lucano Brutus, ad ipſum hunc Catonem, ubi diſſuadet pariter bello intereſſe:

—— quod ſi pro legibus arma
Ferre juvat patriis, libertatemque tueri:
Nunc neque Pompeii Brutum, neque Cæſaris hoſtem,
Poſt bellum VICTORIS *habes.*

Libertatem & leges tueri, uterque præfert: ſed alter opprimet, qui vincet. Victor igitur tyrannus, & illi ego hoſtis. *Lipſius.*

22 *Rapinam reipublicæ*] Vere. nam hinc Cæſar, hinc Pompeius, Vatinius, Curio, alii diſtrahebant, diripiebant. Muretus tamen, *ruinam*, maluit, præter libros. *Idem.*

23 *Et portandus*] Conſenſu ita libri, nec mutem. Traheretur, inquit, ſed portandus: ut violenta magis vis oſtendatur. Seneca de Conſtant. Sapientis, c. 1. *Quod Catoni diſſuaſuro legem toga in foro eſſet erepta, quodque à roſtris uſque ad arcum Fabianum per ſeditioſæ factionis manus tractus, voces improbas, & ſputa, & omnes alias contumelias pertuliſſet.* Illa & me vide. *Idem.*

24 *Per ornamenta*] A gladiatoribus eſt: quorum arma ſic dicta. Ego in Saturnalibus, 2. c. 17. *Idem.*

25 Sen-

ſtra ſunt: de eventu fortuna judicat, cui de me [25] ſententiam non do. At aliquid vexationis affert, aliquid adverſi. [26] non damnatur latro, cum occidit. Nunc ad quotidianam ſtipem manum porrigis. aurea te ſtipe implebo. Et quia facta eſt auri mentio, accipe quemadmodum uſus fructuſque ejus tibi eſſe gratior poſſit. Is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget. Ede, inquis, auctorem. Ut ſcias quam benigni ſimus, propoſitum eſt aliena laudare: Epicuri eſt, aut Metrodori, aut alicujus ex illa officina. Et quid intereſt, quis dixerit? omnibus dixit. Qui eget divitiis, timet pro illis: nemo autem ſolicito bono fruitur. Adjicere illis aliquid ſtudet, dum de incremento cogitat: oblitus eſt uſus, rationes accipit, forum conterit, [27] kalendarium verſat, fit ex domino procurator.

25 *Sententiam non do*] Non permitto ut de me judicet, ſed Ratio. *Lipſius.*

26 *Non damnatur latro, cum occidit*] Quo hæc ſpectent, non video. Imo nec vera ſunt, & omnino damnatur latro cum occidit. Putarim ſic hæc cum prioribus legenda. *At aliquid vexationis afferet, aliquid adverſi. Non damnatur latro, cum occidet.* Futuri verbo legendum, *Afferet*: & hoc pro priore ſenſu. Fortaſſe aliquid adverſi: ſed ne occupa aut damna, niſi cum factum. In meo libro erat: *Nam damnatur.* Si quis melius, donet. *Idem.* Merito ait Lipſius ſe, quo hæc ſpectent, non videre. Nempe ſcribendum: *damnat.* Fortuna, inquit, aliquid vexationis, aliquid adverſi poteſt adferre: ſed non poteſt propterea facere pejorem, quem vexaverit. Perinde ut latro poteſt occidere, non poteſt damnare, ſeu efficere jure cæſum videri, qui latrocinio periit. Eventus in fortunæ manu eſt, initia in noſtra poteſtate. Quod ſi fortuna bene cogitata & incepta deſtituerit, de illis tamen judicium & jus ſententiam ferendi non habet: tantum in illo, quod ſuum eſt, eventu videlicet, libidinem exercet. Scribendum autem ex omnibus libris: *Initia tamen in noſtra poteſtate ſunt.* Quam particulam vulgatæ omiſerunt, Gruterus mutat in *tantum.* Perperam. Vis eſt eadem, quam ſuperius ad 4 de Benef. c. 6. indicavimus. Valet idem quod, certe, utique: quaſi eſſet, utcumque non omnia, tamen initia. *Gronovius.*

27 *Kalendarium*] Librum pecuniæ fænebris, quæ per Kalendas exigebatur, ſolvebaturque. Vide epiſt. 87. *Lipſius.* In quo libro nomina ſcribebantur, l. penult. ff. ſi cert. pet. l. ult. ff. de pec. &c, nomen ex eo deſcendit, quod Kalendas olim fœnerari ſolerent, unde Naſo lib. 2. de remed. Amor.

Qui puteal Janumque timent celereſque Kalendas.

de iis Budæus ad l. tali. §. ſocer. ff. de jure dotium, Alciatus lib. 2. Parerg. c. 23. Briſſonius lib. 3. de verb. ſign. & lib. 6. de form. Pamelius in Tertull. lib. de cultu fæm.

Digitized by Google

EPIST. XV.

Ad curam etiam corporis Exercitatio ſpectat: ſed hæc laborioſa, aut occupata non eſto. Facilis & brevis ſufficit: ut curſus, ſaltus, geſtatio, vocis intentio. Clauſula ab Epicuro, Ne vita in futurum feratur: præſentibus acquieſce.

[1] MOs antiquis fuit, uſque ad meam ſervatus ætatem, primis epiſtolæ verbis adjicere: Si vales, bene eſt. Recte [2] & nos dicimus: Si philoſopharis, bene eſt. Valere enim hoc demum eſt: ſine hoc, æger eſt animus. Corpus quoque etiam ſi magnas habet vires, non aliter quam furioſi aut phrenetici, validum eſt. Ergo hanc valetudinem præcipue cura, deinde & illam ſecundam: quæ non magno tibi conſtabit, ſi volueris bene valere. Stulta eſt enim, mi Lucili, & minime conveniens litterato viro, occupatio exercendi lacertos, & dilatandi cervicem, ac latera firmandi. Cum tibi feliciter [3] ſagina ceſſerit, & tori creverint; nec vires unquam opimi bovis, nec pondus æquabis. Adjice nunc, quod majore corporis ſarcina animus eliditur, & minus agilis eſt. Itaque, quantum potes, circumſcribe corpus tuum, & animo locum laxa. multa ſequuntur incommoda huic deditos curæ. Primum exercitationes, quarum labor ſpiritum exhaurit, & inhabilem intentioni ac ſtudiis acrioribus reddit: deinde, copia ciborum, [4] ſubtilitas animi

EPIST. XV. 1 *Mos antiquis*] Plinius lib. 1. ep. 11. *Vel ſolum illud ſcribe, unde priores incipere ſolebant: Si vales, bene eſt, ego valeo.* Lipſius.

2 *Et nos dicimus*] Malim, *dicemus.* Idem.

3 *Sagina ceſſerit*] Nam athletæ certo victu utebantur, corpori viribuſque augendis. De quo Hier. Mercurialis, medicus & amicus mihi inter primos adfatim lib. 1 de Arte Gymnaſtica, itemque Budæus ad Pandectas, & in Agoniſtico 3. Petrus Faber. *Idem.*

4 *Subtilitas animi*] Veriſſime. & Ariston ſcite Athletas aſſimilabat τοῖς ἐν γυμνασίῳ κίοσιν, ὁμοίως λιπαροὺς καὶ λιθίνους· *columnis quæ ſunt in gymnaſio, pariter nitidos & ſaxeos:* id eſt ſine ſenſu. Magis etiam Diogenes Cynicus, qui ἐρωτηθεὶς διὰ τί οἱ ἀθληταὶ ἀναίσθητοί εἰσιν, ἔφη, Ὅτι κρέασιν ὑείοις καὶ βοείοις ἀνῳκοδόμηνται· *interrogatus, quare Athletæ fere ſine ſenſu aut mente eſſent? Quia, inquit, ex ſuillis & bovillis carnibus conſtant.* acute ad ſtuporem animalium alludens, & iis aptans, qui veſcebantur.

mi impeditur. Accedunt peſſimæ notæ [5] mancipia in magiſterium recepta, homines [6] inter oleum & vinum occupati: quibus ad votum dies eſt actus, ſi bene deſudaverunt, ſi in locum ejus quod effluxit, multum [7] potionis altius jejuno gutture regeſſerunt. Bibere & ſudare, [8] vita cardiaci eſt. Sunt exercitationes & faciles & breves, quæ corpus & [9] ſine mora laxent, & tempori parcant: cujus præcipua ratio habenda eſt. Curſus, & [10] cum aliquo pondero

tur. Galenus etiam de Athletarum ſagina, & ab ea ſtupore, idem fatetur: additque, *καὶ τοῦτο σαφῶς ἁπάντων χεδὸν ἀνθρώπων ᾀδόντων, ὡς γαστὴρ ἡ παχεῖα τὸν νοῦν οὐ τίκτει λεπτόν.* *Hoc ab omnibus hominibus fere decantatur, quod venter pinguis mentem non gignit tenuem.* Verſum indicat proverbialem:

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. Lipſ.

5 *Mancipia in magiſterium*] Aliquot libri, *magiſtratum*: eodem ſenſu. Indicat Græculos magiſtros. *Idem.*

6 *Inter oleum & vinum*] Unguntur, & bibunt. *Idem.*

7 *Potionis alterius, jejuno gutture ingeſſerunt*] E ſuis quidam: *multum potionis altius in jejunum guttur regeſſerunt.* Nihil equidem muto. ſententiam autem vide & hauri, ex epiſt. 122. & 88. *Idem.* Mss. omnes, *altius*: plures, *regeſſerunt.* Sed nihil mutandum ait Lipſius. Atqui non poteſt defendi à crimine ineptiarum illud, *potionis alterius*, quaſi ſudor potio ſit. Scribebam: *Si in locum ejus, quod effluxit, multum potionis altius jejuno gutture regeſſerunt.* Sudor non ex altioribus & penitis partibus, ſed è ſummo corpore exprimitur. Igitur in locum ejus qui effluxit, ſudoris, ait eos per jejunum guttur regerere, puta in corpus, ſed bene altius, multum potionis. Utitur verbo *regerere*, quia ſudando erat aliquid egeſtum. In meo erat, *demiſerunt*: ſed & hoc & vulgatum ſcholia puto. *Regerere* eſt rurſus ingerere: ut *remetiri*, rurſus emetiri. Epiſt. 95. *aque invitis ingeſta viſceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur.* Vellit aurem Rubenius non eſſe ſpernendum, quod Opſopœus in quatuor Gallicis, ille in Cambr. ego in Erf. invenimus: *multum potionis, altius in jejuno itura, regeſſerunt.* Loquitur enim Seneca de jejunis illis potoribus, qui poſt ſudationes in balneis, ante cibum bibebant. Epiſt. 122. *merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod libere penetrat ad nervos. Illa ebrietas juvat quæ in vacuum venit.* Juvenalis: *de quo ſextarius alter Ducitur ante cibum.* Gronov.

8 *Vita cardiaci eſt*] Notum *καρδιαλγίαν* dici, in ore ſtomachi vitium, ab humore acri vellicante & rodente. Itaque Dioſcorides id dixit *στομάχου δηγμούς*, & Plinius interpretatus, *Stomachi roſiones.* Celſus *Cardiacum morbum* deſcribit, lib. 3. c. 19. *nimiam imbecillitatem corporis, quod ſtomacho languente, immodico ſudore digeritur.* En tibi, de *ſudore.* De *potu*, in eodem: *imbecillitati jacentis vino ciboque ſuccurrendum.* & id ſæpius. Spectat eo & Juvenalis, Sat. 5.

Ipſe capillato diffuſum Conſule potat,
Cardiaco numquam cyathum miſſurus amico.

Cardiaco, cui medicina ſcilicet à tali vino. *Lipſius.*

9 *Sine mora laxent*] Alii libri, *laſſent.* Idem.

10 *Cum aliquo pondere*] Quo fine Halterum etiam uſus in exercitiis. Vide epiſt. 56. *Idem.*

Digitized by Google

dere manus motæ, & ſaltus, vel ille [11] qui corpus in altum levat, vel ille qui in longum mittit, [12] vel ille (ut ita dicam) ſaliaris, aut (ut contumelioſius dicam) [13] fullonius. Quodlibet ex his elige, [14] uſu fit facile. Quidquid facies, cito redi à corpore ad animum, illum diebus ac noctibus exerce. labore modico alitur ille. Hanc exercitationem non frigus, non æſtus impedit, ne ſenectus quidem. Id bonum cura, quod vetuſtate fit melius. Neque ego te jubeo ſemper imminere libro, aut pugillaribus. dandum & aliquod intervallum animo: ita tamen ut non reſolvatur, ſed remittatur. [15] Geſtatio & corpus concutit, & ſtudio non officit: poſſis legere, poſſis dictare, poſſis loqui, poſſis audire: quorum nihil nec ambulatio quidem vetat fieri. Nec tu intentionem vocis contempſeris: quam veto te [16] per gradus & certos modos attollere, deinde deprimere. Quod ſi velis deinde quemadmodum ambules diſcere, admittes iſtos, quos nova artificia [17] docuit fames: erit qui gradus tuos temperet, & buccas edentis obſervet, & in tantum procedet, in quantum ejus audaciam [18] patientiæ credulitate

11 *Qui corpus in altum levat*] De hiſce ſaltandi generibus Mercurialis lib. 2. c. 11. artis gymnaſticæ.

12 *Vel ille ſaliaris*] Sublatis pedibus, & alternantibus, idemtidem repetitus, quem Salii ſacerdotes in pompa & geſtatione Ancilium uſurpabant: eumdemque fere fullones. *Lipſius.* De Saliari ſaltu actum mihi lib. 24 Suſpic. c. 12.

13 *Fullonius*] Varro lib. 5. de ling. lat. *Apud fullonem veſtimentum cum cogitur, conciliari dicitur.* vide ad hæc Scaligerum.

14 *Uſu fit facile*] Pinciani lectio vetus: *Quemlibet ex his elige, uſu rudem, facilem.* Quemlibet, nempe ſaltum: nec arte eum compone. Meus liber & quidam, *quodlibet* retinent; & tum, *uſum facilem rudem.* Dubites an non, *uſu facile reddes:* etſi Pinciano magis adhæream. *Lipſius.*

15 *Geſtatio*] In eſſedo. de quo exercitii genere, & fructu, ſcripſi in epiſtola quadam (Centuria Miſcellanea) ad Abrah. Ortelium. *Idem.*

16 *Per gradus & certos modos*] Ut phonaſci ſcilicet præſcribebant: quibus non alligat nos Seneca. *Gradus* autem in voce, adſcenſus deſcenſuſque; ſive elatio, demiſſio. Fabius: *Ab ima ad ſummam vocem multi ſunt gradus.* At *modi*, qualitatem magis ſpectant. *Idem.*

17 *Docuit fames*] Satyricus hoc ipſum:

Graculus eſuriens, in cælum, juſſeris, ibit. Idem.

18 *Patientia lenitate produxeris*] Meus & quidam, *patientia crudelitate.* Verum erit, *patientia & credulitate*, inquit Lipſius. Immo verum erit, quod e tribus Pall. producit Gruterus, è tribus ſuis Rubenius: *patientia credulitate.*

Digitized by Google

tate produxeris. Quid ergo? à clamore protinus & à ſumma contentione vox tua incipiet? Uſque adeo naturale eſt, paulatim incitari, ut litigantes quoque à ſermone incipiant, ad vociferationem tranſeant. nemo ſtatim Quiritium fidem implorat. Ergo utcumque tibi impetus animi ſuaſerit, modo vehementius fac vitiis convicium, modo lentius, prout vox quoque te hortabitur & latus. [19] Modeſta, cum receperis illam revocariſque, deſcendat, non decidat: moderatoris ſui temperamentum habeat, nec indocto & ruſtico [20] more deſæviat. Non enim id agitur, ut exerceatur vox, ſed ut exerceat. Detraxi tibi non puſillum negotium: [21] mercedula, & munus gratum, ad hæc beneficia accedet. Ecce inſigne præceptum. Stulti vita ingrata eſt, trepida eſt, tota in futurum fertur. Quis hæc, inquis, dicit? Idem qui ſupra. Quam tu nunc vitam dici exiſtimas ſtultam? [22] Babæ & Ixionis? Non ita eſt. noſtra dicitur: quos cæca cupiditas in nocitura, certe nunquam ſatiatura, præcipitat: quibus ſi quid ſatis eſſe poſſet, fuiſſet: qui non cogitamus quam jucundum ſit nihil poſcere, quam magnificum ſit plenum eſſe, nec ex fortuna pendere. Subinde itaque, Lucili, quàm multa ſis conſecutus, recordare:

dulitate. Hoc eſt, quouſque ei animum audendi addideris, fide facta tuæ patientiæ: quouſque tibi patientiam ferendi tam moleſta & moroſa imperia fore credet. Epiſt. 41. *Aliter leo aurata juba demittitur, dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur.* Firmat hactenus noſter, quod exhibet *crudelitate*, etſi τὸ *patientiæ* male omiſerit. Camb. quoque & Erf. *patientia crudelitate.* Gronov.

19 *Modeſta cum receperis*] Vox, *modeſta*, abeſt optimo libro: & ego expungam. *Lipſius.*

20 *More deſæviat*] Idem, *deſerviet.* An forte, *deferveat?* Idem.

21 *Mercedula & munus*] Mira hic varietas. Alii libri, *mercedula & unum Græcum.* Alii, *mercedula & unus græcus.* Meus, *mercedula & minus gratus.* Putarim equidem junctim hæc legenda: *Detraxi tibi non puſillum negotium mercedula, & unius Græci:* Vel ex meo, *mercedula, & magiſtratus. Ad hæc beneficia accedet ecce inſigne præceptum.* De ſententia mihi pæne liquet ſic eſſe. En, inquit, diſſertatiuncula iſta commodavi tibi, & moleſtiam detraxi. quam? Mercedis, & Græculi magiſtri. Docui te ſine magiſtro, ſine ſtipendio exerceri. Aliter ſolebant. ut Plinii Panegyrico: *Cum exercitationibus noſtris non veteranorum aliquis, ſed Græculus magiſter adſiſtit. Ii progymnaſta* dicebantur, ut in epiſt. 83. *Exercitores* Plauto. *Idem.*

22 *Babæ & Ixionis*] Meus, *Habæ & Iſionis?* Notæ fatuitatis homines ab illo ævo fuiſſe, eſt ſuſpicari. *Idem.*

 23 *Cogita*

cordare: cum adſpexeris quot te antecedant, [23] cogita quot ſequantur. Si vis gratus eſſe adverſus deos, & adverſus vitam tuam, cogita quam multos anteceſſeris. Quid tibi cum ceteris? [24] te ipſe anteceſſiſti. finem conſtitue, quem tranſire ne poſſis quidem, ſi velis: diſcedent aliquando iſta inſidioſa bona, & ſperantibus meliora, quam aſſecutis. Si quid in illis eſſet ſolidi, aliquando & implerent: nunc haurientium ſitim concitant, [25] imitantur ſpecioſos apparatus. Quod futuri temporis incerta [26] ſors voluit, quare potius à fortuna impetrem, ut det, quam à me, ne petam? Quare autem petam, oblitus fragilitatis humanæ? Congeram? in quid? laborem? ecce hic ultimus dies. ut non ſit, prope ab ultimo eſt.

EPIST. XVI.

Philoſophiam vitæ neceſſariam, ſed illam veram, eſſe, quæ in factis ſit, & profectu. Diſponi ab eo actiones & conſilia. Non obſtare, ſi Fatum ſit, aut Fortuna ſit: nam & illa docebit Deo parere, & Fortunam ac fortuita adſpernari. Clauſula item ab Epicuro: Secundum naturam qui vivit, dives: ſperne opinionem.

LIquere tibi hoc ſcio, Lucili, neminem poſſe beate vivere, ne tolerabiliter quidem, ſine ſapientiæ ſtudio: & beatam vitam [1] perfecta ſapientia effici, ceterum tolerabilem

23 *Cogita quot ſequantur*] Sapiens, & cottidiani uſus, monitum. Non proſpice tantum, ſed reſpice. Pharovinus bene: Τὸν εὐθυμεῖσθαι θέλοντα, χρὴ ἐν μὲν τοῖς ἀγαθοῖς ἀφορᾶν εἰς τοὺς ἐνδεέστερα κεκληρωμένους· ἐν δὲ τοῖς κακοῖς εἰς τοὺς μᾶλλον δυσχεραίνοντας· *Eum qui tranquille volet agere, oportet in bonis quidem rebus reſpicere ad eos qui minora aſſecuti ſunt; in malis, ad eos qui majora.* Aliter plebeium ingenium: *Nec quod habet, numerat, tantum quod non habet, optat*: ut ait Manilius. *Lipſius.*

24 *Teipſe anteceſſiſti*] Ex humili enim ſurrexiſti. è plebe eques factus, & nunc Cæſaris Procurator. *Idem.*

25 *Et invitant ſpecioſi*] Aliquot libri, *imitantur ſpecioſos.* Neſcio an, *irritantur ſpecioſo apparatu.* Irritantur, nempe qui amant. *Idem.*

26 *Sors voluit*] Libri plerique, *ſors induit*: lego *inducit*, vel *includit.* Idem.

EPIST. XVI. 1 *Perfecta ſapientia*] Optanda magis, quam aſſequenda. Formant Stoici, non oſtendunt. Vide me ſuper his gradibus, Manud. 2. Diſſert. 8. & 9. *Idem.*

bilem etiam inchoata. Sed hoc, quod liquet, firmandum, & altius quotidiana meditatione figendum eſt. Plus operis eſt in eo, ut propoſita cuſtodias, quam ut honeſta proponas. Perſeverandum eſt, & aſſiduo ſtudio robur addendum, donec [2] bona mens ſit, quod bona voluntas eſt. Itaque tibi apud me [3] pluribus verbis opus non eſt, aut affirmatis, aut tam longis: intelligo te multum profeciſſe. Quæ ſcribis, unde veniant ſcio: non ſunt ficta, nec colorata. Dicam tamen quid ſentiam, jam de te ſpem habeo, nondum fiduciam. Tu quoque idem facias volo. non eſt quod tibi cito & facile credas: excute te, & varie ſcrutare, & obſerva. Illud ante omnia vide, utrum in philoſophia, an in ipſa vita profeceris. Non eſt philoſophia populare artificium, nec oſtentationi paratum: [4] non in verbis, ſed in rebus eſt. Nec in hoc adhibetur, ut aliqua oblectatione conſumatur dies, ut dematur otio nauſea: animum format & fabricat, vitam diſponit, actiones regit, agenda & omittenda demonſtrat, [5] ſedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit curſum. ſine hac nemo ſecurus eſt. Innumerabilia accidunt ſingulis horis, quæ conſilium exigunt,

2 *Bona mens ſit*] Quæ firma eſt, & fiduciam ſui habet: voluntas bona quidem Stoicis, ſed mutabilis. Itaque bona mens eſt, velle, ſcire, tenere bona. *Lipſius.*

3 *Pluribus verbis opus non eſt, aut*] Commoda ſententia, ſed ab Eraſmo, qui verba iſta infarſit. Nam libri: *verbis haud affirmatis, nec tamen longis.* Meus, *verbis audax ſummatis, nec tamen longis.* Quidam: *verbis haud aſſumatis.* Quid lateat, me latet. *Idem.* Hæc tria, *opus non eſt*, à conjectura ſunt Eraſmi; nec in ullo extant ſcriptorum, ex quibus ipſe proponit: *verbis haud affirmatis nec tamen longis intelligo.* Ita & noſter Gruterique, Pinciani & Lipſiani, niſi quod *aut*, &, *nec tam longis.* Modeſtius poſſet legi: *Itaque tibi apud me pluribus verbis aut affirmatis nequaquam opus, intelligo te multum profeciſſe.* Vel ſi mavis: *nequaquam locus.* *Verba affirmata* ſunt adſeverata, laborantia ad probandum. Ut in ludo de morte Claudii: *verbis conceptis affirmavit.* Rubenius: *Itaque tibi apud me pluribus verbis haud affirmandum: intelligo.* Fortaſſis: *Id de te tibi apud me pluribus verbis haud affirmandum: ex tali ungue intelligo.* Notum proverbium ἐξ ὄνυχος τὸν λέοντα. Erf. *aut affirmatas nectam longis intelligo.* Gronovius.

4 *Non in verbis*] Non hercules. & *mendacium incongruens, atque ineptum eſt, non in pectore, ſed in labiis habere bonitatem*, ait Lactantius. Ne ergo — *virtutem verba putes, ut Lucum ligna*: nec oblectationem ex philoſophia, ſed fructum para. *Lipſius.*

5 *Sedet ad gubernaculum*] Ex meo libro, *Sed & gubernaculum eſt*: etſi illud non muto. *Idem.*

6 Si

Digitized by Google

exigunt, quod ab hac petendum eſt. Dicet aliquis: Quid mihi prodeſt philoſophia, [6] ſi fatum eſt? quid prodeſt, ſi Deus rector eſt? quid prodeſt, [7] ſi caſus imperat? Nam & mutari certa non poſſunt, & nihil præparari poteſt adverſus incerta: ſi aut conſilium meum Deus occupavit, decrevitque quid facerem, aut conſilio meo nil fortuna permittit. Quidquid eſt ex his, Lucili, vel ſi omnia hæc ſunt, philoſophandum eſt: ſive nos inexorabili lege fata conſtringunt, ſive arbiter Deus univerſi cuncta diſponat, ſive caſus res humanas ſine ordine impellit & jactat, philoſophia nos tueri debet. Hæc adhortabitur, ut Deo libenter pareamus, ut fortunæ contumaciter reſiſtamus: hæc docebit, ut Deum ſequaris, feras caſum. Sed non eſt nunc in hanc diſputationem tranſeundum, quid ſit juris noſtri, ſi providentia in imperio eſt, aut ſi fatorum ſeries illigatos trahit, aut ſi repentina, aut ſubita dominantur: illo nunc revertor, ut te moneam & exhorter, ne patiaris animum tuum delabi & refrigeſcere. Conſtitue illum, & contine, ut habitus fiat quod eſt impetus. Jam ab initio, ſi bene te novi, circumſpexiſti ecquid hæc epiſtola munuſculi attulerit? excute illam, & invenies. Non eſt quod mireris animum meum: adhuc de alieno liberalis ſum. Quare autem alienum dixi? quidquid bene dictum eſt ab ullo, meum eſt. Sic quoque quod ab Epicuro dictum eſt: Si ad naturam vives, nunquam eris pauper: ſi ad opinionem, nunquam dives. Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum. Congeratur in te, quidquid multi locupletes poſſederunt: ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro tegat, purpura veſtiat, & eo deliciarum opumque perducat, ut terram marmoribus abſcondas, & non tantum habere tibi liceat, ſed calcare divitias: accedant ſtatuæ & picturæ, & quidquid ars ulla luxuriæ laboravit: majora

6 *Si fatum eſt*] Ut Stoïci cenſebant. *Lipſius.*

7 *Si caſus imperat*] Ut Epicurei. *Idem.*

majora cupere ab his diſces. Naturalia deſideria finita ſunt: ex falſa opinione naſcentia, ubi deſinant, non habent. nullus enim terminus falſo eſt. Via eunti aliquid extremum eſt: error immenſus eſt. Retrahe te à vanis: & cum voles ſcire, quod petis, utrum naturalem habeat, an [8] cæcam cupiditatem, conſidera an poſſit alicubi conſiſtere. Si longe progreſſo, ſemper aliquid longius reſtat; ſcito id naturale non eſſe.

EPIST. XVII.

Philoſophiam autem non differendam, amplectendam omiſſis rebus. At pauper ero. Quid ſi hoc expetendum? expeditius philoſophaberis. Jam Natura pauca deſiderat: atque ea non deerunt. Clauſula, Cui paupertas gravis, etiam opes erunt: nam vitium eſt in animo.

PRojice omnia iſta, ſi ſapis, imo ut ſapias: & ad bonam mentem magno curſu, ac totis viribus, tende. Si quid eſt quo teneris, aut expedi, aut incide. Moratur, inquis, me res familiaris. ſic illam diſponere volo, [1] ut ſufficere nihil agenti poſſit: ne aut paupertas mihi oneri ſit, aut ego alicui. Cum hæc dicis, non videris vim ac potentiam ejus de quo cogitas boni noſſe: & ſummam quidem rei pervides, quantum philoſophia proſit; partes autem nondum ſatis ſubtiliter diſpicis. necdum ſcis, quantum ubique nos adjuvet: quemadmodum & in maximis ([2] ut Ciceronis utar

8 *Cæcam cupiditatem*] Cui tria adjuncta, aiebat Ariſtoxenus Pythagoricus: *Ἀσχημοσύνην, ἀσυμμετρίαν, ἀκαιρίαν· Indecorum, immodicum, intempeſtivum.* Adde iſtis Conſol. ad Helv. c. 11. *Lipſius.*

EPIST. XVII. 1 *Ut ſufficere nihil agenti poſſit*] Quid? ergo philoſophia nihil agit? Sola aliquid, & plurimum: niſi ad externam tamen actionem hæc refers. At libri fere, *ſufficere in hoc agenti.* ex quo recte Gruterus, *unum hoc agenti.* Sic Lipſius. Meus & tres Pall. cum Erf. & Heinſ. retinent vulgatum: idque ſatius tenere & ad externam actionem referre. *Nihil agenti* eſt nullam reip. partem, nullam privatam quæſtus cauſa tractanti. Hi enim in actu rerum verſari dicebantur. *Gronovius.*

2 *Ut Ciceronis utar verbis*] Ubi hoc ille? haud nunc commemini. An in Hortenſio, ubi ex profeſſo laudavit? *Lipſius.*

3 Ne

utar verbis) opituletur, & in minima deſcendat. Mihi crede, advoca illam in conſilium: ſuadebit tibi, [3] ne ad calculos ſedeas. Nempe hoc quæris, & hoc iſta dilatione vis conſequi, ne tibi paupertas timenda ſit. Quid ſi appetenda eſt? multis ad philoſophandum obſtitere divitiæ: paupertas expedita eſt, ſecura eſt. [4] Cum claſſicum cecinit, ſcit non ſe peti: cum [5] aliqua conclamatio eſt, quomodo exeat, non quid efferat, quærit. Si navigandum eſt, non perſtrepunt portus, nec unius comitatu inquieta ſunt littora, non circumſtat illam turba ſervorum, ad quos paſcendos tranſmarinarum regionum eſt optanda fertilitas. Facile eſt paſcere paucos ventres, & bene inſtitutos, & nihil aliud deſiderantes, quam impleri. Parvo fames conſtat, magno faſtidium. Paupertas contenta eſt deſideriis inſtantibus ſatisfacere. Quid eſt ergo, quare tu hanc recuſes contubernalem, cujus mores ſanus dives imitatur? Si vis vacare animo, aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis. Non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura; frugalitas autem, paupertas voluntaria eſt. Tolle itaque iſtas excuſationes: Quantum ſat eſt, nondum habeo: ſi ad illam ſummam pervenero, tunc me totum philoſophiæ dabo. Atqui nihil prius quam hoc parandum eſt: quod tu differs, & poſt cetera paras, ab hoc incipiendum eſt. Parare, inquis, unde vivam, volo. [6] Simul & parare diſce. Si quid te vetat bene vivere, bene mori non vetat. Non eſt quod pau-

3 *Ne ad calculos ſedeas*] Ne computes, & victus potius, quam vitæ rationes diſponas. *Idem.* Sic epiſt. 48. dicit *ſedere ad album.* Calculi autem hic ſunt quibus numeramus utimurque in computando, ut probavi contra quorundam opinionem, lib. 2 9 Suſpic. c. 10. *Gruterus.*

4 *Cum claſſicum cecinit*] Retuli ad morem, quo rei citabantur claſſico, ad 2 Annalem Taciti. Nunc magis eſt ut Grutero meo ſubſcribam, ad claſſicum militare aptanti. Petronius:

Cum cecinere tuba, jugulo ſtat divite ferrum.

paupertas non petitur, & à ſe tuta eſt. *Lipſius.*

5 *Aliqua conclamatio*] Ut in igne, ruina, periculo. Quidam libri, *cum aliquo conclamatum eſt.* Idem.

6 *Simul & parare diſce*] Vis parare? rationem parandi etiam diſce. Quæ eſt? ut vivere promptus ſis, & mori. Sic affecto nihil deerit: ſi enim deſit, ecce janua, exi. *Idem.*

7 Et

paupertas nos à philoſophia revocet, ne egeſtas quidem: toleranda eſt enim ad hoc properantibus vel fames, quam toleravere quidam in obſidionibus. Et quod aliud erat illius patientiæ præmium, quam in arbitrium non cadere victoris? quanto hoc majus eſt, quo promittitur perpetua libertas, nullius, nec hominis, nec Dei timor? Et quidem vel eſurienti ad iſta veniendum eſt. Perpeſſi ſunt exercitus inopiam omnium rerum, vixerunt herbarum radicibus, [7] & dictu fœdam tulerunt famem. hæc omnia paſſi ſunt pro regno (quo magis mireris) alieno: [8] dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut animum furoribus liberet? Non eſt ergo prius acquirendum. licet ad philoſophiam etiam ſine viatico pervenire. Ita eſt, cum omnia habueris, tunc & ſapientiam habere voles. Hæc erit ultimum vitæ inſtrumentum, & (ut ita dicam) additamentum. Tu vero, ſive aliquid habes, jam philoſophare: unde enim ſcis, an jam nimis habeas? ſive nihil, hoc prius quære, quam quidquam. At neceſſaria deerunt. Primum deeſſe non poterunt, quia natura minimum petit: naturæ autem ſe ſapiens accommodat. Sed ſi neceſſitates ultimæ inciderint, jamdudum [9] exibit è vita, & moleſtus ſibi eſſe deſinet. Si vero exiguum fuerit & anguſtum, quo poſſit vita produci: id boni conſulet, nec ultra neceſſaria ſolicitus aut anxius, ventri & ſcapulis ſuum reddet, & occupationes divitum, concurſationeſque ad divitias euntium, ſecurus lætuſque ridebit; ac dicet: Quid in longum ipſe te differs, exſpectabiſne

7 *Et dictu fœdam tulerunt famem*] Aliis placet, *fœdu.* nam libri fere, *fœdius.* Alimenta autem fœda dictu, à quibus abhorremus, ut fœtida, ut cadavera etiam humana. *Idem.* Mss. fere, *fœdius.* Col. *fœdu.* quod & Modio Gruteroque ac Lipſio placuit. Natur. Quæſt. 1, 16. *Fœda dictu ſunt, quæ portentum illud lacerandum ore ſuo dixerit.* Gronovius.

8 *Dubitabit aliquis*] Pro toto hoc argumento, pulchre Manilius:

Quærimus lucrum navi, mortemque ſequemur
In prædas. pudeat tanto bona velle caduca.
Quid cælo dabimus? quantum eſt, quo venit omne?
Impendendus homo eſt, Deus eſſe ut poſſit in ipſo.

Pulchra, inquam, hæc magis; an pia? *Lipſius.*

9 *Exſiliet è vita*] Morte ſponte ſumpta, ut Stoici quidem docebant. De quo ego Manud. 3. Diſſ. 22. *Idem.*

10 Sa-

ctabiſne fœnoris quæſtum, aut ex merce compendium, aut tabulas beati ſenis, cum fieri poſſis ſtatim dives? Repræſentat opes ſapientia: quas cuicumque fecit ſupervacuas, dedit. Hæc ad alios pertinent: tu locupletibus propior es. [10] Sæculum muta, nimis habes. Ineſt omni ſæculo, quod ſat eſt. Poteram hoc loco epiſtolam claudere, niſi te male inſtituiſſem. [11] Reges Parthos non poteſt quiſquam ſalutare ſine munere, tibi valedicere non licet gratis. quid iſtuc? ab Epicuro mutuum ſumam. Multis paraſſe divitias, non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio. Non hoc miror. non eſt enim in rebus vitium, ſed in ipſo animo. Illud quod paupertatem gravem fecerat, & divitias graves fecit. Quemadmodum nihil differt, utrum ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces: quocumque illum transferis, morbum ſuum ſecum transfert, ſic nihil refert, utrum animus æger in divitiis, an in paupertate ponatur. malum ſuum, illum ſequitur.

EPIST. XVIII.

Sapientem, in publica laſcivia, temperanter ſe gerere: & aut nihil aut parum ex moribus libare. Quomodocumque; utile eſſe, certis diebus abſtinere, parcere, pauperes adſimilare. Praexercitatio eſt ad veram inopiam, ſi ea venit. Clauſula ab Epicuro: Ira inſaniæ aſſidet.

1 DEcember eſt menſis, cum maxime civitas deſudat. Jus luxuriæ publicæ datum eſt: ingenti apparatu ſonant omnia: tanquam quidquam inter Saturnalia interſit,

10 *Saculum muta*] Id eſt, antiqua exempla reſpice, luxui propior es. *Quoniam quidem* (ut ipſe ad Helviam c. 22. ait) *eo temporum prolapſa luxuria eſt, ut majus viaticum exſulum ſit, quam olim patrimonium principum fuit.* Bene ergo de *Saculo*: ex quo qui *Sacculum* conſuerunt, inconcinni mihi ſartores. *Lipſius.*

11 *Reges Parthos*] Vide Ælianum 1 Var. Hiſt. c. 1. Et exempla in Oriente plura ſunt. inter ea & Magorum, in noſtris Sacris: qui Chriſtum adoraturi, munera obtulerunt. *Idem.*

EPIST. XVIII. 1 *December eſt*] Saturnalia tunc, Sigillaria, & ludi. Ego in Saturnalib. *Idem.*

Digitized by

fit, & dies rerum agendarum. Adeo nihil intereſt, ut non videatur mihi erraſſe, qui dixit, [2] olim menſem Decembrem fuiſſe, nunc annum. Si te hic haberem, libenter tecum conferrem quid exiſtimares eſſe faciendum, utrum nihil ex quotidiana conſuetudine movendum; an, ne diſſidere videremur cum publicis moribus, & hilarius cœnandum, & exuendam togam. Nam quod fieri niſi [3] in tumultu & triſti tempore civitatis non ſolebat, voluptatis cauſſa ac feſtorum dierum veſtem mutavimus. Si te bene novi, arbitri partibus functus, nec per omnia nos ſimiles eſſe [4] pileatæ turbæ voluiſſes, nec per omnia diſſimiles: niſi forte his maxime diebus animo imperandum eſt, ut tunc voluptatibus ſolus abſtineat, cum in illas omnis turba procubuit. Certiſſimum argumentum infirmitatis ſuæ capit, ſi ad blanda & in luxuriam trahentia [5] nec it, [6] nec abducitur. Hoc multo fortius eſt, ebrio ac vomitante populo, ſiccum ac ſobrium eſſe. illud temperatius, non excerpere ſe, nec inſigniri, nec miſceri omnibus: & eadem, ſed non eodem modo, facere. Licet enim ſine luxuria agere feſtum diem. Ceterum adeo mihi placet tentare animi tui firmitatem, ut ex præcepto magnorum virorum tibi quoque præcipiam: interponas aliquot dies, quibus contentus minimo ac viliſſimo cibo, dura atque horrida veſte, dicas tibi: Hoc eſt quod timebatur? In ipſa ſecuritate animus ad difficilia ſe præparet, & contra injurias fortunæ inter beneficia firmetur.

2 *Olim menſem*] Quiſquis ille, acute dixit: & pro luxu ejus ævi. Toto anno Saturnalia. *Lipſius.*

3 *In tumultu & triſti tempore*] Olim, cum ad Saga ibatur. Vide me 1 Saturn. cap. 2. *Idem.* Puta propter exercitus cladem, aut ſeditionem in urbe; aut ab Imperatoris primariæve alicujus perſonæ obitum, quod ipſum aſſerit quoque Plutarchus in Cæſ. & Cic. poſt Lucanum lib. 2. Pharſal.

—— *Plebeio tectus amictu,*
Omnis honos: nullos comitata eſt purpura faſces.

De hoc vide Fabrum lib. 2 Semeſtr. cap. 10.

4 *Pilleata turba*] Teneamus. nam pilleos Saturnalibus ſumebant. Ibidem docui. Quod alii, *pullata turba*, non habet hic locum, & contra libros eſt. *Lipſius.*

5 *Nec it*] Sponte. *Idem.*

6 *Nec abducitur*] Ab aliis, aut à turba. *Idem.*

Digitized by Google

tur. [7] Miles in media pace decurrit ſine ullo hoſte, [8] vallum jacit, & ſupervacuo labore laſſatur, ut ſufficere neceſſario poſſit. Quem in ipſa re trepidare nolueris, ante rem exerce. Hoc ſecuti ſunt, qui omnibus menſibus paupertatem imitati, prope ad inopiam acceſſerunt, ne unquam expaveſcerent, quod ſæpe didiciſſent. Non eſt nunc quod exiſtimes me ducere te [9] ad modicas cœnas & [10] pauperum cellas, & quidquid aliud eſt, per quod luxuria divitiarum tædio ludit. [11] Grabatus ille verus ſit, & ſagum, & [12] panis durus ac ſordidus. Hoc triduo & quatriduo fer, interdum pluribus diebus: ut non luſus ſit, [13] ſed experimentum. Tunc mihi crede, Lucili, exſultabis, [14] dupondio ſatur, & intel-

7 *Miles in media pace decurrit*] In armis per aliquot milliaria. exercitii genus. Vide Militiam noſtram l. 5. *Lipſ.* Facit huc omnino quod Tertullian. lib. ad Martyres c. 3 de militibus loquens: *Etiam in pace, labore & incommodis bellum pati jam ediſcunt, in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, &c.*

8 *Vallum jacit*] Et fert quoque, ut ibidem doctum. *Lipſius.*

9 *Ad modicas cœnas*] A Mureto eſt: at ego maluiſſem, *ad medicas cœnas*, ſobrias, & ſanitati factas. Sed non ita libri præeunt, qui *admoveas cœnas*; aut, *dicere moneas cœnas*, fere habent. Itaque ingenioſe (quomodo ille aliter?) Joſephus Scaliger, ut accepi: *ad monas cœnas* divinabat, id eſt μόνας κοινάς· ut alluſio ſit & argutatio in nominibus, cum *cœna* Latinis dicta, quaſi κοινὴ, communis cibatio: & μόνη opponatur, cum ſoli & ſeorſim dapem ſumunt. Sed nec Turnebi improbum, *ad Timoneas cœnas*. De Timone notum, qui homines fugiebat & oderat, & ſolitarius agebat victitabatque. Igitur in proverbio *Timonea cœna*, ſine convivio convivium. Vide Turnebum lib. 24. Adverſar. c. 33. *Idem.*

10 *Pauperum cellas*] Apparet igitur tunc quoque cœnaculis aut diætis abſtinuiſſe, & in ſervili aliqua & anguſta cella cœnaſſe. Horatius tangere videtur:

Mundæque, parvo ſub lare PAUPERUM,
Cœnæ, ſine aulæis & oſtro,
Sollicitam explicuere frontem.

Etſi ad alienas hoc ædes, & vere pauperum, magis ſit referre. De iſto autem divitum ritu, Seneca ad Helviam c. 12. vide. *Idem.*

11 *Grabatus ille verus*] Alii *ferus.* Teneamus editum: ſit vere *grabatus*, id eſt vilis & viliorum lectus: σκιμπόδιον. Idem.

12 *Panis durus*] Non recens, ſed ſiccus aut mucidus. *Idem.*

13 *Sed experimentum*] Præceptum toti huic rei in Epicteto ſimile, 3 Diſſert. 13. Μελέτησόν ποτε διαιτηθῆναι ὡς ἄῤῥωστος, ἵνα ποθ᾽ ὡς ὑγιαίνων διαιτηθῇς. ἀσίτησον, ὑδροπότησον, ἀπέχου ποτὲ παντάπασιν ὀρέξεως, ἵνα ποτὲ καὶ εὐλόγως ὀρεχθῇς· *Meditare aliquando & uſurpa vitæ rationem, tamquam infirmus, ut recte valere etiam poſſis. Abſtine à cibis, aquam pota, aliquando omnem appetitum cohibe, ut mox etiam recte & rationabiliter poſſis appetere.* Idem.

14 *Dupondio ſatur*] Duobus aſſibus. Recte ita Eraſmus, cum antea in ſcriptis, *diſpendio.* Idem.

15 *Ener-*

Digitized by Google

intelliges ad ſaturitatem non opus eſſe fortuna: hoc enim quod neceſſitati ſat eſt, debet etiam irata. Non eſt tamen quare tu multum tibi facere videaris: facies enim quod multa millia ſervorum, multa millia pauperum faciunt. Illo nomine te ſuſpice, quod facies non coactus. Tam facile erit tibi illud pati ſemper, quam aliquando experiri. [15] Exerceamur ad palum: & ne imparatos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, ſi ſcierimus quam non ſit grave pauperes eſſe. Certos habebat dies ille magiſter voluptatis Epicurus, quibus maligne famem exſtingueret: viſurus an aliquid deeſſet ex plena & conſummata voluptate, vel quantum deeſſet, & an dignum, quod quis magno labore penſaret. hoc certe in his epiſtolis ait, quas ſcripſit, [16] Charino magiſtratu, ad Polyænum. Et quidem gloriatur, [17] non toto aſſe ſe paſci: Metrodorum, qui nondum tantum profecerit, toto. [18] In hoc tu victu ſaturitatem putas eſſe? Et voluptas eſt. Voluptas autem, non illa levis & fugax, & ſubinde reficienda, ſed ſtabilis & certa. Non enim jucunda res eſt [19] aqua & polenta,

15 *Exerceamur ad palum*] Quod genus *palaria* dictum: nos in Militia, lib. 5. Hoc quoque Eraſmo inſcribatur: nam in libris, ad *paululum*. Lipſ. De ea exercitatione vide Vegetium lib. 1. c. 11. & ad eum Stewechius.

16 *Charino magiſtratu*] More Græco, Χαρίνου ἄρχοντος. Ita enim annum & tempus illi notabant, ut Romani per Conſules. Hoc Muretus. At libri plures, *magiſtratui*. Tum eſſet, ſcriptam epiſtolam nomine *Charini magiſtratus*, ad Polyænum. *Lipſius*.

17 *Non toto aſſe ſe*] Atqui *Timocrates ei objecit, quod minam cottidie in cibos ſumeret*: ſcriptum Laërtio, Epicuri amatori, & rejectum. Nam alii plures, *viliſſimis & ſimpliciſſimis cibis vixiſſe*. Invenio hæc ejus verba in Stobæo: Βρυάζω τῷ κατὰ τὸ σωμάτιον ἡδεῖ, ὕδατι καὶ ἄρτῳ χρώμενος. Καὶ προσπτύω ταῖς ἐκ πολυτελείας ἡδοναῖς, οὐ δι' αὐτάς, ἀλλὰ διὰ τὰ ἀκολουθοῦντα αὐταῖς δυσχερῆ· *Plenus ſum & diffluo voluptate corpuſculi, idque aqua & pane utens. Deſpuo autem ſumptuoſas voluptates, non ob ipſas, ſed incommoda quæ comitantur*. Idem.

18 *In hoc tu victu ſaturitatem non putas eſſe*] Et meus & omnes Gruteri cum Erf. & Heinſ. negandi particula carent. Idque multo elegantius. Ut plurimum concedas, inquit, dabis forſan hoc victu, & nihil ultra, poſſe famem pelli? Atqui ſcito non pelli tantum poſſe, ſed & jucunde pelli. *Gronovius*.

19 *Aqua & polenta*] Ipſa Epicuri verba, in epiſtola ad Menœceum: Καὶ μᾶζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδίδωσιν ἡδονήν, ἐπειδὰν ἐνδέων τις αὐτὰ προσενέγκηται· *Polenta & aqua ſummam voluptatem præbent, ſiquis illa indigens ſumit*. Adde infra epiſt. 110. *Lipſius*.

Digitized by Google

polenta, aut fruſtum hordeacei panis: ſed ſumma voluptas eſt, poſſe capere etiam ex his voluptatem, & ad id ſe reduxiſſe, quod eripere nulla fortunæ iniquitas poſſit. Liberaliora ſunt [20] alimenta carceris: ſepoſitos ad capitale ſupplicium, non tam anguſte, qui occiſurus eſt, paſcit. Quanta eſt animi magnitudo, ad id ſua ſponte deſcendere, quod [21] nec ad extrema quidem decretis timendum ſit? hoc eſt præoccupare tela fortunæ. Incipe ergo, mi Lucili, ſequi horum conſuetudinem, & aliquos dies deſtina, quibus ſecedas à tuis rebus, minimoque te facias familiarem. Incipe cum paupertate habere commercium.

Aude, hoſpes, contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo. ———

Nemo alius eſt Deo dignus, quam qui opes contempſit: [22] quarum poſſeſſione tibi non interdico: ſed efficere volo, ut illas intrepide poſſideas. quod uno conſequêris modo, ſi te etiam ſine illis beate victurum perſuaſeris tibi; ſi illas tanquam exituras ſemper adſpexeris. Sed jam incipiamus epiſtolam complicare. Prius, inquis, redde quod debes. [23] Delegabo tibi Epicurum: ab illo fiet numeratio.

Immo-

20 *Alimenta carceris*] Nam certus modiculſque cibus captivis, uti & ſervis: idque, quia in dies finitus, *diarium* dicebant. In Controverſiis Senecæ, lib. 9. *Cum introductus eſſet ex carcere in Senatum, poſtulaturus ut diaria acciperet.* Salluſtius in oratione Lepidi: *Quinis modiis libertatem omnium æſtimavere. qui profecto non amplius poſſunt alimentis carceris. Namque ut illis exiguitate mors prohibetur, ſeneſcunt vires: ſic neque abſolvi cura familiari tam parva re poſſis, & ignaviſſimi quique tenui iſta ſpe fruſtrantur.* Vides exigua fuiſſe hæc alimenta, & lege XII. tabul. *libram farris, in dies ſingulos.* Lipſius.

21 *Nec ad extrema quidem redactis*] Liber meus & meliores, *nec extremis quidem decretis.* Et germana hæc ſcriptio: valetque cum extrema decreta ſunt. *Idem.*

22 *Quarum poſſeſſione tibi non interdico*] Quinque Gruteri & mihi collatus cum Erf. & H. *poſſeſſionem.* Amplectitur Gruterus, neque ego rejiciam. Cornelius Nepos Hamilcare: *quod eorum moribus non poterat interdici ſocero gener.* M. Seneca Controv. 1. *nulli autem interdici miſericordiam.* Juſtinus lib. 5. *cui paullo ante omnem humanam opem interdixerant.* Idem lib. 16. *cui patriam interdixerant.* Noſter, ep. 65. *Interdices mihi inſpectionem rerum naturæ.* Sic ſcripti omnes & editi ante Muretum. Epiſt. 87. *Medicina & gubernatio non interdicit ſibi ac ſuis admixtionem talium rerum.* Gronovius.

23 *Delegabo tibi Epicurum*] Scripti fere, *Delegabo te ad Epicurum.* Utrovis modo, ad *delegationem* adſpectum, fori verbum: cum alium pro nobis debitorem, & vicarium, ſubſtituimus.

Digitized by Google

[24] Immodica ira gignit inſaniam. Hoc quam verum ſit, neceſſe eſt ſcias, cum habueris [25] & ſervum, & inimicum. In omnes perſonas hic exardeſcit affectus: tam ex amore naſcitur, quam ex odio: non minus inter ſeria, quam inter luſus & jocos. Nec intereſt, ex quam magna cauſſa naſcatur, ſed in qualem perveniat animum. Sic ignis non refert quam magnus, ſed quo incidat. nam etiam maximum ſolida non receperunt: rurſus arida, & corripi facilia, ſcintillam quoque fovent uſque in incendium. Ita eſt, mi Lucili, ingentis iræ exitus, furor eſt: & ideo ira vitanda eſt, non moderationis cauſſa, ſed ſanitatis.

EPIST. XIX.

Omittendas aut abjiciendas occupationes, & otium captandum, ſed otium, non latebras. Monet ab aula & ſplendore abire: quæ tumultus & fluctus ſuos habent. Clauſula ab eodem magiſtro: Vide quibuſcum menſa communices.

EXſulto quotiens epiſtolas tuas accipio. implent enim me bona ſpe: jam non promittunt de te, ſed ſpondent. Ita fac, oro atque obſecro: quid enim habeo melius, quod amicum rogem, quam quod [1] pro ipſo rogaturus ſum? ſi potes, ſubduc te iſtis occupationibus, ſi minus, eripe. Satis multum temporis ſparſimus, incipiamus in ſenectute [2] vaſa colligere. Nunquid invidioſum eſt? [3] in freto

mus. Vide de Benef. 6. c. 5. *Lipſius.*

24 *Immodica ira*] Imo *quidam e ſapientibus iram dixerunt brevem inſaniam.* Vide de Ira 1. c. 1. *Idem.*

25 *Et ſervum, & inimicum*] Suſpecta hæc Muretus habet: non ego. Sententia ſub Tiberio aliquo, aut tyrannis, vera & prompta. Servi accuſabant, calumniabantur in occulto: & credebatur. Hoc iniquiſſimum, & legibus vetitum, tamen illi admittebant: cum juſta & magna indignatione eorum, quibus eveniebat. Exempla in Tacito ſunt: & hic apparet, Lucilio idem eveniſſe, qui *inimicum* habuit, & quidem *ſervum.* Idem.

EPIST. XIX. 1 *Pro ipſo rogaturus*] Deos ſcilicet, in ejus bonum. *Idem.*

2 *Vaſa colligere*] Quod milites diſceſſuri, & caſtra mutaturi, faciunt. *Idem.*

3 *In freto*] Cui nomen à fervore: *quod in fretum*, ait Varro, *ſæpe concurrat æſtus, atque efferveſcat.* Idem.

to viximus, moriamur in portu. Neque ego ſuaſerim tibi nomen ex otio petere, quod nec jactare debes, nec abſcondere. Numquam enim uſque eo te abigam, generis humani [4] furore damnato: ut latebram tibi aliquam parari & oblivionem velim. id age, ut otium tuum non emineat, ſed appareat. Deinde videbunt de iſto, quibus integra ſunt [5] & prima conſilia: an velint vitam per obſcurum tranſmittere: tibi liberum non eſt. In medium te protulit ingenii vigor, ſcriptorum elegantia, claræ & nobiles amicitiæ. Tanta notitia te invaſit, [6] ut in extrema mergaris, ac penitus condaris, tamen priora te monſtrabunt. tenebras habere non potes: ſequetur priſtinæ lucis multum, quocumque fugeris. Quietem potes vindicare, ſine ullius odio, ſine deſiderio, aut morſu animi tui. Quid enim relinques, quod invitus relictum à te poſſis cogitare? clientes? quorum nemo te ipſum ſequitur, ſed aliquid ex te. Amicos? olim amicitia petebatur, nunc præda. Mutabunt teſtamenta deſtituti ſenes? migrabit ad aliud limen ſalutator? non poteſt parvo res magna conſtare. Æſtima utrum te relinquere, an aliquid ex tuis malis. Utinam tibi quidem ſeneſcere contigiſſet intra natalium tuorum modum, nec te in altum fortuna miſiſſet! Tulit te longe à conſpectu vitæ ſalubris rapida felicitas, provincia & procuratio, & quidquid ab iſtis promittitur: majora deinde officia te excipient, & ex aliis alia. Quis exitus erit? quid exſpectas, [7] donec deſinas? habere, quod cupias? Nunquam erit tempus.

4 *Furore damnato*] Ut Timon ille Miſanthropus, & plures fecere. *Lipſ.*

5 *Et propria conſilia*] Bene in meo, *& prima.* qui nondum ſcilicet genus vitæ ingreſſi, quibus omnia libera. *Idem.*

6 *Ut ſi in extrema mergaris*] Sic ex tribus Pall. Lipſius. Antea erat: *licet in extrema.* Eraſmus, *ut licet in.* Quæ omnia ſcholion admiſerunt. Verum eſt in duobus Pall. quatuor Gall. & meo atque Erf. *ut in extrema.* Nam ipſa particula *Ut* ſignificat idem quod Licet. Sic epiſt. 13. *Ecce hic ultimus dies: ut non ſit, prope ab ultimo eſt.* Hac ep. 19. *Ut ſe res habet, ab Epicuro verſura facienda eſt.* Ubi fruſtra Gruterus: geminaverim voculam: *utut ſe res habet:* ſic certe loquimur: immo ſic loqui debemus. Non enim neceſſarium eſt. *Gronovius.*

7 *Donec deſinas? habere*] Juncta malim legi, *deſinas habere, quod cupias?* Ita plenus opum honorumque ſis, ut

Digitized by Google

tempus. Qualem dicimus eſſe ſeriem cauſſarum, ex quibus nectitur fatum, talem & cupiditatum: altera ex fine alterius naſcitur. In eam demiſſus es vitam, quæ nunquam tibi miſeriarum terminum ac ſervitutis ipſa factura ſit. Subduc cervicem jugo tritam. ſemel illam incidi, quam ſemper premi, ſatius eſt. Si te ad privata retuleris, minora erunt omnia, ſed affatim implebunt: at nunc plurima & undique ingeſta non ſatiant. Utrum autem mavis, ex inopia ſaturitatem, an in copia famem? Et avida felicitas eſt, & alienæ aviditati expoſita. Quamdiu tibi ſatis nihil fuerit, [8] ipſe aliis non eris. Quomodo, inquis, exibo? utcumque. Cogita quam multa temere pro pecunia, quam multa laborioſe pro honore tentaveris: aliquid & pro otio audendum eſt, aut in iſta ſolicitudine procurationum, & deinde urbanorum officiorum, ſeneſcendum in tumultu, ac ſemper novis fluctibus, quos effugere nulla modeſtia, nulla vitæ quiete contingit. Quid enim ad rem pertinet, an tu quieſcere velis? fortuna tua non vult. Quid ſi illi etiam nunc permiſeris creſcere? quantum [9] ad ſucceſſum acceſſerit, accedet ad metum. Volo tibi hoc loco referre dictum Mæcenatis. [10] vera in ipſo eculeo docuit. Ipſa enim altitudo [11] attonat ſumma. Si quæris, in quo libro dixerit, in eo qui Prometheus inſcribitur. hoc voluit dicere, attonita habet ſumma. Eſt ergo tanti ulla potentia, ut ſit tibi [12] tam ebrius ſermo? Ingenioſus vir ille fuit, magnum exemplum Romanæ

ut non habeas ultra quod cupias. *Lipſius*.

8 *Ipſe aliis non eris*] Non ſufficies aliis. tu petes, & à te alii aſſidue petent: quod ſemper in iſtis potentibus. *Idem*.

9 *Ad ſucceſſum*] Ambigat aliquis, an non *ſuggeſtum*. nam præivit, *creſcere*. Idem.

10 *Vera in ipſo eculeo*] Placeat quorumdam librorum ſcriptio: *Mæcenatis, vera in ipſo eculeo elocuti*. Quomodo autem in *eculeo*? id eſt, dignitate & aula, ubi aſſidua tormenta. Omnia potuit apud Auguſtum: nihil ei defuit, præter hoc, quieſcere & ſecurum eſſe. *Idem*.

11 *Attonat ſumma*] Percutit, & velut tonitru quatit. Ovidius:

——— Faunique bicornes
Numine contactas attonuere ſuo. Idem.

12 *Tam ebrius ſermo*] Non hic nimis, meo judicio, ſed & alibi Mæcenatem hujus culpæ arguit, & calamiſtrati ut ſic dicam, ſermonis. Vide epiſt. 114. *Idem*.

Digitized by Google

manæ eloquentiæ daturus, niſi illum [13] enervaſſet felicitas, imo caſtraſſet. Hic te exitus manet, niſi jam contrahas vela, niſi (quod ille [14] ſero voluit) terram leges. Poteram tecum & hac Mæcenatis ſententia parem facere rationem: ſed movebis mihi controverſiam, ſi te novi, nec voles quod debeo, niſi [15] in aſpero & probo accipere. Ut ſe res habet, ab Epicuro verſura facienda eſt. Ante, inquit, circumſpiciendum eſt, cum quibus edas & bibas, quam quid edas & bibas. Nam [16] ſine amico viſceratio, leonis ac lupi vita eſt. Hoc non continget tibi, niſi ſeceſſeris: alioquin habebis convivas, quos [17] ex turba ſalutantium nomenclator digeſſerit. Errat autem qui [18] amicum in atrio quærit, in convivio

13 *Enervaſſet felicitas*] In epiſt. 92. Habuit (Mæcenas) *grande & virile ingenium, niſi ipſe illud diſcinxiſſet*. Lipſius.

14 *Sero voluit*] Cum in frigore apud Auguſtum eſſet: cum uxor ejus Terentia ſupra ipſum amata. *Idem.*

15 *In aſpero & probo*] Muretus ſic edidit, & interpretatur: Aſperos nummos, recentes eſſe: veteres enim longo uſu ſolere deteri. Urbane igitur dictum Mæcenatis, quaſi talem nummum eſſe ait: quem tamen non ſperat fore, ut Lucilius in ſolutum accipiat, ſed vetuſtiorem poſcat. Ego Hadriano Turnebo, imo ante eum Eraſmo, ſubſcripſerim legentibus: *Nec voles quod debeo, niſi in aſpero & probo accipere.* Voles, inquit, probam aſperamque philoſophiæ aliquam ſententiam, non mollem & fugientem hanc Mæcenatis. De aſpero nummo multi dixerunt, capiuntque novum, non detritum. Ego vel de veteri magis acceperim (ii enim probiores) ſed in theſauris aſſervato & integro; vel de puri candidique argenti nummo, & cui minima mixtura æris aut plumbi, exque eo decoloratio. Certe in Gloſſis priſcis, δηνάριον λευκὸν, *aſperum* interpretatur: id eſt, *nummus albus*. Iterumque, *aſpritudo, candor*. Ita apud Nicetam, ἀσπρίζειν, eſt τὸ λευκαίνεσθαι· & hodieque apud Turcas, *aſpri*, nummuli ex argento. *Idem.*

16 *Sine amico viſceratio*] Viſceratio, epulum cum carne. Vide ep. 73. Damnat igitur μονοφαγίαν, *ſolitariam vitam & victum*, quam & Græci pro convicio objiciebant. Alexis:

Ἔῤῥ' ἐς κόρακας μονοφάγε καὶ τοιχωρύχε·
Abi in malam rem ſoli-epulo, & effractarie.

Pulcherrime autem ille, quiſquis fuit, apud Romanos: *qui quo die ſolus cœnaſſet, dixit*, Βεβρωκέναι, μὴ δεδειπνηκέναι. ὡς τοῦ δείπνου κοινωνίαν καὶ φιλοφροσύνην ἡδυσμάτων ἀεὶ ποθοῦντος· *Ediſſe ſe, non cœnaſſe. tamquam cœna communionem ſemper & oblectantem requirat familiaritatem.* Hæc Plutarchus Quæſt. Convival. 7. in proloquio. Et res ita eſt, optimeque Latinis convivium: iiſdemque *cœna*, quaſi κοινὴ. Idem.

17 *Ex turba ſalutantium*] Quibus cœna, officiorum velut merces. Apparet autem à Nomenclatore, qui obſervabat, electos & vocatori indicatos vel officioſos maxime, vel quorum ordo jam eſſet. *Idem.*

18 *Amicum in atrio*] Ubi ſalutationes. Adde pro ſententia, de Beneſ. 6. c. 34. *Idem.*

19 *Bonis*

vivio probat. Nullum habet majus malum occupatus homo, & [19] bonis ſuis obſeſſus, quam quod amicos ſibi putat, quibus ipſe non eſt: quod beneficia ſua efficacia judicat ad conciliandos amicos, cum quidam, quo plus debent, magis oderint. Leve æs alienum debitorem facit, [20] grave inimicum. Quid ergo? beneficia non parant amicitias? parant, ſi accepturos licuit eligere; [21] ſi collata, non ſparſa ſunt. Itaque dum incipis eſſe mentis tuæ, interim hoc conſilio ſapientum utere, ut magis ad rem exiſtimes pertinere, [22] quis, quam quid acceperit.

EPIST. XX.

Philoſophiam in factis, non verbis eſſe: itaque ad illa eundum. Et conſtanter eundum. nam Sapientia, eſt convenientia, & tenor unus voluntatum, ac vitæ. Paupertas etiam non timenda & divitiæ, ſi aſſint non amandæ. Iterum monitio, pauperem certis diebus agere, & imitari.

SI vales, & te dignum putas qui aliquando fias tuus, gaudeo. mea enim gloria erit, ſi te iſtinc, ubi ſine ſpe exeundi fluctuaris, extraxero. Illud autem, mi Lucili, te rogo atque hortor, ut philoſophiam in præcordia ima demittas, & experimentum tui profectus capias, non oratione, nec ſcripto: ſed animi firmitate, & cupiditatum deminutione. Verba rebus proba. Aliud propoſitum eſt declamantibus, & aſſenſionem coronæ captantibus, aliud his qui juvenum & otioſorum aures diſputatione varia aut volubili detinent. [1] Facere docet philoſophia, non dicere: & hoc

19 *Bonis ſuis obſeſſus*] Quæ non habet, ſed à quibus habetur, & velut cingitur clauditurque. *Lipſius.*

20 *Grave inimicum*] Et idem in beneficiis, *quæ usque eo læta ſunt, donec exſolvi poſſe videantur; ſupra, odium pro gratia redditur.* Tacitus alibi, & Seneca. *Idem.*

21 *Si collata*] Judicio donata, etſi quidam libri, *collocata*: bene etiam pro hoc ſenſu. *Idem.*

22 *Quis, quam quid*] Non quantum, ſed cui dones. *Idem.*

EPIST. XX. 1 *Facere docet philoſophia*] In totam hanc rem præclara Epictetus 3. Diſſert. c. 21. *Sicut ii,* inquit, *qui à ſtomacho laborant, cibum ſtatim ejiciunt: ſic qui præcepta nuda acceperunt,*

Digitized by Google

hoc exigit, ut ad legem ſuam quiſque vivat, ne orationi vita diſſentiat, ut ipſa inter ſe vita unius, ſine actionum diſſenſione, coloris ſit. Maximum hoc eſt & officium ſapientiæ, & indicium, ut verbis opera concordent, ut & ipſe ubique par ſibi idemque ſit. Quis hoc præſtabit? pauci, aliqui tamen. Eſt difficile hoc: [2] nec dico ſapientem ſemper uno iturum gradu, ſed una via. Obſerva itaque, nunquid veſtis tua domuſque diſſentiant: nunquid in te liberalis ſis, in tuos ſordidus: nunquid cœnes frugaliter, ædifices luxurioſe. Unam ſemel, ad quam vivas, regulam prende, & ad hanc omnem vitam tuam exæqua. Quidam ſe domi contrahunt, dilatant foris & extendunt. Vitium eſt hæc diverſitas, & ſignum vacillantis animi, ac nondum habentis tenorem ſuum. Etiamnum dicam unde ſit iſta inconſtantia, & diſſimilitudo rerum conſiliorumque. Nemo proponit ſibi quid velit, nec ſi propoſuit, perſeverat in eo, ſed tranſilit: nec tantum mutat, ſed redit, & in ea quæ deſeruit ac damnavit, revolvitur. Itaque ut relinquam definitiones ſapientiæ veteres, & totum complectar humanæ vitæ modum, hac poſſum contentus eſſe: Quid eſt ſapientia? Semper [3] idem velle atque idem nolle. Licet illam

perunt, ſermone effundunt. At conceque potius, in ſuccum verte, & mutationem in mente factam oſtende. Ecce faber, qui peritus artis eſt, non obambulat clamitans, Audite me differentem de re fabrili: ſed tacitus domum & tabernam conducit, inſtruit, & operibus oſtendit ſe peritum. Tale tu fac, ede, bibe, ut decet: matrimonium contrahe, liberos gigne, rempublicam gere, convicium tolera, fer patrem, fratrem, vicinum iniquum: & talia nobis oſtende, ut vere te philoſophum cognoſcamus. Vide pluria. *Lipſius.*

2 *Nec dico ſapientem ſemper*] Mss. plerique: *difficile eſt hoc: nec hoc dico.* Eſtque etiam in Pal. pr. ac quart. *nec hoc dicas.* Forte: *Difficile hoc eſt, nec hic dico.* Sic Gruterus. Cenſeo illibatam retinendam mss. lectionem, *nec hoc dico, ſapientem ſemper uno iturum gradu.* Eſt enim pleonaſmus pronominis, uſitatus antiquis. Epiſt. 66. *Hoc nobis perſuadere conaris, nihil intereſſe,* &c. Epiſt. 91. *Quis hoc credat ubique armis quieſcentibus, cum toto orbe terrarum diffuſa ſecuritas ſit, Lugdunum, quod oſtendebatur in Gallia, quæri?* Sic enim legendum ex Pinciani, duobus Pall. & meo libris: non *quæritur.* Uſurpat & Cicero, ut alibi ad ejus lucem notamus. Lib. 2 Natur. Quæſt. 26. *Nec hoc dico, non contraria inter ſe iſta eſſe & alterum altero perimi.* Gronovius.

3 *Idem velle atque*] Hæc eſt Zenonis *ὁμολογία*, ſive *convenientia*, finis philoſophiæ. De qua ego ubertim 2 Manud. Diſſert. 15. *Lipſius.*

4 *Solus*

Digitized by Google

lam exceptiunculam non adjicias, ut rectum ſit quod velis. Non poteſt cuiquam ſemper idem placere, niſi rectum. Neſciunt ergo homines quid velint, niſi illo momento, quo volunt. in totum, nulli velle, aut nolle decretum eſt. Variatur quotidie judicium, & in contrarium vertitur: ac pleriſque agitur vita per luſum. Preme ergo quod cœpiſti: & fortaſſe perduceris aut ad ſummum, aut eo quod ſummum nondum eſſe [4] ſolus intelligas. Quid fiet, inquis, [5] huic turbæ familiari? Turba iſta cum à te paſci deſierit, ipſa ſe paſcet: aut quod tu beneficio tuo non potes ſcire, paupertatis ſcies. Illa veros certoſque amicos retinebit: diſcedet quiſquis non te, ſed aliud ſequebatur. Non eſt autem vel ob hoc unum amanda paupertas, quòd, à quibus ameris, oſtendit? O quando ille veniet dies, quo nemo in honorem tuum mentiatur? Huc ergo cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remiſſurus, ut contentus ſis temetipſo & ex te naſcentibus bonis. Quæ poteſt eſſe felicitas Deo propior? Redige te ad parva, ex quibus cadere non poſſis: idque ut libentius facias, ad hoc pertinebit tributum epiſtolæ hujus, quod ſtatim conferam. Invideas licet: etiam nunc libenter pro me dependet Epicurus. [6] Magnificentior (mihi crede) ſermo tuus in grabato videbitur & in panno. non enim dicentur tantum illa, ſed probabuntur. Ego certe aliter audio quæ dicit [7] Demetrius noſter, cum illum vidi nudum, [8] quanto minus quam ſtramentis incubantem? non præceptor veri, ſed

4 *Solus intelligas*] Qui ſolus te noſti, & veram Sapientiam jam noſti. *Lipſius.*

5 *Huic turba familiarium*] Sequendos eſſe libros; qui habent, *familiari*, diximus ad 2 de Ira, 8. *Gronovius.*

6 *Magnificentior, mihi crede*] An hæc igitur verba Epicuri ſunt? debent, niſi defectus aliquis ſit: quod mihi videtur. Atque hæc Senecæ magis ſunt, poſt illa Epicuri, quæ deſiunt. *Lipſius.*

7 *Demetrius noſter*] Ille nobilis tunc Cynicus, de quo alibi noſter, & de hac ejus paupertate, de Vit. Beat. cap. 18. *Idem.*

8 *Quanto minus quam ſtramentis*] Significat tomento Circenſi incubuiſſe, fracto, & ſtramento diffluente. Plinius lib. 18. de veteribus Romanis: *Quies ſomnuſque in ſtramentis erat.* Lib. 30. *Tomenta Galliarum inventum. Italia quidem mos etiamnunc durat in appellatione ſtramenti.* Gloſſæ: *Stramentum,* στιβάδες, χορτὸς ξηρὸς Idem.

9 In

ſed teſtis eſt. Quid ergo? non licet divitias [9] in ſinu poſitas contemnere? Quid ni liceat? & ille ingentis animi eſt, qui illas circumfuſas ſibi multum diuque miratus, [10] quod ad ſe venerint, ridet, ſuaſque audit magis eſſe quam ſentit. Multum eſt, non corrumpi divitiarum contubernio. Magnus eſt ille qui in divitiis pauper eſt: ſed ſecurior, qui caret divitiis. Neſcio, inquis, quomodo iſte paupertatem laturus ſit, ſi in illam inciderit. Nec ego [11] Epicuri angelus ſcio, an pauper iſte contemturus ſit divitias, ſi in illas inciderit. Itaque in utroque mens æſtimanda eſt, inſpiciendumque, an ille paupertati indulgeat, an hic divitiis non indulgeat. Alioquin leve argumentum eſt bonæ voluntatis grabatus, aut pannus, niſi apparuit aliquem illa non neceſſitate pati, ſed malle. Ceterum magnæ indolis eſt, ad iſta non properare tanquam ad meliora, ſed præparari tanquam ad facilia. Et ſunt, Lucili, facilia. cum vero multo ante meditatus acceſſeris, jucunda quoque. Ineſt enim illis, ſine qua nihil eſt jucundum, ſecuritas. Neceſſarium ergo judico id, quod tibi ſcripſi magnos viros ſæpe feciſſe, aliquos dies interponere, quibus nos imaginaria paupertate exerceamus ad veram: quod eo magis faciendum eſt, quod deliciis permaduimus, & omnia dura ac difficilia judicamus. [12] Potius excitandus è ſomno, & vellicandus eſt animus, admonenduſque naturam nobis minimum conſtituiſſe. Nemo naſcitur dives. quiſquis exit in lucem, juſſus

9 *In ſinu poſitas*] In quem aurum recipi ſolet, & condi. Poteſt & proverbialiter intelligi, domi & in occulto poſitas. *Lipſius.*

10 *Quod ad ſe venerint*] Non cupientem, non æſtimantem. At meo eſt, *venerit*. ex quo legi poſſit, *cum ad ſe venerit*. Aliquis etiam, inquit, diu eas in pretio habuit: ſed bonæ jam mentis & ſanus, ridet & ſpernit. *Idem.*

11 *Epicuri angelus*] Alii libri, *angulus*, quidam *æmulus*. Sed quocumque verba ea verſo, nec bona video, nec facio. Aſſentior Pinciano è ſuis legenti: *Neſcio, inquit Epicurus, an pauper*. Tu ais, neſcire quomodo dives ille paupertatem feret? nec ego, ait Epicurus, quomodo pauper tuus divitias, ſi obveniant. Mens eſt, quæ de utroque decernat. *Idem.*

12 *Potius excitandus*] Placeret, *ocius*. Idem.

13 *Lacte*

juſſus eſt [13] lacte & panno eſſe contentus. ab his initiis nos regna non capiunt.

Epist. XXI.

Verum ſplendorem à Philoſophia, non ab honoribus aut titulis eſſe. Dare illam nomen manſurum & famam, habenti; & adhærenti quoque. Emblema ab Epicuro: Ut divitias augeas, cupiditates minue.

CUm iſtis negotium tibi eſſe judicas, de quibus ſcripſeras? maximum negotium tecum habes: tu tibi moleſtus es. Quid velis, neſcis: melius probas honeſta, quam ſequeris. vides ubi ſit poſita felicitas, ſed ad illam pervenire non audes. Quid ſit autem quod te impediat, quia parum ipſe diſpicis, dicam. Magna hæc eſſe exiſtimas, quæ relicturus es: & cum propoſuiſti tibi illam ſecuritatem, ad quam tranſiturus es, retinet te hujus vitæ, à qua receſſurus es, fulgor, tanquam in ſordida & obſcura caſurum. Erras, Lucili: ex hac vita ad illam aſcenditur. Quod intereſt inter ſplendorem & lucem, cum hæc certam originem habeat ac ſuam, ille niteat alieno: hoc inter hanc vitam, & illam. Hæc, quia fulgore extrinſecus veniente percuſſa eſt, craſſam illi ſtatim umbram faciet quiſquis obſtiterit: illa ſuo lumine illuſtris eſt. Studia te tua clarum & nobilem efficient. Exemplum Epicuri referam. cum [1] Idomeneo ſcriberet, & illum à vita ſpecioſa ad fidelem ſtabilemque gloriam revocaret, [2] rigidæ tunc potentiæ miniſtrum,

13 *Lacte & panno*] Simplici cibo, ſimplici tegmine. Nec *pane* tamen ſpreverim, de grandiori jam ætate. *Lipſius.*

Epist. XXI. 1 *Idomeneo ſcriberet*] Cui adulatum etiam eſſe, & *identidem per epiſtolas laudaſſe*, objicitur apud Laërtium, in vita Epicuri, initio. Idem in Athenæi lib. 7. ὅτι τ γαστρὸς ἕνεκεν ἐκολάκευε καὶ Ἰδομενέα καὶ Μητρό-δωρον *quod ventris cauſſa bonus vir ille* (Epicurus) *adulatus ſit & Idomeneum & Metrodorum.* Idem.

2 *Rigidæ tunc potentiæ*] Jam olim emendabam, *regiæ:* & teneo. Fuit miniſter vel Lyſimachi, vel alterius tunc regis. Sic noſter iterum loquitur, de Benef. 2. c. 5. *Quales regiæ potentiæ miniſtri ſunt.* Idem.

3 *Inci-*

niſtrum, & magna tractantem: Si gloria, inquit, tangeris, notiorem te epiſtolæ meæ facient, quam omnia iſta quæ colis, & propter quæ coleris. Nunquid ergo mentitus eſt? quis Idomenea noſſet, niſi Epicurus illum ſuis litteris [3] incidiſſet? [4] Omnes illos megiſtanas & ſatrapas, & regem ipſum, ex quo Idomenei titulus petebatur, oblivio alta ſuppreſſit. Nomen Attici perire Ciceronis epiſtolæ non ſinunt. nihil illi profuiſſet [5] gener Agrippa, & [6] Tiberius progener, & [7] Druſus Cæſar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, niſi Cicero illum [8] applicuiſſet. Profunda ſupra nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput exſerent, & in idem quandoque ſilentium abitura oblivioni reſiſtent, ac ſe diu vindicabunt. Quod Epicurus amico ſuo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili. Habebo apud poſteros gratiam; [9] poſſum mecum duratura nomina educere. Virgilius noſter duobus memoriam æternam promiſit, & præſtat:

Fortunati ambo, ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo:
Dum domus Æneæ Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Quoſcumque in medium fortuna protulit, quicumque membra ac partes alienæ potentiæ fuerant, horum gratia viguit, domus frequentata eſt, dum ipſi ſteterunt: poſt ipſos

3 *Incidiſſet*] Tamquam in adamante aut ære. At libri plerique, *indidiſſet*: verius. *Lipſius.*

4 *Omnes illos megiſtanas*] Magnates. Suidas: *Μεγιστᾶνες, οἱ τοῦ βασιλέως περίβλεπτοι ὑπ' ἐξουσίᾳ· Megiſtanes, conſpicui apud Regem, ob potentiam.* At Satrapæ, proprie regionum Præfecti. *Idem.* Megiſtanes Græcis ſunt viri ſummi ac proceres cujuſque regni, quibus permiſſum ut cum regibus epularentur: quo vocabulo etiam uſus Tacitus & Suetonius c. 5. Caligulæ.

5 *Gener Agrippa*] Qui Pomponiam ejus filiam duxit. *Lipſius.*

6 *Tiberius progener*] Qui Agrippinam, ejus neptem. Cornelius Nepos in vita Attici, & Suetonius in Tiberio, c. 7. *Idem.*

7 *Druſus Cæſar pronepos*] Nempe Tiberii filius, Ibidem Suetonius. *Idem.*

8 *Applicuiſſet*] Sibi & famæ ſuæ junxiſſet, inſeruiſſet. Muretus, præter omnes libros, *aperuiſſet*: temere. *Idem.*

9 *Poſſum mecum*] Potes ô noſter, & Fama tua ac tuorum, quamdiu Romanæ litteræ, manebit. *Idem.*

ipſos cito memoria defecit. Ingeniorum creſcit dignatio: [10] nec ipſis tantum honor habetur, ſed quidquid illorum memoriæ adhæſit, excipitur. Ne gratis Idomeneus in epiſtolam meam venerit, ipſe eam de ſuo redimet. Ad hunc Epicurus illam nobilem ſententiam ſcripſit, qua hortatur ut Pythoclea locupletem non publica, nec ancipiti via faciat. [11] Si vis, inquit, Pythoclea divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum eſt. Et apertior iſta ſententia eſt, quam ut interpretanda ſit; & diſertior quam ut adjuvanda. Hoc unum te admoneo, ne iſtud tantum exiſtimes de divitiis dictum: quocumque transtuleris, idem poterit. Si vis Pythoclea honeſtum facere, non honoribus adjiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea eſſe in perpetua voluptate, non voluptatibus adjiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea ſenem facere, & implere vitam, non annis adjiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum. Has voces non eſt quod Epicuri eſſe judices; publicæ ſunt. Quod fieri in ſenatu ſolet, faciendum ego in philoſophia quoque exiſtimo. cum cenſuit aliquis, quod ex

10 *Nec ipſis tantum habetur*] Lego, *favetur*, inquit Lipſius. Librariorum erratum decepit ſummum virum. Nam priores editiones: *nec ipſis tantum honor habetur.* Idque integrum erat in membranis, quas contulimus, & Erf. Ad Helviam c. 13. *ignominia illis pratura & conſulatus fuit, quibus ex Catone honor habebatur.* Gronov.

11 *Si vis Pythoclea*] Verba ipſa in Stobæi Serm. 17. ſic exſtant: *Εἰ βούλῃ πλούσιόν τινα ποιῆσαι, μὴ χρημάτων προστίθει, τῆς δὲ ἐπιθυμίας ἀφαίρει· Si vis divitem aliquem facere, non pecunia adjice, ſed cupiditatibus detrahe.* Mutavit Stobæus dictiunculam, & τινὰ ſcripſit, pro Πυθοκλέα. Fuit iſte Pythocles formoſus adoleſcens, & in quo male Epicurus audivit. quod præter Laërtium, tangit Plutarchus adverſus Colotem. Damnat enim Epicurum, qui *adoleſcentem octodecim annos natum, ita eximie laudaverit, ut ſcriberet,* Οὐκ εἶναι φύσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἑλλάδι ἀμείνω· *Non eſſe indolem in tota Gracia meliorem.* Sed quod ad ſententiam, aurea eſt. quam Plato ſibi velit inſcribi, ſi vere Stobæus Serm. 10. Πλάτων πρὸς τὸν ἀεὶ ζητοῦντα χρηματίζεσθαι· Ὦ πονηρὲ, εἶπε, μὴ πειρῶ τὴν κτῆσιν αὔξειν, ἀλλὰ τὴν ἐπιθυμίαν μειοῦν· *Plato cuidam rei augenda ſemper cupido, O improbe, inquit, ne ſtude poſſeſſiones augere, ſed cupiditates minuere.* Neque diſſonat illud Socratis: qui interrogatus, Πῶς ἂν γένοιτό τις πλούσιος; Εἰ τῶν ἐπιθυμιῶν, ἔφη, πένης· *Quomodo quis dives fieret? Si cupidinum, inquit, inops.* Quod alibi tamen Cleanthi video adſcriptum. *Lipſius.*

12 *Jubeo*

Digitized by Google

ex parte mihi placeat: [12] Jubeo illum dividere ſententiam, [13] & ſequor. Eo libentius Epicuri egregia dicta commemoro, ut iſtis, qui ad illa confugient, ſpe mala inducti, qui [14] velamentum ſeipſos ſuorum vitiorum habituros exiſtimant, probem, quocumque ierint, honeſte eſſe vivendum. Cum adierint hos hortulos, & inſcriptum hortulis, Hoſpes hic bene manebis, hic ſummum bonum voluptas eſt: paratus erit iſtius domicilii cuſtos, hoſpitalis, humanus, & te polenta excipiet, & aquam quoque large miniſtrabit. & dicet: Ecquid bene acceptus es? Non irritant, inquam, hi hortuli famem, ſed extinguunt: nec majorem ipſis potionibus ſitim faciunt, ſed naturali & gratuito remedio ſedant. In hac voluptate conſenui. de his tecum deſideriis loquor, quæ [15] conſolationem non recipiunt, quibus dandum eſt aliquid ut deſinant. Nam de illis extraordinariis quæ licet differre, licet caſtigare & opprimere, hoc unum commonefaciam; Iſta voluptas [16] naturalis eſt, non neceſſaria: huic nihil debes. ſi quid impendis, voluntarium

12 *Jubeo illum dividere ſententiam*] De Vita Beata, c. 3. *Idem.* Quoties ſententia ſua duas pluresve res quis complectebatur, eæ ſi non omnes probarentur; poſtulabatur ut divideret, id eſt, ut de ſingulis rebus referretur. meminit iterum hujus moris noſter lib. de Vita Beata. Briſſonius 2 de Form. & Stephanus lib. 2 Prood. cap. 11.

13 *Et ſequor*] Nempe ſic diviſam, unam ejus partem. *Lipſius.*

14 *Velamentum ſeipſos*] Meus & quidam, *velamenta ipſa*: recte. aut clarius, *velamentum ipſa.* nempe illa, *dicta.* Idem.

15 *Conſolationem*] Id eſt, quæ verbis non lenias. qualia ſunt, naturalia & neceſſaria deſideria: quæ re explere debeas, ſed facili & parata. *Idem.*

16 *Non naturalis eſt*] Abeſt negatio à ſcriptis: & poteſt, aut fortaſſe debet. Nam Epicurus *dividebat cupiditatum genera*, (ait Cicero 5 Tuſc.) *non nimis fortaſſe ſubtiliter, utiliter tamen; partim eſſe naturales, & neceſſarias; partim naturales, & non neceſſarias; partim neutram. Naturales, ſatiari pane nihilo; nec ſecundum genus, difficile ad potiendum; tertias, plane inanes, & ejiciendas funditus putavit.* Eadem diviſio in Nemeſio, de Anima, c. 18. qui *voluptates triplices* ita facit. *Naturales ac neceſſarias eſſe, ſine quibus vita non conſtat: ut alimenta, & veſtes. Naturales autem non neceſſarias, quæ natura & lege honeſta ſunt, ſed carere iis licet. ut eſt conjugalis concubitus: poſſum enim caſtus permanere. Neque neceſſarias, neque naturales: ut ebrietas, petulantia, luxus.* Addit vir ille ſanctus: *Qui convenienter Deo vult vivere, primas ſolas perſequetur: qui in ſecunda claſſe, poteſt & alteras, ſed modo & tempore: tertia autem omnino omnibus fugienda ſunt.* Iſta hic & alibi Senecæ lucem donent. *Idem.*

17 *Tra-*

rium eſt. Venter [17] præcepta non audit, [18] poſcit, appellat. non eſt tamen moleſtus creditor, parvo dimittitur: ſi modo das illi [19] quod debes, non [20] quod potes.

Epist. XXII.

Fortiter exeundum eſſe ab occupationibus, & ſolvendos laqueos aut rumpendos. Sed tamen opportunitas & εὐκαιρία exſpectetur: nec elabatur. Spernit deinde & abjicit ſplendores iſtos Falſos. Tum ab Epicuro ſententia: Omnes exire pueros è vita: id eſt, veræ ejus ignaros.

JAm intelligas educendum eſſe te ex iſtis occupationibus, ſpecioſis & malis: ſed quomodo id conſequi poſſis, quæris. Quædam non niſi à præſente monſtrantur. Non poteſt medicus per epiſtolas cibi, aut balnei, tempus eligere: vena tangenda eſt. Vetus proverbium eſt, Gladiatorem in arena capere conſilium. Aliquid adverſarii vultus, aliquid manus mota, aliquid ipſa inclinatio corporis, intuentem monet. Quid fieri ſoleat, quid oporteat, in univerſum & mandari poteſt, & ſcribi: tale conſilium non tantum abſentibus, ſed etiam poſteris datur. illud alterum quando fieri debeat, aut quemadmodum, ex longinquo nemo ſuadebit: cum rebus ipſis deliberandum eſt. Non tantum præſentis, ſed vigilantis eſt, occaſionem obſervare properantem. Itaque hanc circumſpice: hanc ſi videris, prende: & toto impetu, totis viribus id age, ut te iſtis officiis exuas. Et quidem quam ſententiam feram, attende. Cenſeo, aut ex iſta vita tibi, aut è vita exeundum. Sed illud

17 *Præcepta non audit*] Cato apud Agellium: *Arduum ad ventrem verba facere, qui careat auribus.* Lipſius.

18 *Poſcit, appellat*] Impudens & moleſtus creditor. Homerus:

Οὐ γάρ τι ςυγερῇ ἐπὶ γαςέρι κύντερον ἄλλο
Ἔπλετο, ἥ τ' ἐκέλευσεν ἕο μνήσασθαι ἀνάγκῃ.

Non eſt improbior res altera ventre moleſto,
Quique ſui invitos etiam memores jubet eſſe. Idem.

19 *Quod debes*] Simplex aliquid. *Idem.*

20 *Quod potes*] Lautum aut affluens, ſi tu ipſe talis. *Idem.*

lud idem exiſtimo, leni eundum via: ut quod male implicuiſti, ſolvas potius quam abrumpas. dummodo, ſi alia ſolvendi ratio non erit, vel abrumpas. Nemo tam timidus eſt, ut malit [1] ſemper pendere, quam ſemel cadere. Interim, quod primum eſt, impedire te noli, contentus eſto negotiis, in quæ deſcendiſti, [2] vel quod videri mavis, incidiſti. Non eſt quod ad ulteriora nitaris. aut perdes excuſationem, & apparebit te non incidiſſe. Iſta enim quæ dici ſolent, falſa ſunt: Non potui aliter. Quid ſi nollem? neceſſe erat. Nulli neceſſe eſt, felicitatem curſu ſequi: eſt aliquid, etiam ſi non repugnare, ſubſiſtere, nec inſtare [3] fortunæ ferenti. Nunquid offenderis, ſi in conſilium non venio tantum, ſed advoco? & quidem prudentiores quam ipſe ſum, ad quos ſoleo referre, ſi quid delibero. Epicuri epiſtolam ad hanc rem pertinentem legi, Idomeneo quæ ſcribitur. quem rogat, ut quantum poteſt fugiat & properet, antequam aliqua vis major interveniat, & auferat libertatem recedendi. Idem tamen ſubjicit, nihil eſſe tentandum, niſi cum apte poterit tempeſtiveque tentari: ſed cum illud tempus diu captatum venerit, exſiliendum ait. Dormitare de fuga cogitantem vetat, & ſperat etiam ex difficillimis ſalutarem exitum: ſi nec properemus ante tempus, nec ceſſemus in tempore. Puto nunc & Stoicam ſententiam quæris. non eſt quod quiſquam illos apud te temeritatis infamet: cautiores quam fortiores ſunt. Exſpectas forſitan, ut tibi hæc dicantur? Turpe eſt cedere oneri:

EPIST. XXII. 1 *Semper pendere*] Tale in Homero Aiax profatur, ubi ſuos hortatur ad robur, Iliad. ο. verſ. 511.

Βέλτερον ἢ ἀπολέσθαι ἕνα χρόνον, ἠὲ βιῶναι,
Ἢ δηθὰ στρεύγεσθαι ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι·
Nam melius ſemel eſt vel vivere, ſive perire,
Quam ſemper pendere gravi in diſcrimine Martis. Lipſius.

2 *Vel quod videri mavis*] Olim memini, vulgo contaminata, emendare: & ſic meus optimus liber, niſi quod ſcribit, *vel quia.* Idem.

3 *Fortunæ ferenti*] A vento ſecundante metaphora: & ſimillima in Statio, 2 Thebaïd.

——— *Quantumque ferentem*
Fortunam virtute domas.

Uterque vult, modum etiam faventi & efferenti fortunæ poni: & contrahi vela, dum ventus à puppi implet. Vide de Vit. Beat. c. 22. *Idem.*

4 *Adve-*

ri: luctare cum officio, quod ſemel recepiſti. Non eſt vir fortis & ſtrenuus, qui laborem fugit: verum ibi creſcit illi animus, ipſa rerum difficultate. Dicentur tibi iſta, ſi operæpretium habebit perſeverantia, ſi nihil indignum bono viro faciendum patiendumve erit: alioquin ſordido ſe & contumelioſo labore non conteret, nec in negotiis erit negotii cauſa. Ne illud quidem, quod exiſtimas eum facturum, faciet, ut ambitioſis rebus implicitus, earum ſemper æſtus ferat. Sed cum viderit brevia in quibus volutatur, incerta, ancipitia: repetet pedem, nec vertet terga, ſed ſenſim recedet in tutum. Facile eſt autem, mi Lucili, occupationes evadere, ſi occupationum pretia contempſeris. illa ſunt, quæ nos morantur & detinent. Quid ergo? tam longas ſpes relinquam? ab ipſa meſſe diſcedam? nudum erit latus? incomitata lectica? atrium vacuum? Ab his ergo inviti homines recedunt, & mercedem miſeriarum amant, ipſas execrantur. Sic de ambitione, quomodo de amica queruntur: id eſt, ſi verum affectum eorum inſpicias, non oderunt, ſed litigant. Excute iſtos, qui quæ cupiere, deplorant, & de earum rerum loquuntur fuga, quibus carere non poſſunt: videbis voluntariam eſſe illis in eo moram, quod ægre ferre ipſos & miſere, loquuntur. Ita eſt, mi Lucili, paucos ſervitus, plures ſervitutem tenent. Sed ſi deponere illam in animo eſt, & libertas bona fide placuit: in hoc autem unum * advocationem petis, ut ſine perpetua ſolicitudine id tibi facere contingat: quid ni te tota cohors Stoicorum probatura ſit? Omnes Zenones & Chryſippi moderata, & honeſta, & vera ſuadebunt. Sed ſi propter hoc tergiverſaveris, ut circumſpicias, quantum feras tecum, & quam magna pecunia inſtruas otium: nunquam exitum invenies. Nemo cum ſarcinis enatat. Emerge ad meliorem vitam, propitiis diis. ſed non ſic, quomodo iſtis propitii ſunt, quibus bono ac benigno vultu mala magni-

* *Advocationem petis*] Moram interponis. Vide ad Marciam, c. 10. *Idem.*

magnifica tribuerunt: [5] hoc uno excuſati, quod iſta quæ urunt, quæ excruciant, optantibus data ſunt. Jam imprimebam epiſtolæ ſignum: reſolvenda eſt, ut cum ſolenni ad te munuſculo veniat, & aliquam magnificam vocem ſecum ferat. & ecce occurrit mihi neſcio utrum verior, an eloquentior. cujus? inquis. Epicuri. adhuc enim [6] alienas ſarcinas adorno. Nemo non ita exit è vita, tanquam modo intraverit. Quemcumque vis, occupa, adoleſcentem, ſenem, medium: invenies æque timidum mortis, æque inſcium vitæ. nemo quidquam habet facti. in futurum enim noſtra diſtulimus. Nihil me magis in iſta voce delectat, quam quod exprobratur ſenibus infantia. Nemo, inquit, aliter, quam quomodo natus eſt, exit è vita. Falſum eſt, pejores morimur, quam naſcimur. Noſtrum iſtud, non naturæ vitium eſt. illa de nobis conqueri debet, & dicere: Quid hoc eſt? ſine cupiditatibus vos genui, ſine timoribus, ſine ſuperſtitione, ſine perfidia, ceteriſque peſtibus: quales intraſtis, exite. Percepit ſapientiam, ſi quis tam ſecurus moritur, quam naſcitur. Nunc vero trepidamus, cum periculum acceſſit: non animus nobis, non color conſtat: lacrimæ nihil profuturæ cadunt. Quid eſt turpius, quam in ipſo limine ſecuritatis eſſe ſolicitum? Cauſſa autem hæc eſt, quod inanes omnium bonorum ſumus, [7] quorum in fine vitæ deſiderio laboramus. Non enim

5 *Hoc uno excuſati*] Veteres omnes, *ad hoc unum.* Si mutamus, velim *ab hoc uno*, inquit Lipſius. Ego malim, *Ob hoc unum.* Epiſt. 39. *Quorum impotentia atque inſanæ libidini ob hoc unum poſſis ignoſcere, quod, quæ fecere, patiuntur.* Lib. 6 de Benef. 23. *Sine dubio ſtare illis & deſciſcere in contrarium non licet: ſed non ob aliud, quam quia vis ſua illos in propoſito tenet; nec imbecillitate permanent, ſed quia non libet ab optimis aberrare, & ſic ire decretum eſt.* Ita optime Naz. & eodem digitum intendunt cæteri. Natur. Quæſt. 7, 14. *Rari cometæ, & ob hoc mirabiles.* Gronovius.

6 *Alienas ſarcinas*] Dubito an *alienis.* Meas ſarcinas inſtruo, rebus alienis. ut epiſt. 16. *Adhuc de alieno liberalis ſum.* Lipſius.

7 *Quorum in fine vitæ deſiderio*] Architectatum eſſe hanc lectionem Pincianum, cum in membranis ejus eſſet, *cum in fine*, ait Gruterus. Sic igitur in melioribus eſſe, addit Lipſius, ſeque legere: *quod in fine vitæ, vitæ deſideriis laboramus*, voce repetita. At oblitus eſt, Eraſmi codices, omneſque Gruteri, cum priſcis edd. trium illorum, *quorum in fine*, veſtigium nullum habere. Quibus accedit meus, & hac parte

Digitized by Google

enim apud nos pars ejus ulla ſubſedit. tranſmiſſa eſt, & effluxit. Nemo quam bene vivat, ſed quam diu, curat: cum omnibus poſſit contingere, ut bene vivant; ut diu, nulli.

EPIST. XXIII.

Monet verum gaudium quærere. quod illud? ſeverum, & ex vero Bono natum. Reliqua fallacia & fugacia ſunt, hoc ſolidum, & firmum: quia in ſolido ſitum, & animo, optima noſtri parte. Uno verbo, poſitum eſt in Conſcientia. Epicuri deinde dictum: Turpe & moleſtum, vitam ſemper inchoare: & inconſtantes damnantur.

PUtas me tibi ſcripturum, quam humane nobiſcum hiems egerit, quæ & remiſſa fuit, & brevis: quam malignum ver ſit, quam præpoſterum frigus, & alias ineptias verba quærentium. Ego vero aliquid, quod & mihi & tibi prodeſſe poſſit, ſcribam. Quid autem id erit, niſi ut te exhorter ad bonam mentem? Hujus fundamentum quod ſit, quæris? ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc eſſe dixi: [1] culmen eſt. [2] Ad ſumma pervenit, qui ſcit quo gaudeat, qui felicitatem ſuam in aliena poteſtate non poſuit. Solicitus eſt, & incertus ſui, quem ſpes aliqua proritat: licet ad manum ſit, licet non ex difficili petatur, licet illum nunquam ſperata deceperint. Hoc ante omnia fac,

parte hos meliores puto, quin etiam recidendum verbum ſubſtantivum, ut ſit: *quod inanes omnium bonorum vita deſideriis laboramus.* Vox *vita* repetenda non ſcriptura, ſed ſenſu, atque exaudienda, quaſi bis poſita eſſet, more frequenti his auctoribus. Plinius lib. 7. epiſt. 27. *Domus poſtea rite conditu manibus caruit.* Ubi Caſaubonus ſuſpicatur locum eſſe mutilum, & reponit: *manibus, dæmonibus caruit:* vel, *phantaſmatibus caruit:* vel, *metu caruit:* Gruterus repeti jubet vocem: *rite conditis manibus, manibus caruit.* In cujus ſententiam Buchnerus diſceſſit. At ſervanda lectio vetus, quæ dicit domum caruiſſe manibus, poſtquam illi rite conditi eſſent. Adde quæ dicimus ad Conſ. ad Marciam c. 3. & 2 Obſ. 11. *Gronovius.*

EPIST. XXIII. 1 *Culmen eſt*] Naſcitur enim ex Sapientia, & eſt ejus velut fructus. *Lipſius.*

2 *Ad ſumma pervenit*] V. C. *ſummam*, quod valde arridet. *Summam* enim vocat rei abſolutam perfectionem, qua voce alibi ſæpe utitur: ut *ſumma beatæ vita*. Epiſt. 44. & *ſummam voti ſui invenit*, &c. *Juretus.*

ſac, mi Lucili, [3] diſce gaudere. Exiſtimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita ſubmoveo, qui ſpes, dulciſſima oblectamenta, devitandas exiſtimo? imo contra. nolo tibi unquam deeſſe lætitiam. volo illam tibi domi naſci: naſcetur, ſi modo intra teipſum ſit. Ceteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt, leves ſunt: niſi forte tu judicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet eſſe alacer & fidens, & ſuper omnia erectus. Mihi crede, res ſevera eſt verum gaudium. An tu exiſtimas quemquam ſoluto vultu, &, ut iſti delicati loquuntur, [4] hilariculo mortem contemnere? paupertati domum aperire? voluptates tenere ſub fræno? meditari dolorum patientiam? Hæc qui apud ſe verſat, in magno gaudio eſt, ſed parum blando. In hujus gaudii poſſeſſione eſſe te volo. nunquam deficiet, cum ſemel unde petatur inveneris. Levium metallorum fructus in ſummo eſt: illa opulentiſſima ſunt, quorum in alto latet vena, aſſidue plenius reſponſura fodienti. Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac [5] perfuſoriam voluptatem: & quodcumque invecticium gaudium eſt, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, ſolidum eſt, & quod plus pateat introrſus. Fac, oro te, Lucili cariſſime, quod unum poteſt te præſtare felicem. disjice & conculca iſta quæ extrinſecus ſplendent, quæ tibi promittuntur ab alio: ad verum bonum ſpecta, & de tuo gaude. Quid eſt autem hoc? de te ipſo, & tui optima parte. Corpuſculum quoque, etiam ſi nihil fieri ſine illo poteſt, magis neceſſariam rem crede, quam magnam. Vanas ſuggerit voluptates, breves,

3 *Diſce gaudere*] De vero gaudio, in quo ſemper eſt Sapiens, vide quæ huc faciunt, Manud. 3. Diſſ. 5. *Lipſius.*

4 *Hilari oculo*] Quidam libri, *hilariculo.* quod ſane verbi pro delicatis iſtis & mollicellis videatur. *Idem.*

5 *Perfuſoriam*] Non penetrantem, ſed exterius adſpergentem. Ita *perfuſorie dicere*, apud Juriſconſultos leviter, & ſine attentione aut cura. *perfuſoria aſſertiones*, in Suetonii Domitiano, cap. 8. Sic noſter epiſt. 110. *Si illa ſe non perfuderit, ſed infecerit.* Meus hic & quidam libri, *ſuperfuſoriam:* nec male. *Idem.*

6 Quæ

breves, pœnitendas, ac niſi magna moderatione temperentur, in contrarium abituras. Ita dico, in præcipiti eſt voluptas, ad dolorem vergit, niſi modum teneat. modum autem tenere in eo difficile eſt, quod bonum eſſe credideris. Veri boni aviditas, tuta eſt. Quid ſit iſtud, interrogas, aut unde ſubeat? dicam. Ex bona conſcientia, ex honeſtis conſiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore unam prementis viam. Nam illi qui ex aliis propoſitis in alia tranſiliunt, aut ne tranſiliunt quidem, ſed caſu quodam tranſmittuntur, quomodo habere quidquam certum manſurumve poſſunt, ſuſpenſi & vagi? Pauci ſunt, qui conſilio ſe ſuaque diſponant: ceteri eorum more [6] quæ fluminibus innatant, non eunt, ſed feruntur. Ex quibus alia lenior unda detinuit, ac mollius vexit; alia vehementior rapuit; alia [7] proxime ripam, curſu langueſcente depoſuit; alia torrens impetus ejecit in mare. Ideo conſtituendum eſt, quid velimus, & in eo perſeverandum. Hic eſt locus ſolvendi æris alieni. Poſſum enim vocem tibi [8] Epicuri tui reddere, & hanc epiſtolam liberare. Moleſtum eſt, ſemper vitam inchoare. aut ſi hoc modo magis ſenſus poteſt exprimi: Male vivunt qui ſemper vivere incipiunt. Quare, inquis? deſiderat enim explanationem iſta vox. Quia ſemper illis imperfecta vita eſt. non poteſt autem ſtare paratus ad mortem, qui modo incipit vivere. Id agendum eſt, ut ſatis vixerimus: nemo hoc putat, qui orditur cummaxime vitam. Non eſt quod exiſtimes, paucos eſſe hos. propemodum omnes ſunt. Quidam vivere tunc incipiunt, cum deſinendum eſt. ſi hoc judicas

6 *Quæ fluminibus*] Ita Epictetus, apud Stobæum: *Vita*, inquit, *quæ à Fortuna pendet, rapido flumini ſimilis eſt, turbulenta, cœnoſa, impura.* Sed noſter dilatat pulcherrime, & adaptat. *Lipſ.*

7 *Proxime ripam*] Meus & ſcripti, *proxima ripa.* Teneam: aut, *proxima ripa.* Idem.

8 *Epicuri tui*] Ergo in iis caſtris Lucilius? apparet: nec alia cauſſa fortaſſe toties hujus dicta inculcat. *Idem.*

dicas mirum, adjiciam quod magis admireris: quidam ante vivere defecerunt, quam inciperent.

EPIST. XXIV.

Epiſtola inter bonas, pulchraſque. Hortatur non timere ventura, etſi minentur: imo proponere ventura, & ſic ſe formare, examinando aut elevando. Quid enim omnes iſti metus ſunt? ultimus eorum mors eſt: & ratione contemne. Magni viri fecerunt, è plebe & ſervitiis fecerunt: cur tu non adſpires? Deme perſonam rebus. quod times, dolor eſt: quem muliercula in puerperio tulit. Denique in hæc natus es, jactari, dolere, mori: agnoſce ſortem. Tamen (Epicuri præcepto) nec opta mortem, nec time.

SOlicitum te eſſe ſcribis de judicii eventu, quod tibi furor inimici denuntiat, & exiſtimas me ſuaſurum ut meliora tibi ipſi proponas, & acquieſcas ſpei blandæ. Quid enim neceſſe eſt mala arceſſere, & ſatis cito patienda cum venerint, præſumere, ac præſens tempus futuri metu perdere? [1] Eſt ſine dubio ſtultum, quia quandoque ſis futurus miſer, eſſe jam miſerum: ſed ego [2] alia te ad ſecuritatem via ducam. Si vis omnem ſolicitudinem exuere, quidquid vereris ne eveniat, eventurum utique propone: & quodcumque illud eſt malum, tecum ipſe metire, ac [3] timorem tuum taxa. intelliges profecto, aut [4] non magnum, aut non longum eſſe, quod metuis. nec diu exempla,

EPIST. XXIV. 1 *Eſt ſine dubio ſtultum*] Similia de timore non præcipiendo, epiſt. 13. & 74. atque alibi. *Lipſius.*

2 *Alia via*] Plane contraria, ut omnia timeas. Hoc ipſum in epiſt. 78. *Omnem Fortunæ licentiam in oculis habe, tamquam quidquid poteſt facere, factura ſit. Quidquid exſpectatum eſt diu, levius accidit.* Vere ſapientis uſurpatio & remedium; de quo ego in occaſione, Manuduct. 2. Diſſert. 1. *Idem.*

3 *Timorem taxa*] Judicio, quanti ſit, æſtima. *Idem.*

4 *Non magnum*] Epicuri decantatum in dolore ſolatium. Infra ſtatim: *Levis eſt, ſi ferre poſſum; brevis eſt, ſi ferre non poſſum.* Æſchylus:

Θάρσει. πόνου γὰρ ἄκρον οὐκ ἔχει χρόνον·
Confide. tempus non habet ſummus dolor.
Idem.

pla, quibus confirmeris, colligenda ſunt: omnis illa ætas tulit. In quamcumque partem rerum, [5] vel civilium, vel externarum, memoriam miſeris; occurrent tibi ingenia, aut [6] profectus, aut impetus magni. Nunquid accidere tibi, ſi damneris, poteſt durius, quam ut mittaris in exſilium? ut ducaris in carcerem? nunquid ultra quidquam timendum eſt ulli, quam ut uratur? quam [7] ut pereat? Singula iſta conſtitue, & contemptores eorum cita, qui non quærendi, ſed eligendi ſunt. Damnationem ſuam Rutilius ſic tulit, tanquam nihil illi moleſtum eſſet aliud, quam quod male judicaretur. Exſilium [8] Metellus fortiter tulit, Rutilius etiam libenter. alter, ut rediret, Reipub. præſtitit: alter reditum ſuum [9] Sullæ negavit, cui nihil tunc negabatur. In carcere Socrates diſputavit, & exire (cum eſſent [10] qui promitterent fugam) noluit: remanſitque, ut duarum rerum graviſſimarum hominibus metum demeret, mortis & carceris. Mucius ignibus manum impoſuit. Acerbum eſt uri: quanto acerbius ſi id te faciente patiaris? Vides hominem non eruditum; nec ullis præceptis [11] contra mortem aut dolorem ſubornatum, militari

5 *Vel civilium*] Noſtrarum & Romanarum. quæ ad tuos cives. *Lipſius.*

6 *Profectus*] In Sapientia. Reperies, inquit, aut qui judicio & ratione, Sapientiæ nempe alumni, hæc contempſerint, ut Cato: aut qui impetu & nobilitate animi, ut Scipio. *Idem.*

7 *Ut pereat*] Muretus vellet, (neſcio an ex libris) *ut pendeat?* Non ego. decreſcat enim oratio: & minus *pendere*, quam *uri*. Quod editum etiam eſt, libri noſtri manuarii omnes habent. *Idem.*

8 *Metellus*] Eſt Q. Metellus Numidicus, victo Jugurtha dictus. qui Cenſor, & clariſſimus vir, cum jurare in leges Apuleii Saturnini Tr. pl. nollet, in exſilium miſſus, fortiter tulit; donec occiſo illo, precibus lacrimiſque filii præſertim, qui ob id *Pii* cognomen meruit, reſtitutus eſt. Cicero variis locis, Florus, Appianus, alii. *Idem.*

9 *Sulla negavit*] Noſter de Provid. c. 3. *Rutilius Sullæ Dictatori ſolus aliquid negavit, & revocatus non tantum retro ceſſit, ſed longius fugit.* Ovidius:

Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
Non uſi reditus conditione dati. Idem.

10 *Qui promitterent fugam*] Xenophon in Apologia: Ἔπειτα τῶν ἑταίρων ἐκκλέψαι βουλομένων αὐτὸν, οὐκ ἐφείπετο, ἀλλὰ καὶ ἐπισκῶψαι ἐδόκει, ἐρόμενος, Εἴ που εἰδεῖέν τι χωρίον ἔξω τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα οὐ προσβατὸν θανάτῳ; *Amicis furtim eripere illum volentibus, non paruit, imo & illuſit interrogans, An alibi extra Atticam, regionem noſſent, qua mors non aſpiraret?* Idem.

11 *Contra mortem aut dolorem ſubornatum*] Ita omnes mſs. Unus abit

notante

litari tantum robore inſtructum, pœnas à ſe irriti conatus exigentem ſpectator diſtillantis in hoſtili foculo dextræ ſtetit, nec ante removit nudis oſſibus fluentem manum, quam ignis illi ab hoſte ſubductus eſt. Facere aliquid in illis caſtris felicius potuit, nihil fortius. Vide quanto acrior ſit ad occupanda pericula virtus, quam crudelitas ad irroganda. Facilius Porſena Mucio ignovit, quod voluerat occidere; quam ſibi Mucius, quod non occiderit. Decantatæ, inquis, in omnibus ſcholis fabulæ iſtæ ſunt. jam mihi, cum ad contemnendam mortem ventum fuerit, Catonem narrabis. Quid ni ego narrem, ultima illa nocte Platonis librum legentem, poſito ad caput gladio? duo hæc in rebus extremis inſtrumenta proſpexerat, alterum ut vellet mori, alterum ut poſſet. Compoſitis ergo rebus, [12] utcumque componi fractæ atque ultimæ poterant, id agendum exiſtimavit, ne cui Catonem aut occidere liceret, aut ſervare contingeret. & ſtricto gladio, quem uſque in illum diem ab omni cæde purum ſervaverat: Nihil, inquit, egiſti, fortuna, omnibus conatibus meis obſtando. non pro mea adhuc, ſed pro patriæ libertate pugnavi: nec agebam tanta pertinacia, ut liber, ſed ut inter liberos viverem: nunc quoniam deploratæ ſunt res generis humani, Cato deducatur in tutum. Impreſſit deinde mortiferum corpori vulnus. quo obligato à medicis, cum minus ſanguinis habe-

notante Grutero Col. qui *obrutum*: quod, inquit in appendice, volui dictum, ut aliquid excogitent homines proxime accedens ad vocem *obrutum*, niſi ſi illa retinenda, tanquam ita oneretur præceptis, ut eis vix ſit ferendo. Nihil vero excogitandum, ô bone. Diſplicuit illi, quod paſſim receptum eſt, cum *ſubornatos* non recordaretur dici, niſi emiſſarios, allegatos, per fraudem aut artem ſubmiſſos.. At ſic etiam dicuntur ſimpliciter optima mente inſtructi. De Benef. 3, 28. *penulati iſti in militum & quidem non vulgarem cultum ſubornati.* Epiſt. 48. *Pudet dicere contra fortunam militaturis, quæ porrigant tela, quemadmodum illos ſubornent.* Plancus ad Ciceronem lib. 10 Fam. 23. *ut vigilanter nervoſeque nos, qui ſtamus in acie, ſubornes.* Cornutus ad Perſii Sat. 5. *Hic fuit ſtatura longa, longa, fuſci corporis, labio inferiori demiſſo, antequam ſubornaretur, deformis.* Gronovius.

12 *Utcumque componi*] Meus liber, *ut tunc componi.* In tali ſcilicet ſtatu. *Lipſius.*

haberet, minus virium, animi idem, jam non tantum Cæſari, ſed ſibi iratus, nudas in vulnus manus egit, & generoſum illum contemptoremque omnis potentiæ ſpiritum non emiſit, ſed ejecit. Non in hoc exempla hæc nunc congero, ut ingenium exerceam, ſed ut te adverſus id quod maxime terribile videtur, exhorter. Facilius autem exhortabor, ſi oſtendero, non tantum fortes viros hoc momentum efflandæ animæ contempſiſſe: ſed quoſdam ad alia ignavos, in hac re exæquaſſe animum fortiſſimorum. ſicut illum Cn. Pompeii ſocerum Scipionem, qui contrario in Africam vento relatus, cum teneri navem ſuam videret ab hoſtibus, ferro ſe tranſverberavit, & quærentibus ubi Imperator eſſet: Imperator, inquit, bene ſe habet. Vox hæc illum parem majoribus fecit, & fatalem Scipionibus in Africa gloriam non eſt interrumpi paſſa. Multum fuit Carthaginem vincere, ſed amplius mortem. Imperator, inquit, bene ſe habet. An aliter debebat Imperator, [13] & quidem Catonis, mori? Non revoco te ad hiſtorias, nec ex omnibus ſæculis contemptores mortis, qui ſunt plurimi, colligo: reſpice ad hæc noſtra tempora, de quorum languore ac deliciis querimur. omnis ordinis homines ſuccurrent, omnis fortunæ, omnis ætatis, qui mala ſua morte præciderunt. Mihi crede, Lucili, adeo mors timenda non eſt, ut beneficio ejus [14] nihil anteferendum ſit. Securus itaque inimici minas audi: & quamvis conſcientia tua tibi fiduciam faciat, tamen quia multa extra cauſſam valent, & quod æquiſſimum eſt ſpera, & ad id te quod eſt iniquiſſimum, compara. Illud ante omnia memento, demere rebus tumul-

13 *Et quidem Catonis*] Fortis illius viri Imperator, an non ipſe fortis? Nam toti exercitui Scipio præerat: Catone inter Legatos. *Lipſius*.

14 *Nihil anteferendum ſit*] Dilutior ſententia, ſi attendis. Quid, quod libri conſenſu damnant, & verba inſerunt, *anteferendum timendumve ſit?* Omnes, inquam, olim editi & ſcripti. Scalpellum hoc Muretus adhibuit: præſtabat medicinam. A me ea ſit: *nihil à te verendum timendumve ſit*. Adeo, mi Lucili, mors tibi non timenda; ut illi, nihil vereri aut timere, debeas. Mala aut metus ſola tollit. *Idem*.

15 *Nihil*

multum, ac videre quid in quaque re ſit: ſcies [15] nihil eſſe in iſtis terribile, niſi ipſum timorem. Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque majuſculis pueris evenit. illi quos amant, quibus aſſueverunt, cum quibus ludunt, ſi perſonatos vident, expaveſcunt: non hominibus tantum, ſed & rebus perſona demenda eſt, & reddenda facies ſua. Quid mihi gladios & ignes oſtendis, & turbam carnificum circa te frementem? Tolle iſtam pompam ſub qua lates, & ſtultos territas. mors es, quam nuper ſervus meus, quam ancilla contempſit. Quid tu rurſus mihi flagella & eculeos magno apparatu explicas? quid ſingulis articulis ſingula machinamenta, quibus extorqueantur, aptata, & mille alia inſtrumenta excarnificandi particulatim hominis? Pone iſta, quæ nos obſtupefaciunt: jube conticeſcere gemitus & exclamationes, & vocum inter lacerationem eliſarum acerbitatem. Nempe dolor eſt, quem podagricus ille contemnit, quem ſtomachicus ille in ipſis deliciis perfert, quem in puerperio puella perpetitur. Levis eſt, ſi ferre poſſum: brevis eſt, ſi ferre non poſſum. Hæc in animo voluta, quæ ſæpe audiſti, ſæpe dixiſti: ſed an vere audieris, an vere dixeris, effectu proba. hoc enim turpiſſimum eſt, quod nobis objici ſolet, verba nos philoſophiæ, non opera tractare. Quid tu? nunc primum tibi mortem imminere ſciſti, nunc exſilium, nunc dolorem? in hæc natus es. Quidquid fieri poteſt, quaſi futurum cogitemus. Quod facere te moneo, ſcio certe feciſſe. Nunc admoneo, ut animum tuum non mergas in iſtam ſolicitudinem. hebetabitur enim, & minus habebit vigoris, cum exſurgendum erit. Abduc illum à privata cauſſa ad publicam: dic mortale tibi &

15 *Nihil eſſe in iſtis terribile, niſi ipſum timorem*] Obſervat Gruterus in duobus Pall. eſſe *ipſum timere*, nec inficetum auribus ſuis fatetur. Jure. OEdipo tragœdia: *multis ipſum timuiſſe nocet.* Cic. 15 Famil. 15. *Interpoſitus annus alios induxit, ut victoriam ſperarent, alios ut ipſum vinci contemnerent.* Partit. Orator. *nam & ipſum partiri & definire & ambigue partitiones dividere artis eſt.* Lib. 13 ad Attic. 28. *quam enim turpis eſt adſentatio, cum vivere ipſum turpe ſit nobis.* Gronovius.

16 De-

bi & fragile corpuſculum eſſe, cui non ex injuria tantum aut ex potentioris viribus [16] denuntiabitur dolor; ipſæ voluptates in tormenta vertuntur. Epulæ cruditatem afferunt, ebrietates nervorum torporem tremoremque: libidines pedum, manuum, articulorum omnium depravationes. Pauper fiam? inter plures ero. Exſul fiam? ibi me natum putabo, quo mittar. Alligabor? quid enim? nunc ſolutus ſum? ad hoc me natura grave corporis mei pondus adſtrinxit. Moriar? hoc dicis, deſinam ægrotare poſſe, deſinam alligari poſſe, deſinam mori poſſe. Non ſum tam ineptus, ut Epicuream cantilenam hoc loco perſequar, & dicam, vanos eſſe inferorum metus, nec Ixionem rota volvi, nec ſaxum humero Siſyphi trudi in adverſum, nec [17] ullius viſcera & renaſci poſſe quotidie, & carpi. Nemo tam puer eſt, ut Cerberum timeat & tenebras, & [18] larvalem habitum nudis oſſibus cohærentium. Mors nos aut conſumit, [19] aut exuit. Emiſſis meliora reſtant, onere detracto: conſumptis nihil reſtat. bona pariter malaque ſubmota ſunt. Permitte mihi referre hoc loco tuum verſum, ſi prius admonuero, ut te judices non aliis ſcripſiſſe iſta, ſed etiam tibi. Turpe eſt aliud loqui, aliud ſentire:

16 *Denuntiabitur dolor, ſed ipſa*] Particula *ſed* nec in meo Erf. Heinſ. nec in ullis Gruteri: ſed nec Tarv. & Ven. editionibus. Et nihil uſitatius Senecæ, quam illam omittere. Vide ad 5 de Benef. 15. Sic præcedenti epiſtola: *Cætera hilaritates non implent pectus; frontem remittunt.* Epiſt. 47. *Non poteſt effugere pueritiam; retrahitur.* Sic utrobique membranæ noſtræ, etſi ſileant alii. Epiſt. 66. *In utroque enim eſt eadem animi magnitudo, ſed in altero remiſſa & laxa, in altero pugnax & intenta.* Pall. quatuor ignorant τὸ *ſed*. Col. vicem ejus *&*. Gronovius.

17 *Ullius viſcera*] De Tytio poëtæ. & inter alios Lucretius, qui hæc talia abjicit, & ad moralem ſenſum aliquem aptat, pro Epicuri doctrina, lib. 3. *Lipſius.*

18 *Larvalem*] Ita ſcripti libri: editi, *larvarum*. Sed illud ad ipſos mortuos refer, qui pallentes, tenues, & larvales quædam umbræ, ut Sidonius dixit. *Idem.*

19 *Aut emittit*] Plures libri, *exuit*. nempe corpore iſto, & velamento. Utrovis autem modo, Mors nihil, aut nihili eſt. Si enim emittit, vivimus. quo ſenſu Lucanus lib. 3.

Aut nihil eſt ſenſus animis à morte relictum,
Aut mors ipſa nihil.

Si conſumit, cum illa perimus. atque ita Senecæ Tragici valeat, *Poſt mortem nihil eſt, ipſaque mors nihil.* Quid autem hic Stoïci, diximus 3 Phyſiol. Diſſ. 11. *Idem.*

20 *Quoti-*

Digitized by Google

ſentire: quanto turpius, aliud ſcribere, aliud ſentire? Memini te illum locum aliquando tractaſſe, non repente nos in mortem incidere, ſed minutatim procedere. [20] Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam: uſque ad heſternum, quidquid tranſiit temporis, periit. hunc ipſum quem agimus diem, cum morte dividimus. Quemadmodum clepſydram non extremum ſtillicidium exhaurit, ſed quidquid ante defluxit: ſic ultima hora, qua eſſe deſinimus, non ſola mortem facit, ſed ſola conſummat. Tunc ad illam pervenimus, ſed diu venimus. Hæc cum deſcripſiſſes, quo ſoles ore, ſemper quidem magnus, nunquam tamen acrior, quam ubi veritati commoda verba, dixiſti:

[21] *Mors non ultima venit, quæ rapit, ultima mors eſt.*

Malo te legas, quam epiſtolam meam. apparebit enim tibi, hanc

20 *Quotidie morimur*] Seneca hoc ſæpe tractat & inculcat: etiam Plutarchus, prorſus ut noſter, ſuggerente Mureto. In libro, de Ei in Delphis. *Nos*, inquit, *unam mortem ridicule timemus, toties jam mortui, & morientes. Non enim ſolum, ut Heraclitus ait, Ignis mors aëris eſt generatio, & hujus mors, aqua: ſed idipſum clarius in homine videas. Perit virilis ætas ſenio accedente, perit juventus virili ætate, pueritia juventute, infantia per pueritiam. Quin & heſternus dies in hodiernum occidit, & hodiernus craſtino moritur.* Lipſius.

21 *Mors non ultima venit*] Ita omnes libri, ad Muretum: qui edidit, *Mors non una venit, ſed quæ*, verſu, inquit, & ſententia poſtulante. Ego contra poſtulem, vetera teneri: deleta modo particula, *ſed*, quæ verſum, an verſus, turbat. Poteſt enim Heroïcus ita eſſe; poſſunt & bini Anapæſtici.

Mors non ultima venit,
Quæ rapit ultima mors eſt.

Non quæ venit, & jam præteriit, Mors eſt: ſed illa proprie, quæ rapit ultima, & nos aufert. Sic Lipſius. Recte poſtulat de lectione, ſed ſententiam non vidit: tantum in diſtinctione eſt momentum. Quid, quæſo, illa, quæ interpretatur, ad mentem Senecæ? Dixerat Lucilium tractaſſe alicubi locum illum communem, non incidere nos in mortem repente, ſed minutatim procedere, quotidie nos mori: illam quam omnes vocant mortem, non ſolam eſſe, ſed poſtremam & velut conſummationem mortium. Ex illa tractatione unam belliſſimam ſententiam advocat ipſius Lucilii, qui partem poſteriorem verſus (unum enim haud dubie heroïcum puto) ita ſuſpenſam extulerat: *quæ rapit, ultima mors eſt.* Falſum eſt, inquit, mortem ultimam rerum venire vel veniſſe: multis mortibus conficimur, & ſæpe ad nos venit, antequam rapiat: ſed illa mors, quæ nos rapit & aufert, ipſarum mortium eſt ultima. Tractat eundem locum epiſt. 120. *Nihil ſatis eſt* *mori-*

Digitized by Google

hanc quam timemus mortem extremam eſſe, non ſolam. Video quo ſpectes, quæris quid huic epiſtolæ inſulſerim, quod dictum alicujus animoſum, quod præceptum utile? Ex hac ipſa materia quæ in manibus fuit, mittetur aliquid. Objurgat Epicurus non minus eos qui mortem concupiſcunt, quam eos qui timent, & ait: Ridiculum eſt, currere ad mortem tædio vitæ, cum genere vitæ, ut currendum eſſet ad mortem, effeceris. Item alio loco dicit: Quid tam ridiculum, quam appetere mortem, cum vitam tibi inquietam feceris metu mortis? His adjicias & illud ejuſdem notæ licet, tantam hominum imprudentiam eſſe, imo dementiam, ut quidam [22] timore mortis cogantur ad mortem. Quidquid horum tractaveris, confirmabis animum, vel ad mortis, vel ad vitæ patientiam. In utrumque monendi ac firmandi ſumus: & ne nimis amemus vitam, & [23] ne nimis oderimus. [24] etiam cum ratio ſuadet finire, non temere, nec cum procurſu [25] capiendus eſt impetus. Vir fortis ac ſapiens non fugere debet è vita, ſed exire. Et ante omnia ille quoque vitetur affectus, qui multos occupavit, libido moriendi. Eſt enim, mi Lucili, ut ad alia, ſic etiam ad moriendum inconſulta animi inclinatio: quæ ſæpe generoſos atque acerrimæ indolis viros corripit, ſæpe ignavos jacenteſque, illi contemnunt vitam, hi gravantur. Quoſdam ſubit eadem faciendi videndique ſatietas, [26] & vitæ

morituris, imò morientibus: quotidie enim propius ab ultimo ſtamus, & illo unde nobis cadendum eſt, hora nos omnis impellit. Vide cætera. *Gronovius.*

22 *Timore mortis*] Simile epiſt. 70. *Stultitia eſt, timore mortis mori.* Ibi me vide. *Lipſius.*

23 *Ne nimis oderimus*] Curtius l. 5. *Fortium virorum eſt, magis mortem contemnere, quam odiſſe vitam. Sæpe tædio laboris, ad vilitatem ſui compelluntur ignavi. At virtus nihil inexpertum omittit. Ultimum omnium mors eſt: ad quam non pigre ire, ſatis eſt.* Idem.

24 *Etiam cum ratio*] Quod Stoïci volebant, & cauſſas eſſe ſumendæ interim mortis. De quo decreto ego Manuduct. 3. Diſſert. 22. & 23. *Idem.*

25 *Capiendus eſt impetus*] Plinius pariter, lib. 1. epiſt. 22. *Impetu quodam & inſtinctu currere ad mortem, commune cum multis: deliberare vero, & cauſſas ejus expendere, utque ſuaſerit ratio, vitæ mortiſque conſilium ſuſcipere vel ponere, ingentis eſt animi.* Adde Senecam epiſt. 30. & 55. *Idem.*

26 *Et vitæ non odium, ſed faſtidium*] Vide ut hanc ſententiam explanatione ſua ornet P. Faber, lib. 1 Semeſtr. c. 10.

vitæ non odium, ſed faſtidium: in quod prolabimur, ipſa [27] impellente philoſophia, dum dicimus: [28] Quouſque eadem? Nempe expergiſcar, dormiam, ſatiabor, eſuriam, algebo, æſtuabo: nullius rei finis eſt, ſed in orbem nexa ſunt omnia: fugiunt ac ſequuntur. Diem nox premit, dies noctem: æſtas in autumnum deſinit, autumno hiems inſtat, quæ vere compeſcitur. omnia tranſeunt, ut revertantur. nihil novi video, nihil novi facio. Fit aliquando & hujus rei nauſea. Multi ſunt qui non acerbum judicent vivere, ſed ſuperfluum.

EPIST. XXV.

Præſcribit de duobus amicis, juvene & ſene, aliter atque aliter cum utroque agendum: cum illo fortius; cum hoc remiſſius, ne deſperet. Ipſum Lucilium hortatur ad mediocritatem aut pauperiem: deinde (Epicuri voce) ut ſumat ſibi Pædagogum. Fac omnia, tanquam aliquis ſpectet.

QUod ad duos amicos noſtros pertinet, diverſa via eundum eſt. alterius enim vitia emendanda, alterius frangenda ſunt. Utar libertate tota: non amo illum, niſi offendero. Quid ergo? inquis. quadragenarium pupillum cogitas ſub tutela tua continere? Reſpice ætatem ejus jam duram & intractabilem. non poteſt reformari. tenera finguntur. An profecturus ſim neſcio: malo ſucceſſum mihi, quam fidem deeſſe. Nec deſperaveris, etiam diutinos ægros poſſe ſanari, ſi contra intemperantiam ſteteris, ſi multa invi-

27 *Impellente philoſophia*] Quæ revera non magni facit totum hoc vivere, & in eadem circulari. Lucretius lib. 3. Naturam ipſam rerum loquentem facit:

Nam tibi præterea, quod machiner inveniamque,
Quod placeat, nihil eſt: eadem ſunt omnia ſemper.
Si tibi non annis corpus jam marcet, & artus
Confecti languent; eadem tamen omnia reſtant,
Omnia ſi pergas vivendo vincere ſæcla.
Idem.

28 *Quouſque eadem*] De Tranquill. cap. 2. *Faſtidio illis cœpit eſſe vita, & ſubit illud rabidarum deliciarum, Quouſque eadem?* Vox vulgi fuit, & iterum exprimit epiſt. 89. *Idem.*

invitos & facere coëgeris & pati. Nec de altero quidem ſatis fiduciæ habeo: excepto eo, quod adhuc peccare erubeſcit, nutriendus eſt hic pudor: qui quamdiu in animo ejus duraverit, aliquis erit bonæ ſpei locus. Cum hoc veterano parcius agendum puto, ne in deſperationem ſui veniat: nec ullum tempus aggrediendi [1] melius fuit, quam hoc, dum interquieſcit, dum emendato ſimilis eſt. Aliis hæc intermiſſio ejus impoſuit. mihi verba non dat: exſpecto cum magno fœnore vitia reditura, quæ nunc ſcio ceſſare, [2] non deeſſe. Impendam huic rei dies: & utrum poſſit aliquid agi, an non poſſit, experiar. Tu nobis te, ut facis, fortem præſta, & ſarcinas contrahe. Nihil ex his quæ habemus, neceſſarium eſt. Ad legem naturæ revertamur: divitiæ paratæ ſunt. Aut gratuitum eſt quo egemus, aut vile. [3] Panem & aquam natura deſiderat. nemo ad hæc pauper eſt. intra quæ quiſquis deſiderium ſuum cluſit, [4] cum ipſo Jove de felicitate contendat, ut ait Epicurus: cujus aliquam vocem huic epiſtolæ involvam. Sic fac, inquit, omnia, [5] tamquam ſpectet Epicurus. Prodeſt ſine dubio, cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quem reſpicias, quem intereſſe cogitationibus tuis judices. Hoc quidem longe magnificentius eſt, ſic vivere tanquam ſub alicujus boni viri, ac ſemper præſentis, oculis: ſed ego etiam hoc contentus ſum, ut ſic facias quæcumque facies, tanquam ſpectet

EPIST. XXV. 1 *Melius fuit*] Grutero aſſentior, *fuerit*. Lipſius.

2 *Non deeſſe*] Malim, *deſiſſe*. Idem.

3 *Panem & aquam*] Lucanus, poëta prorſum philoſophus:

Diſcite quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum Natura petat.
— ſatis eſt populis fluviuſque, Cereſque.

Euripides:

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυοῖν, μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς, πώματός θ᾽ ὑδρηχόου·

Nam quid opus eſt mortalibus, niſi hæc duo,
Cererisque fruges, poculumque puræ aquæ? Idem.

4 *Cum ipſo Jove*] Adi epiſtol. 110. ubi hæc Epicuri vox expreſſa. *Idem.*

5 *Tamquam ſpectet aliquis*] Meus & plures ſcripti, *ſpectet Epicurus*: & ſcito germanum eſſe. Sunt ipſa Epicuri verba, ad aliquem è ſuis. quem jubet cupitque, velut ſe teſte & ſpectatore, vivere. At poſt ternas lineas non mutabis, & recte ibi, *tamquam ſpectet aliquis*. Vide ſupra, epiſt. 11. *Idem.*

6 *Inci-*

ctet aliquis. Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet. Cum jam profeceris tantum, ut ſit tibi etiam tui reverentia, licebit dimittas pædagogum: interim te aliquorum auctoritate cuſtodi. Aut Cato ille ſit, aut Scipio, aut Lælius, aut cujus interventu perditi quoque homines vitia ſupprimerent; dum te efficis eum, coram quo peccare non audeas. Cum hæc effeceris, & aliqua cœperit apud te tui eſſe dignatio, [6] incipiam tibi permittere: quod idem ſuadet Epicurus. Tunc præcipue in te ipſe ſecede, cum eſſe cogeris in turba. Diſſimilem te fieri multis oportet. dum tibi tutum non eſt à te recedere: circumſpice ſingulos. Nemo eſt, cui non ſatius ſit cum quolibet eſſe, quam ſecum. Tunc præcipue in te ipſe ſecede, cum eſſe cogeris in turba, ſi bonus vir, ſi quietus, ſi temperans es: alioquin in turbam tibi à te recedendum eſt. Iſtic enim malo viro [7] propius es.

EPIST. XXVI.

Senem ſe eſſe, & tamen animo vigere. Fortiter de morte loquitur: quæ ſola, inquit, judicat an aliquid ſit facti. Reliqua, verba ſunt: robur & virtus apparebit, cum animam ages. Ab Epicuro clauſula: Diſce mortem meditari.

[1] MOdo dicebam tibi, in conſpectu eſſe me ſenectutis: jam vereor, ne ſenectutem poſt me reliquerim. Aliud jam his annis, [2] certe huic corpori vocabulum convenit: quoniam quidem Senectus, laſſæ ætatis, non fractæ nomen eſt.

6 *Incipiam tibi permittere*] Quidnam? puto excidiſſe brevem voculam: *incipiam te tibi permittere.* Ut ſuperius, *audeo te tibi credere.* Atque ita exhibet Torrent. *Gronovius.*

7 *Propius es*] Quidam, *propior*: & ſententia eſt illa. quam & ex vulgata efficias, littera addita, *Iſtic enim à malo viro propius abes.* Prope abeſſe ab aliquo, & Cicero & Seneca uſurpant, pro Vicinum eſſe. Ipſa autem res eſt, quæ ſupra epiſt. 10. *Mecum loquor. Cave, inquit Crates, ne cum homine malo loquaris.* Lipſius.

EPIST. XXVI. 1 *Modo dicebam tibi*] Quando, aut ubi? Epiſtola 12. in ſimili ætatis argumento, & augmento. *Idem.*

2 *Certe huic corpori*] Abeſt vulgatis vocula, *certe*: at neceſſaria eſt, & quaſi corrigit & mitigat de prægrandi ætate, & potius valetudine ac corpore fracto ſenem ſe eſſe. *Idem.*

3 *Viget*

Digitized by Google

eſt. Inter decrepitos me numera, & extrema tangentes. Gratias tamen mihi apud te ago: non ſentio in animo ætatis injuriam, cum ſentiam in corpore. tantum vitia, & vitiorum miniſteria ſenuerunt. [3] Viget animus, & gaudet non multum ſibi eſſe cum corpore: magnam oneris partem ſui poſuit, exſultat, & mihi facit controverſiam de ſenectute. hunc ait eſſe florem ſuum. Credamus illi, bono ſuo utatur. Ire in cogitationem juvat, & diſpicere, quid ex hac tranquillitate & modeſtia morum ſapientiæ debeam, quid ætati: & diligenter excutere, quæ non poſſim facere, [4] quæ nolim: [5] poſſim ne aliquid, quod nolim. Nam ſi quid non poſſum, non poſſe me gaudeo. Quæ enim querela eſt, quod incommodum, ſi quod debet deſinere, defecit? Incommodum ſummum eſt, inquis, minui & deperire, &, ut proprie dicam, liqueſcere. Non enim ſubito impulſi ac proſtrati ſumus: carpimur. ſinguli dies aliquid ſubtrahunt viribus. Et quis exitus eſt melior, quam in finem ſuum, natura ſolvente, dilabi? Non quia aliquid mali eſt [6] ictus, & è

3 *Viget animus*] Scriptis oſtendis, quibus nihil robuſtius. & ſimul illud Menandri affirmas:

Εἴ τ' ἄλλ' ἀφαιρεῖν ὁ πολὺς εἴωθε χρόνος
Ἡμῶν, τό γε φρονεῖν ἀσφαλέστερον ποιεῖ·
Ut alia longus auferat nobis dies,
At ſapere & intelligere firmius facit. Lipſius.

4 *Quæ nolim*] Tricæ hic in libris, vix extricandæ. Meus: *quæ nolim perdere nec habituro aliquid ſi nolim quidquid non poſſe me gaudeo.* Eliciat aliquis: *quæ nolim. proderitne abituro aliquid, ſi nolim quidquid non poſſum, & gaudeo.* Juvat quærere, inquit, quid ſapientiæ, quid ætati adſcribam. Sunt quæ facere non poſſum: Ætatis eſt. ſunt quæ etiam nolo: Sapientiæ eſt. Proderitne autem mox abituro & morituro, ſi nolim quod non poſſum, & non poſſe gaudeo? Proderit. nam in virtutem ita abit. Exempli gratia. à venere ætas arcet: ſunt qui indignantur, & velint: ſtultitia eſt. ſunt qui quod non poſſunt item nolint, & cum Sophocle gaudeant rabidam canem effugiſſe: Sapientia & virtus eſt. Qui meliora à ſe aut libris habet, porrigat. *Idem.*

5 *Poſſim ne aliquid quod nolim*] Longe aliter hic libri. Membranæ nobis viſæ: quæ, *nolim & prodeſſe habiturus ea quæ velim & prodeſſe me habituro aliquid ſi nolim, quicquid non poſſe me gaudeo.* Adde Gruterum & Lipſium. Verum videtur: *& diligenter excutere, quæ non poſſim facere, quæ nolim poſſe; habiturus aliquid, ſi nolim, quicquid non poſſe me gaudeo.* Nam Col. haudquaquam inter infimos Gruteri: *quæ nolim poſſe habiturus. Atqui ſi nolim quicquid non poſſe me ſcio, gaudeo.* Heinſ. *quæ nolim prodeſſe habiturus & in ſi nolim quicquid non p. m. g.* Erf. longa lacuna uſque ad epiſt. 58. nos deſtituit. *Gronovius.*

6 *Ictus, & è vita*] Quidam, *citus, &.* Lipſius.

& è vita repentinus exceſſus: ſed quia lenis hæc via eſt, [7] ſubduci. Ego certe, velut appropinquet experimentum, & ille laturus ſententiam de omnibus annis meis dies venerit, ita me obſervo & alloquor: Nihil eſt, inquam, adhuc, quod aut rebus aut verbis exhibuimus. levia ſunt iſta & fallacia pignora animi, multiſque involuta lenociniis: quid profecerim, morti crediturus ſum. Non timide itaque componor ad illum diem, quo remotis ſtrophis ac fucis, de me judicaturus ſum, utrum loquar fortia, an ſentiam: nunquid ſimulatio fuerit & mimus, quidquid contra fortunam jactavi verborum contumacium. Remove exiſtimationem hominum: dubia ſemper eſt, & in partem utramque dividitur. Remove ſtudia totam vitam tractata: mors de te pronuntiatura eſt. Ita dico, diſputationes & litterata colloquia, & ex præceptis ſapientium verba collecta, & eruditus ſermo, non oſtendunt verum robur animi. eſt enim oratio etiam timidiſſimis audax. quid egeris, tunc apparebit, cum animam ages. [8] Accipio conditionem, non reformido judicium. Hæc mecum loquor: ſed tecum quoque me locutum puta. Junior es? quid refert? non dinumerantur anni. Incertum eſt, quo te loco mors exſpectet: itaque tu illam omni loco exſpecta. Finire jam volebam, & manus ſpectabat ad clauſulam. ſed [9] conficienda ſunt ſacra: & huic epiſtolæ viaticum dandum eſt. Puta me non dicere, unde ſumpturus ſim mutuum: ſcis cujus arca utar. Exſpecta puſillum, [10] & de domo fiet numeratio: interim com-

7 *Subduci*] Quod fit in ſenili morte, cum ut ſol aut lumen, paullatim ſubtrahimur exſtinguimurque. Ep. 30. *Senectus leniter emittit, non repente avulſum vita, ſed minutatim ſubductum.* Lipſius.

8 *Accipio conditionem*] Præſtitiſti magnanime ſenex: & conſtans hoc robur prætuliſti, etſi in ſubita & indicta morte. *Idem.*

9 *Conficienda ſunt ſacra*] Interpretor, ſollennia omnia adhibenda: nihil omittendum, velut in ſacris. Proverbii vicem habet. At Mureti lectio, *conficienda ſunt ſagmata*, Mureti eſt: nec veſtigium in libris. *Idem.*

10 *Et de domo fiet numeratio*] A me ipſo, & meis copiis, non ab alio. Nunc etiam mutuor, parum adhuc ipſe abundans aut inſtructus. *Idem.* Ad hujus loci intelligentiam vide multa apud Ravardum lib. 1 Variorum c. 15. & Briſſonium lib. 6 de Formulis.

11 *Libe-*

Digitized by Google

commodabit Epicurus, qui ait: Meditare utrum commodius ſit, vel mortem tranſire ad nos, vel nos ad eam. Hic patet ſenſus. Egregia res eſt, mortem condiſcere. Supervacuum forſitan putas id diſcere, quo ſemel utendum eſt? hoc eſt ipſum, quare meditari debeamus. ſemper diſcendum eſt, quod an ſciamus, experiri non poſſumus. Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem jubet. qui mori didicit, ſervire dedidicit: ſupra omnem potentiam eſt, certe extra omnem. Quid ad illum carcer, & cuſtodia, & clauſtra? [11] liberum oſtium habet. Una eſt catena quæ nos alligatos tenet, amor vitæ: qui ut non eſt abjiciendus, ita minuendus eſt: ut, ſi quando res exiget, nihil nos detineat, nec impediat, quo minus parati ſimus, quod quandoque faciendum eſt, ſtatim facere.

EPIST. XXVII.

Monet, & excuſat. Quid enim? ipſe jam bonus, jam ſanus? Non ſum, inquit: ſed inter ægros, de communi malo, & remedio, tecum diſſero. Voluptates nocent, aut falſo juvant: Virtus ſola ſolidum gaudium parit. Sed hanc tu adſume & habe: per alium non potes. Hiſtoriola de Calviſio faceta. Epicuri dictum, Divitiæ ſunt, naturalis paupertas.

TU me, inquis, mones. jam enim te ipſe monuiſti, jam correxiſti? ideo aliorum emendationi vacas? Non ſum tam improbus, ut curationes æger obeam: ſed tanquam in eodem [1] valetudinario jaceam, de communi malo tecum colloquor, remedia communico. Sic itaque me audi, tanquam mecum loquar. in ſecretum te meum admitto; &

11 *Liberum oſtium*] Sermo Stoïcus. & identidem, ubi de morte ſubeunda vel ſumenda: Ἤνοικται ἡ θύρα· *Aperta eſt janua.* Exi, ſodes. Arrianus 1 Diſſert. 9. & alibi. *Lipſius.*

EPIST. XXVII. 1 *Valetudinario*] Gloſſæ priſcæ, *valetudinarium*, ὑγιαστήριον, διαιτητήριον· male valentium, & ſe curantium locus. Nominat auctor libelli de cauſſis corruptæ eloquentiæ, item Columella aliquoties. Videtur in ædibus divitum fuiſſe, ubi numeroſa familia, talis locus. Adde noſtrum de Ira lib.cap.16. *Idem.*

 2 *Me-*

Digitized by Google

to; & te adhibito, [2] mecum exigo. Clamo mihi ipſe, Numera annos tuos: & pudebit eadem velle, quæ volueras puer, eadem parare. Hoc denique tibi [3] citra diem mortis præſta: moriantur ante te vitia. Dimitte iſtas voluptates turbidas, magno luendas. non venturæ tantum, ſed præteritæ nocent. Quemadmodum ſcelera etiam ſi non ſunt deprehenſa cum fierent, ſolicitudo non cum ipſis abit: ita improbarum voluptatum, etiam poſt ipſas, pœnitentia eſt. Non ſunt ſolidæ, non ſunt fideles. etiam ſi non nocent, fugiunt. Aliquod potius bonum manſurum circumſpice. nullum autem eſt, niſi quod animus ex ſe ſibi invenit. Sola virtus [4] præſtat gaudium perpetuum, ſecurum: etiam ſi quid obſtat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt. Quando ad hoc gaudium pervenire continget? [5] non quidem ceſſatur adhuc, ſed non feſtinatur. Multum reſtat operis, in quod ipſe neceſſe eſt vigiliam, ipſe laborem tuum impendas, ſi effici cupis. [6] Delegationem res iſta non recipit. Aliud litterarum genus adjutorium admittit. [7] Calviſius Sabinus memo-

2 *Mecum exigo*] Expoſtulo. De Brevitate vitæ, c. 1. *Ariſtoteli cum rerum natura exigenti.* Lipſius.

3 *Citra diem*] Plerique libri, *circa*: nec male. *Idem.*

4 *Præſtat gaudium*] De quo ego Manud. 3. Diſſert. 5. *Idem.*

5 *Non quidem ceſſatur adhuc, ſed non feſtinatur*] Negationem Muretus adhibuit ſententiæ formandæ, ſed præter libros. Ego legam: *Non quidem ceſſaturo adhuc, ſed feſtinaturo multum reſtat operis: in quod ipſe,* & clauſula reliqua. Quæris, quando pervenies? Multum operis reſtat, etiam feſtinaturo, quid ceſſaturo? *Idem.* Negationem ante ultimum verbum inſeruit Muretus, contra quicquid eſt veterum librorum. Gruterus putat explicandum ex illo Catonis: *Aliud eſt properare, aliud feſtinare. qui unum quid mature tranſigit, is properat: qui multa ſimul incipit nec perficit, feſtinat.* Equidem & apud Plautum ſcio, *feſtinare* eſſe, trepidare, ſatagere. Sed id huic quomodo applicari poſſit, non video. Quare Lipſius tentat: *Non quidem ceſſaturo adhuc, ſed feſtinaturo multum reſtat operis,* &c. Cenſeam potius unicam literulam mutandam: *Non quidem ceſſatur adhuc, ſed feſtinetur.* Ipſe ſecum exigit Seneca, dein votum interponit: quando ad hoc gaudium perveniam? ſane non ceſſo: ſed non ſatis eſt, feſtinare debeo, non tantum non ceſſare. Nam etiam qui paululum modo promovet, non ceſſat, ſed nondum feſtinat. *Gronovius.*

6 *Delegationem*] A re nummaria. Æs hoc alienum alteri non delegabis ſolvendum, aut tranſcribes: à te facienda numeratio. *Lipſius.*

7 *Calviſius Sabinus*] Eſtne ille, qui in Tacito 6 Annalium, ſub Tiberio accuſatus?

Digitized by Google

memoria noſtra fuit dives: & [8] patrimonium habebat libertini, & ingenium. Nunquam vidi hominem [9] beatum indecentius. Huic memoria tam mala erat, ut illi modo nomen Ulyſſis excideret, modo Achillis, modo Priami: [10] quos tam bene noverat, [11] quam pædagogos noſtros novimus. Nemo vetulus nomenclator, qui nomina non reddit,

cuſatus? *Acervatim ex eo Annius Pollio, Appius Silanus, Scauro Mamerco ſimul, ac Sabino Calviſio majeſtatis poſtulantur.* Sed demiſſum oſtendit: & *Celſus urbanæ cohortis Tribunus Appium ac Calviſium diſcrimini exemit.* Tunc igitur dimiſſus, ſed à Caio Caligula, poſt aliquot annis, reprehenſus: de quo Dio, lib. 59. *Calviſius Sabinus inter primos Senatores, cum recens à Pannoniæ adminiſtratione rediiſſet, poſtulatus, morte ſpontanea damnationem antevenit.* An hic iſte ſit, neſcio. ætas convenit: fortaſſe obſtet, quod libertinus fuit, ut mox dicitur: etſi id quoque genus ſub Principibus ad ſummos honores evecti. *Lipſius.*

8 *Patrimonium habebat libertini*] Ita hæc edenda, aut certe *libertinum.* quod magis probem: ut ſignificet, non ipſum talem, ſed è talibus eſſe. Libri pro nobis. Sententia arguta, nec ſine ſcommate, quo Seneca inclinat. Habebat, inquit, opes magnas, ut ſolent nunc libertini: ſed & ingenium tale, id eſt humile, terreum, & quod ſaperet ſtirpem. *Idem.*

9 *Beatum indecentius*] Vulgi, non ſapientum judicio beatum: quod eſt divitem. Nam illi, ait noſter, *Beatum appellant, ad quem pecunia magna confluxit:* epiſt. 45. Indecenter igitur beatus, quia parum decore aut eleganter opibus uti poterat, bardus, blennus, frutex. *Idem.*

10 *Quos tam bene noverat*] Confutatiſſima eſt Mureti interpretatio. Sed potius non ſatisfacit, quam eleganter & conſiderate (quod utrumque de eodem vir doctus) emendatum à Lipſio inſerta particula: *Priami: & quos tam bene noverat.* Si tam bene noverat, quare tam facile excidebant? nam cui tam facile excidebant, is nunquam eos tam bene noverat. Quod vero ex ſcriptura Lipſiani codicis unius, *noſtros novos novimus*, expatratum, *quam pædagogus noſtra novit nomina:* & frigidum & durum & licenter mutatum, denique malo tibicine nititur. Sed & manet eadem abſurditas, quaſi aliquando eos bene noverit. Si quid video & meæ conjecturæ locus eſt: removendum eſt verbum *noverat*, tanquam hominis inepti emblema. Vide quam ſano ſenſu: *modo Achillis, modo Priami, quos tam bene quam pædagogos noſtros novimus:* nempe omnes liberali doctrina imbuti. Columella lib. 1 de re ruſtica: *Dementis eſt ipſum ſibi malam facere fortunam. quod facit, qui nequam vicinum ſuis nummis parit, cum à primis cunabulis, ſi modo liberis parentibus eſt oriundus, audiſſe potuerit:*

Οὐδ᾽ ἂν βοῦς ἀπόλοιτ᾽ εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη. Gronovius.

11 *Quam pædagogos*] Muretus ad iſta: *Nos nempe, qui jam ſenes ſumus, quibus omnis pædagogorum memoria excidit.* Neſcio, an ſic Seneca. Quis enim tam madida memoria, cui pædagogus, tot annorum individuus comes, exciderit? Meum tunc magis librum audiam: *quam pædagogos noſtros novos novimus.* Eam enim vocem inſerit: & certum, novitios ignotos etiam eſſe: At mihi ſedebat: *modo Priami: & quos tam bene.* Ille, inquit, obliviſcebatur omnium: etiam quos noverat, ut pædagogos ſolemus. *Lipſius.*

dit, ſed imponit, [12] tam perperam tribus, quam ille Trojanos & Achivos perſalutabat. Nihilominus [13] eruditus volebat videri. Hanc itaque compendiariam excogitavit. magna ſumma emit ſervos, unum [14] qui Homerum teneret, alterum qui Heſiodum: novem præterea Lyricis ſingulos aſſignavit. Magno emiſſe illum non eſt quod mireris. non invenerat: faciendos locavit. Poſtquam hæc familia illi comparata eſt, cœpit convivas ſuos inquietare. Habebat [15] ad pedes hos, à quibus ſubinde cum peteret verſus, quos referret, ſæpe in [16] medio verſu excidebat. Suaſit illi Satellius Quadratus, ſtultorum divitum [17] arroſor, & quod ſequitur, arriſor, & quod duobus his adjunctum eſt, deriſor, ut [18] Grammaticos haberet analectas. Cum dixiſſet Sabinus, centenis millibus ſibi conſtare ſingulos ſervos: Minoris, inquit, [19] totidem ſcrinia emiſſes. Ille tamen in ea opinione erat, ut putaret ſe ſcire, quod quiſquam in domo

12 *Tam perperam tribus*] Macte Pinciane. tibi, an tuis libris, debemus. Acutum eſt: & nomenclator tribules ſalutabat, aut reſalutabat, nomine Domini: vetulus aliquis prave, & pro Titio Seium. Noſtri codices: *tam properanter quam.* quod illuc ſane ducas, ſi diducas. *Lipſius.*

13 *Eruditus volebat videri*] Et obtinebat: quidni? Veriſſime Euripides in Herculidis:

—— οἰόμεσθα γὰρ
Τὸν εὐτυχοῦντα πάντ' ἐπίστασθαι σοφῶς·
—— nam cenſemus hoc,
Qui dives eſt felixque, ſcire hunc omnia.
Idem.

14 *Qui Homerum*] Saltem hoc bono judicio, aut ſuggeſtione, quod primas huic primo daret. *Idem.*

15 *Ad pedes*] Ad lecti fulcra, cum cœnaret: quos adſpicere, & innuere poſſet. *Idem.*

16 *Medio verſu*] Facetius, &, credo, verius eſt, *medio verbo:* quod priſci libri referunt. Tam infida memoria, ut deſtitueret in verbo, & totum non efferret. *Idem.*

17 *Arroſor*] Meus, *abraſor:* quod eodem vadit. *Idem.*

18 *Grammaticos haberet analectas*] Scite, & nimis argute. *Analecta* in conviviis, Græco verbo, reliquiæ, & quæ ſubleguntur aut colliguntur ſparſa. Suadebat igitur, habere Grammaticos ab hoc officio; qui reliqua ejus, & quæ exciderent ei, & velut ab ore aut orbe deciderent, colligerent & collecta redderent, atque ita explerent. Non poteſt venuſtius. Habes Grammaticos & litteratores, qui ſuggerunt velut cibum & ingerunt: ecce adde *ſublegulos*, qui elapſa tibi reponant. *Idem.* Quomodo autem hic locus explicetur, vide apud Alciatum lib. 8 Parerg. c.25. & Turneb. lib. 24 Adverſ. c. 33.

19 *Totidem ſcrinia*] In quibus reponi libri & ſcripta ſolent. Id quoque igitur argute: Hi tibi, tamquam armaria & ſcrinia ſunt, à quibus auctores petas: cur non ipſa emiſti, minoris quidem, & quæ fidelius etiam aſſervaſſent? *Lipſius.*

20 *Servos*

Digitized by Google

mo ſua ſciret. Idem Satellius illum hortari cœpit, ut luctaretur, hominem ægrum, pallidum, gracilem. Cum Sabinus reſpondiſſet, Et quomodo poſſum? vix vivo. Noli, obſecro te, inquit, iſtud dicere. non vides quam multos [20] ſervos valentiſſimos habeas? Bona mens [21] nec commodatur, nec emitur: & puto, ſi venalis eſſet, non haberet emptorem. at mala quotidie emitur. Sed accipe jam quod debeo, & vale. Divitiæ ſunt, ad legem naturæ compoſita paupertas. Hoc ſæpe dicit Epicurus, aliter atque aliter. Sed nunquam nimis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur. Quibuſdam remedia monſtranda, quibuſdam inculcanda ſunt.

EPIST. XXVIII.

Loca mutata, animum non mutant. ipſe te debes. Tolle internam ægrimoniam, omnis locus bonus jucunduſque erit. Eligam tamen, ſi poſſum, quietiſſimum & minus turbis aut vitiis opportunum. Clauſula: Peccata tua noſce, jam es ſalvus.

HOc tibi ſoli putas accidiſſe, & admiraris quaſi rem novam: quod peregrinatione tam longa, & tot locorum varietatibus, non diſcuſſiſti triſtitiam gravitatemque mentis. Animum debes mutare, non cælum. Licet vaſtum trajeceris mare, licet (ut ait Virgilius noſter) terræque urbeſque recedant: ſequentur te, quocumque perveneris, vitia. Hoc idem cuidam querenti Socrates ait: Quid miraris, nihil tibi [1] peregrinationes prodeſſe, cum te circumferas? Premit te eadem cauſſa quæ expulit. Quid terrarum juvare novitas poteſt? quid cognitio urbium, aut locorum? in irritum cedit iſta jactatio. Quæris quare te fuga

20 *Servos valentiſſimos*] Nam ſicut doctrinam ſervorum, ſuam putabat: cur non item robur? *Lipſius.*

21 *Nec commendatur*] Verius, *commodatur*: nec uſu, nec mancipio datur. *Idem.*

EPIST. XXVIII. 1 *Peregrinationes prodeſſe*] Meus, *proſunt*. Fuiſſe potuit, *ſi proſunt*. Idem.

fuga iſta non adjuvet? tecum fugis. Onus animi deponendum eſt: [2] non ante tibi ullus placebit locus. Talem nunc eſſe habitum tuum cogita, qualem Virgilius noſter vatis inducit, jam concitatæ & inſtigatæ, multumque habentis in ſe ſpiritus non ſui:

Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum. ——

Vadis huc & illuc, ut excutias inſidens pondus: quod ipſa jactatione incommodius fit. ſicut in navi onera immota minus urgent: inæqualiter convoluta, citius eam partem in quam incubuere demergunt. Quidquid facis, contra te facis, & motu ipſo noces tibi. ægrum enim concutis. At cum iſtud exemeris malum, omnis mutatio loci jucunda fiet. In ultimas expellaris terras licebit, in quolibet barbariæ angulo colloceris: hoſpitalis tibi illa qualiſcumque ſedes erit. Magis quis veneris, quam quo, intereſt: & ideo nulli loco addicere debemus animum. Cum hac perſuaſione vivendum eſt: Non ſum uni angulo natus: patria mea totus hic eſt mundus. Quod ſi liqueret tibi, non admirareris, nil adjuvari te regionum varietatibus, in quas ſubinde priorum tædio migras. Prima enim quæque placuiſſet, ſi omnem tuam crederes. Non peregrinaris, ſed erras & ageris, ac locum ex loco mutas: cum illud quod quæris, [3] Bene vivere, omni loco poſitum ſit. Num quid tam turbidum fieri poteſt, quam forum? ibi quoque licet quiete vivere, ſi neceſſe ſit. Sed ſi liceat diſponere ſe, conſpectum quoque & viciniam fori procul fugiam. nam ut loca gravia, etiam firmiſſimam valetudinem tentant: ita bonæ quoque menti, necdum adhuc perfectæ, & convaleſcenti, ſunt aliqua parum ſalubria. [4] Diſſentio ab his qui in flu-

2 *Non ante tibi*] Idem, *non aliter tibi.* Lipſius.

3 *Bene vivere*] Horatius:

—— *navibus atque*
Quadrigis petimus bene vivere. quod petis, hic eſt,
Eſt Vlubris: animus ſi te non deficit æquus. Idem.

4 *Diſſentio ab his*] Cujuſmodi Cynici. *Idem.*

5 *Magno*

Digitized by Google

in fluctus medios eunt, & tumultuoſam probantes vitam, quotidie cum difficultatibus rerum, [5] magno animo colluctantur. Sapiens feret iſta, non eliget: & malet in pace eſſe, quam in pugna. Non enim multum prodeſt vitia ſua projeciſſe, ſi cum alienis rixandum eſt. Triginta, inquis, tyranni Socratem circumſteterunt, nec potuerunt animum ejus infringere. Quid intereſt, quot domini ſint? ſervitus una eſt. Hanc qui contempſit, in quantalibet turba dominantium liber eſt. Tempus eſt deſinere, ſed ſi prius portorium ſolvero. [6] Initium eſt ſalutis, notitia peccati. Egregie mihi hoc dixiſſe videtur Epicurus. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu exiſtimas aliquid de remedio cogitare, qui mala ſua virtutum loco numerant? Ideo quantum potes, te ipſe coargue. inquire in te: accuſatoris primum partibus fungere, deinde judicis, noviſſime [7] deprecatoris. [8] aliquando te offende.

EPIST. XXIX.

Marcellinum difficilem corrigi. Adſpernatur enim, & illudit: tamen non deſeram, & fortaſſe vel ſic pervincam. Sententia Epicuri, Ne ſtude populo placere: id eſt, multis.

DE Marcellino noſtro quæris, & vis ſcire quid agat. Raro ad nos venit, nulla alia ex cauſſa, quam quia audire verum timet: à quo periculo jam abeſt. nulli enim niſi audituro dicendum eſt. Ideo de Diogene, nec minus de aliis Cynicis, qui libertate promiſcua uſi ſunt, & obvios quoſque

5 *Magno animo*] Meus, *magno opere.* Lipſius.

6 *Initium eſt ſalutis*] Ita Tertullianus, *Pœnitentiam* (hæc ex notitia peccati, & adhæret) *humanæ ſalutis quaſi Pharum* eſſe. Epictetus: *Εἰ βέλει ἀγαθὸς εἶναι, πρῶτον πίϛευσον ὅτι κακὸς εἶ·* *Si vis bonus eſſe, primum ſcito quod malus es,* Idem.

7 *Deprecatoris*] Veniam à te pete, emendaturus. *Idem.*

8 *Aliquando te offende*] Malim, *& offende.* Deprecare, inquit, & impetra: aliquando & pœnam, nec pœnitentiam tantum habe. A quo? ab ipſo te, qui judicium hoc exerces. Spectant iſta ad examen ſui, de quo ego aliquid Manud. 3. Diſſert. ult. *Idem.*

EPIST.

Digitized by Google

quoſque monuerunt, dubitari ſolet, an hoc facere debuerint. Quid enim ſi quis ſurdos objurget, aut natura morbove mutos? Quare, inquis, verbis parcam? gratuita ſunt. Non poſſum ſcire an ei profuturus ſim, quem admoneo: illud ſcio, alicui me profuturum, ſi multos admonuero. Spargenda eſt manus: non poteſt fieri, ut non aliquando ſuccedat, multa tentanti. Hoc, mi Lucili, non exiſtimo faciendum magno viro. diluitur ejus auctoritas, nec habet apud eos ſatis ponderis, quos poſſet minus obſoleſacta corrigere. Sagittarius non aliquando ferire debet, ſed aliquando deerrare. Non eſt ars, quæ ad effectum caſu venit. Sapientia ars eſt. certum petat: eligat profecturos: ab his quos deſperavit, recedat: non tamen cito relinquat, ſed in ipſa deſperatione extrema remedia tentet. Marcellinum noſtrum ego nondum deſpero. etiamnum ſervari poteſt: ſed ſi cito illi manus porrigitur. Eſt quidem periculum, ne porrigentem trahat. magna in illo ingenii vis eſt; ſed jam tendentis in pravum. Nihilominus adibo hoc periculum, & audebo illi mala ſua oſtendere. Faciet quod ſolet, advocabit illas facetias, quæ riſum evocare lugentibus poſſunt: & in ſe primum, deinde in nos jocabitur: omnia quæ dicturus ſum, occupabit. Scrutabitur ſcholas noſtras, & objiciet philoſophis congiaria, amicas, gulam: oſtendet mihi alium in adulterio, alium in popina, alium in aula: oſtendet mihi lepidum philoſophum [1] Ariſtonem, qui [2] in geſtatione diſſerebat. hoc enim [3] ad edendas operas tempus acceperat. De cujus ſecta cum quæreretur, Scaurus ait: Utique [4] Peripateticus non eſt. De eodem cum

EPIST. XXIX. 1 *Ariſtonem*] Plures hoc nomine fuerunt, & quidam Stoïcus, Zenonis auditor: quem noſter aliquoties citat: *Chium* etiam patria facit. Valde alius iſte, degener nominis & profeſſionis. *Lipſius.*

2 *In geſtatione*] In eſſedo. *Idem.*

3 *Ad edendas operas tempus acceperat*] Quaſi de ſcænico, aut arenario loqueretur. *Idem.* A quo dante? Lego: *hoc enim ad edendas operas tempus exceperat.* i. reliquum ſibi fecerat ab aliis curis parum ſeriis. *Gronovius.* Notat hic *edere operas* ſumi pro præſtare, uti & l. 9. l. 21. ff. de oper. libert. Briſſon. lib. 5. de verb. ſign.

4 *Peripateticus non eſt*] Sedebat enim, non ambulabat. *Lipſius.*

5 *Julius*

Digitized by Google

cum conſuleretur [5] Julius Græcinus, vir egregius, quid ſentiret: Non poſſum, inquit, tibi dicere. neſcio enim quid [6] de gradu faciat. [7] tanquam de eſſedario interrogaretur. Hos mihi [8] circulatores, qui philoſophiam honeſtius neglexiſſent, quam vendunt, in faciem ingeret. Conſtitui tamen contumelias perpeti. moveat ille mihi riſum: ego fortaſſe illi lacrimas movebo: aut, ſi ridere perſeverabit, gaudebo, tanquam in malis, quod illi genus [9] inſaniæ hilare contigerit. Sed non eſt illa hilaritas longa. obſerva, videbis eoſdem intra exiguum tempus acerrime ridere, & [10] acerrime rabere. Propoſitum eſt aggredi illum, & oſtendere quanto pluris fuerit, cum multis [11] minoris videretur. Vitia ejus, etiam ſi non excidero, inhibebo. non deſinent, ſed intermittent, fortaſſe autem & deſinent, ſi intermittendi

5 *Julius Gracinus*] Quem eodem, quo hic elogio afficit, de Benefic. 2. cap. 21. *Si exemplo magni animi opus eſt, utemur Gracini Julii, viri egregii, quem C. Caſar occidit.* Eſt ille Julii Agricolæ pater, *ſtudio eloquentia ſapientiaque notus*, ut ait Tacitus: Agricolæ, qui ſocer Taciti ipſius fuit. *Lipſius.*

6 *De gradu faciat*] Suſpicatus olim (2 Saturn. c. 12.) *degradus* legendum, ut *retrogradus* item formamus: & ſane quidam libri *degradu*, unica dictione referunt. Servemus tamen, & dictum arenæ cenſeamus, ut illud *de genu pugnare:* in eodem Senecæ, de Provid. cap. 2. Quin & Livius lib. 34. *de gradu conari*. Sententiam hic puto, eſſedarios ſolitos etiam pedites pugnare, de curru ſubito delapſos. Neſcio igitur, aiebat, cujuſmodi hic Eſſedarius (ad geſtationem ejus alluſum) quem numquam de gradu & inceſſu pugnantem vidi. *Idem.*

7 *Tanquam de eſſedario interrogaretur*] Eſſedarii ſunt qui ex eſſedo pugnant. tangit autem hunc locum P. Faber lib. 2 Semeſtr. c. 11. & Lipſius lib. 2. c. 12 Saturn. Serm.

8 *Circulatores*] Vox additur meo libro, *circulatores ſophiſtas.* Porro illi dicti, qui circulos & coronas populi cogunt, vernacula aut ſcurrilia dicta proferunt, præſtigias exhibent, aut alia plebeculæ miranda: Græcis ἀγύρται, pari cauſſa. *Idem.*

9 *Inſania hilare*] Ab Eraſmo aut Agricola eſt: optime. nam libri, *inſania evitare.* Noſter de Vit. Beat. c. 12. *Pleriſque contingit hilarem inſaniam inſanire, ac per riſum furere.* Neque igitur male, *hilara,* hic legatur. *Idem.*

10 *Acerrime rabere*] Ira & rabie agitari. Varro: *Quid blateras, quid rabis, quid vis tibi?* apud Ciceronem poëta vetus:

Sed quid oculis rabere viſa eſt derepente ardentibus?

Bonum igitur hoc verbi: nec inepte tamen Eraſmus, *rudere:* Quia & libri quidam, *rubere.* Idem.

11 *Minoris videretur*] Ergo olim ſapientiæ & modeſtiæ deditus, poſtea ad vana, & vulgo majora, ivit: ſi tamen hæc vera lectio. Nam meus, & quidam, *videbitur.* Quod ad futuram ſapientiam trahas. Docebo quam hæc parva, illa magna. *Idem.*

12 Qur-

Digitized by Google

tendi conſuetudinem fecerint. Non eſt hoc ipſum faſti-diendum. quoniam quidem graviter affectis, ſanitatis loco eſt bona remiſſio. Dum me illi paro, tu interim qui potes, qui intelligis unde quo evaſeris, & ex eo ſuſpicaris, [12] quouſque ſis evaſurus, compone mores tuos, attolle animum, adverſus formidata conſiſte, numerare eos noli, qui tibi metum faciunt. Nonne videatur ſtultus, ſi quis multitudinem timeat eo loco, per quem tranſitus ſingulis eſt? æque ad tuam mortem multis aditus non eſt, licet illam multi minentur. Sic iſtud natura diſpoſuit. ſpiritum tibi tam unus eripiet, quam unus dedit. Si pudorem haberes, ultimam mihi penſionem remiſiſſes. Sed ne ego quidem me ſordide geram [13] in fine æris alieni, & tibi quod debeo impingam. Nunquam volui populo placere. nam quæ ego ſcio, non probat populus; quæ probat populus, ego neſcio. Quis hoc? inquis. Tanquam neſcias cui imperem. Epicurus. Sed idem hoc omnes tibi ex omni domo conclamabunt, Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici. Quis enim [14] placere poteſt populo, cui placet virtus? malis artibus

popu-

12 *Quouſque ſis evaſurus*] Ad ſumma (ſi licitum) ſapientiæ: nunc in via & profectu es. *Lipſius.*

13 *In fœnore æris*] Meus & plures, *in fine.* quod veriſſimum habeo, & adprobant priora illa, *ultimam penſionem.* Quare autem *finis æris alieni?* quia ſcilicet finis libri: & videtur ſane per libros diſtinxiſſe, ut initio dixi. *Idem.*

14 *Placere poteſt populo*] Locus in philoſophia magnus, & magni uſus: nihil velle, quod velit vulgus. Ita Diogenes Cynicus, cum aliquando theatrum iniret, adverſus & obnitens exeuntibus, rogatus *Quid faceret?* *Quod in omni vita,* inquit, *ſtudeo:* nempe adverſus & diverſus vobis eſſe. Atque idem (apud Stobæum, Serm. 3.) dicentibus, Διογένην ἀνόητον εἶναι, Ἀνόητος μὲν οὐκ εἰμί, ἔφη, τὸν δὲ αὐτὸν ὑμῖν νοῦν οὐκ ἔχω· *Diogenem amentem eſſe, Amens, inquit, non ſum, ſed eamdem vobis mentem non habeo.* Caput ſapientiæ eſt, aliter affici, & judicia vulgi juſta non habere. Itaque iterum magnus Diogenes, πρὸς τὸν εἰπόντα, Οἱ πλείους σου καταγελῶσι· Κἀκείνων τυχὸν, εἶπεν, οἱ ὄνοι. ἀλλ' οὔτ' ἐκεῖνοι τῶν ὄνων ἐπιστρέφονται, οὔτε ἐγὼ ἐκείνων· *ad eum qui diceret, Vulgus te irridet: Fortaſſe & illos aſini, inquit. Sed neque ipſi aſinos curant aut attendunt, neque ego illos.* Scitiſſime, deteriores de melioribus non judicant, ſed garriunt & præſumunt: non aliter quam beſtiæ de nobis, nos de Divis. Cum Pythagora ſtatuendum: Φαῦλος κριτὴς παντὸς καλοῦ πράγματος ὄχλος. διόπερ ὧν ἂν τῶν ἐπαίνων καταφρονῇς, καὶ τῶν ψόγων καταφρόνει· *Malus judex omnis honeſti populus. Quorum igitur laudes haud æſtimes, contemne etiam vituperationes.* Quo ſpectat hoc ejus monitum, *Per viam publicam non ire.* Non ut inceſſu vitemus, ſed ut ſenſu, & vita. *Idem.*

15 *Aut*

popularis favor quæritur: ſimilem te illis facias oportet. non probabunt, niſi agnoverint. Multo autem ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quam qualis aliis. Conciliari niſi turpi ratione amor turpium non poteſt. Quid ergo illa laudata, & omnibus præferenda artibus rebuſque philoſophia præſtabit? ſcilicet ut malis tibi placere, quam populo: ut æſtimes judicia, non numeres: ut ſine metu deorum hominumque vivas: ut aut vincas mala, [15] aut finias. Ceterum ſi te videro celebrem ſecundis vocibus vulgi, ſi intrante te clamor, plauſus, & [16] pantomimica ornamenta obſtrepuerint, ſi tota civitate feminæ te puerique laudaverint: quid ni ego tui miſerear, cum ſciam [17] quæ via ad iſtum favorem ferat?

EPIST. XXX.

Morti parari nos debere, & robur in eam ſumere, ab exemplo Aufidii Baſſi: qui ſenex libenter audit de ea, & loquitur, & rationibus adſtruit, non timendam. Obiter iſta aliqua.

[1] BAſſum Aufidium, virum optimum, vidi quaſſum, ætati obluctantem. Sed jam plus illum degravat, quam quod poſſit attolli. Magno ſenectus & univerſo pondere incubuit. Scis illum ſemper infirmi corporis & exhauſti fuiſſe: diu illud continuit, & ut verius dicam, [2] concinnavit. ſubito defecit. Quemadmodum in nave quæ ſenti-

15 *Aut finias*] Stoïcum illud, exi, janua patet. *Lipſius.*

16 *Pantomimica ornamenta*] Quibus Pantomimi in theatris affici ornarique ſolent. Nam favor & plauſus illis, à vulgo quidem. *Idem.*

17 *Quæ via*] Illa popularis, & vanarum malarumque artium. *Idem.*

EPIST. XXX. 1 *Baſſum Aufidium*] Illum, opinor, qui Hiſtorias ſcripſit, & quidem belli Civilis. Colligas ex Suaſoria 6 apud Senecam. ubi ejus de morte Ciceronis fragmentum. Sed & *belli Germanici* ſcripſiſſe, & in iis *Saluſtii velocitatem expreſſiſſe*, Fabius tradit. Plinius item minor nominat, & avunculum addit ſuum ſcripſiſſe *A fine Aufidii Baſſi* (ubi ille deſiit) *libros triginta unum*, lib. 3. epiſt. 5. De iſto igitur, an magis de filio ejus, jam noſter. *Idem.*

2 *Concinnavit*] Quaſi conſtruxit, & diffluens junxit. In Plauto ea ſignificatio, & Gloſſis: *Συνονθυλίζομαι, Concinno.* Idem.

3 *Hoc*

ſentinam trahit, uni rimæ aut alteri obſiſtitur: ubi pluri-mis locis laxari cœpit & cedere, ſuccurri non poteſt navi-gio dehiſcenti: ita in ſenili corpore aliquatenus imbecilli-tas ſuſtineri & fulciri poteſt. ubi tanquam in putri ædifi-cio omnis junctura diducitur, & dum alia excipitur, alia diſcinditur: circumſpiciendum eſt, quomodo exeas. Baſ-ſus tamen noſter alacer animo eſt.[3] hoc philoſophia præſtat: in quocumque corporis habitu fortem, in conſpectu mor-tis hilarem lætumque;[4] nec deficientem, quamvis defi-ciatur. Magnus gubernator & ſciſſo navigat velo, &[5] ſi exarmavit, tamen reliquias navigii aptat ad curſum. Hoc facit Baſſus noſter: & eo animo vultuque finem ſuum ſpe-ctat, quo alienum ſpectare, nimis ſecuri putares. Magna res eſt hæc, Lucili, & diu diſcenda, cum adventat hora il-la inevitabilis, æquo animo abire. Alia genera mortis, ſpei mixta

3 *Hoc philoſophia*] Meus liber, *hunc philoſophia*. Nempe animum: & tunc continuando legeris, *præſtat in quocumque*. Lipſius.

4 *Nec deficientem, quamvis deficiat*] Vide quid ſit nodum in ſcirpo quærere. Scripti: *deficiatur*. Fortaſſe, *deficiat*. *Ut magnus*. Sic Lipſius. Immo optime ſcripti: Senſus, quamvis à corpore deſtituatur. Statius: *odi artus fragilemque hunc corporis uſum Deſertorem animi*. Columella lib. 1. *lecticariorum defectiſſimum annis & viribus*. Sic Epiſt. 59. *cum illos nox inter vitia defecit*. Arridet, inquit Gruterus, ſi modo inſuper ſcribamus, *cum illis*. Ergo & corrigendum apud Ciceronem lib. 3 in Verrem: *quoniam me Leontina civitas atque legatio propter eam, quam dixi, cauſam defecit*. Noſter epiſt. 76. *deficiatur pecunia, clientum turba, nobilitate*. Epiſt. 92. *etſi aliquibus commodis deficitur*. Epiſt. 58. *defectum & præmortuum corpus*. Ubi cum eſſet, qui *effætum* ſupponeret, tuetur tamen Gruterus: ſed ex quinque locis, quibus confirmat, duo tantum ad rem faciunt. Valerius Maximus lib. 7. c. 6. *D. Julii exercitus, id eſt, invicti ducis invicta dextera, cum armis Mundam clauſiſſet, aggerique exſtruendo materia deficeretur*. Ita enim leg. ex mss. Vulgo, *deficeret*. Porro quod ſequitur, *magnus gubernator*, aut *magnus*, inquit Gruterus, ad animum artiſve peritiam referatur oportet, aut reſcribendum, *Gnavus gubernator*. Et quis dubitet reſpectu ad artem & experientiam habito *magnum* dici? Quid cum Cicero de Agyrienſibus in Sicilia? *hominum ante hunc prætorem locupletium, ſummorumque aratorum*. Aut de Herbitenſibus? *At quorum hominum? ſummorum aratorum*. Gronovius.

5 *Si exarmavit*] Abſolute ſic dictum: nec temere mutem. Tamen libri vacillant, & quidam *exarmatur*, aut *exarmetur*: meorum unus, ut & Eraſmi, *ſi exarmaverit eum tempeſtas*. Vulgatum ſi tenemus, patiendi tamen ſignificatione capiemus. ut in Conſol. ad Helviam, c. ult. *Exarmata navi, naufragium ſuum ſpectantem*. Hoc eſt, amiſſis fractiſve rudentibus, anchoris, velis: quæ ſunt navium armamenta. *Lipſius*.

6 *Depo-*

mixta ſunt. Deſinit morbus, incendium exſtinguitur, ruina quos videbatur oppreſſura [6] depoſuit: mare quos hauſerat, eadem vi qua ſorbebat, ejecit incolumes; gladium miles ab ipſa perituri cervice revocavit: nihil habet quod ſperet, quem ſenectus ducit ad mortem. huic uni intercedi non poteſt. Nullo genere homines mollius moriuntur, ſed nec diutius. Baſſus noſter videtur mihi [7] proſequi ſe, & [8] componere, & vivere tanquam ſuperſtes ſibi, & ſapienter ferre [9] deſiderium ſui. Nam de morte multa loquitur, & id agit ſedulo, ut nobis perſuadeat, ſi quid incommodi aut metus in hoc negotio eſt, morientis vitium eſſe, non mortis: nec magis in ipſa quidquam eſſe moleſtiæ, quam poſt ipſam. Tam demens autem eſt qui timet quod non eſt paſſurus, quam qui timet quod non eſt ſenſurus. An quiſquam hoc futurum credit, ut per quam nihil ſentitur, ea ſentiatur? Ergo, inquit, mors adeo extra omne malum eſt, ut ſit extra omnem malorum metum. Hæc ego ſcio & ſæpe dicta, & ſæpe dicenda. ſed neque cum legerem, æque mihi profuerunt: neque cum audirem, his dicentibus, qui negabant timenda à quorum metu aberant. Hic vero plurimum apud me auctoritatis habuit, cum loqueretur de morte vicina. Dicam enim quid ſentiam. Puto etiam [10] fortiorem eum eſſe, qui in ipſa morte eſt, quam qui circa mortem. [11] Mors enim admota, etiam imperitis

6 *Depoſuit*] Sine noxa, & velut manu collocavit. Simile in epiſt. 13. *Incendium ad fugam patuit, quoſdam molliter ruina depoſuit.* Lipſius.

7 *Proſequi ſe*] Tamquam in funere. *Idem.*

8 *Componere*] In lectulo, aut rogo. Horatius: *Omnes compoſui felices.* Idem.

9 *Diſcidium ſui*] A Mureto eſt, nec diſpliceat. Libri tamen omnes, *deſiderium*. quod item in mortuis valet, quos ſuperſtites ſcilicet deſiderant. Omnis autem hic ſermo, tamquam Baſſus poſt Baſſum vivat. *Idem.*

10 *Fortiorem eum*] Id eſt, animo magis conſtare, facilius ferre & ſubire poſſe. Alias, videatur negatio requiri, pro ſententia ſequente. *Idem.*

11 *Mors enim admota*] Pulcher hic locus. quem interpretetur & firmet ſimillimus Panegyrici, Theodoſio dicti: *Magno quidem, fateor, pectoribus humanis, atque adeo maximo, lux amori, interitus horrori eſt: ſed quatenus aut iſta optari poteſt, aut ille vitari. At ſi ultima ſupra caput ſteterit hora, & venerit dies numquam reverſurus, ac ſe confeſſa mors fuerit; non timentur extrema, cum certa ſunt. Hinc reorum uſque ad damnationem metus: poſtea attonitus ſtupor, & ex deſpe-*

tis animum dedit, non vitandi inevitabilia. Sic gladiator tota pugna timidiſſimus [12] jugulum adverſario præſtat, & errantem gladium ſibi attemperat. At illa quæ in propinquo eſt, utique ventura, deſiderat lentam animi firmitatem: quæ eſt rarior, nec poteſt niſi à ſapiente præſtari. Libentiſſime itaque illum audiebam, quaſi ferentem de morte ſententiam, & qualis eſſet ejus natura, velut propius inſpectæ, indicantem. Plus, ut puto, fidei haberet apud te, plus ponderis, ſi quis revixiſſet, & in morte nihil mali eſſe narraret expertus. Acceſſus mortis quam perturbationem afferat, optime hi tibi dicent, qui ſecundum illam ſteterunt, [13] qui venientem, & viderunt, & receperunt. Inter hos Baſſum licet numeres, qui nos decipi noluit. is ait, tam ſtultum eſſe qui mortem timeat, quam qui ſenectutem. Nam quemadmodum ſenectus [14] adoleſcentiam ſequitur, ita mors ſenectutem. Vivere noluit, qui mori non vult. [15] Vita enim cum exceptione mortis data eſt:

deſperatione ſecuritas, & ad locum ſupplicis, carnifice non trahente, properatio. Sunt diſerta, & cum his Annæi certantia. *Lipſius.*

12 *Jugulum adverſario*] De hoc ritu nos in Saturnalibus lib. 2. *Idem.*

13 *Qui venientem & viderunt & receperunt*] Si receperunt, quomodo narrabunt, & dicent? Imo, credo, vult eos qui proximi fuerunt, & tamen *ſe receperunt*, nobis de ea loqui. Itaque ſic legam. Meus liber, *& reperunt:* poſſis igitur, *& repulerunt*, aut *rejecerunt.* Sed cum recogito, quid ſi vult mortem *receptam*, etſi non totam? animo etiam & fide receptam, ad eamque paratos eſſe? *Idem.* Ita mss. & ita maneat: alio conjecturas, *ſe receperunt*, *repulerunt*, *rejecerunt.* Genus eſt loquendi intelligendum, non quatenus ſenſus verbi patet, ſed quatenus veritas rei patitur. Plinius de Cæſare Auguſto: *deſtinatio moriendi & quatridui inedia magna pars mortis in corpus recepta.* Quid Tacitus de Paullina Senecæ? *ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut oſtentui eſſet, multum vitalis ſpiritus egeſtum.* Et hæc, Plinii verbo, magnam partem mortis in corpus receperat. Sed non hi tantum, omnes qui non refugerunt vel inſtantem vel minantem, ab ipſis orci cancris liberati, viderunt & receperunt mortem. Et ſufficit, animo & fide receptam, atque ad eam paratos fuiſſe: quod tamen in mentem hæſitanti ſummo viro venit. *Gronovius.*

14 *Adoleſcentiam ſequitur*] Late, pro virili etiam ætate: ut ſæpe. *Lipſius.*

15 *Vita enim cum exceptione mortis data eſt*] Hoc eſt, cum conditione ſimul habendæ mortis. Epiſt. 6. *ſi cum hac exceptione detur ſapientia, ut illam incluſam teneam.* Epiſt. 57. *quoniam nulla immortalitas cum exceptione data eſt, nec quicquam noxium æterno eſt.* Tacitus de moribus German. *Apud Suiones unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi.* Ne *exſpectatione*, quod eſt in uno atque altero libro,

Digitized by Google

eſt: ad hanc itur. quam ideo timere dementis eſt; quia certa exſpectantur, dubia metuuntur. Mors neceſſitatem habet, æquam & invictam. Quis queri poteſt, in ea conditione ſe eſſe, in qua nemo non eſt? prima enim pars æquitatis, eſt æqualitas. Sed nunc ſupervacuum eſt, naturæ cauſſam agere: quæ non aliam voluit legem noſtram eſſe, quam ſuam. quidquid compoſuit, reſolvit: & quidquid reſolvit, componit iterum: Jam vero ſi cui contigit, ut illum ſenectus leniter emitteret, non repente avulſum vitæ, ſed [16] minutatim ſubductum, næ ille gratias agere diis omnibus debet, quod ſatiatus ad requiem homini neceſſariam, laſſo gratam, perductus eſt. Vides quoſdam optantes mortem, & quidem magis quam rogari ſolet vita. Neſcio utros exiſtimem majorem nobis animum dare: qui depoſcunt mortem, an qui hilares eam quietique opperiuntur. quoniam illud ex rabie interdum, ac repentina indignatione fit: hæc ex judicio certo tranquillitas eſt. Venit aliquis ad mortem iratus morti: venientem nemo hilaris excipit, niſi qui ſe ad illam diu compoſuerat. Fateor ergo, ad hominem mihi carum, ex pluribus me cauſſis frequentius veniſſe, ut ſcirem an illum toties eumdem invenirem: numquid cum corporis viribus minueretur animi vigor. qui ſic creſcebat illi, quomodo manifeſtior notari ſolet agitatorum lætitia, [17] cum ſeptimo ſpatio palmæ appropin-

libro, hic melius quadrare credas viro docto. *Receptione*, quod fuit in uno ab antiqua manu, ſatis ferrem, ſi plures affirmarent, ſed eadem ſententia. Sed iſtud frequentius. *Gronovius.*

16 *Minutatim ſubductum*] Supra hoc verbi, in eadem re, epiſt. 26. Pro ſenſu, *Alexis poeta comicus, cum quidam ſenem eum vidiſſet, & ægre incedentem, Quid agis? interrogavit. Ille autem*, Κατὰ σχολὴν ἀποθνήσκω· *Otioſe morior*: id eſt, paullatim illuc eo. Stobæus Serm. 115. *Lipſius.*

17 *Cum ſeptimo ſpatio palmæ appropinquant*] Notum in circo toties cucurriſſe, & metam ambiviſſe. Comparat autem & Juncus (apud Stobæum, de Senectute) pulchre vitam cum curſu aut navigatione. *Senex enim emenſus hoc grande pelagus, juſſu gubernatoris ad portum appellit, & navi exit: aut in ſtadio alibi peracto certamine, & coronam adeptus, Agonibus valedicit. At juvenis in medio velut mari non aſſecutus navigationis terminum, quem vetus toties deſtinarat, obiit: aut in ſtadio adhuc currens, lapſus eſt, & ſine corona eductus.* Idem. Curulium ludorum curſum ſeptimo apud Romanos ſpatio pluribus ex locis docet P. Faber lib. 1. c. 18. Agoniſt.

pinquant. Dicebat quidem ille Epicuri præceptis obſequens, primum ſperare ſe, nullum dolorem eſſe in illo extremo anhelitu: ſi tamen eſſet, habere aliquantulum in ipſa brevitate ſolatii. Nullum enim dolorem longum eſſe, qui magnus eſt. Ceterum ſuccurſurum ſibi etiam in ipſa diſtractione animæ corporiſque, ſi cum cruciatu id fieret, poſt illum dolorem ſe dolere non poſſe. Non dubitare autem ſe, quin ſenilis anima in primis labris eſſet, [18] nec magna vi diſtraheretur à corpore. Ignis qui valentem materiam occupavit, aqua, & interdum ruina exſtinguendus eſt: ille qui alimentis deficitur, ſua ſponte ſubſidit. Libenter hæc, mi Lucili, audio, non tanquam nova, ſed tanquam in rem præſentem perductus. Quid ergo? non multos ſpectavi abrumpentes vitam? ego vero vidi: ſed plus momenti apud me habent, qui ad mortem veniunt ſine odio vitæ; & admittunt illam, non attrahunt. Illud quidem aiebat tormentum noſtrâ nos ſentire operâ, quod tunc trepidamus, cum prope à nobis eſſe credimus mortem. A quo enim non eſt, parata omnibus locis, omnibuſque momentis? Sed conſideremus, inquit, tunc cum aliqua cauſſa moriendi videtur accedere, quanto aliæ propiores ſint quæ non timentur. Hoſtis alicui mortem minabatur: hanc cruditas occupavit. Si diſtinguere voluerimus cauſſas metus noſtri, inveniemus alias eſſe, alias videri. Non mortem timemus, ſed cogitationem mortis: ab ipſa enim ſemper tantumdem abſumus. Ita ſi timenda mors eſt, ſemper timenda eſt. quod enim tempus morti exemptum eſt? Sed vereri debeo, ne tam longas epiſtolas, pejus quam mortem, oderis: itaque finem facio. Tu tamen mortem, ut nunquam timeas, ſemper cogita.

Epist.

18 *Nec magna vi*] Non hercules, ac cum Sophocle,

Σμικρὰ παλαιὰ σώματ᾽ εὐνάζει ῥοπή·
Pulſu levi cadunt vetuſta corpora.

Sicut matura poma ſponte cadunt, cruda avelluntur: ſic in juvene, aut ſene. *Lipſius.*

Epist.

Digitized by Google

EPIST. XXXI.

Et vota, & judicia vulgi, ſpernendum: ad verum bonum eundum eſt. id autem, Scientia rerum, per quam vera & falſa noſcas; peritura & manſura. Exemplis illuſtrat.

AGnoſco Lucilium meum, incipit quem promiſerat exhibere. ſequere illum impetum animi, quo ad optima quæque, calcatis popularibus bonis, ibas. Non deſidero majorem melioremque te fieri, quam moliebaris. Fundamenta tua multum loci occupaverunt. tantum effice, quantum conatus es: & illa quæ tecum in animo tuliſti, tracta. Ad ſummam, ſapiens eris, ſi clauſeris aures. quibus ceram parum eſt obdere. firmiori ſpiſſamento opus eſt, quam uſum in ſociis Ulyſſem ferunt. Illa vox quæ timebatur, erat blanda, non tamen publica: at hæc quæ timenda eſt, non ex uno ſcopulo, ſed ex omni terrarum parte circumſonat. Prætervehere itaque non unum locum inſidioſa voluptate ſuſpectum, ſed omnes urbes: ſurdum te amantiſſimis tui præſta. Bono animo male precantur. & ſi vis eſſe felix, deos ora, ne quid tibi ex his quæ optantur eveniat. Non ſunt iſta bona, quæ in te iſti volunt congeri: unum bonum eſt, quod beatæ vitæ cauſſa & firmamentum eſt,[1] ſibi fidere. Hoc autem contingere non poteſt, niſi contemptus eſt labor, & in eorum numero habitus, quæ neque bona ſunt, neque mala. Fieri enim non poteſt, ut una res modo mala ſit, modo bona: modo levis & perferenda, modo expaveſcenda. Labor bonum non eſt. quid ergo eſt bonum? laboris [2] contemptio. Itaque in vanum operoſos culpaverim: rurſus ad honeſta nitentes, quanto magis incubuerint, minuſque ſibi [3] vinci ac ſtrigare permiſerint, admira-

EPIST. XXXI. 1 *Sibi fidere*] A ſe pendere, & ex ſe naſcentibus bonis: externa omnia contemptui habere. *Lipſius.*

2 *Contemptio*] Subjungit meus liber: *id eſt, non curare, cum oportet laborem ſubire.* Gloſſographi, an Senecæ ſint, ambigo: illius magis. *Idem.*

3 *Vinci ac ſtrigare permiſerint*] Puto germanum eſſe, etſi libri fere, *vitia* con-

Digitized by Google

mirabor & clamabo, [4] Tanto melior: ſurge [5] & reſpira: & clivum iſtum uno, ſi potes, ſpiritu exſupera. Generoſos animos labor nutrit. Non eſt ergo quod ex illo veteri voto parentum tuorum eligas, quid contingere tibi velis, quid optes: & [6] in totum, jam per maxima acto viro turpe eſt, etiamnum deos fatigare. Quid votis opus eſt? fac te ipſe felicem. facies autem, ſi intellexeris bona eſſe, quibus admixta eſt virtus: turpia, quibus malitia conjuncta eſt. Quemadmodum ſine mixtura lucis nihil ſplendidum eſt: nihil atrum, niſi quod tenebras habet, aut aliquid in ſe traxit obſcuri: quemadmodum ſine adjutorio ignis, nihil calidum eſt, nihil ſine [7] aëre frigidum: ita honeſta & turpia, virtutis & malitiæ ſocietas efficit. Quid ergo eſt bonum? [8] rerum ſcientia. Quid malum eſt? rerum imperitia. Ille prudens atque artifex, pro tempore, quæque [9] repellet aut eliget. Sed nec quæ repellit timet, nec miratur quæ eligit: ſi modo magnus illi & invictus animus eſt. Submitti te ac deprimi veto. laborem ſi non recuſes, parum eſt: poſce. Quis ergo, inquis, labor frivolus & ſupervacuus eſt? in quem humiles cauſſæ vocaverint, non eſt malus, non magis

conſurgere. Quidam tamen ad illud præeunt, Guilielmo Peliſſerio erutum & adſcribendum. Eſt autem *ſtrigare*, militare verbum, de equis, qui in ſtriga caſtrorum conſiſtunt, & quieſcunt. Inde longius ductum, & quoties vel in via interquieſcunt, ſtrigare eos dicunt. *Lipſius.* Vide Turnebum lib. 24. cap. 1. Adverſ. & Scaligerum in Parodiam Virgilii.

4 *Tanto melior*] Exclamandi laudandique formula, ut epiſt. 71. *Tanto melior, tanto felicior.* Lipſius.

5 *Et reſpira*] Meus, & plures ſcripti, *inſpira:* at Joſ. Scaliger, *reſtriga*, vellet: ut adverſum ſit illi *ſtriga*. Idem.

6 *In totum jam*] Variant libri. meus: *in totum per maxime opto.* Melius illo vulgato non occurrit. *Idem.*

7 *Aëre frigidum*] Stoicum dogma, aërem primo frigidum eſſe. Vide me 2 Phyſ. Diſſert. 15. *Idem.*

8 *Rerum ſcientia*] Socraticum eſt: *ὃς ἔλεγε καὶ ἓν μόνον ἀγαθὸν εἶναι, τὴν ἐπιστήμην· καὶ ἓν μόνον κακὸν, τὴν ἀμαθίαν· qui dicebat, & unicum bonum eſſe, Scientiam: & unicum malum, Inſcitiam:* Laërtius in Socrate: & huc omnino à Seneca adſpectum. Stoïci retinebant dogma, qui univerſe definiebant, *Εἶναι μὲν ἀγνοίας τὰς κακίας, ὧν αἱ ἀρεταὶ ἐπιστῆμαι· Eſſe vitia ignorantias illarum rerum, quarum ſcientia virtutes ſint.* Inde *docti* & *rudes*, pro bonis maliſque, nos 2 Manuduct. Diſſertat. 1. Plura etiam in Ethicis. *Idem.*

9 *Repellet aut eliget*] Nec enim ſtultam *ἀδιαφορίαν* cum Ariſtone inducunt Stoïci, ſed ipſa media diſcrimen ſuum habent, ut malis etiam quæ non velis. Ego diffuſe, Manud. 2. Diſſert. 22. *Idem.*

10 Con-

Digitized by Google

gis quam ille qui pulchris rebus impenditur: quoniam animi eſt ipſa tolerantia, quæ ſe ad dura & aſpera hortatur, & dicit: Quid ceſſas? non eſt viri, timere ſudorem. Huc & illud accedat, ut perfecta virtus ſit, æqualitas ac tenor vitæ per omnia [10] conſonans ſibi: quod non poteſt eſſe, niſi rerum ſcientia contingat, & ars, per quam divina & humana noſcantur. Hoc eſt ſummum bonum: quod ſi occupas, incipis deorum eſſe [11] ſocius, non ſupplex. Quomodo, inquis, iſto pervenitur? [12] non per Peninum Graiumve montem, nec per [13] deſerta Candaviæ: nec Syrtes tibi, nec Scylla aut Charybdis, adeundæ ſunt: [14] quæ tamen omnia tranſiſti procuratiunculæ pretio. Tutum iter eſt, jucundum eſt, ad quod natura te inſtruxit. Dedit tibi illa, quæ ſi non deſerueris, par Deo ſurges. Parem autem Deo pecunia non faciet: Deus nihil habet. [15] Prætexta non faciet: Deus nudus eſt. Fama non faciet, nec oſtentatio tui, & in populos nominis dimiſſa notitia. nemo novit Deum, multi de illo male exiſtimant, & impune. Non turba ſervorum, lecticam tuam per itinera urbana ac peregrina portantium: Deus ille maximus potentiſſimuſque ipſe [16] vehit omnia.

10 *Conſonans ſibi*] Alluſum ad Zenonis ὁμολογίαν, ſive *convenientiam*, quam finem ſtatuebant. Vide Manuduct. 2. Diſſ. 15. *Lipſius.*

11 *Socius, non ſupplex*] Nam ſapiens ſcilicet par Deo: & quæ talia ſuperbe ac vane Porticenſes. Ponimus & refutamus, Manud. 3. Diſſ. 14. *Idem.*

12 *Non per Peninum Graiumve montem*] Ad Annibalis & Herculis tranſitus reſpexit. *Idem.* Plinius memorat Alpium fauces *Graias* & *Peninas*. Cornelius Tacitus *Peninas Alpes*, qui etiam *Penina juga*, & *Peninum iter* nuncupat.

13 *Deſerta Candaviæ*] Montana pars Macedoniæ, quæ à Dyrrhachio incipit, *Candavia* dicitur: eaque ſaltuoſa, & deſerta. Plinius, *Candaviæ montes* dixit libro 3. c. 23. & Strabo ὄρος Κανδαουΐας, *montem Candaviæ*: Lucanus, *Candaviæ ſaltus*. In Ptolemæi tabulis videbis: & ſunt qui dividunt Macedoniam ab Illyrico. Strabo etiam ab alia cauſa ea loca vaſta ac deſerta oſtendit, lib. 7. *quod bellis & rebellionibus opida pleraque & habitationes diruta ſint, nec ad id ævi reſtituta.* Lipſius.

14 *Quæ tamen omnia*] Ergo & in prioribus locis alibi Procurator? id eſt, in Gallia aut Macedonia? dicas, ſi conſilio *omnia* noſter ſcripſit. *Idem.*

15 *Prætexta non faciet*] Honos aut magiſtratus, ad quem adſpiras. Nam de ambitioſis aut avaris eſt ſermo. *Idem.*

16 *Vehit omnia*] Muretus notat Sacris noſtris convenire: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Et ſane ipſe auriga, ipſe currus, ut ita dicam, eſt, quo machina hæc mundi vehitur, ac ſuſtentatur. *Lipſius.*

omnia. Ne forma quidem & vires beatum te facere poſſunt: [17] nihil horum non patitur vetuſtatem. Quærendum eſt ergo [18] quod non fiat in dies deterius, cui non poſſit obſtari. Quid hoc eſt? animus: ſed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quam [19] Deum in humano corpore hoſpitantem? Hic animus tam in equitem Romanum, quam in libertinum, quam in ſervum, poteſt cadere. Quid eſt eques Romanus, aut libertinus, aut ſervus? Nomina [20] ex ambitione, aut [21] ex injuria nata. Subſilire in cælum ex angulo licet: exſurge modo, & *te quoque dignum Finge Deo.* Finges autem non auro, non argento: non poteſt ex hac materia [22] imago Deo exprimi

17 *Nihil horum non patitur vetuſtatem*] Recte. tempore pereunt, aut flacceſcunt. Sed & alio ſenſu libri quidam recte: *nihil horum patitur vetuſtatem*, ſine negatione: quod eſſet, nihil horum fert ævum aut ſubſiſtit. *Idem.* Sic meus & quatuor Gruteri: & poteſt ferri hac interpretatione, afficitur à vetuſtate, & pejus fit. Sed unus & Torrent. & à manu prima Heinſ. *nihil horum patitur vetuſtatem.* Et ſic videntur maluiſſe accipere veteres. Columella lib. 2, 10. de lupini quodam genere: *repoſitum in granario patitur ævum.* Et lib. 3, 1. de vitibus quibuſdam: *nam & vetuſtatem vinum earum patitur, & ad bonitatem aliquam per annos venit.* Sic *ferre annos* Ovidius 4 de Ponto:

Scripta ferunt annos, ſcriptis Agamemnona noſti.

Plinius, 11, 37. *locus maxime vetuſtatis patiens centenis durare annis.* Idem lib. 14. c. 2. *Tolerat & annos Mærica.* Quintilianus 2 Inſt. Orat. 4. *nec muſta in lacu ſtatim auſtera ſint: ſic & annos ferent & vetuſtate proficient.* Et *ferre ætatem*, noſter epiſt. 88. *An minor Hecuba fuerit quam Helena, & quare tam male tulerit ætatem.* Ciceronis dictum eſt apud Macrobium 2 Saturn. 3. Cum Damaſippus mediocri vino poſito, diceret: *Bibite, falernum eſt annorum quadraginta: bene,* inquit, *ætatem fert.* Noſter epiſt. 36. *Vinum fieri bonum, quod recens durum & aſperum eſt viſum: non pati ætatem, quod in dolio placuit.* Gronovius.

18 *Quod non fiat in dies*] Perplexitas hic librorum. Meus, & quidam: *quod non fiat in dies, cui non profit obſtari.* Alii, *in dies ejus quo non poſſit obſtari.* Alii, *eique non poſſit obſtari.* Certum, vulgatam, interpolatam eſſe: an ſic concinnandam? *quod non fiat indigens ejus, quod non profit optari.* Vel, *quo non fiat indigens ejus.* Significaret, interna & vera bona quærenda, ad quæ votis non opus, ſed voluntate, & ſunt in nobis. Sane initio epiſtolæ contra vota dictum: & omnino tale hic fuit. *Lipſius.*

19 *Deum in humano*] De hac locutione & ſenſu, ego ubertim Manud. 2. Diſſert. 19. item Phyſiol. 3. Diſſertat. 8. *Idem.*

20 *Ex ambitione*] Ut Eques, aut Senator. *Idem.*

21 *Ex injuria*] Ut libertinus aut ſervus. Nam ab oppreſſione æqualium, ſervitus. *Idem.*

22 *Imago Deo ſimilis*] Atqui nos ſumus ſcilicet: nonne & hoc Chriſtiani dogmatis? *Idem.*

23 *Cum*

Digitized by Google

exprimi ſimilis. Cogita illos, [23] cum propitii eſſent, fictiles fuiſſe.

EPIST. XXXII.

Laudat Lucilii ſolitudinem, & ſubductionem. Porro hortatur, ne quis tempus eripiat, illud tam breve & fugax. Contemnat etiam vulgaria vota.

INquiro in te, & ab omnibus ſciſcitor, qui ex iſta regione veniunt, quid agas, ubi & cum quibus moreris. Verba dare non potes. tecum ſum. Sic vive, tamquam quid facias auditurus ſim: imo tanquam viſurus. Quæris, quid me maxime ex his quæ de te audio, delectet? quod nihil audio: quod plerique, ex his quos interrogo, neſciunt quid agas. Hoc eſt ſalutare, non converſari diſſimilibus, & diverſa cupientibus. Habeo quidem fiduciam non poſſe [1] te torqueri, manſurumque in propoſito, etiam ſi ſolicitantium turba circumeat. Quid ergo eſt? non timeo ne mutent te, timeo ne impediant. Multum autem nocent etiam qui morantur, utique in tanta brevitate vitæ: quam breviorem inconſtantia facimus, aliud ejus ſubinde atque aliud facientes initium. Deducimus illam in particulas [2] ac lancinamus. Propera ergo, Lucili cariſſime, & cogita, quantum celeritati additurus fueris, ſi à tergo hoſtis inſtaret, ſi equitem adventare ſuſpicareris, ac fugientium premere veſtigia. Fit hoc, premeris: accelera, & evade. perduc te in tutum, & ſubinde conſidera, quam pulchra res ſit conſummare vitam ante mortem, deinde exſpectare ſecurum reliquam [3] temporis ſui partem: in poſſeſſione beatæ [4] vitæ poſitum:

23 *Cum propitii eſſent*] Vetere imperio, & paupertate: cum Roma moribus armiſque floreret. Nunc irati dii videntur, & nos peſſimi peſſum paullatim imus. *Idem.*

EPIST. XXXII. 1 *Te torqueri*] A recto in pravum. *Idem.*

2 *Ac lancinamus*] *Laciniamus* ſcribendum oſtendit Gruterus lib. 7 Suſpic. cap. 6.

3 *Temporis ſui partem in poſſeſſione*] Omiſit duas voces Romana Mureti, & eam ſecutæ, quæ jam vulgo habentur. Eraſmus enim & veteres edd. & omnes

ſitum: quæ beatior non ſit, ſi longior. O quando videbis illud tempus, quo ſcies tempus ad te non pertinere, quo tranquillus placiduſque eris, & craſtini negligens, & in ſumma tui ſatietate! Vis ſcire, quid ſit quod faciat homines avidos futuri? [5] Nemo ſibi contigit. Optaverunt utique tibi alia parentes tui: ſed ego contra, omnium eorum contemptum opto, quorum illi copiam. Vota illorum multos compilant, ut te locupletent. quidquid ad te transferunt, alicui detrahendum eſt. Opto tibi tui facultatem, ut vagis cogitationibus agitata mens, tandem reſiſtat, & certa ſit: ut placeat ſibi, & intellectis veris bonis, quæ [6] ſimul intellecta ſunt, poſſidentur, ætatis adjectione non egeat. Ille demum neceſſitates ſupergreſſus eſt, & exauctoratus ac liber, qui vivit vita peracta.

EPIST.

omnes manuſcripti: *partem nihil ſibi in poſſeſſione.* Cui ſcripturæ acquieverit fere Gruterus, miraturque cur eam interpolaverit Muretus. At non eſt mirandum, cum omni ſenſu careat. Sed puto ex illis reficiendum: *deinde exſpectare ſecurum reliquam temporis ſui partem, inniti ſibi in poſſeſſione beata vita poſitum.* Epiſtola præcedente: *unum bonum eſt, quod beatæ vitæ cauſa, & firmamentum eſt, ſibi fidere.* Epiſt. 92. *Is, inquam, beatus, quem nulla res minorem facit, tenet ſumma, & ne ulli quidem, niſi ſibi, innixus.* Gronovius.

4 *Vita poſitum*] Quidam ſcripti, *vita ponit:* è quo velim, *ponentem.* Sententia eſt, Nec ſapientem quidem vitam longam cupere, & diu eſſe in poſſeſſione virtutis: quia beatitudo tempore non creſcit. Eſt inter Stoïca paradoxa, & explicavi Manuduct. 3. Diſſert. 3. *Lipſius.*

5 *Nemo ſibi contigit*] Eraſmus in Adagiis cenſet, Senecam reſpicere ad illud tritum Platonis, *Neminem ſibi naſci.* Dii boni, quam divertit à noſtri mente! quæ eſt, Homines diſtrahi, varia & vana agitare, optare: neminem apud ſe eſſe, & ſe contentum. Hoc autem facit ſapiens, qui ſibi ſufficit. Eo ſenſu, melius in ſcriptis: *nemo ſibi contingit:* præſenti tempore. Eſt autem ſimile, quod mox ſequitur: *Opto tibi tui facultatem:* ut tibi contingas, non alii & alia diripiant, ac potiantur. *Idem.*

6 *Simul intellecta ſunt*] Nam in judicio & habitu optimæ mentis eſt beatitudo: qui momento contingit, purgata & perfecta ratione. Vide aliquid eadem Diſſert. 3. in fine. *Idem.*

Digitized by Google

EPIST. XXXIII.

Negat ſententias aut chrias è Stoicis excerpendas. Primum, quia omnia plena talibus & denſa ſunt: deinde quia turpe, cum auctore ſemper loqui. Noſtra faciamus, & vita præferamus.

DEſideras his quoque epiſtolis, [1] ſicut prioribus, adſcribi aliquas voces [2] noſtrorum procerum. Non fuerunt circa floſculos occupati: totus contextus illorum virilis eſt. inæqualitatem ſcias eſſe, ubi quæ eminent, notabilia ſunt. Non eſt admirationi una arbor, ubi in eamdem altitudinem tota ſilva ſurrexit. Ejuſmodi vocibus referta ſunt carmina: refertæ hiſtoriæ. Itaque nolo Epicuri illas eſſe exiſtimes: publicæ ſunt, & maxime noſtræ. Sed in illo magis annotantur, quia raræ interveniunt, quia [3] inſperatæ, quia mirum eſt aliquid fortiter dici ab homine mollitiam profeſſo. Ita enim plerique judicant. apud me vero Epicurus eſt & fortis, licet [4] manuleatus ſit. Fortitudo, & induſtria & ad bellum prompta mens, [5] tam in Perſas quam in [6] alte cinctos cadit: Non eſt ergo quod exigas [7] excerpta, & repetita:

EPIST. XXXIII. 1 *Sicut prioribus*] Ergo abjunctæ ſunt, & diſparatæ? apparet: & velut ex intervallo ſcriptas, aut libris potius diviſas. Dixi in Præloquio. *Lipſius.*

2 *Noſtrorum procerum*] Stoïcorum, ſicut antea Epicuri fere. *Idem.*

3 *Inſperata*] Veteres, *inſpecta*, aut *inſpectata*. Legerem, *inaſpectata*. Idem.

4 *Manuleatus ſit*] Notum tunicas chirodotas, ſive manicatas, mulierum aut mollium fuiſſe. Viri brachiis nudis incedebant. Virgilius itaque objicit:

Et tunica manicas, & habent redimicula mitra.

Agellium lib. 7. c. 12. vide. Simile in de Vit. Beat. c. 13. *Hoc eſt tale, quale vir fortis ſtola indutus.* Tale vel aſperius de Epicuro & aſſeclis, Arceſilaus, qui interrogatus, *Cur ex aliis ſectis ad Epicuream tranſirent multi, nemo ex illis ad alias? Nam, inquit, ex viris Galli fiunt* (evirati) *ex Gallis viri numquam*. Idem.

5 *Tam in Perſas*] Qui fluxa & ſoluta veſte: ſed iidem militares. Ammianus 23. *Adeo autem diſſoluti ſunt, & artuum laxitate, vagoque inceſſu jactitantes ſe, ut effœminatos exiſtimes, cum ſint acerrimi bellatores.* Idem.

6 *Alte cinctos*] Quod militum Romæ, item ſtrenuorum aut actuoſorum erat. Utrumque habitum Horatius tangit:

Malthinus tunicis demiſſis ambulat: eſt qui
Inguen ad obſcœnum ſubductis uſque facetus.

Alibi noſter, de Mæcenate: *Putes alte cinctum dixiſſe.* Idem.

7 *Excerpta & repetita*] Intelligitne *repetita*, laudabilia & quæ ſolent lectione

petita: continuum eſt apud noſtros, quidquid apud alios excerpitur. Non habemus itaque [8] iſta odorifera, nec emptorem decipimus, nihil inventurum cum intraverit, præter illa quæ in fronte ſuſpenſa ſunt. Ipſis permittimus, unde velint ſumere exemplaria. Puta nos velle ſingulares ſententias ex turba ſeparare: cui illas adſignabimus? Zenoni, an Cleanthi, an Chryſippo, an Panætio, an Poſidonio? Non ſumus ſub rege: ſibi quiſque ſe vindicat. apud iſtos quidquid dicit [9] Hermachus, quidquid [10] Metrodorus, [11] ad unum refertur. Omnia quæ quiſquam in illo contubernio locutus eſt, unius ductu & auſpiciis dicta ſunt. Non poſſumus, inquam, licet tentemus, educere aliquid ex tanta rerum æqualium multitudine.

Pauperis eſt numerare pecus.

Quocumque miſeris oculum, id tibi occurrit quod eminere poſſet, niſi inter paria legeretur. Quare depone iſtam ſpem, poſſe te ſummatim deguſtare ingenia maximorum virorum: tota tibi inſpicienda ſunt, tota tractanda. Res geritur, & per lineamenta ſua ingenii opus nectitur, ex quo nihil ſubduci ſine ruina poteſt. Nec recuſo, quo minus ſingula membra, [12] dummodo in ipſo homine, conſideres. Non eſt formoſa, cujus crus laudatur aut brachium, ſed illa cujus univerſa facies admirationem ſingulis partibus abſtulit. Si tamen exegeris; non tam mendice tecum agam, ſed plena manu fiet. Ingens eorum turba eſt paſſim jacentium:

ctione iterari; an quia etiam inter legendum ad ea dici ſolet, *Repete?* Hoc puto: etſi *repertita*, quaſi diviſa & in locos ſuos partita, poſſis legere. *Lipſius.*

8 *Iſta odorifera*] Licebat, & decebat, intextu poni vocem libris aliquot aſſertam, *oculiferia*, ſive *ocliferia:* nam veritas ita eſt, & ſententia poſſit. Non habemus nos, inquit, ut in tabernis, expoſita quædam cum titulis, aut per ſe ſplendentia, quæ oculos feriunt, & tranſeuntes ad emendum alliciunt: non habemus; ſed pariter ubique decor & bonitas eſt. Vox autem apte facta. quia talibus, ut ipſe loquitur, (epiſt. 88.) *imperitorum feriuntur oculi:* iterumque alibi: *Splendore imperitorum verberant oculos.* Idem.

9 *Hermachus*] Succeſſor Epicuri in ſchola. *Idem.*

10 *Metrodorus*] Inter nobiles ejuſdem amicos & diſcipulos. *Idem.*

11 *Ad unum*] Epicurum. *Idem.*

12 *Dummodo in ipſo*] Putarem, *quomodo.* Idem.

13 *Ex-*

Digitized by Google

tium: ſumenda erunt, non colligenda. Non enim excidunt, ſed fluunt perpetua, & inter ſe contexta ſunt. Nec dubito, quin multum conferant rudibus adhuc, & [13] extrinſecus auſcultantibus. Facilius enim ſingula inſidunt circumſcripta, & carminis modo incluſa. Ideo pueris & ſententias ediſcendas damus, & has quas Græci [14] Chrias vocant: quia complecti eas puerilis animus poteſt: quia plus adhuc non capit certi profectus. Viro captare floſculos turpe eſt, & fulcire ſe notiſſimis & pauciſſimis vocibus, & memoria ſtare. Sibi jam innitatur. dicat iſta, non teneat. Turpe eſt enim ſeni, aut proſpicienti ſenectutem, ex commentario ſapere. Hoc Zeno dixit. tu quid? Hoc Cleanthes. tu quid? quouſque [15] ſub alio moveris? & impera, & dic, quod memoriæ tradatur: aliquid & de tuo profer. Omnes itaque iſtos nunquam auctores, ſemper interpretes, ſub aliena umbra latentes, nihil habere exiſtimo generoſi, nunquam auſos aliquando facere, quod diu didicerant. Memoriam in alienis exercuerunt. Aliud autem eſt, meminiſſe: aliud, ſcire. Meminiſſe, eſt rem commiſſam memoriæ cuſtodire: at contra ſcire, eſt & ſua facere quæque, nec ab exemplari pendere, & toties ad magiſtrum reſpicere. Hoc dicit Zeno, [16] hoc Cleanthes. Aliquid interſit inter te, & librum. quouſque diſces? jam,

&

13 *Extrinſecus auſculantibus*] Qui ad penetralia nondum admiſſi: alluſumque ad libros & auditores ἐξωτερικούς. *Lipſius.*

14 *Chrias vocant*] Concinna aliqua dicta, aut facta. Ut, *Crates dixit, Cave cum homine malo loquare.* Facti, ut: *Crates cum indoctum puerum vidiſſet, pædagogum ejus percuſſit.* Vide Fabium lib. 1. c. 15. *Idem.*

15 *Sub alio moveris*] Alieno nutu juſſuque regeris? *Idem.*

16 *Hoc Cleanthes*] Prorſus his gemina Epictetus apud Arrian. lib. 2. Diſſert. 19. *Diodorus illa dixit, & Cleanthes, & Chryſippus: tu vero quid? Non in eo elaboraſti, ut Decretum aliquod tuum faceres: atque ita nihil à Grammatico differs. Quis fuit Hectoris pater? Priamus. Qui fratres? Alexander, & Deiphobus. Quæ mater? Hecuba. Hiſtoriam hanc accepi: à quo? ab Homero. Similis tu, qui convivas, cum vaniſſimus ſis, enumerandis ſcriptoribus, attonitos reddis.* Deinde etiam addit: *Age, Stoicum aliquis mihi oſtendat, ſi habetis. Ubi is eſt? Nam qui Stoicos ſermunculos ediſſerat, mille dabitis: ſed volo Stoicum. Quis ergo is eſt? ut Phidiacam ſtatuam dicimus, ad artem Phidiæ exacte factam: ita illum mihi oſtendite, ad ea quæ profitemini dogmata expreſſum.* Idem.

17 *Actuarii*

& præcipe. Quid eſt, quare audiam, quod legere poſſum? Multum, inquit, viva vox facit. non quidem hæc, quæ alienis verbis commodatur, & [17] actuarii vice fungitur. Adjice nunc, quod iſti [18] qui nunquam tutelæ ſuæ fiunt, primum in ea re ſequuntur priores, in qua nemo non à priore deſcivit: deinde in ea re ſequuntur, quæ adhuc quæritur. nunquam autem invenietur; ſi contenti fuerimus inventis. Præterea qui alium ſequitur, nihil invenit, imo nec quærit. Quid ergo? non ibo per priorum veſtigia? ego vero utar via veteri: ſed ſi propiorem planioremque invenero, hanc muniam. Qui ante nos iſta moverunt, non domini noſtri, ſed duces ſunt. Patet omnibus veritas, nondum eſt occupata: multum ex illa etiam futuris relictum eſt.

EPIST. XXXIV.

Gaudere ſe in profectu Lucilii, quia ab ipſo eſt: & ipſe eum formavit. Hortatur porro pergere, & ad ſummum.

CResco & exſulto, & diſcuſſa ſenectute recaleſco, quoties ex his quæ agis & ſcribis, intelligo quantum te ipſe (nam [1] turbam olim reliqueras) ſupergrederis. Si agricolam [2] arbor ad fructum perducta delectat, ſi paſtor ex fœtu gregis ſui capit voluptatem, ſi alumnum ſuum nemo aliter intuetur quam ut adoleſcentiam illius ſuam judicet: quid evenire credis his, qui ingenia educaverunt, & quæ tenera formaverunt, adulta ſubito vident? Aſſero te mihi. meum opus es. Ego cum vidiſſem indolem tuam, injeci

17 *Actuarii vice*] Ita dicuntur, qui acta excipiunt & ſcribunt. Vide me ad Annalem Taciti 5. ſi lubet. *Lipſius.* Sic dicitur, qui acta Senatus excipiebat veloci ſtylo: de eo adi Beroaldum & Torrentium ad Suetonii Julium c. 55. Langlæum lib. 7. c. 19. Otii Semeſtr.

18 *Numquam tutela ſua*] Alieni ſemper arbitrii, ut pupilli. *Lipſius.*

EPIST. XXXIV. 1 *Turbam olim*] Libri ſcripti, *turbam quam olim.* Lego, *turbam quidem olim.* Idem.

2 *Arbor ad fructum*] Meus, *arbor fructum productura:* & bene. *Idem.*

3 *Adhuc*

Digitized by Google

jeci manum, exhortatus ſum, addidi ſtimulos, nec lente ire paſſus ſum, ſed ſubinde incitavi: & nunc idem facio. Sed jam currentem hortor, & invicem hortantem. Quid, aliud, inquis, [3] adhuc volo? in hoc plurimum eſt. [4] Non ſic quomodo principia totius [5] operis dimidium occupare dicuntur, ita res animo conſtat: pars magna bonitatis eſt, velle fieri bonum. Scis quem dicam bonum? perfectum, abſolutum, quem malum facere nulla vis, nulla neceſſitas poſſit. Hunc in te proſpicio, ſi perſeveraveris & incubueris, & id egeris, ut omnia facta dictaque tua inter ſe congruant ac reſpondeant ſibi, & una forma percuſſa ſint. Non eſt hujuſmodi animus in recto, cujus [6] acta diſcordant.

EPIST. XXXV.

Amicum illum ſibi optat, id eſt virum bonum. aliter enim amicus nemo eſt etiamſi amat. Hoc ergo faciat, & inprimis diſcat convenienter vivere, id eſt, conſtanter, id eſt, ſapienter.

CUm te obnixe rogo [1] ut ſtudeas, meum negotium ago. habere amicum volo: quod contingere mihi (niſi pergas excolere te, ut cœpiſti) [2] non poteſt. Nunc enim

3 *Adhuc volo*] Vide ne diſtinctiuncula magis expedias: *Quid aliud, inquis, adhuc? volo.* Ut hæc Lucilii ſint: & quid ultra hortere, mi Seneca? jam volo. Et ſubdit: Multum hoc quidem eſſe, non tamen omnia. *Lipſius.*

4 *Non ſic quomodo*] Quidam libri, *Nam ſic*: & melius. *Idem.*

5 *Operis dimidium*] Notum adagium, & Horatio, in hac ipſa re expreſſum: *Dimidium facti qui cœpit, habet: ſapere aude.* Velis, & tenta ſapere: dimidium rei erit. Nec enim totum: neque ſola voluntas ſufficit: ſed videndum ut recta ea ſit, quod ſine ſcientia non aſſequitur. Itaque Seneca gradationem hanc facit: *Actio recta non erit, niſi voluntas ſit recta: ab hac enim eſt actio. Rurſus voluntas non erit recta, niſi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim eſt voluntas. Habitus porro animi non erit, ſine ſcientia:* quæ bona ſcilicet & mala diſtinguit. Vide epiſt. 95. *Idem.*

6 *Acta diſcordant*] Nam Sapientis nota, ſemper idem velle & nolle. Itaque nihil opus addere, *cujus dictis acta*: etſi quidam hoc libri. nam pertinet ad ὁμολογίαν, de qua ſæpe. *Idem.*

EPIST. XXXV. 1 *Ut ſtudeas*] Stoïco ſenſu, ſtudeas: id eſt, philoſophiæ operam naves. Vide Manuduct. 2. Diſſert. 1. *Idem.*

2 *Non poteſt*] Neque enim inter malos, aut inter diſſimiles, Amicitia. *Idem.*

3 *Semper*

enim amas me, amicus non es. Quid ergo? hæc inter ſe diverſa ſunt? imo diſſimilia. Qui amicus eſt, amat: qui amat, non utique amicus eſt. Itaque amicitia [3] ſemper prodeſt: amor etiam aliquando nocet. Si nihil aliud, ob hoc profice, ut amare diſcas. Feſtina ergo, dum mihi proficis, ne iſtuc alteri didiceris. Ego quidem percipio jam fructum, cum mihi fingo, uno nos animo futuros, & quidquid ætati meæ vigoris abſceſſit, id ad me ex tua, quamquam [4] non multum abeſt, rediturum: ſed tamen re quoque ipſa lætus eſſe volo. Venit ad nos ex his quos amamus, etiam abſentibus, gaudium: ſed id leve & evanidum. Conſpectus, & præſentia, & converſatio aliquid habet vivæ voluptatis: utique ſi non tantum quem velis, ſed qualem velis videas. Affer itaque te mihi, [5] ingens munus: & quo magis inſtes, cogita me ſenem eſſe, te mortalem. Propera ad me, ſed ad te prius. profice, & ante omnia hoc cura, ut conſtes tibi. Quoties experiri voles, an aliquid actum ſit, obſerva an eadem velis hodie quæ heri. Mutatio voluntatis indicat animum natare, aliubi atque [6] aliubi apparere, prout tulit ventus. Non vagatur, quod eſt fixum & fundatum. Iſtud ſapienti perfecto contingit, aliquatenus & [7] proficienti provectoque. Quid ergo intereſt? hic commovetur quidem, non tamen tranſit, ſed ſuo loco nutat: ille nec commovetur quidem.

EPIST.

3 *Semper prodeſt*] Amicitia bonum eſt: Boni autem Stoïca definitio, *id quod prodeſt*. Manuduct. 2. Diſſert. 21. *Lipſius*.

4 *Non multum abeſt*] Ergo & Lucilius inter ſenes, aut ſeneſcentes. *Idem*.

5 *Ingens munus*] Ad vocem factumque Æſchinis, qui ſe ipſe munus Socrati obtulit, ut gratus eſſet. Noſter 1 de Benef. c. 8. *Idem*.

6 *Aliubi apparere*] Sive ut ii qui in navi, arbitrio ventorum, feruntur: ſive ut inſulæ quædam in aquis vagantes: ut noſter Gruterus notat. *Idem*.

7 *Proficienti*] De quibus gradibus ego in Manuduct. 2. Diſſert. 9. *Idem*.

EPIST.

Digitized by Google

EPIST. XXXVI.

Laudat quemdam qui otio ſe admovit, à republica amovit: & ut contemnat vulgi voces. Pergat bonus eſſe, aut magis fieri; pergat & mortem aſpernari, idque ratione.

AMicum tuum hortare, ut iſtos magno animo contemnat, qui illum objurgant, quod umbram & otium petierit, quod dignitatem ſuam deſtituerit, & cum plus conſequi poſſet, prætulerit quietem omnibus. Quam utiliter negotium ſuum geſſerit, quotidie illis oſtendet. Hi quibus invidetur, [1] non deſinent tranſire. alii elidentur, alii cadent. Res eſt inquieta, felicitas: ipſa ſe exagitat, movet cerebrum, non uno genere. Alios in aliud irritat: [2] hos in potentiam, illos in luxuriam: hos inflat, illos mollit, & totos reſolvit. [3] At bene aliquis illam fert: ſic, quomodo vinum. Itaque non eſt quod tibi iſti perſuadeant, eum eſſe felicem, qui [4] à multis obſidetur. ſic ad illum, quemadmodum ad lacum, concurritur: quem [5] qui exhauriunt, & turbant. Nugatorium & [6] inertem vocant. Scis quoſdam perverſe loqui, & [7] ſignificare contraria. [8] Felicem vocabant. quid ergo? erat? Ne illud quidem curo,

EPIST. XXXVI. 1 *Non deſinent tranſire*] Ab uno propoſito in aliud, mutare vitam & ſtatum. Sic fine epiſtolæ prioris: *Hic commovetur quidem, non tamen tranſit.* Lipſius.

2 *Hos in potentiam*] Malim, *in impotentiam.* Idem.

3 *At bene aliquis*] Hæc clauſula objectionem habet: atqui ſunt etiam felices, qui temperant, nec abutuntur. Ita, inquit: ſed qui ut vino ea utuntur, id eſt modico nec abundanti. Hoc dicere videtur: ſed plura fortaſſe, dixiſſe. nec integra hæc aut plena. *Idem.*

4 *A multis obſidetur*] Clientibus, ſalutatoribuſque. *Idem.*

5 *Qui exhauriunt*] Aptiſſime. Revera omnes illi officioſi aliquid petunt à potentibus, aut ſumunt: gratiam, pecuniam, alia quibus egent. Itaque exhauriunt: ſed & turbant, quia aſſidue inquietant. *Idem.*

6 *Inertem vocant*] Illum amicum, philoſophiæ deditum. Vetus & hodiernum convicium, in bonæ menti operatos. *Idem.*

7 *Signare contraria*] Meus & quidam, *ſignificatione contraria*: quod item probum. *Idem.*

8 *Felicem vocabant*] An hunc noſtrum, cum in ambitione & ſplendore erat? an Cornelium Sullam intellegit? *Idem.*

Digitized by Google

curo, quod quibuſdam nimis horridi animi videtur & tetrici. Ariſton aiebat, malle ſe adoleſcentem triſtem, quam hilarem & amabilem turbæ. [9] Vinum enim fieri bonum, quod recens durum & aſperum viſum eſt: non pati ætatem, quod [10] in dolio placuit. Sine eum triſtem appellent, & inimicum proceſſibus ſuis. bene ſe dabit in vetuſtate ipſa triſtitia: perſeveret modo colere virtutem, perbibere liberalia ſtudia, non illa [11] quibus perfundi ſatis eſt, ſed hæc [12] quibus tingendus eſt animus. hoc eſt diſcendi tempus. Quid ergo? aliquod eſt, quo non ſit diſcendum? minime. ſed quemadmodum omnibus annis ſtudere honeſtum eſt: ita [13] non omnibus inſtitui. Turpis & ridicula res eſt, [14] elementarius ſenex. Juveni parandum, ſeni utendum eſt. Facies ergo rem utiliſſimam tibi, ſi illum quam optimum feceris. Hæc aiunt beneficia eſſe expetenda tribuendaque, non dubie primæ ſortis, quæ tam prodeſt dare quam accipere.

9 *Vinum fieri bonum*] Homines cum vino comparavit etiam Alexis Comicus:

Ὁμοιότατος ἄνθρωπος οἴνῳ τὴν φύσιν,
Τρόπον τιν' ἐστί. τὸν γὰρ οἶνον τὸν νέον
Πολλή γ' ἀνάγκη, καὶ τὸν ἄνδρ' ἀποζέσαι
Πρῶτον, ἀφυβρίσαι τ', ἀπανθήσαντα δὲ
Σκληρὸν γενέσθαι, καὶ καταστῆναι πάλιν,
Ἥδιον δ' ἅπασι τὸ πίλοιπον διατιθεῖν.
Similis vir eſt vino, indole atque moribus.
Nam muſteum illud & novum cum conditur,
Deferveat primum eſt opus: ſic & virum,
Cum juvenis eſt, exæſtuare; hinc ſobrium
Mox effici, & ſeveritate præditum:
Mitem inde fieri, & eſſe in ævi reliquum.

At quod hic de vino, ad Poma tranſtulit Attius, in Agellio 13. c. 2. Nam cum Pacuvius dixiſſet, *videri ſibi carmina ejus duriora paullum & acerbiora. Ita eſt, inquit Attius: neque id ſane me pœnitet. Nam quod in pomis eſt, itidem aiunt eſſe in ingeniis. quæ dura & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia & jucunda: ſed quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia, non matura mox fiunt, ſed putria.* Lipſ.

10 *In dolio placuit*] Ex more veteri, qui vinum novellum doliis condebant: ſed mox ubi paullum defæcaſſet, defundebant in amphoras & cados. Proculus Juriſconſultus l. 15. de Tritic. vino & ol. leg. *In dolia vina ea mente conjicimus, ut ex his poſtea in Amphoras & Cados defundamus.* Quia igitur id novellum aut turbidum, elegantiores fugiebant bibere. & Cicero hac mente, in Bruto: *Num igitur, qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de dolio ſibi hauriendum putet?* Objicit & Piſoni, ut ſordido: *Panis & vinum à propola, & de cupa:* quod idem eſt illi, *de dolio*. Idem.

11 *Quibus perfundi*] Ut ſunt amœniora iſta, vulgo liberalia dicta. *Idem.*

12 *Quibus tingendus*] Ut eſt Philoſophia: quæ ſola vere liberale ſtudium, epiſt. 88. *Idem.*

13 *Non omnibus inſtitui*] Pergere in ſapientiæ ſtudiis, omni ætate decet; non item incipere, & in rudimentis eſſe. *Idem.*

14 *Elementarius ſenex*] Qui inter pueros elementa diſcit. *Idem.*

15 Tene-

Digitized by Google

pere. Denique nihil illi jam liberi eſt: ſpopondit. minus autem turpe eſt creditori, quam ſpei bonæ decoquere. Ad illud æs alienum ſolvendum, opus eſt negotianti navigatione proſpera, agrum colenti ubertate ejus quam colit terræ, & cæli favore: ille quod debet, ſola poteſt voluntate perſolvere. In mores fortuna jus non habet. Hos diſponat: ut quam tranquilliſſimus ille animus ad perfectum veniat. qui nec ablatum ſibi quidquam ſentit, nec adjectum, ſed in eodem habitu eſt, quomodocumque res cedunt. Cui ſive aggeruntur vulgaria bona, ſupra res ſuas eminet: ſive aliquid ex iſtis vel omnia caſus excuſſit, minor non fit. Si in Parthia natus eſſet, arcum infans ſtatim tenderet: ſi in Germania, protinus puer [15] tenerum haſtile vibraret: ſi avorum noſtrorum temporibus fuiſſet, [16] equitare, & hoſtem cominus percutere didiciſſet. Hæc ſingulis diſciplina gentis ſuæ ſuadet, & imperat. Quid ergo huic meditandum eſt? quod adverſus omnia tela, quod adverſus omne hoſtium genus bene facit, mortem contemnere: quæ quin habeat in ſe aliquid terribile, ut & animos noſtros (quos in amorem ſui natura formavit) offendat, nemo dubitat: nec enim opus eſſet in id comparari & acui, in quod inſtinctu quodam voluntario iremus, ſicut feruntur omnes ad conſervationem ſui. Nemo diſcit, ut, ſi neceſſe fuerit, æquo animo in roſa jaceat: ſed in hoc duratur, ut tormentis non ſubmittat fidem: ut, ſi neceſſe fuerit, ſtans etiam aliquando ſaucius, pro vallo pervigilet, & ne pilo quidem incumbat. quia ſolet obrepere interim ſomnus in aliquod adminiculum reclinatis. Mors nullum habet incommodum. Eſſe enim debet aliquid, cujus ſit incommodum. Quod ſi tanta cupiditas longioris ævi te tenet, cogita nihil eorum quæ ab oculis abeunt, & [17] in rerum naturam, ex

qua

15 *Tenerum haſtile*] Illorum verbo, frameam. *Lipſius.*

16 *Equitare*] Non quod omnes olim hoc Romani, ſed nobiliores, aut ſtirpe equeſtri: inter quos ſcilicet hic amicus Lucilii. Nam ceteri ad pedeſtrem militiam deſtinabantur. *Idem.*

17 *In rerum naturam*] De Benef. 5. cap. 8.

qua prodierunt, ac mox proceſſura ſunt, reconduntur, conſumi. Deſinunt iſta, non pereunt. Et mors, quam pertimeſcimus ac recuſamus, intermittit vitam, non eripit. [18] veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies, quem multi recuſarent, niſi oblitos reduceret. [19] Sed poſtea diligentius docebo, omnia quæ videntur perire, mutari. Æquo animo debet rediturus exire. Obſerva orbem rerum in ſe remeantium: videbis in hoc mundo nihil exſtingui. ſed vicibus deſcendere, ac ſurgere. [20] Æſtas abit, ſed alter annus illam adducit. [21] hiems cecidit, referent illam ſui menſes: ſolem nox obruit, ſed ipſam ſtatim dies abiget. Stellarum iſte decurſus, quidquid præterierit, repetit: pars cæli levatur aſſidue, pars mergitur. Denique finem faciam, ſi hoc unum adjecero, nec infantes, nec pueros, nec mente lapſos, timere mortem: & eſſe turpiſſimum, ſi eam ſecuritatem nobis ratio non præſtat, ad quam ſtultitia perducit.

EPIST. XXXVII.

Perſeverandum in via & militia Sapientiæ eſſe. Ab hac ſalutem, felicitatem, libertatem pendere. Perveniri, & vinci, Ratione duce.

QUod maximum vinculum eſt ad bonam mentem, promiſiſti virum bonum. Sacramento rogatus es. Deridebit,

cap. 8. *Rerum natura nihil dicitur perdere, quia quidquid illi avellitur, ad illam redit: nec perire quidquam poteſt, quod quo excidat non habet, ſed eodem revolvitur unde diſcedit.* Lipſius.

18 *Veniet iterum*] Hæc eſt non illa Pythagorica, ſed Stoïca quædam παλιγγενεσία, ſive (ita loquamur) *renaſcentia:* cum poſt orbis deflagrationem, & ſolennem ἐκπύρωσιν, iterum alius orbis & διακόσμησις, atque eadem & iidem reponentur. Vide me Phyſiol. 2. Diſſert. 22. Tangit & Lucretius hoc dogma, lib. 3.

Nec ſi materiam noſtram collegerit ætas
Poſt obitum, rurſumque redegerit, ut ſita nunc eſt
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ:
Pertineat quidquam tamen ad nos id quoque factum. Idem.

19 *Sed poſtea*] Ubi? neſcio: non in his libris ex profeſſo. *Idem.*

20 *Æſtas abit, ſed alter annus illam adducit*] Silent alii. Editiones veteres: *alter illam annus.* Membranæ: *altera illam artius.* Nondum poteſt me pœnitere conjecturæ veteris: *ſed alter illam Martius adducit.* de qua 3 Obſerv. 14. *Gronovius.*

20 *Hiems cecidit*] An potius, *cedit.* Lipſius.

EPIST.

Digitized by Google

ridebit, ſi quis tibi dixerit, mollem eſſe militiam & facilem. nolo te decipi. Eadem honeſtiſſimi hujus, & illius [1] turpiſſimi auctoramenti, verba ſunt, [2] uri, vinciri, ferroque necari. Ab illis qui manus arenæ locant, & [3] edunt ac bibunt, quæ per ſanguinem reddant, cavetur ut iſta vel inviti patiantur: à te, ut volens libenſque patiaris. Illis licet [4] arma ſubmittere, miſericordiam populi tentare: tu neque ſubmittes, nec vitam rogabis. recto tibi invictoque moriendum eſt. Quid porro prodeſt, paucos dies aut annos lucrifacere? [5] ſine miſſione naſcimur. Quomodo ergo, inquis, me expediam? effugere non potes neceſſitates: potes vincere. [6] Fit via: & hanc tibi viam dabit philoſophia. ad hanc te confer, ſi vis ſalvus eſſe, ſi ſecurus, ſi beatus: denique ſi vis eſſe, quod eſt maximum, liber. Hoc contingere aliter non poteſt. Humilis res eſt ſtultitia, abjecta, ſordida, ſervilis, multis affectibus & ſæviſſimis ſubjecta. Hos tam graves dominos, interdum alternis imperantes, interdum pariter, dimittit à te ſapientia, quæ ſola libertas eſt. [7] Una ad hanc fert via, & quidem recta. non aberrabis: vade certo gradu. Si vis tibi omnia ſubjicere, te ſubjice rationi. multos reges, ſi ratio te rexerit. Ab illa diſces, quid & quemadmodum aggredi debeas: non incides rebus. Neminem mihi dabis, qui ſciat quomodo quod vult

EPIST. XXXVII. 1 *Turpiſſimi auctoramenti*] Gladiatorii. quo in verba Editoris aut Laniſtæ jurabant. Vide me 2 Saturn. c. 5. *Idem.* Duplex fuit genus gladiatorum: *coacti* & *voluntarii*, de quibus Lipſius lib. 2. c. 5. Saturn. P. Faber lib. 2. c. 11. Semeſtr. & Briſſonius lib. 8 de Form.

2 *Uri, vinciri*] Ita libri, nec mutem. Petronius: *In verba Eumolpi ſacramentum juravimus, uri, vinciri, verberari, ferroque necari, tamquam legitimi gladiatores.* Ipſus Seneca, epiſt. 71. *Quid miraris, ſi uri, occidi, alligari juvat?* Si lubet, dicto loco me vide. *Lipſius.*

3 *Edunt ac bibunt*] In ſagina ſunt, ſed cujus exitus cruentus. Eo alluſum. *Idem.*

4 *Arma ſubmittere*] Nos hoc & alia explicamus, Saturn. 2. c. 23. *Idem.*

5 *Sine miſſione*] Id quoque à gladiatorio ritu. Aliquando mittebantur, aut ea ſpe pugnabant: aliquando, ſine ea, & ferro abſumendi. Nos diffuſe, 2 Saturn. c. 22. *Idem.*

6 *Fiat via*] Quidám, *Fit via*, id eſſet, ratione quadam & methodo. At Gruterus, *Fit via vi*: Virgiliano hemiſtichio. *Idem.*

7 *Una ad hanc via*] Nempe rectæ rationis ductu, ut ſubjicit, per ſapientiam. *Idem.*

Digitized by Google

vult cœperit velle. non conſilio adductus ullo, ſed impetu impactus eſt. Non minus ſæpe fortuna in nos incurrit, quam nos in illam. Turpe eſt non ire, ſed ferri: & ſubito, in medio turbine rerum ſtupentem, quærere: Huc ego quemadmodum veni?

EPIST. XXXVIII.

Præcepta utilia ad Sapientiam, magis quam Diſſertationes ſæpe eſſe. Illa irrepere in animum, & ſeminis modo fructificare & diffundi.

MErito exigis, ut hoc inter nos epiſtolarum commercium frequentemus. Plurimum proficit ſermo, qui minutatim irrepit animo. Diſputationes præparatæ, & effuſæ audiente populo, plus habent ſtrepitus, minus familiaritatis. Philoſophia bonum conſilium eſt: conſilium nemo [1] clare dat. Aliquando utendum eſt & illis, ut ita dicam, concionibus; ubi qui dubitat, impellendus eſt: ubi vero non hoc agendum eſt, ut velit diſcere, ſed ut diſcat, ad hæc ſubmiſſiora verba veniendum eſt. Facilius intrant, ſed & hærent. nec enim multis opus eſt, ſed efficacibus. Seminis modo ſpargenda ſunt. quod quamvis ſit exiguum, cum occupavit idoneum locum, vires ſuas explicat, & ex minimo in maximos auctus diffunditur. Idem facit oratio. non late patet, ſi aſpicias: in opere creſcit. Pauca ſunt quæ dicuntur: ſed ſi illa animus bene exceperit, convaleſcunt & exſurgunt. Eadem eſt, inquam, præceptorum conditio, quæ ſeminum. multum efficiunt, & ſi anguſta ſunt, tantum, ut dixi, idonea mens rapiat illa, & in ſe trahat. Multa invicem & ipſa generabit, & plus reddet, quam acceperit.

EPIST.

EPIST. XXXVIII. 1 *Clamore dat*] Non male Muretus: tamen Muretus. Nam libri omnes, *clare dat*: quod eſſet, clara & elata voce. Sane mox exponit, *ſubmiſſiora verba*. Lipſius.

EPIST.

EPIST. XXXIX.

Varie, & varios, in philoſophia ſcripſiſſe: excitari nos debere, & ardorem capere ab exemplo. Naturam eo ducere, quæ ad excelſa vocat; in quibus non eſt plebeia Felicitas: non item voluptas, quia aut fragilia ſunt, aut nocent.

[a] COmmentarios quos deſideras, [2] diligenter ornatos, & in anguſtum coactos, ego vero componam: ſed vide ne plus profectura ſit [3] oratio ordinaria, quam hæc quæ nunc [4] vulgo Breviarium dicitur, olim cum Latine loqueremur, Summarium vocabatur. [5] Illa res diſcenti magis neceſſaria eſt: [6] hæc ſcienti. illa enim docet, hæc admonet. Sed utriuſque rei tibi [7] copiam faciam. Tu à me, non eſt quod [8] illum aut illum exigas. qui [9] notorem dat, ignotus eſt. Scribam ego quod vis: ſed meo more. Interim multos habes, quorum ſcripta neſcio an [10] ſatis ordinent. Sume in manus indicem philoſophorum: hæc ipſa res [11] expergiſci coget, ſi videris quam multi tibi laboraverint; concupiſces & ipſe ex illis unus eſſe. Habet enim hoc opti-

EPIST. XXXIX. 1 *Commentarios*] Philoſophicos, ut conjicio: ſed breves, & ſummam continentes. *Lipſ.*

2 *Diligenter ornatos*] Meliores libri, *ordinatos:* quos audio. Ordine & methodo ſcriptos, memoriæ & diſciplinæ adjuvandæ. *Idem.*

3 *Oratio ordinaria*] Longa & tractata, quæ diſſerendi ſpeciem habet: quæque philoſophis vulgo in uſu. *Idem.*

4 *Vulgo breviarium dicitur*] Vox bis ter in Suetonio, Plinio, aliis ævi medii. *Idem.* Ejus vocis mentio apud Suetonium in Auguſto cap. 161. Galba c. 12. Plinius lib. 18. *ut omnis cultura quoddam breviarium peragatur.* Sic *breviaria rationes* apud Scævolam l. ult. ff. de pecul. leg. *Torrentius.*

5 *Illa res*] Ordinaria oratio. *Lipſius.*

6 *Hæc ſcienti*] Breviarium. *Idem.*

7. *Copiam faciam*] Feciſtine? utinam habeamus. *Idem.*

8 *Illum aut illum*] Auctorem ſcilicet, quem laudem identidem atque advocem, fidei cauſſa. *Idem.*

9 *Notorem dat*] Noſter in ludo, de morte Claudii: *Siquis à me notorem petiſſet, te fui nominaturus, qui me optime noſti.* Xenophon γνώστης dixit: & adhiberi ſolet, ubi de ſtatu aut qualitate cujuſpiam dubitatur. Dicit igitur Seneca, Mihi fidere & credere debebis: alium notorem ſive cognitorem (ut Cicero) non dabo. *Idem.*

10 *Satis ordinent*] Id eſt, *ordinata ſint*, & materiam diſponant. An vult dicere, animum diſponant atque ordinent? *Idem.*

11 *Expergiſci te coget*] Me certe, cum vel Chryſippi tantum, vel Ariſtotelis librorum indices video. *Idem.*

Digitized by Google

optimum in ſe generoſus animus, quod concitatur ad honeſta. Neminem excelſi ingenii virum humilia delectant & ſordida: magnarum rerum ſpecies ad ſe vocat & extollit. Quemadmodum flamma ſurgit in rectum, jacere ac deprimi non poteſt, non magis quam quieſcere: ita noſter [12] animus in motu eſt, eo mobilior & actuoſior, quo vehementior fuerit. Sed felix qui ad meliora hunc impetum dedit! ponet ſe extra jus ditionemque fortunæ. ſecunda temperabit, adverſa comminuet, & aliis admiranda deſpiciet. Magni animi eſt, magna contemnere, ac mediocria malle, quam nimia. illa enim utilia [13] vitaliaque ſunt: at hæc, eo quod ſuperfluunt, nocent. Sic ſegetem nimia ſternit ubertas: ſic rami onere franguntur: ſic ad maturitatem non pervenit nimia fecunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit: qua non tantum in aliorum injuriam, ſed etiam in ſuam utuntur. Quis hoſtis in quemquam tam contumelioſus fuit, quam in quoſdam voluptates ſuæ ſunt? quorum impotentiæ atque inſanæ libidini ob hoc unum poſſis ignoſcere, quod quæ fecere, patiuntur. Nec immerito hic illos furor vexat. neceſſe eſt in immenſum exeat cupiditas, quæ naturalem modum tranſiliit. Illa enim habet ſuum finem: inania, & ex libidine orta, ſine termino ſunt. Neceſſaria metitur utilitas. ſupervacua quo redigis? Voluptatibus itaque ſe mergunt, quibus in conſuetudinem adductis carere non poſſunt: & ob hoc miſerrimi ſunt, quod eo perveniunt, ut illis quæ ſupervacua fuerant, facta ſint neceſſaria. ſerviunt itaque voluptatibus, non fruuntur: & mala ſua, quod malorum ultimum eſt, amant. Tunc autem conſummata eſt infelicitas, ubi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent: & deſinit eſſe remedio locus, ubi quæ fuerant [14] vitia, mores ſunt.

EPIST.

12 *Animus in motu eſt*] Vide Conſol. ad Helviam, cap. 6. *Lipſius.*

13 *Vitaliaque ſunt*] Mantinam, vitam & ævum ferre poſſunt. *Idem.*

14 *Vitia, mores ſunt*] Tacitus in Germania: *Nec corrumpere & corrumpi*

EPIST. XL.

Hortatur ſcribere, quia ibi imago mentis. tum de Serapione, prompti & profuſi ſermonis: quod negat Philoſophum decere. Gravis & tarda oratio magis intrat & deſcendit.

QUod frequenter mihi ſcribis, gratias ago. nam quo uno modo potes, te mihi oſtendis. Nunquam epiſtolam tuam accipio, ut non protinus una ſimus. Si imagines nobis amicorum abſentium jucundæ ſunt, quæ memoriam renovant, & deſiderium abſentiæ falſo atque inani ſolatio levant: quanto jucundiores ſunt litteræ, quæ vera amici abſentis veſtigia, veras notas afferunt? Nam quod in conſpectu [1] dulciſſimum eſt, id amici manus epiſtolæ impreſſa præſtat, agnoſcere. Audiſſe te ſcribis, [2] Serapionem philoſophum, [3] cum iſtuc applicuiſſet, ſolere magno curſu verba [4] convolvere, quæ non effundit una, ſed premit & urget. plura enim veniunt, quam quibus vox una ſufficiat. Hoc non probo in philoſopho, cujus pronuntiatio quoque, ſicut vita, debet eſſe compoſita: nihil autem ordinatum eſt, quod præcipitatur & properat. Itaque oratio illa [5] apud Homerum concitata, & ſine intermiſſione in mo-

pi, ſæculum vocatur. Ita enim prætexunt vulgo, Mores ſunt, Sic vivitur, Sæculum eſt. *Lipſius.*

EPIST. XL. 1 *Dulciſſimum eſt*] Nempe, agnoſcere. Itaque diſtinctione ego juvi. Sicut oculis præſentem agnoſcimus, ſic abſentem ex impreſſa manu. *Idem.*

2 *Serapionem*] Quis philoſophaſter iſte fuerit, neſcio: niſi quod illo & ſequenti ævo tales fuci multi. *Idem.*

3 *Cum iſtuc applicuiſſet*] In Siciliam, opinor. Itaque legam & diſtinguam: *Audiſſe te ſcribis Serapionem philoſophum, cum iſtuc applicuiſſet: & ſolere magno.* Nunciarat enim Senecæ, & judicium quæſierat ſuper homine, quem audierat. Quod ſi vulgata tenes, ſententia eſſet, Audiſſe Lucilium, quod Serapio Romæ ſolitus eſſet verba ita facere. *Idem.*

4 *Convolvere*] Aptum eſt. quid tamen, quod libri conſenſu, *convellere?* An forte *convertere?* an, *compellere?* Idem.

5 *Apud Homerum*] De Ulyſſe, cui donat

— ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν·
— ſermonem nivibus hibernis adſimilantem.

quod de copia bene interpretatur Seneca, & denſe verba cecidiſſe, ut nives. *Idem.*

in morem nivis ſuperveniens, oratori data eſt: at lenis & melle dulcior [6] ſeni profluit. Sic itaque habe, iſtam vim dicendi rapidam atque abundantem, aptiorem eſſe [7] circulanti, quam agenti rem magnam ac ſeriam, docentique. æque ſtillare illam nolo, quam currere. nec [8] extendat aures, nec obruat. Nam illa quoque inopia & exilitas, minus intentum auditorem habet, tædio interruptæ tarditatis: facilius tamen inſidit quod exſpectatur, quam quod prætervolat. Denique [9] tradere homines diſcipulis præcepta dicuntur: non traditur, quod fugit. Adjice nunc, quod quæ veritati operam dat oratio, incompoſita debet eſſe & ſimplex. Hæc popularis nihil habet veri. movere vult turbam, & inconſultas aures impetu rapere: tractandam ſe non præbet; aufertur. Quomodo autem regere poteſt, quæ regi non poteſt? Quid quod hæc oratio, quæ ſanandis mentibus adhibetur, deſcendere in nos debet? remedia non proſunt, niſi immorentur. Multum præterea habet inanitatis, & vani: plus ſonat, quam valet. Lenienda ſunt quæ me exterrent, compeſcenda quæ irritant, diſcutienda quæ fallunt: inhibenda luxuria, corripienda avaritia. Quid horum raptim poteſt fieri? quis medicus ægros in tranſitu curat? Quid, quod ne voluptatem quidem ullam habet talis verborum ſine delectu ruentium ſtrepitus? ſed ut pleraque quæ fieri poſſe non crederes, cognoviſſe ſatis eſt: ſic iſtos, qui verba exercuerunt, abunde eſt ſemel audiſſe. Quid enim quis diſcere, quid imitari velit? quid de

6 *Seni profluit*] Neſtori, apud eumdem. *Lipſius.*

7 *Circulanti*] Circulos facienti, & captanti: circulatori. Epiſt. 88. *Appion, qui tota circulatus eſt Græcia.* Et epiſt. 52. *Communes locos volvunt, & in privato circulantur.* Idem.

8 *Extendat aures*] Quæ pendent & quaſi trahuntur a diu tracto verbo, aut ſenſu. *Idem.*

9 *Tradere homines diſcipulis*] Meus, *diſciplinis*: nec male. *Idem.* Deleo inſiticium, *homines*, & ſcribo: *Denique tradere diſcipulis præcepta dicuntur.* Et hoc addo illis, quæ ad 2 de Ira c. 12. notavimus. Eſt autem *tradere* in hac re proprium. Cicero Oratore: *me ſtudioſis dicendi præcepta & quaſi vias, quæ ad eloquentiam ferrent, traditurum.* Topicis: *mecum, ut tibi illa traderem, egiſti.* De Divinat. lib. 2. *ſi optimarum artium vias traderem meis civibus.* Gronovius.

10 *Ad-*

de eorum animo judicet, quorum oratio perturbata & [10] immiſſa eſt, nec poteſt reprimi? Quemadmodum per proclive currentium, non ubi viſum eſt, gradus ſiſtitur, ſed incitato corporis pondere ſe rapit, ac longius quam voluit effertur: ſic iſta dicendi celeritas nec in ſua poteſtate eſt, nec ſatis decora philoſophiæ. quæ ponere debet verba, non projicere, & pedetentim procedere. Quid ergo? non aliquando & inſurget? Quidni? ſed ſalva dignitate morum: quam violenta iſta [11] & nimia vis exuit. Habeat vires magnas, moderatas tamen: perennis ſit unda, non torrens. Vix oratori permiſerim talem dicendi velocitatem, irrevocabilem, ac ſine lege vadentem. Quemadmodum enim judex ſubſequi poterit, aliquando etiam imperitus ac rudis: tum quoque, cum illum aut oſtentatio abſtulerit, [12] aut affectus impetus ſui, tantum feſtinet atque ingerat, quantum aures [13] pati poſſunt. Recte ergo facies, ſi non videris iſtos, qui quantum dicant, non quemadmodum, quærunt: & ipſe malueris aliquando ſi neceſſe

eſt,

10 *Admiſſa eſt*] Ut equi admitti ſolent. Tamen ſcripti, *immiſſa*: pari ſenſu. *Lipſius.*

11 *Et nimia vis*] Quidam libri, *inimica vis*: poſſis, *mimica*. Idem.

12 *Aut affectus impotens ſui*] Scripti fere, *effectus impetus ſui*. quod eſſet, ablatus impetu ſuo, & calore inſito. *Idem.* Duo Pall. & vett. edd. *aut affectus impetus ſui*. Meus quoque & omnes alii, *impetus*; ſed quidam *effectus*. Unde Gruterus, *aut affectus impetus vi*. Opſopœus, *effectus impotens ſui*. Lipſius vero, *effectus impetus ſui*; interpretatur, ablatus impetu ſuo. Mox etiam Gruterus & Lipſius, *pati non poſſunt*: quod habuere quatuor Pall. & unus Lipſianus. Sed meus & Eraſmici Palatinuſque tertius & Heinſ. cum vett. edd. particulam negandi ignorant. Et abeſſe debet, quippe quæ inſerta ſit, poſtquam vitioſa diſtinctio eam requirere viſa eſt. Retro ferenda eſt interrogatio, hoc modo: *Quemadmodum enim judex ſubſequi poterit, aliquando etiam imperitus & rudis? Tum quoque cum illum aut oſtentatio abſtulerit, aut affectus impetus ſui, tantum feſtinet atque ingerat, quantum aures pati poſſunt.* Impetus affectus illius, quem ſimulat, quem ſenſit atque induit, ut eum transfundat in judicem. Lib. 2 de Ira, 17. *Orator, inquit, iratus aliquando melior eſt. Immo imitatus iratum. Et apud judices itaque, & in concione, & ubicunque alieni animi ad noſtrum arbitrium agendi ſunt, modo iram, modo metum, modo miſericordiam, ut aliis incutiamus, ipſi ſimulabimus: & ſæpe id quod veri affectus non effeciſſent, effecit imitatio affectuum.* Gronovius.

13 *Pati poſſunt*] Imo vero, *pati non poſſunt*: quod meus etiam liber. *Lipſius.*

14 *Vel*

eſt, [14] vel juxta P. Vinicium dicere. qui, cum quæreretur, quomodo diceret, Aſellius ait, Tractim. Nam [15] Geminus Varius ait: Quomodo iſtum diſertum dicatis, neſcio: tria verba non poteſt jungere. Quid ni malis tu ſic dicere, quomodo Vinicius? Aliquis tam inſulſus intervenerit, quam qui illi ſingula verba vellenti, tanquam dictaret, non diceret, ait: Dic, vel nunquam dicas. [16] Nam Q. Haterii curſum ſuis temporibus oratoris celeberrimi, longe abeſſe ab homine ſano volo. Nunquam dubitavit, nunquam intermiſit: ſemel incipiebat, ſemel deſinebat. Quædam tamen & nationibus puto magis aut minus convenire. In Græcis hanc licentiam tuleris: nos etiam cum ſcribimus, [17] interpungere conſuevimus. Cicero quoque noſter, à quo Romana [18] eloquentia exſtitit, [19] gradarius fuit. Romanus ſermo magis ſe circumſpicit, & æſtimat, & præbet æſtimandum. Fabianus vir egregius & vita & ſcientia, & quod poſt iſta eſt, eloquentia quoque, diſputabat expedite magis, quam concitate: ut poſſis dicere, facilitatem eſſe illam, non celeritatem. Hanc ego in viro ſapiente recipio.

14 *Vel juxta P. Vinicium dicere*] Scriptis abeſt, *juxta*: & fatetur Eraſmus addidiſſe. Legerim ergo ad libros: *velut P. Vinicius dicere.* Sic Lipſius. Duo Pall. *vel per Mutium P. dicere.* In meo erat: *vel vicinium publicum dicere.* Itaque verum fuiſſe videtur: *velut Vinicius Publius dicere.* Sic evidenter apparet, quomodo τὸ *ut* vicinitate ſimilium literarum exciderit. Et ſolitos illo ævo frequenter poſtponere prænomina, ad Marcum Senecam notabimus. Donatus ad prologi Adelphon illa verba: *Quorum opera in bello, in otio, &c. In bello*, inquit, *Scipionis: in otio, Furii Publii.* Gronovius.

15 *Geminus Varius*] Declamator etiam illo ævo notus, *Lipſius.*

16 *Nam Q. Haterii*] Sic olim emendavimus. Canorus & profluens orator fuit, impetu non cura valuit: ideoque eloquentia ejus ſimul cum ipſo exſtincta. Tacitus lib. 4. & Seneca pater in Controverſiis. Hieronymus adverſ. errores Joan. Hieroſol. emendetur: *Q. Ateius* (imo *Haterius*) *qui ingenium in numerato habebat, ut ſine monitore tacere non poſſet: de quo egregie Cæſar Auguſtus, Quintus, inquit, noſter ſufflaminandus eſt.* Quod dictum, rapidum curſum orationis ejus belle reſpexit. *Idem.*

17 *Interpungere conſuevimus*] Notis poſt ſingula verba poſitis. Neque enim alia adhuc interpunctio uſurpata antiquis. Tractavi in epiſtola quadam ad Audeiantium. *Idem.*

18 *Eloquentia exſtitit*] Libri, *exiliit*, vel, *exiluit*. Teſſere poſſis, vel ſcribere, *exivit*. Idem.

19 *Gradarius fuit*] Non curſor: gradu ivit. De equis etiam dicitur, Lucilius: *Ipſe equus non formoſus, gradarius, optimus vector.* Idem.

Digitized by Google

recipio. non exigo, ut oratio ejus ſine impedimento exeat: proferatur tamen malo, quam profluat. Eo autem magis te deterreo ab iſto morbo, quod non poteſt tibi iſta res contingere aliter, quam [20] ſi te pudere deſierit. perfrices frontem oportet, & ipſe te non audias. Multa enim inobſervatus ille curſus feret, quæ reprehendere velis. Non poteſt, inquam, tibi contingere res iſta, ſalva verecundia. Præterea exercitatione opus eſt quotidiana, & à rebus ſtudium transferendum eſt ad verba. Hæc autem etiam ſi aderunt, & poterunt ſine ullo tuo labore decurrere, tamen temperanda ſunt. nam quemadmodum ſapienti viro inceſſus modeſtior convenit; ita oratio preſſa, non audax. Summa ergo ſummarum hæc erit: tardiloquum te eſſe jubeo.

EPIST. XLI.

O pulchram, altamque epiſtolam! Deum in nobis habitare, & bonum virum ſine eo nullum eſſe. Colamus ipſum, & animum, qui ab illo deſcendit. In eo propria noſtra bona ſunt: alia omnia aliena. Bonum autem, recta Ratio.

FAcis rem optimam, & tibi ſalutarem, ſi, ut ſcribis, perſeveras ire ad bonam mentem: quam ſtultum eſt optare, cum poſſis [1] à te impetrare. Non ſunt ad cælum elevandæ manus, nec exorandus ædituus, ut nos ad aures ſimulacri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat: prope eſt à te Deus, tecum eſt, intus eſt. Ita dico, Lucili, [2] ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos: hic prout à nobis tractatus eſt, ita

20 *Si te pudere deſierit*] Mallem, ſi *pudere deſieris.* Lipſius.

EPIST. XLI. 1 *A te impetrare*] A voluntate tua pendet. Velis eſſe bonus, eris: ut Stoïci quidem cenſebant: Ita & Horatius:

Hac ſatis eſt orare Jovem, qua donat & aufert,
Det vitam, det opes, aquum mi animum ipſe parabo. Idem.

2 *Sacer intra nos*] Animus ille ab æthere avulſus, pars Animæ mundi, id eſt Dei, & ipſe Deus. Vide Manuduct. 2. Diſſertat. 19. & Phyſiol. 3. *Idem.*

3 *Ita*

[3] ita nos ipſe tractat. Bonus vir ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adjutus, exſurgere? ille dat conſilia magnifica, & erecta. In unoquoque virorum bonorum ([4] Quis Deus incertum eſt) habitat Deus. Si tibi occurrit vetuſtis arboribus & ſolitam altitudinem egreſſis [5] frequens lucus, & conſpectum cæli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens: illa proceritas ſilvæ, & ſecretum loci, & admiratio umbræ, in aperto tam denſæ atque continuæ, fidem tibi numinis facit. Et [6] ſiquis ſpecus ſaxis penitus exeſis montem ſuſpenderit, non manu factus, ſed naturalibus cauſſis in tantam laxitatem excavatus: animum tuum quadam religionis ſuſpicione percutiet. [7] Magnorum fluminum capita veneramur: ſubita & ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet. coluntur aquarum calentium fontes: & ſtagna quædam, vel opacitas vel immenſa altitudo ſacravit. Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adverſa felicem, in mediis tempeſtatibus placidum, ex ſuperiore loco homines videntem, [8] ex æquo deos, non ſubibit te veneratio ejus? non dices: iſta res major eſt altiorque, quam ut credi ſimilis huic, in quo eſt, corpuſculo poſſit? Vis iſtuc divina deſcendit. animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora tranſeuntem, quidquid timemus optamuſque ridentem, cæleſtis potentia agitat.

3 *Ita nos ipſe tractat*] Si bene honeſteque habuimus, habet: ſi æſtimavimus, ſuſtulimus, attollit. Negligit etiam, neglectus. *Lipſius.*

4 *Quis Deus*] Ovidii in Metamorphoſi verſus. *Idem.*

5 *Frequens lucus*] Plinius 12. c. 1. *Lucos, atque in iis ſilentia ipſa, adoramus.* Plura ipſe ibi, & ego ad Germaniam Taciti. *Idem.*

6 *Si quis ſpecus*] Tamquam & ibi ſedes numinum. Apuleius 1 Florid. inter adorata viatoribus. *Speluncam frondibus obumbratam.* Idem.

7 *Magnorum fluminum capita veneramur*] Notavi, & exemplis firmavi, ad Annalem Taciti 14. *Idem.* De his ceremoniis Plinius lib. 8. ubi Clitumni meminit. *Fons terminus ſacri prophanique: in ſuperiori parte navigare tantum, infra etiam natare conceſſum.* imo in quibuſdam aquis navigare etiam vetitum. idem lib. eodem de lacu Vadimonis: *Nulla in hoc navis, ſacer enim eſt*, &c.

8 *Ex æquo Deos*] Id eſt, qui homines ſuperat, Deos æquat. Gloriatio hæc Stoicorum crebra. *Lipſius.*

9 *De-*

tát. non poteſt res tanta ſine adminiculo numinis ſtare. Itaque majore ſui parte illic eſt, unde deſcendit. Quemadmodum radii ſolis contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt unde mittuntur: ſic animus magnus & ſacer, & in hoc demiſſus ut propius divina noſſemus, converſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ. Illinc pendet: illuc ſpectat ac nititur: noſtris tanquam melior intereſt. Quis eſt ergo hic? animus qui nullo bono niſi ſuo nititur. Quid enim eſt ſtultius, quam in homine aliena laudare? quid eo dementius, qui ea miratur, quæ in alium protinus transferri poſſint? Non faciunt meliorem equum aurei fræni. Aliter leo aurata juba [9] demittitur; dum contractatur, & ad patientiam recipiendi [10] ornamenta cogitur fatigatus: aliter incultus, integri ſpiritus. Hic ſcilicet impetu acer, qualem illum eſſe natura voluit, ſpecioſus ex horrido, cujus hic decor eſt, non ſine timore adſpici, præfertur illi languido, & bracteato. Nemo gloriari niſi ſuo debet. Vitem laudamus, ſi fructu palmites onerat, ſi ipſa ad terram, pondere eorum quæ tulit, adminicula deducit. Num quis huic illam præferet vitem, cui aureæ uvæ, aurea folia dependent? Propria virtus eſt in vite, fertilitas: in homine quoque id laudandum eſt, quod ipſius eſt. Familiam formoſam habet, & domum pulchram: multum ſerit, multum fœnerat. nihil horum in ipſo eſt, ſed circa ipſum. Lauda in ipſo, quod nec eripi poteſt, nec dari: quod proprium eſt hominis. Quæris quid ſit? animus; & ratio in animo perfecta. Rationale enim animal eſt homo. conſummatur itaque ejus bonum, ſi id adimplevit cui naſcitur. Quid eſt autem quod ab illo ratio hæc exigit? rem facillimam. [11] ſecundum naturam ſuam vivere: ſed hanc difficilem

9 *Demittitur*] Meus & plures ſcripti ita referunt, & rectum habeo. Demittitur autem, quia ſubjicit ſe & animos deprimit, mox ornandus. *Lipſius.*

10 *Ornamenta*] Quæ illa? monilia, aurum jubis inſperſum, & ſiquid tale. *Idem.*

11 *Secundum naturam*] Explicavi Manuduct. 2. Diſſert. 17. *Idem.*

EPIST.

cilem facit communis inſania. In vitia alter alterum trudimus. quomodo autem ad ſalutem revocari poſſunt, quos nemo retinet, populus impellit?

EPIST. XLII.

Non cito credendum de viro bono: rem magnam eſſe. Quoſdam præferre, aut ſimulare; malos futuros, ſi ſit occaſio. Exemplo cujuſdam docet. Tum non laborandum in externis; quæ incommoda, aut falſa commoda, habent.

JAm tibi iſte perſuaſit, ſe virum bonum eſſe. Atqui vir bonus tam cito nec fieri poteſt, nec intelligi. Scis quem nunc virum bonum dicam? hujus [1] ſecundæ notæ. nam ille alter fortaſſe, [2] tanquam phœnix, ſemel anno quingenteſimo naſcitur: nec eſt mirum, [3] ex intervallo magna generari. Mediocria & in turbam naſcentia, ſæpe fortuna producit: eximia vero, ipſa raritate commendat. Sed iſte multum adhuc abeſt ab eo, quod profitetur; & ſi ſciret quid eſſet vir bonus, nondum ſe eſſe crederet: fortaſſe etiam fieri poſſe deſperaret. At male exiſtimat de malis. Hoc etiam mali faciunt. nec ulla major pœna nequitiæ eſt, quam quod ſibi ac ſuis diſplicet. At odit eos qui ſubita & magna potentia impotenter utuntur. Idem faciet, cum idem potuerit. multorum, quia imbecilla ſunt, latent vitia: non minus auſura, cum illis vires ſuæ placuerint, quam illa quæ jam felicitas aperuit. Inſtrumenta illis explicandæ nequitiæ deſunt. Sic tuto ſerpens etiam peſtifera tractatur, dum riget frigore. non deſunt tunc illi venena, ſed torpent. Multorum crudelitas, & ambitio, & luxuria, ut paria peſſimis audeat, fortunæ favore deficitur. eadem velle eos, cognoſces: da poſſe, quantum volunt. Meminiſti, cum

EPIST. XLII. 1 *Secunda notæ*] Proficientem, & nondum in ſummo. *Lipſius.*

2 *Tamquam phœnix*] Rara hæc avis veri ſapientis, aut nulla. Vide nos Manuduct. 2. Diſſert. 8. *Idem.*

3 *Ex intervallo*] De Conſtant. Sap. cap. 7. *Raro forſitan, magniſque ætatum intervallis invenitur. Ille ſapiens. Idem.*

4 *Pluma*

Digitized by Google

cum quemdam affirmares eſſe in tua poteſtate, dixiſſe me, volaticum eſſe ac levem; & te non pedem ejus tenere, ſed pennam. Mentitus ſum: [4] pluma tenebatur, quam remiſit & fugit. Scis [5] quos poſtea exhibuerit tibi ludos, quam multa in caput ſuum caſura tentaverit. Non videbat, ſe per aliorum pericula in ſuum ruere: non cogitabat, quam onerosa eſſent quæ petebat, etiam ſi ſupervacua non eſſent. Hoc itaque in his quæ affectamus, ad quæ labore magno contendimus, inſpicere debemus, aut nihil in illis commodi eſſe, aut plus incommodi. Quædam ſupervacua ſunt, quædam tanti non ſunt. Sed hæc non providemus: & gratuita nobis videntur, quæ cariſſime conſtant. Ex eo licet ſtupor noſter appareat, quod ea ſola putamus emi, pro quibus pecuniam ſolvimus: & gratuita vocamus, pro quibus nos ipſos impendimus. Quæ emere nollemus, ſi domus nobis noſtra pro illis eſſet danda, ſi amœnum aliquod fructuoſumve prædium: ad ea paratiſſimi ſumus pervenire cum ſolicitudine, cum periculo, cum jactura pudoris, & libertatis, & temporis. Adeo nihil eſt cuique ſe vilius. Idem itaque in omnibus conſiliis rebuſque faciamus, quod ſolemus facere, quoties ad inſtitorem alicujus mercis acceſſimus: videamus, hoc quod concupiſcimus, quanti deferatur. Sæpe [6] maximum pretium eſt, pro quo nullum datur. Multa poſſum tibi oſtendere, quæ acquiſita acceptaque, libertatem nobis extorſerunt; noſtri eſſemus, ſi iſta noſtra non eſſent. Hæc ergo tecum ipſe verſa, non ſolum ubi de incremento agetur, ſed etiam ubi de jactura. Hoc periturum eſt? nempe adventicium fuit. tam facile ſine iſto vives, quam vixiſti. Si diu illud habuiſti, perdis poſtquam ſatiatus

4 *Pluma tenebatur*] Argute. nam pluma etiam minus, quam penna. Hæc in alis, & firmior: illa in toto corpore ſparſa, & levi niſu evellenda. *Lipſius.*

5 *Quos poſtea exhibuerit*] Inimicus ille, opinor, de quo epiſt. 24. qui judicium intentavit. *Idem.*

6 *Maximum pretium eſt*] Nempe ejus, quod affectamus. Tamen libri quidam, *maximi pretii e* apertius, meliuſque. Poſſis etiam, *maximum pretio.* Idem.

ſatiatus es: ſi non diu, perdis antequam aſſueſcas. Pecuniam minorem habebis? nempe & moleſtiam. gratiam minorem? nempe & invidiam. Circumſpice iſta, quæ nos agunt in inſaniam, quæ cum plurimis lacrymis amittimus: ſcies non damnum in his moleſtum eſſe, ſed opinionem damni. Nemo illa periſſe ſentit, [7] ſed cogitat. [8] Qui ſe habet, nihil perdidit. ſed quoto cuique habere ſe contigit?

EPIST. XLIII.

Non latere, quæ faciat: rumorem omnia perferre. Ergo vive, inquit, ut in publico. Quid ſi etiam lateas? animus tuus ſcit & videt.

QUomodo hoc ad me pervenerit, quæris: quis mihi id te cogitare narraverit, quod tu nulli narraveras. Is qui ſcit plurimum, rumor. Quid ergo, inquis, tantus ſum, ut poſſim excitare rumorem? non eſt quod te [1] ad hunc locum reſpiciens metiaris: ad iſtum reſpice, in quo moraris. Quidquid inter vicina eminet, magnum eſt illic, ubi eminet. Nam magnitudo non habet certum modum: comparatio illum aut tollit, aut deprimit. Navis quæ in flumine magna eſt, in mari parvula eſt: gubernaculum quod navi alteri magnum, alteri exiguum eſt. Tu nunc in provincia, licet contemnas ipſe te, magnus es: quid agas, quemadmodum cœnes, quemadmodum dormias, quæritur, ſcitur. Eo [2] tibi diligentius vivendum eſt. Tunc autem felicem te eſſe judica, cum poteris in publico vivere, cum te parietes tui tegent, non abſcondent: quos plerumque circumdatos nobis judicamus, non ut tutius vivamus, ſed

7 *Sed cogitat*] Re carere poſſumus, opinio moleſtiam adfert. *Lipſius.*

8 *Qui ſe habet*] In poteſtate: qui non eſt affectuum, aut opinionum. *Idem.*

EPIST. XLIII. 1 *Ad hunc locum*] Romam. ubi, foris aut in provinciis magni, parvi obſcurique erant, in tanto lumine. *Idem.*

2 *Tibi diligentius*] Scripti vocem inſerunt, *tibi dic diligentius.* Lego, *tibi dein diligentius:* aut, *tibi, dico, diligentius.* Idem.

3 *In*

ſed ut peccemus occultius. Rem dicam, ex qua mores æſtimes noſtros, vix quemquam invenies, qui poſſit aperto oſtio vivere. Janitores conſcientia noſtra, non ſuperbia oppoſuit. Sic vivimus, ut deprehendi ſit, ſubito adſpici. Quid autem prodeſt recondere ſe, & oculos hominum aureſque vitare? Bona conſcientia turbam advocat, mala etiam [3] in ſolitudine anxia atque ſolicita eſt. Si honeſta ſunt, quæ facis, omnes ſciant: ſi turpia, quid refert neminem ſcire, cum tu ſcias? O te miſerum, ſi contemnis [4] hunc teſtem.

EPIST. XLIV.

Pulchra epiſtola. Nemo ſe à ſtirpe contemnat, ſi ad Sapientiam, id eſt Virtutem, venit. Hæc ſola nobilitat.

ITerum tu mihi te puſillum facis, & dicis, malignius tecum egiſſe naturam prius, deinde fortunam? cum poſſis te eximere vulgo, & ad felicitatem omnium maximam emergere. Si quid aliud eſt in philoſophia boni, hoc eſt, quod ſtemma non inſpicit. Omnes ſi ad primam originem revocentur, [1] à diis ſunt. Eques Romanus es, & ad hunc ordinem tua te [2] perduxit induſtria: at mehercules multis [3] quatuordecim ſunt clauſi. Non omnes curia admittit: caſtra quoque, quos ad laborem & periculum recipiunt, [4] faſtidioſe legunt. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc ſumus nobiles. nec rejicit quemquam philoſophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit: Cleanthes

3 *In ſolitudine anxia*] Tertullianus: *Nullum maleficium ſine formidine eſt, quia nec ſine conſcientia ſui.* Lipſius.

4 *Hunc teſtem*] Nam ut Polybius in fragmentis: *Οὐδεὶς οὕτως οὔτε μάρτυς ἐςὶ φοβερὸς, οὔτε κατήγορος δεινὸς, ὡς ἡ σύνεσις, ἡ κατοικοῦσα ἐν ἑκάςων ψυχαῖς.* *Nullus neque* TESTIS *tam formidabilis, neque judex tam gravis, quam conſcientia, quæ mentibus cujuſque inſidet & inhabitat.* Idem.

EPIST. XLIV. 1 *A diis ſunt*] Decerpti ab æthere, ſæpius dictum & dicendum. *Idem.*

2 *Perduxit induſtria*] Non natus es eques, ſed factus. Cenſum induſtria quæſiſti, & ex eo dignitatem. *Idem.*

3 *Quatuordecim*] Gradus in theatris proprii & ſepoſiti equitibus. *Idem.*

4 *Faſtidioſe legunt*] Nam ætatem, genus, mores, cenſum etiam (olim quidem) inſpiciebant. Nos in militia, lib. 1. *Idem.*

Digitized by Google

thes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus: Platonem [5] non accepit nobilem philoſophia, ſed fecit. Quid eſt quare deſperes his te poſſe fieri parem? omnes hi [6] majores tui ſunt, ſi te illis geris dignum. Geres autem, ſi hoc protinus tibi perſuaſeris, à nullo te nobilitate ſuperari. Omnibus nobis totidem ante nos ſunt. nullius non origo ultra memoriam jacet. [7] Plato ait: Neminem regem non ex ſervis eſſe oriundum, neminem non ſervum ex regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum fortuna verſavit. Quis ergo generoſus? ad virtutem bene à natura compoſitus. Hoc unum eſt intuendum. alioqui ſi ad vetera revocas, nemo non inde eſt, [8] ante quod nihil eſt. A primo mundi ortu, uſque in hoc tempus, perduxit nos ex ſplendidis ſordidiſque alternata ſeries. Non facit nobilem [9] atrium plenum fumoſis imaginibus. nemo in noſtram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. [10] Animus facit nobilem: cui ex quacumque conditione ſupra fortunam licet ſurgere. Puta itaque te non eſſe equitem Romanum, ſed libertinum: potes hoc conſequi, ut ſolus ſis liber inter ingenuos. Quomodo? inquis. ſi mala

la

5 *Non accepit nobilem*] Alii contra, & aſſenſu traditum, Platonem nobilem utrimque fuiſſe. Apuleius de Dogmate Plat. *Ariſto ei fuiſſe pater dictus eſt: ceterum Perictione Glauci filia mater fuit. Et de utroque nobilitas ſatis clara. Nam Ariſto pater, per Codrum, ab ipſo Neptuno originem duxit: ab Solone ſapientiſſimo maternus derivatus eſt ſanguis.* Hæc ipſa Laërtius, atque alii, tradiderunt: & puer adeo, *aurum nobilitatis inſigne in auricula geſtavit*, ſcriptum eidem Apuleio. Quomodo non ergo nobilem accepit? ſed cape & adjuva, non ſic nobilem celebremque. *Lipſ.*

6 *Majores tui ſunt*] At libris negatio additur, *non ſunt*: recte, ſi interrogando efferts. *Idem.*

7 *Plato ait*] Ubi, alius dicet. Ego contra in eo legi: *Reges ex regibus oriundos, donec ad Jovem origo revocetur*: Alcibiade primo. Vera tamen illa dictio: & periodos ævi fortunæque ſi vides, eunt hæc in orbem. *Idem.*

8 *Ante quod nihil eſt*] An quia è cælo & aſtris ſumus, quæ prima in rebus? An verius, è primis principiis omnes, Deo & Materia? *Idem.*

9 *Atrium plenum*] Romanus proprie mos, collocandi in tabulariis per atria imagines majorum: atque ex iis nobilitas æſtimata. Aperui & aſſerui 1 Elect. c. 29. *Idem.*

10 *Animus facit nobilem*] Ita vero, ille alius, bonus, hanc laudem & titulum habet: vel Euripide judice.

—— *ἂν γὰρ ἀνδρεῖος φύσιν*
Καὶ ἂν δίκαιος, τῶν κενῶν δοξασμάτων,
Κἂν ὦσι δοῦλοι, εὐγενεστέρους λέγω·

—— *namque ab animo ſtrenuos,*
Juſtoſque, quamvis orti & è ſervis fient,
Stirpe anteire vulgo nobiles puto. Idem.

11 *Sed*

Digitized by Google

la bonaque non populo auctore diſtinxeris. Intuendum eſt, non unde veniant, [11] ſed quo eant. Si quid eſt quod beatam vitam poteſt facere, id bonum eſt ſuo jure: depravari enim in malum non poteſt. Quid eſt ergo, in quo erratur? cum omnes beatam vitam optent, quod inſtrumenta ejus pro ipſa habent, & illam dum petunt, fugiunt. Nam cum ſumma beatæ vitæ ſit ſolida ſecuritas, & ejus [12] inconcuſſa fiducia, ſolicitudinis colligunt cauſſas, & per inſidioſum iter vitæ non tantum ferunt ſarcinas, ſed trahunt. Ita longius ab effectu ejus quod petunt, ſemper abſcedunt, & quo plus operæ impendunt, hoc ſe magis impediunt, & feruntur retro. Quod evenit in labyrintho properantibus, ipſa illos velocitas implicat.

Epist. XLV.

Non multis libris, ſed bonis, ad Sapientiam opus. Veteres ſuperflua quadam, aut arguta, fruſtra ſcripſiſſe. Tum contra cavillos, & vocum captiones. Res, res, & earum diſcrimina quærenda. Quis Beatus, & quod vere bonum?

Librorum iſtic inopiam eſſe quereris. Non refert quam multos, ſed quam bonos habeas. lectio certa prodeſt, varia delectat. Qui quo deſtinavit pervenire vult, unam ſequatur viam, non per multas vagetur. non ire iſtud, ſed errare eſt. Vellem, inquis, magis libros mihi quam conſilium dares. Ego vero [1] quoſcumque habeo, mittere paratus ſum, & totum horreum excutere: me quoque iſto ſi poſſem, transferrem, & niſi mature te finem officii ſperarem impetraturum, hanc ſenilem expeditionem indixiſſem mihi: nec me Charybdis, & Scylla, & [2] fabuloſum iſtud fretum

11 *Sed quo eant*] Bionis hoc tale ad Antigonum: *O rex, ſagittarius ſi opus habes, non unde ſint interrogas, ſed ſcopum proponis, & qui tangunt, eligis: ſic & alios explora, non unde, ſed quales ſint.* Lipſ.

12 *Inconcuſſa fiducia*] Inter alta Stoïcorum, & nimis, *Sapientem ſibi fidere, ſecurum ſui eſſe.* Idem.

Epist. XLV. 1 *Quoſcumque habeo*] Meos præſertim, & illos Lucilius petebat. *Idem.*

2 *Fabuloſum*] Non falſum, ſed fabulis

fretum deterrere potuiſſent. Tranſnataſſem iſta, non ſolum trajeciſſem, dummodo te complecti poſſem, & præſens æſtimare quantum animo creviſſes. Ceterum quod libros meos tibi mitti deſideras, non magis ideo me diſertum puto, quam [3] formoſum putarem, ſi imaginem meam peteres. Indulgentiæ ſcio iſtud eſſe, non judicii: & ſi modo judicii eſt, indulgentia tibi impoſuit. Sed qualeſcumque ſunt, tu illos ſic lege, tanquam verum quæram adhuc, non ſciam, & contumaciter quæram. [4] Non enim me cuiquam emancipavi, nullius nomen fero: multum magnorum virorum judicio credo, aliquid & meo vindico. Nam illi quoque non inventa, ſed quærenda nobis reliquerunt: & inveniſſent forſitan neceſſaria, niſi & [5] ſuperflua quæſiſſent. Multum illis temporis verborum cavillatio eripuit, & captio-

bulis auctum. Sic *Hydaſpes fabuloſus*, in Horatio: de quo fama & fabulæ. *Lipſius.*

3 *Formoſum putarem*] Non ergo videtur fuiſſe, in corpore quidem. nam animo, quid pulchrius? *Idem.*

4 *Non enim me cuiquam mancipavi*] Membranæ meæ & Heinſ. & quatuor. Pall. & codex Jureti, Tarviſina & Veneta editiones, *emancipavi.* Sed contra rationem videtur: ideo illud hercle retinendum ait Gruterus. Non eſt. *Mancipo* eſt mancipio trado: emancipo, è poteſtate mea & mancipio dimitto. Liber homo eſt ſuæ poteſtatis: itaque cum ſe *emancipare* dicitur, intelligitur è poteſtate ſua abire, non amplius ſuus eſſe, alienus fieri, deſinere ſui juris & mancipii eſſe, ut loquitur Brutus ad Ciceronem. Vides cur elegantior & loco poſuerint, *emancipare*, ubi vulgarius ipſum *mancipare* ponendum videbatur. Hinc Plautus, Bacchid. 1. 1. *nunc ego, mulier, tibi me emancupo, tuus ſum, tibi dedo operam.* Cicero de Senectute: *Ita ſenectus honeſta eſt, ſi ſe ipſa defendit, ſi jus ſuum retinet, ſi nemini emancipata eſt.* Horatius 9 Epod. *Romanus, eheu, poſteri negabitis, Emancipatus feminæ.* Portius Latro apud Marcum Senecam Contr. 28. *ut infamaret uxorem meam tanquam veneficam, me tanquam venefica emancipatum.* Ita clare ſcriptus Codex: ubi etiam mutaverunt. L. Seneca lib. 1 de Benef. 3. *Sit aliquis uſque eo Græcis emancipatus, ut hæc dicat neceſſaria.* Sic nos ſcriptum vidimus in membranis Rottendorfii: ſic invenit hoc verbum Eraſmus in ſuo: ſic Juretus. Sic & editi vulgo libri ſervant. Epiſt. 116. *non eſt committendum, ut incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam, vilem ſibi.* Feſtus: *Emancipati duobus modis intelliguntur: aut ii, qui ex patris jure exierunt, aut ii, qui alterius fiunt dominii: quorum utrumque fit mancipatione.* Symmachus libr. 1. epiſt. 18. *Totum me, inquies, emancipavit ſibi cura prætorii.* Sic male eſſe in mss. primum Juretus putaverat. Sed monitus à Schoppio lib. 2. Veriſim. cap. 1. (qui primus, quod ſciam, de hoc verbo obſervavit) errorem ad Senecam correxit. *Gronovius.*

5 *Superflua quæſiſſent*] Cacoëthes philoſophantium olim, nuper, hodie. ipſi Stoici in hac culpa, ante omnes Chryſippus. *Lipſius.*

6 *Sed*

captioſæ diſputationes, quæ acumen irritum exercent. Nectimus nodos, & ambiguam ſignificationem verbis illigamus, deinde diſſolvimus. Tantum nobis vacat? jam vivere, jam mori ſcimus? Tota illo mente pergendum eſt, ubi provideri debet, ne res nos, non verba, decipiant. Quid mihi vocum ſimilitudines diſtinguis, quibus nemo unquam niſi dum diſputat, captus eſt? res fallunt. illas diſcerne. Pro bonis mala amplectimur: optamus contra id quod optavimus: pugnant vota noſtra cum votis, conſilia cum conſiliis. Adulatio quam ſimilis eſt amicitiæ? Non imitatur tantum illam, [6] ſed vincit, & præterit: apertis & propitiis auribus recipitur, & in præcordia ima deſcendit, eo ipſo gratioſa, quo lædit. Doce quemadmodum hanc ſimilitudinem dignoſcere poſſim. venit ad me pro amico blandus inimicus: vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt: temeritas ſub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignavia: pro cauto timidus accipitur. In his magno periculo erratur: his certas notas imprime. Ceterum qui interrogatur, [7] an cornua habeat, non eſt tam ſtultus, [8] ut frontem ſuam tentet: nec rurſus tam ineptus aut hebes, ut non habere ſe neſciat, quod tu illi ſubtiliſſima collectione perſuaſeris. Sic iſta [9] ſine noxa decipiunt, quomodo [10] præſtigiatorum acetabula & calculi, in quibus falla-

6 *Sed vincit*] Plinius Panegyrico: *Ingenioſior eſt enim ad excogitandum ſimulatio veritate.*

Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Ac faciunt prope plura dolentibus ex
animo: ait Horatius. *Lipſius.*

7 *An cornua habeat*] Eſt quem κεράτινον λόγον vocabant, quaſi *cornutum ſermonem*: diciturque inveniſſe primus Eubulides Dialecticus, aut Diodorus. *Idem.*

8 *Ut frontem ſuam tentet*] Imo vero fecit Diogenes Cynicus facetiſſime. nam *ratiocinatori tali, concludenti ipſum cornua habere, manu frontem tangens, Equidem, inquit, illa non video.* Idem.

9 *Sine noxa decipiunt*] Ut in omni alio cavillo. Itaque Ariſtippus egregie, ad ſubtiliter diſſerentem, & vincentem: *Ego, inquit, victus abeo, jucundius quam tu victor dormiturus.* Idem.

10 *Præſtigiatorum acetabula*] Ludus eſt, vel manuum agilitas, hodieque in uſu, & pueris aut plebi in admiratione. Calculos ſive nummos in menſa ponunt: deinde acetabulis (vaſculis aut pyxidibus) opertos tam dextre loco movent, & transferunt, ut cum hic eſſe cenſeas, alibi compareant: & arte magica fieri arbitrere. Græci vocant ψηφοπαίκτας, quia ludunt calculis: vel & ψηφοκλέπτας, quia velut eos

cia ipſa delectat. Effice, ut quomodo fiat intelligam: [11] perdidi uſum. Idem de iſtis captionibus dico: quo enim nomine potius ſophiſmata appellem? nec ignoranti nocent, nec ſcientem juvant. Si vis utique verborum ambiguitates diducere; hoc nos doce, beatum non eum eſſe, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit: ſed illum, cui bonum omne in animo eſt, erectum, & excelſum, & mirabilia calcantem. qui neminem videt, cum quo ſe commutatum velit: qui hominem ea ſola parte æſtimat, qua homo eſt: qui natura magiſtra utitur, ad illius leges componitur, ſic vivit, quomodo illa præſcripſit: cui bona ſua nulla vis excutit: qui mala in bonum vertit, certus judicii, inconcuſſus, intrepidus: quem aliqua vis movet, nulla perturbat: quem fortuna, cum in eum quod habuit telum nocentiſſimum, vi maxima intorſit, pungit, non vulnerat, & hoc raro. Nam cetera ejus tela, quibus genus humanum debellatur, grandinis more diſſultant: quæ incuſſa tectis, ſine ullo habitatoris incommodo crepitat, ac ſolvitur. Quid me detines in eo, quem tu ipſe [12] Pſeudomenon appellas, de quo [13] tantum librorum compoſitum eſt? Ecce tota mihi vita mentitur: hanc coargue, hanc ad verum, ſi acutus es, redige. Neceſſaria judicat, quorum magna pars ſupervacua eſt: etiam quæ non eſt ſupervacua, nihil in ſe momenti habet in hoc, ut poſſit fortunatum beatumque præſtare. Non enim ſtatim bonum eſt,

furantur. Gloſſæ: *Præſtigiator*, ψηφοπαίκτης. Suidas & ψηφολόγους dictos oſtendit, quem ea voce vide. At opportune notat Muretus, hanc comparationem ab Arceſilao eſſe, de quo Stobæus Serm. 80. *Ἀρκεσίλαος ὁ φιλόσοφος ἔλεγε, τοὺς διαλεκτικοὺς ἐοικέναι τοῖς ψηφοπαίκταις, οἵτινες χαριέντως παραλογίζονται· Arceſilaus philoſophus aiebat, Dialecticos ſimiles præſtigiatoribus calcularis, qui jucunde decipiunt.* Lipſius.

11 *Perdidi uſum*] Neque enim delectant, jam nota. *Idem.*

12 *Pſeudomenon*] Mentientem Cicero vertit. *Idem.*

13 *Tantum librorum*] Fortaſſe & ab aliis, ſed certe à Chryſippo. Is ſolus ſcripſit, Περὶ τῆς εἰς τὸν ψευδόμενον εἰσαγωγῆς, α. Περὶ τοῦ ψευδομένου, ϛ. Περὶ τοῦ ψευδομένου λύσεως, γ. Πρὸς τοὺς φάσκοντας τὰ λήμματα ἔχειν ψευδῆ τὸν ψευδόμενον λόγον, α. Sunt undecim libri unius Chryſippi: & an falſo Seneca, *tantum librorum?* Nam & alii, non ambigo, ſcripſere. *Idem.*

Digitized by Google

eſt, ſi quid neceſſarium eſt. Ac projicimus bonum, ſi hoc nomen pani aut polentæ damus, & ceteris ſine quibus vita non ducitur. Quod bonum eſt, utique neceſſarium eſt: quod autem neceſſarium eſt, non ſtatim bonum eſt: quoniam quædam neceſſaria ſunt, eadem viliſſima. Nemo uſque eo dignitatem boni ignorat, ut illud ad hæc in diem utilia demittat. Quid ergo? non eo potius curam transferes, ut oſtendas omnibus, magno temporis impendio quæri ſupervacua: & multos tranſiſſe vitam, dum vitæ inſtrumenta conquirunt? Recognoſce ſingulos, conſidera univerſos: nullius non vita ſpectat in craſtinum. Quid in hoc ſit mali, quæris? infinitum. non enim vivunt, ſed victuri ſunt: omnia differunt. Etiam ſi attenderemus, tamen nos vita præcurreret: nunc vero cunctantes quaſi aliena tranſcurrit, & ultimo die finitur, omni perit. Sed ne epiſtolæ modum excedam, [14] quæ non debet ſiniſtram manum legentis implere: in alium diem hanc litem cum dialecticis differam, nimium ſubtilibus, & hoc ſolum curantibus, [15] non & hoc.

EPIST. XLVI.

De libro Lucilii judicat, & laudat.

LIbrum tuum quem mihi promiſeras, accepi, & tanquam lecturus [1] ex commodo adaperui, ac tantum deguſtare volui. Deinde blanditus eſt ipſe, ut procederem longius, qui quam diſertus fuerit, ex hoc intelligas licet. brevis mihi viſus eſt, [2] cum eſſet nec mei, nec tui corporis, ſed

14 *Quæ non debet ſiniſtram manum legentis implere*] Hoc referendum ad anguſtias & minutam libelli formam monet Lipſius cap. 1. Epiſt. inſtit.

15 *Non & hoc*] Muretus accipit, Nihil aliud quam ſpinoſos Syllogiſmos ex repugnantibus curantes: qui fere ſic conformari ſolent: *Non & hoc, & illud. Hoc autem eſt: non illud igitur.* Ego vero aliter, Damnat, qui ſolam Dialecticam curant, non graviora: & hanc ut ἔργον habent, non πάρεργον. Debebant, inquit, non hanc curare tantum, ſed & hanc: id eſt, in additamento, non in principali habere. *Idem.*

EPIST. XLVI. 1 *Ex commodo*] Ubi commodum eſſet. *Idem.*

2 *Cum eſſet nec mei, nec tui temporis*]

ſed qui primo adſpectu [3] aut T. Livii, [4] aut Epicuri poſſet videri. tanta autem dulcedine me tenuit & traxit, ut illum ſine ulla dilatione perlegerem. [5] Sol me invitabat, [6] fames admonebat, [7] nubes minabantur: tamen exhauſi totum. Non tantum delectatus, ſed gaviſus ſum. Quid ingenii iſte habuit? quid animi? dicerem, quid impetus? ſi interquieviſſet, ſi intervallo ſurrexiſſet. Nunc non fuit impetus, ſed tenor, compoſitio [8] virilis & ſancta. Nihilominus interveniebat dulce illud, & loco lene. Grandis & rectus es. hoc te volo tenere, ſic ire. Fecit aliquid & materia. ideo eligenda eſt fertilis, quæ capiat ingenium, quæ excitet. De libro tuo plura ſcribam, cum illum retractavero: nunc vero parum mihi ſedet judicium, tanquam audierim illa, non legerim. Sine me & inquirere. Non eſt quod verearis, verum audies. O te hominem felicem, quod nihil habes, propter

Scripti fere, *corporis:* ſed illud teneam: Qui eſſet grandior, quam aut tuum aut meum tempus ferret ſcribere, ſive legere. *Idem.* Commode explicat Lipſius: ſed audiendi ſcripti codices: *nec mei nec tui corporis.* Sic omnes Gruteri, ſic & meus, & tres, quas memoravi, veteres editiones. An eſt, quales nec ego nec tu ſcribere ſolemus, ut vult & Salmaſius de M. Uſur. cap. 10. Cicero ad Quintum lib. 2. epiſt. 12. *Siculus ille, capitalis, creber, acutus, brevis, pæne puſillus Thucydides: ſed utros ejus habueris libros, (duo enim ſunt corpora) an utroſque, neſcio.* De Tranq. Animi, cap. 19. *homini armaria cedro atque ebore aptanti, corpora conquirenti, aut ignotorum auctorum, aut improbatorum.* Immo aliud. Veteres in evolvendis chartarum voluminibus partem, quam necdum legebant, ſed erant lecturi, mento ſubjiciebant; quod lectum eſſet, ac cum maxime legeretur, utraque manu in oris comprehendebant ita, ut lecta rurſus complicata, quæ vero legerentur., explicita & plana haberent. Itaque volumen tam grande ac ſpiſſum, ut commode ſic neque ab ipſo, neque à Lucilio teneri poſſet, vocat, *nec mei nec tui corporis.* Tales ſolo corpore non tractabiles libros aliter verſabant: veluti volumen ipſum pulpito imponentes, atque ita paulatim explicantes, ut quod lectum erat, averſo pulpito demitterent & propenſum darent. Cujus rei inſtar pictum vidimus in manuſcripto Terentio apud Iſaacum Voſſium. *Gronovius.*

3 *Aut T. Livii*] Multa enim ſcripſit abolita, etiam philoſophica. Et certe libri Hiſtoriarum nec ex quadrante exſtant. *Lipſius.*

4 *Aut Epicuri*] Qui omnes philoſophos copia librorum vicit, etiam Chryſippum: Laërtius. *Idem.*

5 *Sol me invitabat*] Ut poſito libro inambularem, ac me inſolarem, ungeremque. *Idem.*

6 *Fames admonebat*] Item ponere, & cibum ſumere. *Idem.*

7 *Nubes minabantur*] Poſtea inductæ. & ſuadebant exercere corpus, ante pluviam. *Idem.*

8 *Virilis & ſancta*] An etiam, *ſana*. Idem.

9 *Tam*

propter quod quiſquam tibi [9] tam longe mentiatur! niſi quod etiam ubi cauſſa ſublata eſt, mentimur & conſuetudinis cauſſa.

Epist. XLVII.

Familiariter cum ſervis agendum, vivendumque. Peccatum in eo ſui ævi, ex faſtu & faſtidio. Judicio tamen, liberius aut ſeverius, hos illoſque (pro indole & virtute cujuſque) habendos.

Libenter ex his qui à te veniunt cognovi, familiariter te cum ſervis tuis vivere. hoc prudentiam tuam, hoc [1] eruditionem decet. Servi ſunt? imo homines. Servi ſunt? imo contubernales. Servi ſunt? imo humiles amici. Servi ſunt? imo conſervi, ſi cogitaveris tantumdem in utroſque licere fortunæ. Itaque rideo iſtos qui turpe exiſtimant cum ſervo ſuo cœnare: quare? niſi quia ſuperbiſſima conſuetudo cœnanti domino ſtantium ſervorum turbam circumdedit. Eſt ille plus quam capit, & ingenti aviditate onerat diſtentum ventrem, ac deſuetum jam ventris officio, ut majore opera omnia egerat, quam ingeſſit: at infelicibus ſervis [2] movere labra, ne in hoc quidem, ut loquantur, licet. [3] virga murmur omne compeſcitur: & ne fortuita quidem verberibus excepta ſunt, [4] tuſſis, ſternutamentum, ſingultus: magno malo ulla voce [5] interpellatum ſilentium luitur: nocte tota jejuni, mutique perſtant. Sic fit, [6] ut iſti de

9 *Tam longe*] In tua provincia aliquid potes, hic Romæ nihil. *Lipſius.*

Epist. XLVII. 1 *Eruditionem decet*] Nam eruditio Stoïcis dicitur, ſapientia. Notavi Manud. 2. Diſſert. 1. *Idem.*

2 *Movere labra*] Idem notat, & carpit, de Ira 3. cap. 35. *Quid flagella media cœna petis, quod ſervi loquuntur? quod non eodem loco & turba concionis eſt, & ſilentium ſolitudinis?* Apud Perſas ſimile, Ammianus lib. 23. *Nec miniſtranti apud eos famulo, menſaque adſtanti hiſcere vel loqui licet, vel ſpuere. ita proſtratis pellibus labra omnium vinciuntur.* Idem.

3 *Virga murmur*] Et videtur fuiſſe officii genus, qui intenderent, & loquentes coërcerent. Quo exemplo poſtea apud Principes *Silentiarii*, qui hanc reverentiam ei præſtarent. *Idem.*

4 *Tuſſis, ſternutamentum*] De Ira 2. c. 25. *Quid eſt cur tuſſis alicujus, aut ſternutamentum, nos in rabiem agat?* Idem.

5 *Interpellatum*] Quidam libri, *interpolatum*, item recte. *Idem.*

6 *Ut iſti de domino loquantur*] Senſus imperfectus eſt, quem implebis, ſi leges

Digitized by Google

de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. At illi quibus non tantum coram dominis, ſed cum ipſis erat ſermo, quorum os non conſuebatur, parati erant pro domino porrigere cervicem, periculum imminens in caput ſuum avertere. In conviviis loquebantur, ſed in tormentis tacebant. Deinde ejuſdem arrogantiæ proverbium jactatur: [7] Totidem eſſe hoſtes, quot ſervos. Non habemus illos hoſtes, ſed facimus. Alia interim crudelia & inhumana prætereo, quod nec tanquam hominibus quidem, ſed tanquam jumentis abutimur: quod cum ad cœnandum diſcubuimus, alius [8] ſputa detergit, alius [9] reliquias temulentorum ſubditus colligit, alius pretioſas aves ſcindit: [10] pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, [11] in fruſta excutit. Infelix qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter ſecet. niſi quod miſerior eſt, qui hoc voluptatis cauſſa docet, quam qui neceſſitatis diſcit. Alius vini miniſter in [12] muliebrem modum ornatus, cum ætate luctatur. Non poteſt effugere pueritiam, ſed retrahitur. jamque [13] militari habitu glaber, [14] deſtrictis pilis,

leges *obloquantur:* nam ita habet V.C. Agrætius autem ait, *obloqui*, eſſe obtrectatoris, quam vocem mens Senecæ palam hic deſiderat. *Juretus.*

7 *Totidem hoſtes*] Iſta ſublegit Macrobius 1 Saturn. c. 10. De ipſo autem adagio Feſtus, in *Quot ſervi.* Lipſius.

8 *Sputa detergit*] De Brevit. Vit. cap. 12. *Quam curioſe infelices pueruli ebriorum ſputa detergant.* Idem.

9 *Reliquias temulentorum*] Analecta è cibis. *Idem.*

10 *Pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum*] Nam hæ duæ partes in avibus expetitæ. Non diſpliceat tamen quorumdam librorum lectio: *Per pectus & clunes certis ductibus circumferens eruditam manum, fruſta excutit.* Idem. Aliam à multis ſententiam eliciens Gruterus, ſic reponit: *& pectus & clunes certis ductibus circumferens, erudita manu fruſta excitat.* ut ſcilicet voluerit Seneca, iſtos & pectore & clune inter carpendum, neſcio quam præ ſe tuliſſe geſticulationem.

11 *In fruſta excutit*] De Brevit. Vit. cap. 12. *Quanta arte ſcindantur aves in fruſta non enormia.* Atque hæc ſcilicet, ne manu tangerent, in orbem aut lancem ſubjectam excutiebant. *Lipſius.*

12 *Muliebrem modum*] Comatos, & in veſte longa: eoſdemque calamiſtratos & comptulos. Apuleius: *Scitule miniſtranter pueri calamiſtrati, pulchre intuſiati.* Ambroſius lib. 4. Epiſt. ad Irenæum: *Torquatos & calamiſtratos habent in miniſterio, ipſi promiſſa barba, illos remiſſa coma.* Atqui iſti fere, erant à cyathis. *Idem.*

13 *Militari habitu*] Forma tali, & ætate robuſta: an & veſtem notat? Nam iſti pueri in ruſa eſſe ſolent, ut & milites, alibi à me notatum. *Idem.*

14 *Deſtrictis pilis*] Pſilothro aut reſina,

Digitized by Google

lis, [15] aut penitus evulſis, tota nocte pervigilat: quam [16] inter ebrietatem domini ac libidinem dividit, & in cubiculo vir, & in convivio puer eſt. Alius cui convivarum [17] cenſura permiſſa eſt, perſtat infelix, & exſpectat, quos adulatio, [18] & intemperantia aut gulæ, aut linguæ, revocet in craſtinum. Adjice obſonatores, quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt: qui ſciunt, cujus rei illum ſapor excitet, cujus delectet aſpectus, cujus novitate nauſeabundus erigi poſſit, quid jam ipſa ſatietate faſtidiat, quid illo die eſuriat. Cum his cœnare non ſuſtinet, & majeſtatis ſuæ diminutionem putat, ad eamdem menſam cum ſervo ſuo accedere. Dii melius, quod ex iſtis dominos habent. [19] Stare ante limen

ſina, opinor. Tunc enim facile eos fricando & manu admota, deſtringere. At libris tamen noſtris nulla ea vox eſt, ſed *retritis*, aut *tritis*. quod ego teneam, aut certe, *detritis*: ac ſignificat forcipe aut raſorio potius cultro pilos reciſos minutoſque. Quod ſolent & aduſtione præſtare. Confirmat quod ſequitur. *Lipſius*.

15 *Aut penitus evulſis*] Nonne enim & pſilothro deſtricti penitus evelluntur? æque ſane ac volſellis, quas ipſas adhibebant. Ceterum radi aut velli, mollibus iſtis in aſſiduo uſu, ut læves ſemper eſſent. Suetonius de Othone, *corpore vulſo fuiſſe, & faciem cottidie raſitaſſe*. Lucilii verſus:

Rador, ſubvellor, deſquamor, pumicor, ornor:

à me quidem ſic legendus. *Idem*.

16 *Inter ebrietatem*] Dicit totam noctem vigilare, ſed partitis miniſteriis. Priorem partem in convivio eſſe, ebrio domino cyathiſſantem: alteram in lecto, virum illi agentem. Vah pudor, non ultra explico. Et tales nempe grandes iſti pueri, quos Achilles vocitabant, & in utramque Venerem habebant. *Idem*.

17 *Cenſura permiſſa eſt*] Vocator. *Idem*.

18 *Et intemperantia aut gula, aut linguæ, revocet in craſtinum*] De adulatione, liquet: ea cauſſa juſta revocandi: ſed idemne in Linguæ aut Gulæ intemperantia? contra dicas, tales non revocatos. Niſi forte vitioſos iſtos ipſa vitia capiebant. Dubitavi legere: *revocet, non revocet in craſtinum*. Adulatio revocet, non revocent duo dicta. *Idem*. Priores, quia intemperantes ipſi, qui paſcerent aut cœnarent, amabant, quibus eſſet, ut loquitur Juvenalis, *uſus edendi*: poſteriores ob vernilitatem ſeu dicacitatem. Epiſt. 122. *Varius cœnarum bonarum adſectator, quas improbitate linguæ merebatur.* Martialis 6, 44. *dicteria dicis in omnes: Sic te convivam poſſe placere putas.* Ne mirere cum Lipſio hos revocatos. & formes: *revocet, non revocet.* Quod ipſum loquutionis genus Senecæ non convenit. *Gronovius*.

19 *Stare ante limen*] Ut clientulum, egreſſus exſpectantem. Simillimum de *Felicione* quodam ſui ævi Epictetus 1 Diſſert. 19. *Sutorem quemdam habuit Epaphroditus, quem ut nullius uſus aut frugis vendidit. At iſtum, bono ſuo dæmone, Cæſarianus aliquis emit, & Cæſaris ſutor eſt factus. Vidiſſes ſtatim, ut eum coluerit Epaphroditus. Quid agit optimus Felicio? Amo te. Deinde ſiquis noſtrum interrogaretur, Quid agit Epaphroditus? dicebatur, cum Felicione ſuper re quapiam deliberare.* Lipſius.

20 *Calli-*

Digitized by Google

men [20] Calliſti dominum ſuum vidi, [21] & eum qui illi impegerat titulum, qui inter [22] rejicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi. Retulit illi gratiam ſervus, ille [23] in primam decuriam conjectus, in qua [24] vocem præco experitur, & ipſe illum invicem [25] apologavit, & ipſe non judicavit domo ſua dignum. Dominus Calliſtum vendidit: ſed [26] domino quam multa Calliſtus? Vis tu cogitare iſtum quem ſervum tuum vocas, [27] ex iiſdem ſeminibus ortum, eodem frui cælo, æque ſpirare, æque vivere, æque mori? Tam tu illum ingenuum videre potes, quam ille te ſervum. [28] Mariana clade quam multos ſplendidiſſime natos,

20 *Calliſti dominum*] Hic præpotens libertus Claudianus fuit, & e Tacito, Suetonio, Dione notus. *Lipſius.*

21 *Et eum qui illi impegerat titulum*] Venales ſervi cum titulo ad pectus, qui, qualeſque eſſent: ex Ædilicio edicto. Dicit autem *Impactum titulum*, quaſi per contemptum, & notis fortaſſe inſignem. Nam addit, inter *rejicula mancipia* productum: ut pravum, & titulo non allaudante. *Idem.* Vide Briſſon. lib. 6 de Formulis: & Gellium lib. 4. cap. 2.

22 *Rejicula mancipia*] Probamus: & libri tamen *ridicula* conſtanter ſcribunt. Nec male, quia riſu & jocis excipi ſolent, ab ipſis etiam præconibus: ut in Apuleii 8. diſces. *Lipſius.*

23 *In primam decuriam*] Plures una venales: & videntur ſerie, ac per decurias (quidam libri *curias* vellent) producti. Ultimi autem, optimi reſervati; viliſſimi in primo agmine expoſiti. Martialis idem oſtendit, ſed & caſulis aut cellis à mangone diſtinctos, lib. 9.

Inſpexit molles pueros, oculiſque comedit,
Non hos, quos prima proſtituere caſa,
Sed quos arcana ſervant tabulata cataſtæ:
Et quos non populus, nec mea turba videt. Idem.

24 *Vocem præco experitur*] Identidem clamando, nec emptorem repetiendo. Quod Apuleius ſibi eveniſſe, rejiculo item & ſubciſivo, memorat. lib. 8. *Tunc præco diruptis faucibus, & rauca voce ſaucius, in meas fortunas ridiculos conſtruebat jocos.* Idem.

25 *Apologavit*] Diſplicet Henrico Stephano, & vellet, *ablegavit*. At libri omnes ingerunt: & quidam explicant, *convicio affecit*, vel *notavit*. Ego putem vulgi verbum, ſed Græciani fontis eſſe, ἀπολέγειν· quod valet illis, *rejicere, repudiare.* Ipſa vox retenta, ſed aliter paullo flexa. Ita dixerunt *Catamidiare, Aporiari*, & id genus alia. *Idem.*

26 *Domino quam multa*] Ipſi domino aliquid à Cæſare petenti Calliſtus impetravit, ſed non ſine pretio aut dono. Non diſpliceret etiam, *domini quam multa*: ut notet univerſe potentiam Calliſti, & ſecordiam Claudii, ſub quo mancipia iſta omnia pro arbitrio ferebant, agebant. *Idem.*

27 *Ex iiſdem ſeminibus*] Ipſa hæc Epictetus 1. Diſſert. 13. *Non recordaberis, qui ſis, & quibus imperes? nonne cognatis? nonne natura fratribus? nonne à Jove oriundis?* Idem.

28 *Mariana clade*] Liquet mihi legendum. *Variana.* Nam neque Marius tulit cladem à barbaris, ſed dedit. Nec ad ipſos Germanos referre potes, factos ab eo ſervos: nam addit *Senatorium gradum auſpicatos*, quod certe Romanorum eſt; non Germanorum. Cape igitur de Quinctilii Vari clade, cum

tos [29] ſenatorium per militiam auſpicantes gradum, fortuna depreſſit? alium ex illis [30] paſtorem, alium cuſtodem caſæ fecit. Contemne nunc ejus fortunæ hominem, in quam tranſire, dum contemnis, potes. Nolo in ingentem me locum immittere, & de uſu ſervorum diſputare, in quos ſuperbiſſimi, crudeliſſimi, & contumelioſiſſimi ſumus. Hæc tamen præcepti mei ſumma eſt: Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum ſuperiorem velles vivere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in ſervum liceat: veniat in mentem, tantumdem in te domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo dominum. [31] Bona ætas eſt. forſitan habebis. neſcis qua ætate Hecuba ſervire cœperit, qua Crœſus, qua Darii mater, [32] qua Plato, qua Diogenes? Vive cum ſervo clementer: [33] comiter quoque & in ſermonem admitte, & in conſilium, & in convictum. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum: Nihil hac re humilius, nihil turpius. Hos ego eoſdem deprehendam, alienorum ſervorum [34] oſculantes manum. Ne illud quidem

cum tribus legionibus ab Arminio cæſi: atque in ea multi honeſti aut nobiles facti ſervi. *Idem.* Opportuno recentique exemplo admonet, poſſe è ſumma fortuna labi ad imam.

29 *Senatorium per militiam*] Dixi in Militia lib. 2. cap. 9. Tribunos Laticlavios fuiſſe, & primum hunc velut aditum in curiam. Adde Epicteti locum lib. 3. Diſſert. 26. *Si militavero, inquit, liberabor malis omnibus. Militat igitur, fert ea quæ ſervus aliquis verbero: ac nihilo ſecius alteram tertiamque militiam poſtulat. Deinde cum ipſum Colophonem impoſuerit, & factus fuerit Ordinis Senatorii, tunc incipit ſervus eſſe: cum in curiam ingreditur, pulcherrimam ſervitutem ſervit.* Diſce tres militias ſic militaſſe, id eſt ter Tribunos, ſive per tres annos an ſemeſtria fuiſſe, & tum Senatores habitos, ex inſtituto Auguſti. *Lipſius.*

30 *Paſtorem*] Quis enim alius ſervorum uſus inter barbaros? & de iis agit: ſpectatque eodem de *caſa*, quod adjungit. non enim Palatia illic, néc mediaſtinis opus, aut atrienſibus. *Idem.*

31 *Bona ætas eſt*] Juventus: ut mala ætas, ſenectus. *Idem.*

32 *Qua Plato*] Quem Dionyſius, libertate ejus offenſus, Polidi Lacedæmonio vendendum tradidit. quod fecit, & adductum in Æginam, Anniceri Cyrenaico viginti minis vendidit: qui illico tamen Athenas ad amicos liberum eum remiſit. *Idem.*

33 *Comiter quoque*] Quidam libri, *in iter quoque.* Idem.

34 *Oſculantes manum*] Quod ipſum ſervorum erga dominos erat. Videſis me 2 Elect. cap. 6. *Idem.* Quod ſervorum eſt. Arrianus lib. 2 Diſſertat. cap. 10. *Tribunatum adeptus es? ecce obvii omnes gratulantur. alius oculos oſculatur, alius collum, ſervi manus.* Poſtea tamen invaluit, ut & potentiorum manus oſculo libarentur, ut videre eſt apud Plutarchum in Catone: lege Hotoman-

Digitized by Google

quidem videtis, quam omnem invidiam majores noſtri dominis, omnem contumeliam ſervis detraxerint? Dominum, [35] patremfamiliæ appellaverunt: ſervos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares. Inſtituerunt diem feſtum, [36] quo non ſolum cum ſervis domini veſcerentur, ſed quo utique honores illis in domo gerere, [37] jus dicere permiſerunt, & domum puſillam rempublicam eſſe judicaverunt. Quid ergo? omnes ſervos admovebo menſæ meæ? non magis quam omnes liberos. Erras, ſi exiſtimas me quoſdam quaſi ſordidioris operæ rejecturum, ut puta illum mulionem, & illum bubulcum: non miniſteriis illos æſtimabo, ſed moribus. Sibi quiſque dat mores: miniſteria caſus aſſignat. Quidam cœnent tecum, quia digni ſunt; quidam, ut ſint. Si quid enim in illis ex ſordida converſatione ſervile eſt, honeſtiorum convictus excutiet. Non eſt, mi Lucili, quod amicum tantum in foro & in curia quæras: ſi diligenter attenderis, & domi invenies. Sæpe bona materia ceſſat ſine artifice. tenta, & experire. Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum empturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus ac frænos: ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aut ex veſte, aut ex conditione, quæ veſtis modo nobis circumdata eſt, æſtimat. Servus eſt? ſed fortaſſe liber animo. Servus eſt? hoc illi nocebit? oſtende quis non ſit. Alius libidini ſervit, alius avaritiæ, alius ambitioni; omnes timori. Dabo conſularem, [38] aniculæ ſervientem; dabo [39] ancillulæ divitem: oſtendam nobiliſſimos juvenes man-

tomannum lib. ſingulari Obſervat. quæ ad veter. ritum nuptiarum pertinent, cap. 11.

35 *Patremfamiliæ*] Tertullianus: *Gratius eſt nomen pietatis, quam poteſtatis: etiam familiæ magis patres, quam domini vocantur.* Lipſius.

36 *Quo non ſolum*] Quidam libri, *non quo ſolo*: & ita ſententia melior. Nam & alias cœnabant cum Dominis, ſed tunc de more, & ipſi velut Domini. Vide Saturnalia noſtra 1. c. 2. *Idem.*

37 *Jus dicere*] Quod etiam alias inter ipſos uſurpabant. Certe Plutarchus de Catone Cenſorio ſcribit: *Servi ſi qui capitalem fraudem admiſiſſe videbantur, de iis, ſi in judicio conſervorum capitis damnati fuiſſent, ſupplicium ſumebat.* Idem.

38 *Aniculæ ſervientem*] Quam captat, & heredipeta eſt. *Idem.*

39 *Ancillulæ divitem*] Amore ejus corruptum. *Idem.*

Digitized by Google

[40] mancipia Pantomimorum. Nulla ſervitus turpior eſt, quam voluntaria. Quare non eſt quod faſtidioſi te deterreant, quo minus ſervis tuis hilarem te præſtes, & non ſuperbe ſuperiorem. [41] Colant potius te, quam timeant. Dicet nunc aliquis, me vocare [42] ad pileum ſervos, & dominos de faſtigio ſuo dejicere: quod dixi, colant potius dominum, quam timeant. Ita ne, inquit, prorſus colant tanquam clientes, tanquam ſalutatores? Hoc qui dixerit, obliviſcetur, id dominis parum eſſe, quod Deo ſatis eſt, qui colitur & amatur. Non poteſt amor cum timore miſceri. Rectiſſime ergo te facere judico, quod timeri à ſervis tuis non vis, quod verborum caſtigatione uteris. Verberibus [43] muta admonentur. non quidquid nos offendit, & lædit. Sed ad rabiem cogunt venire deliciæ, ut quidquid non ex voluntate reſpondit, [44] iram provocet. [45] Regum nobis induimus animos. nam illi quoque obliti & virium ſuarum, & imbe-

40 *Mancipia Pantomimorum*] Vide Quæſt. Nat. 7. cap. ult. *Lipſius.*

41 *Colant potius te*] Poeta vetus dixit:

Malo veteri, quam timeri me à meis. Idem.

42 *Ad pileum*] Ad libertatem. *Idem.*

43 *Multa admonentur*] Puto, *mutas* & quæ ſermonis uſum ſenſumque non habent. *Idem.*

44 *Iram provocet*] Meus, ut Jureti, *iram evocet:* de quo miror alios ſilere: adeo Senecæ videtur. De Ira lib. 3, 8. *moderatos, qui iram tuam nec evocent nec ferant.* Mire amat hoc verbum. De Brevit. Vit. cap. 1. *clarorum quoque virorum hic adfectus querelas evocavit.* De Conſt. Sap. cap. 4. *evocare lacrymas.* De Ira, 1, 3. *ad impetus evocari* dicitur *vis animi.* Lib. 2, 21. *ingenia in lætitiam evocanda.* Lib. 3, 5. *lentos in ſævitiam ac violentiam evocet.* De Provid. cap. 4. *in vanas mentem imagines evocat.* Epiſt. 58. *eorum, quæ aviditatem evocant, modus.* Hippolyto: *Zephyrus vernas evocat herbas.* Et ſæpenumero alibi. Cicero de Finibus: *probitatem nec præmiorum mercedibus evocatam.* Hortenſio: *quod dedecus, quod non evocetur atque eliciatur voluptate?* Videtur autem ſcripſiſſe Seneca: *Sed ad rabiem cogunt venire deliciæ: ut quidque non ex voluntate reſpondit, iram evocat. Reſpondere* ſic Suetonius Julio, 46. *Villam, quia non tota ad animum ei reſponderat, totam diruiſſe.* Rei exemplum Claudius apud Suetonium, 34. *præterque deſtinatos, etiam levi ſubitaque de cauſſa quoſdam committeret, de fabrorum quoque ac miniſtrorum atque id genus numero, ſi αὐτόματον, vel pegma, vel quid tale aliud parum ceſſiſſet.* Gronovius.

45 *Regum nobis induimus*] De Ira 2. cap. 31. *Regis quiſque intra ſe habet animum, ut licentiam ſibi dari in alterum velit, in ſe nolit.* Muſonius: Τί ἀποβαλλόμεθα τυράννους, μακρῷ χείρονες αὐτῶν καθεστῶτες; τὰς γὰρ ὁμοίας αὐτοῖς ἔχομεν ὁρμὰς, ἐν δ' οὐχ ὁμοίαις τύχαις. *Cur tyrannos abjicimus & damnamus, ipſi longe iis deteriores? nam impetus affectuſque eoſdem habemus, etſi in diſſimili fortuna.* Lipſius.

imbecillitatis alienæ, ſic excandeſcunt, ſic ſæviunt, quaſi injuriam acceperint: à cujus rei periculo illos fortunæ ſuæ magnitudo tutiſſimos præſtat. Nec hoc ignorant, ſed occaſionem nocendi [46] captant, querendo. acceperunt injuriam, ut facerent. Diutius te morari nolo. non eſt enim tibi exhortatione opus. Hoc habent inter cetera boni mores, placent ſibi, & permanent. levis eſt malitia, ſæpe mutatur: non in melius, ſed in aliud.

EPIST. XLVIII.

Amicis eadem expedire, & alterum alteri utilem eſſe. Tum contra captiunculas, & ſpinoſas ineptias. Quid facitis? quid luditis? de vita agitur: ſuccurre, & forma. De fortuna: contra eam da arma.

AD epiſtolam quam mihi ex itinere miſiſti, tam longam, quam ipſum iter fuit, poſtea reſcribam. Seducere me debeo, & quid ſuadeam, circumſpicere. Nam tu quoque qui conſulis, diu an conſuleres cogitaſti: quanto magis hoc mihi faciendum eſt, cum longiore mora opus ſit, ut ſolvas quæſtionem, quam ut proponas? Utique cum [1] aliud tibi expediat, aliud mihi: iterum ego [2] tanquam Epicurus loquor. Mihi vero idem expedit, quod tibi: aut non ſum amicus, niſi quidquid agitur [3] ad te pertinens, meum eſt. Conſortium rerum omnium inter nos facit amicitia: nec ſecundi quidquam ſingulis eſt, nec adverſi. [4] in commune vivitur. Nec poteſt quiſquam beate degere, qui ſe tantum intuetur, qui omnia ad utilitates ſuas convertit: alteri

46 *Captant, querendo*] Querelas ſtruunt jaciuntque, ut læſi: atque hoc ideo, ut lædant. *Lipſius.*

EPIST. XLVIII. 1 *Aliud tibi expediat*] Videtur de manſione in provincia fuiſſe conſultatio: at Seneca maluiſſet redire, & adeſſe. *Idem.*

2 *Tamquam Epicurus*] Pro ejus ſenſu & dogmate. qui utilitatibus amicitias metitur: atque ex alii aliæ. Adi epiſt. 9. *Idem.*

3 *Ad te pertinens*] Quidam ſcripti, *à te, protinus.* Idem.

4 *In commune vivitur*] Quod pulchre ita Ariſtoteles, *interrogatus Quid eſſet Amicus? μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα· Una anima duobus corporibus inhabitans.* Idem.

Digitized by Google

alteri vivas oportet, ſi vis tibi vivere. Hæc ſocietas diligenter & ſancte obſervanda eſt, quæ nos omnes omnibus miſcet, & judicat aliquod eſſe commune jus generis humani. plurimum ad illam quoque (de qua loquebar) interiorem ſocietatem amicitiæ colendam proficit. Omnia enim cum amico communia habebit, qui multa cum homine. Hoc, Lucili virorum optime, mihi ab iſtis ſubtilibus præcipi malo, quid amico præſtare debeam, quid homini, quam quot modis Amicus dicatur, & Homo quam multa ſignificet. In diverſum ecce ſapientia & ſtultitia diſcedunt. cui accedo? in utram ire partem jubes? [5] Illi homo pro amico eſt, [6] huic amicus non eſt pro homine: ille amicum ſibi parat, hic ſe amico. Tu mihi verba diſtorques, & ſyllabas digeris. Scilicet niſi interrogationes vaferrimas ſtruxero, & concluſione falſa à vero naſcens mendacium adſtrinxero, non potero à fugiendis petenda ſecernere. Pudet me. in re tam ſeria ſenes ludimus. Mus ſyllaba eſt: mus autem caſeum rodit: ſyllaba ergo caſeum rodit. Puta nunc me iſtud non poſſe ſolvere: quod mihi [7] ex iſta ſententia periculum imminet? quod incommodum? Sine dubio verendum eſt, ne quando in muſcipula ſyllabas capiam, aut ne quando, ſi negligentior fuero, caſeum liber comedat. Niſi forte acutior eſt illa collectio: Mus ſyllaba eſt: ſyllaba autem caſeum non rodit: mus ergo caſeum non rodit. O pueriles ineptias! in hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbam demiſimus? hoc eſt quod triſtes docemus & pallidi? Vis ſcire, quid philoſophia promittat generi humano? conſilium. Alium mors vocat, alium paupertas urit, alium divitiæ [8] vel alienæ torquent, [9] vel ſuæ: ille malam fortunam horret, hic ſe felicitati ſuæ [10] ſubducere cupit: hunc homi-

5 *Illi homo*] Stoïco illi. *Lipſius.*

6 *Huic amicus*] Epicureo. qui nec jus aliquod commune ſe habere cenſet, ſed ad ſe unum omnia refert. *Idem.*

7 *Ex iſta ſententia*] Meus liber, *ſcientia.* Putarem, *inſcientia.* Idem.

8 *Vel alienæ torquent*] Invidia. *Idem.*

9 *Vel ſuæ*] Quas non diſponit bene, aut diſpenſat. Item torquent, metu amittendi. *Idem.*

10 *Subducere cupit*] Ferendæ impar. *Idem.*

[11] homines male habent, [12] illum dii. Quid mihi [13] luſoria iſta proponis? non eſt jocandi locus. ad miſeros advocatus es. Opem te laturum naufragis, captis, ægris, egentibus, intentæ ſecuri ſubjectum præſtantibus caput, pollicitus es: quo diverteris? quid agis? hic cum quo ludis, timet. [14] Succurre, quiſquis eloquentior es, pereuntium pœnis. Omnes undique ad te manus tendunt, perditæ vitæ, perituræque auxilium aliquod implorant, in te [15] ſpes opeſque ſunt. Rogant ut ex tanta illos volutatione extrahas, ut disjectis & errantibus clarum [16] veritatis lumen oſtendas. Dic quid natura neceſſarium fecerit, quid ſupervacuum, quam faciles leges poſuerit; quam jucunda ſit vita, quam expedita, illas ſequentibus; quam acerba & implicita eorum, qui opinioni plus quam naturæ crediderunt. Quid iſtorum cupiditates demit? quid temperat? Utinam tantum non prodeſſent! nocent. Hoc tibi, cum voles, manifeſtiſſimum faciam, & comminui & debilitari generoſam indolem, in iſtas argutias conjectam. Pudet dicere contra fortunam militaturis, quæ porrigant tela, quemadmodum illos ſubornent. Hac ad ſummum bonum itur? per iſtud philoſophiæ ſunt nigræ, & turpes, infameſque, [17] etiam ad album

11 *Homines male habent*] Iraſcitur iis, ut læſus. *Lipſius.*

12 *Illum dii*] Qui cæleſtes incuſat. *Idem.*

13 *Luſoria iſta*] Arma batuentium. *Idem.*

14 *Succurre, quiſquis eloquentior*] Fide Eraſmi, ex uno codice recepta lectio: ſed nec ipſi proba. Scripti valde abeunt: è quibus noſter & plures: *ſuccurrere. Quidquid laqueati reſpondent in pœnis.* Quidam, *ſuccurre. quid eſt quod laqueati.* Concinnabam ego: *hic cum quo ludis, timet. ſuccurre. Quidquid illaqueatorum pendet in pœnis, omnes undique ad te manus tendunt.* Ecce, tu laqueos verborum jocoſe nectis: at iſti miſeri vere illaqueati pendent in ſuis quiſque pœnis. hi omnes te ſpectant auxiliarem, & liberatorem. *Idem.*

15 *Spes opeſque ſunt*] Salluſtianum eſt, de Mario: *Spes atque opes civitatis in illo ſita.* Idem.

16 *Veritatis lumen*] Hoc promittunt philoſophi, & præſtant. Lucretius:

—— quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantiſque tenebris,
In tam tranquillo, & tam clara luce locarunt.

Utramque imaginem ibi habes, & *volutationis*, & *luminis*. Idem.

17 *Etiam ad album ſedentibus*] Leguleiis. circa album Prætoris, & formulas occupatis. *Idem.* Album tabula erat dealbata. velut Theophilus in §. pœnales. Inſt. de actionib. ſcribit, albis

Digitized by Google

album ſedentibus, exceptiones. Quid enim aliud agitis, cum eum quem interrogatis, ſcientes in fraudem inducitis, [18] quam ut formula cecidiſſe videatur? Sed quemadmodum illum prætor, ſic hos philoſophia in integrum reſtituit. Quid diſceditis ab ingentibus promiſſis, & grandia locuti, effecturos vos, ut non magis auri fulgor, quam gladii, perſtringat oculos meos, ut ingenti conſtantia, & quod [19] omnes optant, & quod [20] omnes timent, calcem, ad Grammaticorum elementa deſcenditis? Quid dicitis? ſic itur ad aſtra? hoc enim eſt quod philoſophia mihi promittit, ut parem Deo faciat: ad hoc invitatus ſum, ad hoc veni. fidem præſta. Quantum potes ergo, mi Lucili, reduc te ab iſtis exceptionibus [21] & præſcriptionibus philoſophorum. [22] Aperta decent & ſimplicia bonitatem. Etiam ſi multum ſupereſſet ætatis, parce diſpenſandum erat, ut ſufficeret neceſſariis: nunc quæ dementia eſt, ſupervacua diſcere in tanta temporis egeſtate?

. EPIST.

albis literis notata, in qua Prætores edicta ſua, quo omnibus innoteſcerent, actiones & interdicta proponebant, l. 2. §. eodem. ff. de orig. jur. l.7. & l.9. ff. de Juriſd. &c. Vide Briſſon. de verb. ſign.

18 *Quam ut formula cecidiſſe videatur*] Quod fit, cum actio aliter, apud alium, alio tempore, quam oportuit præſcriptumque eſt, inſtituitur. Juriſconſulti iſta: & nos aliquid de Clem. 2. cap. 3. *Lipſius.* *Cadere forma* in vett. libris dicitur, qui non ut oportuit actionem inſtituit. Locus autem hic Senecæ facit, ut non XII tabulis, ſed Prætoris edicto, plus petendo creditores cauſa cecidiſſe credat. Rævardus lib. 3. cap. 14. varior. vide eum ibidem, item lib. de auctorit. prudent. cap. 2. Cujacium & Hotomannum ad §. 28. ſi quis agens. Inſtit de actionib. Briſſon. lib. 3. de verb. ſign. & Torrentium in Suet. Claud. c. 14.

19 *Omnes optant*] Bona externa. *Lipſius.*

20 *Omnes timent*] Mala eadem. *Idem.*

21 *Et præſcriptionibus*] Ita & exceptiones dicuntur, quibus reus agentem repellit. Talia autem in Sophiſmatis, & ſcita quædam legeſque, ad rejiciendum & ſolvendum. *Idem.*

22 *Aperta decent & ſimplicia bonitatem*] Iterum me angit ſilentium aliorum: nam noſtræ membranæ, *veritatem.* ſequenti extrema: *Nam, ut ille ait tragicus, veritatis ſimplex oratio eſt.* Gronovius.

EPIST. XLIX.

Pompeiorum adſpectu, memoriam ſibi Lucilii renovatam. De brevitate & curſu Temporis: nihil longum aut vetus in eo eſſe. Obiter contra Dialecticos: & totum id genus proſpiciendos tantum.

EST quidem, mi Lucili, ſupinus & negligens, qui in amici memoriam ab aliqua regione admonitus reducitur: tamen repoſitum in animo noſtro deſiderium loca interdum familiaria evocant, nec exſtinctam memoriam reddunt, ſed quieſcentem irritant. ſicut dolorem lugentium, etiam ſi mitigatus eſt tempore, aut ſervuli [1] familiaris admiſſio, aut veſtis, aut domus renovat. Ecce Campania, & maxime Neapolis, [2] Pompeiorum tuorum conſpectum, incredibile eſt, quam recens deſiderium tui fecerit. Totus mihi in oculis es, cum maxime à te diſcedo: video lacrimas combibentem, & affectibus tuis inter ipſam coërcitionem exeuntibus non ſatis reſiſtentem. [3] modo amiſiſſe te videor. Quid enim non modo eſt, ſi recorderis? Modo [4] apud Sotionem philoſophum puer ſedi, modo cauſſas agere cœpi, modo deſii velle agere, modo deſii poſſe. Infinita eſt velocitas temporis, quæ magis apparet reſpicientibus. Nam ad præſentia intentos fallit: adeo præcipitis fugæ tranſitus levis eſt. Cauſſam hujus rei quæris? quidquid temporis tranſiit, eodem loco eſt: pariter adſpicitur, una

EPIST. XLIX. 1 *Familiaris admiſſio*] Qui illius ſcilicet fuit, quem lugeos. Eo admiſſo & viſo, recrudeſcit dolor. Alii tamen libri, *admonitio.* Lipſius.

2 *Pompeiorum tuorum*] Villam, opinor, in Pompeiano habebat. Vide initio epiſt. 70. *Idem.*

3 *Modo amiſiſſe te*] Ex eo loco in Siciliam euntem, Seneca proſequente. Ita enim infra: *Modo te proſecutus ſum.* Idem.

4 *Apud Sotionem*] Aliquoties *Sotion* quidam citatur *de ſucceſſione philoſophorum*, à Laërtio, Græce Σωτίων· non iſte, opinor. Citatur & Agellio, lib. 1. cap. 8. *è Peripatetica diſciplina*: etſi male ibi libri quidam *Phocion.* Sed noſter iſte magis Pythagoricus fuiſſe videtur, ex epiſtola 108. De quo etiam Euſebius Chronico, extremis Auguſti annis: *Sotio philoſophus Alexandrinus, præceptor Senecæ, clarus habetur.* Idem.

5 *Ali-*

Digitized by Google

una jacet: omnia inde in profundum cadunt. & alioquin non poſſunt longa intervalla eſſe in ea re, quæ tota brevis eſt. Punctum eſt quod vivimus, & adhuc puncto minus: ſed hoc minimum ſpecie quadam longioris ſpatii natura diviſit. Aliud ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam, aliud adoleſcentiam, aliud inclinationem quamdam ab adoleſcentia ad ſenectutem, aliud ipſam ſenectutem. In quam anguſto, quot gradus poſuit? Modo te proſecutus ſum: & tamen hoc modo, ætatis noſtræ bona portio eſt: cujus brevitatem [5] aliquando futuram cogitemus. Non ſolebat mihi tam velox tempus videri. nunc incredibilis curſus apparet: ſive quia [6] admoveri lineas ſentio, ſive quia attendere cœpi & computare damnum meum. Eo magis utique indignor, aliquos ex hoc tempore (quod ſufficere nec ad neceſſaria quidem poteſt, etiam ſi cuſtoditum diligentiſſime fuerit) in ſupervacua majorem partem erogare. Negat Cicero, ſi duplicetur ſibi ætas, habiturum ſe tempus quo legat Lyricos, eodem modo Dialecticos. Triſtius inepti ſunt. illi ex profeſſo laſciviunt: hi agere ſe ipſos aliquid exiſtimant. Nec ego nego proſpicienda iſta: ſed proſpicienda tantum, & à limine ſalutanda, in hoc unum, ne verba nobis dentur, & aliquid eſſe in illis magni ac ſecreti boni

5 *Aliquando futuram*] In ſenio, & ſub exitum. *Lipſius.*

6 *Admoveri lineas*] Ut in ſtadio, ubi curritur ad lineam, & jam tangimus. Duplex enim ibi linea, & à qua, & ad quam currebant: *κέντρα* aut *γραμμὴν* Græci dixerunt. Varii meminerunt: & Euripides alluſit Antigona:

— ἐπ' ἄκραν ἥκομεν γραμμὴν κακῶν·
Devenimus ſummam ad malorum lineam.

Iterumque in Electra:

Μή μοι, τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς,
Νικᾶν δοκείτω τὴν δίκην, πρὶν ἂν πέλας
Γραμμῆς ἵκηται, καὶ τέλος κάμψῃ βίου·
Ne mihi, licet primum cucurrerit bene
Curſum, æſtimetur victor, ante lineam
Quam tangat, atque compleat vitæ modum.

Sed & Pindarus in Pythiis, *γραμμὴν* vocat, quod antea *τέρμα*. Hoc ipſo adſpectu Horatius:

—— mors ultima linea rerum eſt.

Alii (ut Muretus) ad ludum calculorum referunt, ubi lineæ, & ultimam *ἱερὰν* ſive Sacram volunt dictam. Eo cum alter calculos promoverat, ludus finiebatur. Fuerunt & in circo lineæ: ſed ad illas ſtadiales mihi verius referri. Quod autem eſt, *admoveri lineas*: tale epiſt. 26. *Decrepitos, & extrema tangentes.* Etiam in Valerio, lib. 1. c. 7. *Propioribus lineis admoveri.* Idem.

boni judicemus. Quid te torques & maceras in ea quæſtione, quam ſubtilius eſt contempſiſſe, quam ſolvere? Securi eſt, & ex commodo migrantis, minuta conquirere. Cum hoſtis inſtat à tergo, & [7] movere juſſus eſt miles, excutit neceſſitas [8] quidquid pax otioſa collegerat. Non vacat mihi verba dubie cadentia conſectari, & vafritiam in illis meam experiri.

Adſpice qui coëant populi, quæ mœnia clauſis
Ferrum acuant portis.

Magno mihi animo ſtrepitus iſte belli circumſonantis exaudiendus eſt. Demens omnibus merito viderer, ſi, cum ſaxa in munimentum murorum ſenes fæminæque congererent; cùm juventus intra portas armata ſignum eruptionis exſpectaret, aut poſceret; cum hoſtilia in portis tela vibrarent, & ipſum ſolum ſuffoſſionibus & cuniculis tremeret; ſederem otioſus, & ejuſmodi quæſtiunculas ponens: Quod non perdidiſti, habes: cornua autem non perdidiſti: cornua ergo habes: aliaque ad exemplum hujus acutæ delirationis concinnata. Atqui æque licet demens tibi videar, ſi iſtis impendero operam. & nunc obſideor. Tunc tamen periculum mihi obſeſſo externum immineret, murus me ab hoſte ſecerneret: nunc mortifera mecum ſunt. Non vaco ad iſtas ineptias. ingens negotium in manibus eſt. Quid agam? mors me ſequitur, fugit vita: adverſus hæc me doce aliquid. effice ne ego mortem fugiam, vita [9] me non effugiat. Exhortare adverſus difficilia, de æquanimitate: adverſus inevitabilia, anguſtias temporis mei laxa: doce non eſſe poſitum bonum vitæ in ſpatio ejus, ſed in uſu: poſſe fieri, imo ſæpiſſime fieri, ut qui diu vixit, parum vixerit. Dic mihi dormituro, Potes non expergiſci: dic experrecto, Potes non dormire amplius. Dic exeunti, Potes

7 *Movere juſſus*] Quidam libri, induere: quod de armis capias. *Lipſius.*

8 *Quidquid pax*] Spolia & ſarcinulas. *Idem.*

9 *Me non effugiat*] Si tempus aliud aut male agens perdo. effugit vita: ſi bene & utiliter pono, nihil mihi perit. *Idem.*

Potes non reverti: dic redeunti, Potes non exire. Erras, ſi in navigatione tantum exiſtimas [10] minimum eſſe, quo à morte vita diducitur: in omni loco æque tenue intervallum eſt. Non ubique ſe mors tam prope oſtendit: ubique tam prope eſt. Has tenebras diſcute: & facilius ea trades, ad quæ præparatus ſum. Dociles natura nos edidit, & rationem dedit imperfectam, ſed quæ perfici poſſet. De juſtitia mihi, de pietate diſputa, de frugalitate, de pudicitia utraque, & illa cui alieni corporis abſtinentia eſt, & hac cui ſui cura. Si me nolueris per devia ducere, facilius ad id quo tendo, perveniam. Nam (ut ille [11] ait Tragicus) Veritatis ſimplex oratio eſt. Ideoque illam implicare non oportet. nec enim quidquam minus convenit, quam ſubdola iſta calliditas, animis conantibus magna.

EPIST. L.

Cæcos nos in vitiis eſſe, aut velamenta iis quærere. Agnoſcenda autem, & remedia quærenda. Unde alioqui animi ſanitas? quæ etiam contingere vel inveteratis vitiis poteſt: quia ille facilis eſt flecti, & Natura ad bonum volat.

EPiſtolam tuam accepi poſt multos menſes, quam miſeras. ſupervacuum itaque putavi, ab eo qui afferebat, quid ageres, quærere. Valde enim bonæ memoriæ eſt, ſi meminit: & tamen ſpero te ſic jam vivere, ut ubicumque eris, ſciam quid agas. Quid enim aliud agas, quam ut meliorem te ipſe quotidie facias, ut aliquid ex erroribus ponas, ut intelligas tua vitia eſſe, quæ putas rerum? Quædam enim locis & temporibus adſcribimus: at illa, quocumque tranſierimus, ſecutura ſunt. [1] Harpaſten, uxoris meæ

10 *Minimum eſſe*] Tabulam unam:
—— digitis à morte remotam
Quattuor. Lipſius.

11 *Ait Tragicus*] Euripides in Phœniſſis:
Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ
Eſt veritati ſermo ſimplex condecens.
Idem.

EPIST. L. 1 *Harpaſten*] Eſt ἁρπαστὴ, bene ominatum nomen: quaſi bellula

meæ fatuam, ſcis [2] hereditarium onus in domo mea remanſiſſe. Ipſe enim averſiſſimus ab iſtis prodigiis ſum. ſi quando fatuo delectari volo, non eſt mihi longe quærendus: me rideo. Hæc fatua ſubito deſiit videre. Incredibilem tibi narro rem, ſed veram. neſcit eſſe ſe cæcam: ſubinde pædagogum ſuum rogat, ut migret: ait domum tenebroſam eſſe. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo ſe avarum eſſe intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt: nos ſine duce erramus. & dicimus: Non ego ambitioſus ſum, ſed nemo aliter Romæ poteſt vivere. Non ego ſumptuoſus ſum, ſed urbs ipſa magnas impenſas exigit. Non eſt meum vitium quod iracundus ſum, quod nondum conſtitui certum genus vitæ: adoleſcentia hæc facit. Quid nos decipimus? non eſt extrinſecus malum noſtrum: intra nos eſt, in viſceribus ipſis ſedet. Et ideo difficulter ad ſanitatem pervenimus, quia nos [3] ægrotare neſcimus. Si curari cœperimus, quando tot morbos, tantaſve ægritudines diſcutiemus? Nunc vero ne quærimus quidem medicum: qui minus negotii haberet, ſi adhiberetur ad recens vitium. ſequerentur teneri & rudes animi, recta monſtrantem. nemo difficulter ad naturam reducitur, niſi qui ab illa defecit. Erubeſcimus diſcere bonam mentem. at mehercules, turpe eſt magiſtrum [4] hujus rei quærere. Illud deſperandum eſt, poſſe nobis caſu tantum bonum influere: laborandum eſt: &, ut verum dicam, ne labor quidem magnus eſt: ſi modo,

bellula futura, & rapienda ab omnibus. ut ἁρπαστὸν, pilæ genus, ea re dixerunt. *Lipſius.*

2 *Hereditarium onus*] Hereditate, cum reliquis famulis, tranſmiſſam. *Idem.*

3 *Ægrotare neſcimus*] Pythagoras apud Stobæum: Ὥσπερ σωματικὸν πάθος οὐ κρυπτόμενον, οὐδ' ἐπαινούμενον, ὑγιάζεται, οὕτως οὐδὲ ψυχὴ κακῶς φρουρουμένη καὶ συνηγορουμένη θεραπεύεται. *Sicut corporis morbus abſconditus, aut laudatus, non ſanatur; ſic nec anima, cui male patrocineris aut defendas.* Idem.

4 *Hujus rei quærere*] Negatio excidit, atque ex ſententia repono: *hujus rei non quærere.* Pudet diſcere: pudere debebat non diſcere. *Nemo enim* (ait epiſt. 52.) *per ſe ſatis valet, ut emergat: oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat.* Doctrina enim quæritur virtus: illa ſine magiſtro non eſt. Stoïcum dogma: de quo nos Manud. 2. Diſſert. 10. *Idem.*

modo, ut dixi, ante animum noſtrum formare incipimus, & recorrigere, quam indureſcat pravitas ejus. Sed nec indurata deſpero. Nihil eſt quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum, quamvis flexa, revocabis: curvatas trabes [5] calor explicat; & aliter natæ, in id finguntur, quod uſus noſter exigit: quanto facilius animus accipit formam, flexibilis, & [6] omni humore obſequentior? [7] quid enim aliud eſt animus, quam [8] quodammodo ſe habens ſpiritus? vides autem tanto ſpiritum eſſe faciliorem omni alia materia, quanto tenuior eſt. Illud, mi Lucili, non eſt quod te impediat, quo minus de nobis bene ſperes, quod malitia jam nos tenet, quod diu in poſſeſſione noſtri eſt. Ad neminem ante bona mens venit, quam mala. Omnes præoccupati ſumus, [9] virtutes diſcere, vitia dediſcere: ſed eo majore animo ad emendationem noſtri debemus accedere, quod ſemel traditi nobis boni perpetua poſſeſſio eſt. [10] Non dediſcitur virtus. Contraria enim mala in alieno hærent: ideo expelli & exturbari poſſunt: fideliter ſedent, quæ in locum ſuum veniunt. [11] Virtus ſecundum naturam eſt: vitia inimica & infeſta ſunt. Sed quemadmodum virtutes receptæ exire non poſſunt, faciliſque earum tutela eſt: ita initium ad illas eundi arduum. quia hoc primum imbecillæ mentis atque ægræ eſt, formidare inexperta. Itaque cogenda eſt mens, ut incipiat.

5 *Calor explicat*] Ligno ſciſſo, & ponderibus alioſum ducto, ſubditus. Vaſcularii & nautæ cottidie faciunt. *Lipſius.*

6 *Omni humore*] Non trabe aut robore tantum, ſed aëre, aut aqua, quibus nil flexibilius. *Idem.*

7 *Quid enim aliud*] Quia de *humore* præmiſit: ecce ipſe animus, inquit, eſt aër: & ergo ductilis. *Idem.*

8 *Quodammodo ſe habens*] Spiritus nempe talis: & ut Stoïci, *πνεῦμα θερμόν, calidus ſpiritus.* Vide me Phyſiol. 3. Diſſert. 9. *Idem.*

9 *Virtutes diſcere, vitia dediſcere*] Non video, quomodo hoc præcedenti hæreat, aut quæ ſit Latinitas, *præoccupatus diſcere.* Videtur excidiſſe verbum ſubſtantivum, & ita ſumtum fuiſſe: *omnes præoccupati ſumus: virtutes diſcere eſt vitia dediſcere.* Gronovius.

10 *Non dediſcitur*] Stoïcum eſt, ſapientem ſumme & ſemper beatum eſſe. Stabile illud bonum non vi, non caſu excuti, aut minui: ſed nec creſcere. Videſis 3 Manud. Diſſ. 3. *Lipſius.*

11 *Virtus ſecundum naturam*] Vide iterum Manud. 2. Diſſert. 10. *Idem.*

EPIST.

cipiat. Deinde non eſt acerba medicina: protinus enim delectat, dum ſanat. Aliorum remediorum poſt ſanitatem voluptas eſt: philoſophia pariter & ſalutaris & dulcis eſt.

EPIST. LI.

De Ætna aliquid, uberius de Baiis: & hac occaſione, in molles & luxui deditos. Hunc pellendum, & militandum eſſe: in quos? in voluptatem, in dolorem, alia. Hoc agentem, bonum in locis ſeriis ſanctiſque agere; vitare laſciva, aut peramœna.

QUomodo quiſque poteſt, mi Lucili: tu iſtic habes Ætnam, illum nobiliſſimum Siciliæ montem: quem quare dixerit Meſſalla unicum, ſive Valgius, (apud utrumque enim legi) non reperio. cum plurima loca evomant ignem, non tantum edita, quod crebrius evenit, videlicet quia ignis in altiſſimum effertur, ſed etiam jacentia. Nos utcumque poſſumus, contenti ſumus Baiis. quas poſtero die, quam attigeram, reliqui. locum ob hoc devitandum; cum habeat quaſdam naturales dotes, quia ſibi illum celebrandum luxuria deſumpſit. Quid ergo? ulli loco indicendum eſt odium? minime. ſed quemadmodum aliqua veſtis ſapienti ac probo viro magis convenit quam alia, nec ullum colorem ille odit, ſed aliquem putat parum aptum eſſe frugalitatem profeſſo: ſic regio quoque eſt, quam ſapiens vir, aut ad ſapientiam tendens, declinet, tanquam alienam bonis moribus. Itaque de ſeceſſu cogitans, nunquam [1] Canopum eliget, quamvis neminem Canopus eſſe frugi

EPIST. LI. 1 *Canopum*] Duodecim milliaribus ab Alexandria diſtantem, *impendio locum ſanis, &* LÆTIS DIVERSORIIS *exſtructum*, ut Ammianus loquitur. Sed & aëris ibi mira temperies & ſalubritas: Serapidis etiam celebre fanum. Ab his cauſis delicati, religionis etiam ſpecie, celebrabant. &, ut Strabo ait, *ſuper omnia memorabilis eſt turba eorum, qui ad feſtivos illic dies, per foſſam, Alexandria navigant. Quæ foſſa diebus ac noctibus naviculariorum plena eſt, viros pariter ac mulieres vectantium, qui cantant ac tripudiant, cum extrema laſcivia atque impudentia.* Eſt & in proverbio *Canopea luxuria*: neque injuria inter infames Seneca habet. *Lipſius.*

2 *Una*

ſrugi vetet. Ne Baias quidem. diverſorium vitiorum eſſe cœperunt. Illic ſibi plurimum luxuria permittit: illic, tanquam aliqua licentia debeatur loco, magis ſolvitur. Non tantum corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitare nolim, ſic nec inter popinas quidem. Videre ebrios per littora errantes, & commiſſationes navigantium, & ſymphoniarum cantibus perſtrepentes lacus, & alia, quæ velut ſoluta legibus luxuria non tantum peccat, ſed publicat, quid neceſſe eſt? Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quam longiſſime profugiamus. Indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus. [2] Una Hannibalem hiberna ſolverunt: & indomitum illum nivibus atque Alpibus virum enervaverunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus eſt. [3] Nobis quoque militandum eſt: & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandæ ſunt in primis voluptates: quæ ([4] ut vides) ſæva quoque ad ſe ingenia rapuerunt. Si quis ſibi propoſuerit, quantum operis aggreſſus ſit, ſciet nihil delicate, nihil molliter eſſe faciendum. Quid mihi cum iſtis calentibus ſtagnis? [5] quid cum ſudatoriis, in quæ ſiccus vapor [6] corpora exhauſturus includitur? Omnis ſudor per laborem exeat. Si faceremus, quod fecit Hannibal, ut interrupto curſu rerum, omiſſoque bello, fovendis corporibus operam daremus: nemo non intempeſtivam deſidiam, victori quoque, nedum vincenti, periculoſam, merito reprehenderet. Minus nobis, quam illis Punica ſigna ſequentibus, licet: plus periculi reſtat cedentibus, plus operis

2 *Una Hannibalem*] Sic legendum. Sola una hiberna: adeo periculoſum tale contubernium. *Lipſius.*

3 *Nobis quoque militandum*] Epictetus 3. Diſſert. 24. *Στρατεία τίς ἐστιν ὁ βίος ἑκάστου, καὶ αὕτη μακρὰ καὶ ποικίλη. Militia eſt vita cujuſque, atque ea longa ac varia.* Idem.

4 *Ut vides*] In Annibale, jam dicto. *Idem.*

5 *Quid cum ſudatoriis*] Quæ Laconica vocant. *Idem.*

6 *Corpora exhauſturus*] Epiſt. 108. *Decoquere corpus, atque exinanire ſudoribus, inutile ſimul delicatumque credimus.* Idem.

7 *Li-*

operis etiam perſeverantibus. Fortuna mecum bella gerit: non ſum imperata facturus. jugum non recipio, imo quod majore virtute faciendum eſt, excutio: non eſt emolliendus animus. Si voluptati ceſſero, cedendum eſt dolori, cedendum labori, cedendum eſt paupertati: idem ſibi in me juris eſſe volet & ambitio, & ira: inter tot affectus diſtrahar, imo diſcerpar. [7] Libertas propoſita eſt: ad hoc præmium laboratur. Quæ ſit libertas, quæris? nulli rei ſervire, nulli neceſſitati, nullis caſibus: fortunam [8] in æquum deducere. quo die intellexero [9] illam plus poſſe, nil poterit. Ego illam feram, cum in manu mors ſit? His cogitationibus intentum, loca ſeria ſanctaque eligere oportet. Effeminat animos amœnitas nimia: nec dubie aliquid ad corrumpendum vigorem poteſt regio. Quamlibet viam jumenta patiuntur, quorum durata in aſpero ungula eſt: in molli paluſtrique paſcuo ſaginata, cito ſubteruntur. Et fortior miles [10] ex confragoſo venit: ſegnis eſt urbanus [11] & verna. Nullum laborem recuſant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur: in primo deficit pulvere ille unctus & nitidus. Severior loci diſciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit. Literni honeſtius Scipio, quam Baiis exſulabat. ruina ejus non eſt tam molliter collocanda. Illi quoque, ad quos primos fortuna Romani populi publicas opes tranſtulit, C. Marius, & C. Pompeius, [12] & Cæſar, exſtruxerunt quidem villas in regione Baiana, ſed illas impoſuerunt ſummis jugis montium. Videbatur hoc

7 *Libertas propoſita*] Is enim inter fines fructuſque philoſophiæ. Et quæ libertas ea ſit, Epictetus cum alibi, tum toto capite 1. libri 4. Adde Senecam, epiſt. 75. in fine. *Lipſius.*

8 *In æquum deducere*] Ne ſupra me ſtet, imperetque. *Idem.*

9 *Illam plus poſſe*] Inepte, aut falſo. ſi plus poteſt, quomodo nihil poteſt? Quin tu lege: *illa me plus poſſe.* Simul, inquit, is mihi ſenſus & mens, ut ſciam me plus poſſe (velim modo) quam fortunam: tunc exarmata eſt, nihil poteſt. *Idem.*

10 *Ex confragoſo*] E ſaltibus & montanis, locis aſperis. *Idem.*

11 *Et verna*] Domi & in urbe natus, educatuſque. *Idem.*

12 *Et Cæſar*] De cujus villa Bajana Tacitus 14 Annal. *Viam Miſeni propter & villam Cæſaris, quæ ſubjectos ſinus* EDITISSIMA *proſpectat.* Idem.

13 *Habi-*

hoc magis militare, ex edito ſpeculari late longeque ſubjecta. Adſpice quam poſitionem elegerunt, quibus ædificia excitaverunt locis, & qualia: ſcias non villas eſſe, ſed caſtra. [13] Habitaturum tu putas unquam fuiſſe in Utica Catonem, ut prænavigantes adulteras dinumeraret, & adſpiceret tot genera cymbarum variis coloribus picta, & fluitantem toto lacu roſam, ut audiret canentium nocturna convitia? nonne manere ille intra vallum maluiſſet, quod in unam noctem [14] manu ſua duxiſſet? quid ni malit, quiſquis vir eſt, ſomnum ſuum claſſico, quam ſymphonia rumpi? Sed ſatis diu cum Baiis litigavimus, nunquam ſatis cum vitiis: quæ oro te, mi Lucili, perſequere ſine modo,

13 *Habitaturum tu putas unquam fuiſſe in Utica Catonem*] Certum eſt, hoc male edi. Nam de Uticæ deliciis nec fama eſt, nec hic iis locus, ubi de Baiis ſermo. Modius volebat, *in Vatia:* nempe villa, quæ in his ſane locis. Sed ſcripta lectio omnis *inimica*, aut *in unica*, aut *miniaca*, aut denique, *in numma*. at meus habet, *in iima*. Quid ſit, neſcio: niſi locum aliquem delicatum Baiis, & laſciviæ factum. Dubitavi, *in mica*, legere: quod certe cum ſcriptura convenit: & videntur ſic appellaſſe loca cænationum minuta, ſed elegantiæ & lautitiæ facta. Martialis:

Mica vocor. quid ſim cernis, cœnatio parva:
Ex me Cæſareum proſpicis ecce tholum.
Frange toros, pete vina, roſas cape, tingere nardo:
Ipſe jubet mortis te meminiſſe Deus.

Mica aurea illa in Cælimontio fuit, (ut P. Victor locat): unde proſpectus in vicinum *Divi Claudii templum*. Itaque ait, vivendum genialiter eſſe: quoniam & Dii (Imperatores) moriantur: quidni homines? Si tamen *Mica* illa in Domitiani palatio, ut volunt (neque abnuo plures eo nomine fuiſſe): tunc Flaviæ gentis templum magis accipiemus. Sed ait igitur *cœnationem parvam* eſſe: unde & nomen à Græco μικκός, quod Dores ita pro μικρός. Nunc ad Senecam, talis famoſa *Mica* Baiis fuerit: quo exemplo aliæ ſic ſtructæ, & dictæ. Sane lectio *Utica*, eſt ex ipſa *Mica* formata: ſi dividis litteram priorem. *Idem.* Non omnis ſcripta lectio, ſed Modiani habent, *inimica in unica, vel miniaca*. Lipſianus, *in rima*. Unde Modius, *in Vatia*, Lipſius, *in mica*. Quorum neutrum poteſt placere. Nec mihi tamen hic valde confido, ſed quia tres Gruteri & meus ſervabant vulgatam, cogitabam, an poſſet legi, *in acta*. Notum eſt ex Servio & Gloſſis, veteres amœna littora *actas* vocaſſe. Cicero pro Cœlio, *Baias, actas, convivia, comiſſationes*. Cornelius Nepos Ageſilao: *& in acta cum ſuis accubuiſſet*. Strabo lib. 5. poſt Baiarum mentionem: ἑξῆς δ' εἰσὶν αἱ περὶ Δικαιαρχίαν ἀκταί. Si non verum eſt, certe illis, quæ priores attulerunt, veriſimilius. Rubenius amplius, *in ima acta*. Ut *imum littus* apud Statium (addebat) ex emendatione tua: *montique intervenit imum Littus*. Gronovius.

14 *Manu ſua*] Non ſolus quidem: ſed Imperatores & ipſi olim manum operi admovebant. quod hic adſignificat. *Lipſius.*

15 Quas

modo, ſine fine; nam illis quoque nec finis eſt, nec modus. Projice quæcumque cor tuum laniant: quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis revellendum erat. Voluptates præcipue exturba, & inviſiſſimas habe, latronum more, [15] quos Philetas Ægyptii vocant. in hoc [16] nos amplectuntur, ut ſtrangulent.

EPIST. LII.

Vacillare nos in rectis: opus eſſe adjutorio, & directione. Alios autem aliis facilius duci formarique, ut natura eſt. Sed ut formeris, elige è priſcis, & è præſentibus. fuge tamen verboſos, ambitioſos, plauſum captantes.

QUid eſt hoc, Lucili, quod nos alio tendentes, alio trahit, & eo unde recedere cupimus, impellit? quid colluctatur cum animo noſtro, nec permittit nobis quidquam ſemel velle? Fluctuamus inter varia conſilia, nihil libere volumus, nihil abſolute, nihil ſemper. Stultitia, inquis, eſt: cui nihil conſtat, nihil diu placet. Sed quomodo, aut quando nos ab illa revellemus? Nemo per ſe ſatis valet, ut emergat: oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat. Quoſdam ait Epicurus ad veritatem ſine ullius adjutorio [1] contendere, ex iis ſe feciſſe ſibi ipſum viam. hos maxime laudat,

15 *Quos Philetas Ægyptii*] Qui tunc Græce loquebantur, & cœperunt ab imperio Macedonum. Nam talis ſane vox eſt, & priſcis uſurpata. ut Heſiodo in Operibus:

Ὃς δὲ γυναικὶ πέποιθε, πέποιθ᾽ ὅγε φιλήτῃσι·

Quiſquis feminæ habet fidem, habet fidem & ille latroni.

Archilocho:

Φιλήτῃ νύκτωρ ἀνὰ πόλιν πολευμένῳ·

Furi & latroni, qui per urbem it noctibus.

Heſychius: Φιλήτης, κλέπτης, λῃστής· *Philetas, fur, latro.* Feſtus: *Pilare & Compilare, ſunt qui Græcæ originis putent. Græci enim fures, Piletas.* Æolice nempe πιλήτας. Adde, ſi vis, Euſtathium in Odyſſ. γ. & Iliad. β. *Lipſius.*

16 *Nos amplectuntur*] Alludit ad etymon Græcæ vocis. nam φιλεῖν etiam oſculari eſt, & amplecti: quod quia latrones ſubdole faciunt, hinc nomen. Etſi alii ab ὑφελεῖν derivent, à *ſuſtollendo*, quaſi eſſet ὑφελήτης. Vide Euſtathium. *Idem.*

EPIST. LII. 1 *Contendere, ex iis ſe feciſſe ſibi ipſum*] Eſt à Pinciano quidem, ſed libri palam eo ducunt. Se autem Epicurus ponit inter αὐτοδιδάκτους, Cicero 1 de Nat. Deor. *Gloriabatur, ut videmus in ſcriptis, ſe magiſtrum habuiſſe*

Digitized by Google

laudat, quibus ex ſe impetus fuit, qui ſe ipſi protulerunt. quoſdam indigere ope aliena, non ituros ſi nemo præceſſerit, ſed bene ſecuturos. ex his Metrodorum ait eſſe. Egregium hoc quoque, ſed ſecundæ ſortis ingenium. Nos ex illa prima nota non ſumus: bene nobiſcum agitur, ſi in hanc ſecundam recipimur. Nec hunc quidem contempſeris hominem, qui alieno beneficio eſſe ſalvus poteſt: & hoc multum eſt, velle ſervari. Præter hæc adhuc invenies aliud genus hominum, ne ipſum quidem faſtidiendum, eorum qui cogi ad rectum compellique poſſunt: quibus non duce tantum opus ſit, ſed adjutore, &, ut ita dicam, coactore. Hic tertius color eſt. Si quæris hujus exemplar, Hermachum ait Epicurus talem fuiſſe. Itaque [2] alteri magis gratulatur, [3] alterum magis ſuſpicit. Quamvis enim ad eundem finem uterque pervenerit: tamen major eſt laus, idem effeciſſe in difficiliore materia. Puta enim duo ædificia excitata eſſe, ambo paria, æque excelſa, æque magnifica: alterum dura area accepit, illic protinus opus crevit: alterius fundamenta laſſarunt, in mollem ac fluidam demiſſa humum: multumque laboris exhauſtum eſt, dum pervenitur ad ſolidum. Apparet in altero, quidquid factum eſt: alterius, magna pars & difficilior latet. Quædam ingenia facilia & expedita: quædam [4] manu (quod aiunt) facienda ſunt, & in fundamentis ſuis occupanda. Itaque ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotii ſecum

habuiſſe nullum. Idem ex Laërtio: etſi quidam, audiſſe Xenocratem. *Lipſius.* Eſt à Pinciano quidem, inquit Lipſius, ſed libri palam eo ducunt. Non putem: nam verbum *contendere* non eſt, niſi in unico Pinciani & Pal. valde corrupto: dein omnes, *ſibi ipſos.* Solus iſte Pinciani, *ſibi ipſis.* Eraſmi, quatuor Pall. Heinſ. & meus cum vett. edd. concorditer: *adjutorio exiiſſe feciſſe ſibi ipſos.* Unde præſto ſincerum: *Quoſdam ait Epicurus ad veritatem ſine ullius adjutorio, ex his ſe, feciſſe ſibi ipſos viam.* Vides integrum ſenſum commodiſſima brevitate. Quoſdam ait, & ſe ex illis, hoc feciſſe. Ut conjeceramus, plane in ms. quodam codice exhibitum teſtis mihi Rubenius. *Gronovius.*

2 *Alteri magis gratulatur*] Metrodoro, qui benignam naturam ſortitus. *Lipſius.*

3 *Alterum magis*] Hermachum. *Idem.*

4 *Manu facienda*] Labore & opere. Vide Conſol. ad Marc. cap. 19. *Idem.*

cum habuit: hunc quidem de ſe melius meruiſſe, qui malignitatem naturæ ſuæ vicit, & ad ſapientiam ſe non perduxit, ſed extraxit. Hoc durum & laborioſum ingenium nobis datum, ſcias licet: imus per obſtantia. Itaque pugnemus, aliquorum invocemus auxilium. Quem, inquis, invocabo? hunc, aut illum? Tu vero etiam ad priores revertere, qui vacant. adjuvare non poſſunt, non tantum qui ſunt, ſed & qui fuerunt. Ex iis autem qui ſunt, eligamus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, & communes locos volvunt, & in privato [5] circulantur: ſed eos qui vita docent, qui cum dixerint quid faciendum ſit, probant faciendo: qui docent quid vitandum ſit, nec unquam in eo quod fugiendum dixerint, deprehenduntur. Eum elige adjutorem, quem magis admireris cum videris, quam cum audieris. Nec ideo te prohibuerim hos quoque audire, quibus conſuetudo eſt admittere populum, ac diſſerere: ſi modo hoc propoſito in turbam prodeunt, ut meliores fiant, faciantque meliores: ſi non ambitionis hoc cauſſa exercent. Quid enim turpius philoſophia captante clamores. [6] Numquid æger laudat medicum ſecantem? Tace-

5 *Circulantur*] Circulos faciunt, aut quærunt. *Lipſius.*

6 *Numquid æger laudat medicum ſecantem*] De tota hac re Epictetus Diſſert. 3. cap. 23. *Solitus eſt dicere Rufus* (Muſonius): *Si tantum habetis otii ut me laudetis, ego vero non dico. Itaque ſic dicebat, ut quiſque noſtrum qui aſſideret, putaret ſe ab aliquo illi delatum. Sic reprehendebat facta, ſic ob oculos cujuſque mala ponebat. O viri, taberna medica eſt, Philoſophi ſchola. Non oportet gaudentes exire, ſed mærentes.* Ipſa hæc, paullo diffuſius in Agellio, ſed eidem Muſonio refert accepta. *Muſonium*, inquit, *philoſophum ſolitum dicere accepimus: Cum philoſophus hortatur, monet, ſuadet, objurgat, tum qui audiunt, ſi de ſummo & ſoluto pectore obvias vulgataſque laudes effutiunt, ſi clamitant etiam, ſi geſtiunt, ſi vocum ejus feſtivitatibus, ſi modulis orationis moventur, exagitantur & geſtiunt: tum ſcias, & qui dicit, & qui audit, fruſtra eſſe: neque illic philoſophum loqui, ſed tibicinem canere. Animus*, inquit, *audientis philoſophum, ſi quæ dicuntur utilia ac ſalubria ſunt, quæque errorum atque vitiorum medicinas ferunt, laxamentum atque otium prolixe laudandi non habet.* Plutarchus etiam talia, de audiendo: *Voces*, inquit, *laudum non promiſcue uſurpandæ: & Epicurus in amicorum epiſtolis dum plauſus & favores fieri ſibi prædicat, ſtomachum nobis facit. Sicut & illi, qui genere laudum offendunt: cum philoſopho acclamant, Acute, ſeu ſcite vel floride. Hi enim theatrales aut declamatorias voces ad philoſophos transferunt, & orationi caſtæ accommodant laudationem meretriciis. Itaque qui foris ſunt ambigunt, tibicinis, an citharœdi, an ſaltatoris alicujus ea ſit laudatio.* Hæc uberius

Digitized by Google

Tacete, favete, & præbete vos curationi. etiam ſi exclamaveritis, non aliter audiam, quam ſi ad tactum vitiorum veſtrorum ingemiſcatis. Teſtari vultis attendere vos, moverique rerum magnitudine? ſane liceat. ut quidem judicetis, & feratis de meliore ſuffragium, quid ni non permittam? [7] Apud Pythagoram diſcipulis quinque annis tacendum erat. numquid ergo exiſtimas, ſtatim illis & loqui & laudare licuiſſe? Quanta autem dementia ejus eſt, quem clamores imperitorum hilarem ex auditorio dimittunt? Quid lætaris, quod hominibus iis laudaris, quos non potes ipſe laudare? Diſſerebat populo Fabianus: ſed audiebatur modeſte. Erumpebat interdum magnus clamor laudantium: ſed quem magnitudo rerum evocaverat, non ſonus inoffenſæ ac molliter lapſæ orationis. Interſit aliquid inter clamorem theatri, & ſcholæ. eſt aliqua & laudandi licentia. Omnia rerum omnium, ſi obſerventur, indicia ſunt: & argumentum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum & inceſſus oſtendit, & [8] manus mota, & unum interdum reſponſum, & [9] relatus ad caput digitus, & fluxus oculorum. Improbum riſus, inſanum vultus habituſque demonſtrat. Illa enim in apertum per notas exeunt. Qualis quiſque ſit, ſcies, ſi quemadmodum laudetur, adſpexeris. Hinc atque illinc philoſopho [10] manus auditor

liberius rettuli, quia ſequentibus fidem aut lucem addunt. *Lipſius.* Notandum idcirco medicorum ignobilius fuiſſe munus, quod ipſimet manibus ſuis olim venas inciderent, medicamenta præberent, clyſteres, emplaſtra, collyria admoverent, iiſdemque omnibus, quibus hodie chirurgi, partibus fungerentur, quod probatur tam è Jureconſultis, quam ex aliis à Briſſonio lib. 2. cap. 4. Select. antiq.

7 *Apud Pythagoram*] Quem Hieronymus in 3 cap. Eccleſ. *traxiſſe originem ſui decreti* vult *ab eo Salomonis, Tempus tacendi, tempus loquendi.* Lipſius.

8 *Manus mota*] In obſcœnam figuram, aut nimis alioqui molliter. *Idem.*

9 *Relatus ad caput digitus*] Quo argumento Calvus Pompeium, ut mollem, perſtrinxit:

Faſciola qui crura ligat, digito caput uno
Scalpit, quid credas hunc ſibi velle? virum.

Sumpſit ex eo Juvenalis Sat. 9.

Qui digito ſcalpunt uno caput.

Pompeium autem hoc *genuino quodam more feciſſe*, Ammianus excuſat, libro 17. Lucianus etiam effœminati hominis notam ponit, *τῷ δακτύλῳ ἄκρῳ τὴν κεφαλὴν κνᾶσθαι· ſummo digitulo caput ſcabere.* Idem.

10 *Manus auditor intentat*] Quas admi-

ditor intentat, & [11] ſuper ipſum caput mirantium turba conſiſtit. non laudatur ille nunc, ſi intelligas, ſed conclamatur. Relinquantur iſtæ voces illis artibus, quæ propoſitum habent placere populo: philoſophia adoretur. Permittendum erit aliquando juvenibus, ſequi impetum animi. tunc autem hoc ex impetu facient, cum ſilentium ſibi imperare non poterunt. Talis laudatio aliquid exhortationis affert ipſis audientibus, & animos adoleſcentium extimulat. Ad rem commoveantur, non ad verba compoſita. alioqui nocet illis eloquentia, ſi non rerum cupiditatem facit, ſed ſui. Differam hoc in præſenti. deſiderat enim propriam & longam exſecutionem, quemadmodum populo differendum, quid ſibi apud populum permittendum ſit, quod populo apud ſe. Damnum quidem feciſſe philoſophiam, non erit dubium, poſtquam [12] proſtituta eſt: ſed poteſt [13] in penetralibus ſuis oſtendi, ſi modo non [14] inſtitorem, ſed antiſtitem nacta eſt.

EPIST. LIII.

Navigationem ſuam deſcribit, & jactationem in mari. Per occaſionem in vita nos jactari, ſed vitia ſua paucos ſcire, aut fateri. Philoſophia docebit, excitabit: demus nos, pares Deo faciet.

QUid non poteſt mihi perſuaderi, cui perſuaſum eſt ut navigarem? Solvi mari languido. erat ſine dubio cælum grave ſordidis nubibus, quæ fere aut in aquam, aut in ventum reſolvuntur: ſed putavi tam pauca millia à [1] Parthenope tua uſque Puteolos ſurripi poſſe, quamvis dubio & im-

admirans tollit; & plaudit. *Lipſius.*

11 *Super ipſum caput*] Surgunt enim, ut ſui impotes, & manus ſuper eum ſedentem efferunt. *Idem.*

12 *Proſtituta eſt*] In publicum ſic producta. cum omnibus locis, viis, foris, philoſophi diſſerant. *Idem.*

13 *In penetralibus*] Scholis, aut & domibus. *Idem.*

14 *Inſtitorem*] Qui vænalem eam habet. *Idem.*

EPIST. LIII. 1 *Parthenope tua*] Dicas ergo illinc oriundum Lucilium. *Idem.*

2 *Ad*

& impendente cælo. Itaque quo celerius evaderem, protinus per altum [2] ad Neſida direxi, [3] præciſurus omnes ſinus. Cum jam eo proceſſiſſem, ut mea nihil intereſſet, utrum irem, an redirem: primum [4] æqualitas illa, quæ [5] me corruperat, periit. nondum erat tempeſtas, ſed jam inclinatio maris, ac ſubinde crebrior fluctus. Cœpi gubernatorem rogare, ut me in aliquo littore exponeret. Aiebat ille, aſpera eſſe & importuoſa, nec quidquam ſe æque in tempeſtate timere, quam terram. Pejus autem vexabar, quam ut periculum mihi ſuccurreret. Nauſea enim me, ſegnis hæc, & [6] ſine exitu, torquebat: quæ bilem movet, nec effundit. Inſtiti itaque gubernatori, & illum vellet nollet coëgi petere littus. Cujus ut viciniam attigimus, non exſpecto ut quidquam ex præceptis Virgilii fiat,

Obvertant pelago proras, ——

aut anchora de prora jaciatur: ſed memor [7] artificii mei veteris, mitto me in mare, quomodo [8] pſychrolutam decet, [9] gauſapatus. Quæ putas me paſſum, dum [10] per aſpera erepo, dum viam quæro, dum facio? Intellexi, non immerito nautis terram timeri. Incredibilia ſunt, quæ tulerim: cum

2 *Ad Neſida*] Quæ inſula eſt Campaniæ à Plinio adſcripta, inter Pauſilypum & Puteolos. Meminit Cicero ad Atticum, Statius, aliique. *Lipſius*.

3 *Præciſurus omnes ſinus*] Compendium navigandi facturus, & recta Puteolos petiturus, curvatura omni ſinuum omiſſa. Itaque procul à terra, magis alto me commiſi. *Idem*. Ad horum intelligentiam adeas Galliæ Solem Budæum, ad l. qui cum eo. ff. de re militari.

4 *Æqualitas illa*] Dubii cæli, neutro adhuc inclinati. *Lipſius*.

5 *Me corruperat*] Induxerat navigare. dejecerat de veteri propoſito: quod commune mihi cum M. Catone erat, *Mari non ire, quo terra poſſem.*

6 *Sine exitu*] Quam vomitus non relevaret. *Idem*.

7 *Artificii mei veteris*] Ita epiſt. 83. *Ille tantus Pſychrolutes, qui Kalendis Januariis in Euripum ſaltabam.* Ibi vide. *Idem*.

8 *Pſychrolutam decet*] Lavatorem in frigida. *Idem*.

9 *Gauſapatus*] Qui in gymnaſiis exercebantur, itemque balneis, ii fere lodicula, aut gauſapina leviter obvoluti erant, & circa verendas maxime partes. Sic Petronii Trimalcio, poſt balneum lecticæ imponitur, *coccinea gauſapa involutus.* Sic Auguſtus, Suetonii c. 83. deambulabat *ſegeſtrio vel lodicula involutus.* Gauſapa autem hic ad manum, quia & nautis eorum uſus. *Idem*.

10 *Per aſpera erepo*] Scripti, *eripior:* & poteſt ad ſervos nautaſque referri, qui ſenem adjutabant, & exportabant. *Idem*.

cum [11] me ferre non poſſem. Illud ſcito, Ulyſſem non fuiſſe tam [12] irato mari natum, ut ubique naufragia faceret. nauſeator erat. at ego quocumque navigare debuero, [13] viceſimo anno perveniam. Ut primum ſtomachum ([14] ſcis non cum mari nauſeam effugere) collegi, ut corpus [15] unctione recreavi, occepi mecum cogitare, quanta nos vitiorum noſtrorum ſequeretur oblivio etiam corporalium, quæ ſubinde admonent ſui, nedum illorum quæ eo magis latent, quo majora ſunt. Levis aliquem motiuncula decipit: ſed cum creverit, & vera febris exarſerit, etiam duro & [16] perpeſſitio [17] confeſſionem accepit. Pedes dolent, articuli punctiunculas ſentiunt: [18] adhuc diſſimulamus, & aut talum extorſiſſe nos dicimus, aut in exercitatione aliqua laboraſſe. Dubio & incipiente morbo, quæritur nomen: qui [19] talaria cœpit intendere, [20] & utroſque pedes dextros fecit, neceſſe eſt

11 *Me ferre non poſſem*] Refer quo jam dixi, dum exportatur: vel ad nauſeam, cauſſam hujus incommodi. quam ſi ferre potuiſſet, hæc vitabat. *Lipſius.*

12 *Irato mari*] Bene. ubique habuit Neptunum inſenſum, inter omnes Deos. Quid ita? Homeri figmentum commodum, quia Prudentia omnibus fere, excepto mari, moderatur aut imperat. Illic Ulyſſes impar. *Idem.*

13 *Viceſimo anno*] Tanto ergo infelicior. nam ille non niſi Decennium jactatus. *Idem.*

14 *Scis non cum mari*] Grutero adſentior, delendam negationem: aut quod malim, mutandam: *ſcis enim cum mari.* Res ita habet. mari relicto, illa deſerit. *Idem.*

15 *Unctione recreavi*] In ſole. *Idem.*

16 *Perpeſſitio*] Παθητῷ, πολυτλήμονι. Epiſt. 104. *Socratem perpeſſitium ſenem, per omnia aſpera jactatum.* Idem.

17 *Confeſſionem accepit*] Libri pleri que, *excipit*: nullus, *extorquet*: quod licenter Muretus ingeſſerat. Legam cum Agricola, *exprimit*: aut potius in prioribus addita litterula, *etiam à duro & perp. confeſſionem accipit.* Ludit in voculis *decipit*, quod præivit, & *accipit.* Idem.

18 *Adhuc diſſimulamus*] Vera ſunt, & in amicis quibuſdam vidi. Lucianus eadem in Ocypode:

Ἅπας γὰρ αὐτὸν βουκολεῖ τῷ ψευδοστομῷ,
Ὡς ἐκστραφεὶς, ἢ προσκόψας τι βαίνει,
Λέγει εἴλοισι, μὴ φράσας τὴν αἰτίαν·
Nam quiſque ſeſe paſcit his mendaciis,
Quaſi alibi laſus aut curvatus ſit gradus:
Et ſic amicis dictitans, cauſſam premit.
Idem.

19 *Talaria cœpit intendere*] Tumoribus augere, quos ſollenniter podagra gignit. Talaria autem, partes circa talos. *Idem.*

20 *Et utroſque pedes*] In lectione perplexitas, non in ſenſu. Nam iſte quidem eſt: At ſimul uterque jam pes intumuit, abeunt mendacia, & podagram fatemur eſſe. Lucianus hoc ipſum:

Ἐπὰν δὲ καὶ τὸν ἕτερον ἀλγήσῃς πόδα,
Στεῖσαν δακρύεις. ἐν δέ σοι σφαλεὶς θέλω,
Τοῦτ' ἔστ' ἐκεῖνο, κἂν θέλῃς, κἂν μὴ θέλῃς.

Ubi

eſt podagram fateri. Contra evenit in iis morbis, quibus afficiuntur animi: quo quis pejus ſe habet, minus ſentit. Non eſt quod mireris, Lucili cariſſime. Nam qui leviter dormit, & ſpecies ſecundum quietem capit, aliquando dormire ſe dormiens cogitat: gravis ſopor etiam ſomnia exſtinguit, animumque altius mergit, quam ut uti ullo intellectu ſinat. Quare vitia ſua nemo confitetur? quia etiam nunc in illis eſt. Somnium narrare, vigilantis eſt: & vitia ſua confiteri, ſanitatis indicium eſt. Expergiſcamus ergo, ut errores noſtros coarguere poſſimus. ſola autem nos philoſophia excitabit, ſola ſomnum excutiet gravem. Illi te totum dedica: dignus illa es; illa te digna eſt. ite in complexum alter alterius: omnibus aliis rebus te nega, fortiter, aperte. Non eſt quod precario philoſopheris. Si æger eſſes, curam intermiſiſſes rei familiaris, & forenſia tibi negotia excidiſſent: nec quemquam tanti putares, [21] cui advocatus in remiſſione deſcenderes: toto animo id ageres, ut quam primum morbo liberareris. Quid ergo? non & nunc idem facies? Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti. ne-

Ubi vero & alterum dolebis jam pedem,
Flens ingemiſcis. at ego hoc unum dixero,
Hoc illud eſt, hoc podagra, nolis an velis.

Senſus igitur liquet, *de utroque pede:* ſed quomodo *uterque pes dexter ſit?* *Quidam* libri, *deſtros:* & quidam tranſpoſitis verbis, *utroſque pedes fecit dextros.* Equidem nihil extrico. niſi placet disjunctas male voces, & concinnari: *utroſque pedes diſtorſerit:* vel, *detorſerit.* Lipſius.

21 *Cui advocatus in cauſam deſcenderes*] Libri ſcripti, *advocatus in remiſſione deſcenderes.* Quid? in remiſſione morbi? imo tunc poſſet. Legam, *advocatus in rem ipſe deſcenderes.* Advocati vel abſentes ſcripto aderant, vel in ipſa re præſentes. Hoc, inquit, iſtud æger non feceris. *Idem.* Omnes ſcripti: *cui advocatus in remiſſione deſcenderes.* Recte; & proprium verbum eſt medicorum. Celſus lib. 3 de genere quodam tertianæ: *neque ex toto in remiſſione deſiſtit.* Sed hoc non ignorabat vir doctus, qui miratur & contradicit! immo tunc poſſet. Certe: ſed & potare & ſcortum ducere, nempe ſi aut perire mavult aut morbum alere, quam medico ſe præbere. Tamen conjectat: *in rem ipſe*, ſcilicet contentus ſcripto juvare aut jus ſuggerere: nam hoc quoque advocati fuiſſe teſtatur Aſconius. Scio: ſed ne hoc quidem faciet ille, quem deſcribit Seneca, qui nempe curam omiſiſſet rei familiaris, cuique forenſia negotia excidiſſent. Quid ergo? domi maneret, præberet ſe curationi, cui id proprium tempus. Lib. 3 de Ira, 39. *Remedia in remiſſionibus proſunt.* Perperam igitur & Gruterus duo vocabula delet, ſcribendo: *cui advocatus deſcenderes.* Veteres ante Frobenianam: *cui advocatus tui remiſſione deſcenderes.* Gronovius.

ti. nemo ad illam pervenit occupatus. Exercet philoſophia regnum ſuum: dat tempus, non accipit. [22] Non eſt res ſubciſiva: ordinaria eſt, domina eſt: adeſt, & jubet. Alexander [23] cuidam civitati, partem agrorum, & dimidium rerum omnium, promittenti: eo, inquit, propoſito veni in Aſiam, non ut id acciperem quod dediſſetis; ſed ut id haberetis, quod reliquiſſem. [24] Itidem philoſophia rebus omnibus: Non ſum id tempus acceptura, quod vobis ſuperfuerit: ſed id habebitis, [25] quod ipſa erogavero. Totam huc converto mentem, huic aſſide, hanc cole: ingens intervallum inter te & ceteros fiat. Omnes mortales multo antecedes, non multo te dii antecedent. [26] Quid inter te & illos interfuturum ſit, quæris? diutius erunt. At mehercule magni artificis eſt, clauſiſſe totum in exiguo. Tantum ſapienti ſua, quantum Deo omnis ætas patet. Eſt aliquid, quo ſapiens antecedat Deum. ille [27] naturæ beneficio non timet, ſuo ſapiens: ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem Dei. Incredibilis vis philoſophiæ eſt, ad omnem fortuitam vim retundendam. Nullum telum in corpore ejus ſedet: munita eſt ſolidaque. quædam deſatigat, & velut

22 *Non eſt res ſubciſiva*] Non in ſecundis curis habenda: eſt res *ordinaria*, prima & ſollenniter facienda. Sicut *Ordinarius Conſul*, opponitur ac præponitur ſecundo illi, & *ſuffecto*. Lipſ.

23 *Cuidam civitati*] Ipſi Dario hoc reſponſum lego, in Curtii libro 4. Qui cum obtuliſſet *Lydiam, Ioniam, Æolidem*: reſpondit, *Se cum tranſiret mare, non tanti belli exiguam hanc mercedem, ſed Perſepolim caput regni, ultimique Orientis oram imperio deſtinaſſe.* Idem.

24 *Itidem Philoſophia*] Conjectura Agricolæ, cum eſſet olim, *id eſt*. Eraſmus edidit, *Idem*. Et ſic quinque Pall. una cum noſtro. Scribe: *Item Philoſophia*. Notus uſus particulæ, pro ſimiliter. *Gronovius*.

25 *Quod ipſa erogavero*] Eraſmi editio, *quod ipſa redegero, erogavero*. Quidam ſcripti, *quod ipſa re egero, id eſt erogavero*. Non diſpliceat, *quod ipſa rejecero*. reliquis deletis. *Lipſius*.

26 *Quid inter te & illos*] Tales vaniloquentias Stoicorum notamus, & vere notamus, Manuduct. 3. Diſſertat. 14. *Idem*.

27 *Natura beneficio, non ſuo ſapiens eſt*] Explicat Lipſius, à ſe ſapiens, tu ab induſtria. Quod neque exprimunt hæc verba, nec menti Senecæ conveniunt. Vult enim, ſapientem utique ſuo beneficio eſſe ſapientem; Deum non ſuo, ſed naturæ. At ſi totum de Deo accipis, nullum eſt antitheton. Veriſſime vetuſtæ editiones & quinque Gruteri & noſter cum Heinſ. *ille natura beneficio non timet, ſuo ſapiens*. nempe beneficio. quippe qui omnes timendi cauſas meditatione & ſtudio procul habet. Alterum eſt à Mureto. *Gronovius*.

28 Sini

Digitized by Google

velut levia tela laxo [28] ſinu eludit, quædam diſcutit, & in eum uſque qui miſerat reſpuit.

EPIST. LIV.

Suſpirio ſe laboraſſe: atque ita de morte cogitaſſe. non timendam, quia idem poſt eam, quod antequam eramus, erit. Preparemur.

LOngum mihi [1] commeatum dederat mala valetudo: repente me invaſit. Quo genere? inquis. prorſus merito interrogas: adeo nullum mihi ignotum eſt. Uni tamen morbo quaſi aſſignatus ſum: quem quare [2] Græco nomine appellem, neſcio. ſatis enim apte [3] dici ſuſpirium poteſt. Brevis autem valde, & procellæ ſimilis, impetus eſt: intra horam fere deſinit. Quis enim diu exſpirat? Omnia corporis aut incommoda, aut pericula, per me tranſierunt: nullum mihi videtur moleſtius. Quid ni? aliud enim quidquid eſt, ægrotare eſt: hoc eſt animam agere. [4] Itaque medici,

28 *Sinu eludit*] De levibus telis proverbiale fuit, Veſte repelli. Catullus:

Quare nos tela iſta tua evitamus amictu,
At fixus noſtris tu dabis ſupplicium.

Lipſius.

EPIST. LIV. 1 *Commeatum dederat*] Olim ſic emendavi, cum libri, *comitatum*. Diu, inquit, dimiſerat me morbus, repente eſt adortus & retraxit. Eſt ſumptum à re militari, in qua commeatus datur militi, id eſt venia commeandi, privatæ rei, aut valetudinis cauſſa. Noſter de Ira 1. cap. 16. *Duci juſſit eum, qui ex commeatu ſine commilitone redierat*. Idem.

2 *Græco nomine*] Utrum Ἆσθμα, an Ὀρθόπνοιαν vult dictam? Nam plus aliquid quam Aſthma, ſive ſpirandi difficultas, in hoc impetu eſt: & minus quam Orthopnœa, in brevitate. Vide apud veterem amicum noſtrum doctiſſimum Mercurialem, Variar. 6. cap. 16. *Idem*.

3 *Dici ſuſpirium poteſt*] Anhelitus hanc difficultatem graviſſimam quam Græci ὀρθόπνοιαν vocant, primus Seneca Latino hoc ſermone donavit, quo deinde etiam in brutis uſi veterinarii medici. de eo autem morbo plura vide ad hunc locum pertinentia apud Mercurial. lib. 6. cap. 16. variar. lect.

4 *Itaque Medici hanc meditationem mortis vocant*] Hier. Mercurialis cur hunc morbum ita vocaverint medici, neſcire fatetur: fortaſſe melius dicturos fuiſſe *exercitationem*. Ergo medicus alter doctus, *modulationem mortis vocent*: quia iſto modo vocari medicis non meminerit obſervaſſe. Atqui mirum non eſt, cum plurimi non exſtent, quorundam & forſitan unius, elegans dictum alibi non exſtare. Optime omnes libri, *meditationem*. nec illa voce aliud ſignificatur hic quam exercitatio. Plautus Sticho: *ſimulque ad curſuram meditabor me ad ludos Olympia*. Cicero 2 de Officiis: *ea ætate*

dici, hanc meditationem mortis vocant. [5] Facit aliquando ſpiritus ille, quod ſæpe conatus eſt. Hilarem me putas hæc tibi ſcribere, quia effugi? ſi hoc fine, quaſi bona valetudine delector, tam ridicule facio, quam ille, quiſquis ſe viciſſe putat, cum vadimonium diſtulit. Ego vero & in ipſa ſuffocatione non deſii cogitationibus lætis ac fortibus acquieſcere. Quid hoc eſt? inquam. tam ſæpe mors experitur me? faciat. at ego illam diu expertus ſum. Quando, inquis? antequam naſcerer. Mors eſt, non eſſe id quod ante fuit. ſed quale ſit, jam ſcio: [6] hoc erit poſt me, quod ante me fuit. Si quid in hac re tormenti eſt, neceſſe eſt, & fuiſſe antequam prodiremus in lucem: atqui nullam ſenſimus tunc vexationem.. Rogo, non ſtultiſſimum dicas, ſi quis exiſtimet lucernæ pejus eſſe cum exſtincta eſt, quam antequam accenderetur? nos quoque & accendimur, & exſtinguimur: medio illo tempore aliquid patimur. Utrimque vero alta ſecuritas eſt. In hoc enim, mi Lucili, niſi fallor, erramus, quod mortem judicamus ſequi: cum illa & præceſſerit, & ſecutura ſit. Quidquid ante nos fuit, mors eſt. Quid enim refert, utrum non incipias, an deſinas? utriuſque rei hic eſt effectus, non eſſe. His & hujuſmodi exhortationibus tacitis ſcilicet (nam verbis locus non erat) alloqui me non deſii: deinde paullatim ſuſpirium illud, quod eſſe jam anhelitus cœperat, intervalla majora fecit, & [7] retardatum eſt, ac remanſit. Nec adhuc, quamvis deſierit, ex natura fluit ſpiritus. ſentio hæſitationem quandam ejus, & moram.

L. Craſſus oſtendit id ſe in foro optime jam facere, quæ etiam tum poterat domi cum laude meditari. Lib. 2. de Divinat. *Multi etiam naturæ vitium meditatione atque exercitatione ſuſtulerunt.* Valerius Max. lib. 8. *Roſcius nullum unquam ſpectanti populo geſtum, niſi quem diu meditatus fuerat, ponere auſus eſt.* Noſter, 2 de Ira, cap. 13. *Quid enim magnificum conſequitur ille, qui meditatus eſt per intenſos funes ire?* Gronovius.

5 *Facit aliqu.*] Malim, *faciet*. Lipſ.

6 *Hoc erit poſt me*] Aliquoties hæc talia in Seneca, quaſi mors omnia tollat. Quó autem ſenſu, vide me Phyſiol. 3. Diſſ. 11. *Idem*.

7 *Retardatum eſt ac remanſit*] An *emanſit*: ut Juriſconſultis de re militari: *ſi remanſiſſet aut deſeruiſſet*. Unde illis & *emanſor*: quamquam is alicubi & *remanſor* dicatur, modo ne vitiati codices. *Gronovius*.

8 Hoc

moram. Quomodo volet, dum modo non ex animo ſuſpirem. [8] hoc tibi de me recipe: non trepidabo ad extrema: jam præparatus ſum: nihil cogito de die. Illum lauda & imitare, quem non piget mori, [9] cum juvat vivere. Quæ enim virtus eſt, cum ejiciaris, exire? tamen eſt & hic virtus. Ejicior quidem, ſed tanquam exeam. Et ideo nunquam ejicitur ſapiens: quia ejici, eſt inde expelli, unde invitus recedas. Nihil invitus facit ſapiens. neceſſitatem effugit: quia vult quod ipſa coactura eſt.

EPIST. LV.

De Vatiæ villa, & de ipſo Vatia: tum de bono maloque otio. Item amicos animo adeſſe poſſe, & debere.

1 A Geſtatione cum maxime venio, non minus fatigatus, quam ſi tantum ambulaſſem, quantum ſedi. labor eſt enim, & diu ferri: ac neſcio an eo major, quia contra naturam eſt: quæ pedes dedit, ut per nos ambularemus; oculos, ut per nos videremus. Debilitatem nobis indixere deliciæ: & quod diu noluimus, poſſe deſivimus. Mihi

8 *Hoc tibi de me recipe*] Sic Col. & Pal. ſec. At alii: *de me ſuſpice.* unice placet. Gruterus. Mihi vero minime, & addicit noſter ſecundum priores. Cicero, 1 Famil. 9. *quid egiſſet, ſæpiſſime, de actis Cæſaris cum eo ipſo meo fratre, quidque ſibi is de me recepiſſet, in memoriam redegit.* Fuerat ante interpretatus: *quod mihi pro illo ſpopondiſti.* Poſt paulo vocat *fidem: fidemque fratris mei præſtarem.* Eſt ergo perinde atque ſi dixiſſet: *quam fidem ſibi is de me recepiſſet.* Quod ideo monemus, quia l. 2. ad Atticum, epiſt. 22. *Sed fidem recepiſſe ſibi & ipſum & Appium de me: hanc ſi ille non ſervaret, ita laturum ut omnes intelligerent.* Ubi fruſtra impingunt tanquam ad loquutionem inſolentem & ſine exemplo: eoque Lambinus, *fidem dediſſe,* Popma, *fidem re feciſſe.* Male prorſus: eſt enim elegantiſſima: & *fides* hic nihil aliud eſt, quam promiſſum non offendendi Ciceronis a Clodio. Plancus lib. 10. epiſt. 8. *omnia me reip. præſtitiſſe, quæ & tua exhortatione excepi, & mea affirmatione tibi recepi.* An inſolentius ſit, *me præſtitiſſe fidem, quam tibi recepi?* Perſæpe ſic utitur verbo lib. 5 in Verrem. *Satis eſt factum Siculis, ſatis officio ac neceſſitudini, ſatis promiſſo & noſtro ac recepto.* Neque aliter legendum apud Suetonium ex mss. Julio, cap. 23. *qui ſibi recepiſſent propugnaturos abſentiam ſuam.* Seneca ad Marciam, cap. 21. *Idem.*

9 *Cum juvat vivere*] In juventute, aut bona ætate: at ego jam ſenex ſum. *Lipſius.*

EPIST. LV. 1 *A geſtatione*] Qua in eſſedo vehi moris: & explicavi in epiſtola quadam ad Ortelium, Centur. Miſcell. epiſt. 11. *Idem.*

2 *Sive*

hi tamen neceſſarium erat concutere corpus, ut [2] ſive bilis inſederat faucibus, diſcuteretur; ſive ipſe ex aliqua cauſſa ſpiritus denſior erat, extenuaret illum jactatio. quam profuiſſe mihi ſenſi. Ideo diutius vehi perſeveravi, invitante ipſo littore, quod inter Cumas & Servilii Vatiæ villam curvatur, & hinc mari, [3] illinc lacu, velut anguſtum iter clauditur. Erat enim [4] à recenti tempeſtate ſpiſſius. Fluctus autem illud (ut ſcis) frequens & concitatus exæquat: longior tranquillitas ſolvit, cum arenis, quæ humore alligantur, ſuccus abſceſſit. Ex conſuetudine tamen mea circumſpicere cœpi, an aliquid illic invenirem, quod mihi bono poſſet eſſe: & direxi oculos in villam, quæ aliquando Vatiæ fuit. In hac ille prætorius dives, nulla alia re quam otio notus, conſenuit, & ob hoc unum felix habebatur. Nam quoties aliquos amicitia [5] Aſinii Galli, quoties [6] Seiani odium, [7] deinde amor merſerat, (æque enim offendiſſe illum, quam amaſſe, periculoſum fuit) exclamabant homines: O Vatia, [8] ſolus ſcis vivere. At ille latere ſciebat, non vivere. multum autem intereſt, utrum vita tua otioſa ſit, an ignava. Nunquam aliter hanc villam Vatia vivo præteribam, quam ut dicerem: Vatia hic ſitus eſt. Sed adeo, mi Lucili, philoſophia ſacrum quiddam eſt, & venerabile, ut etiam ſi quid illi ſimile eſt, mendacio placeat. Otioſum enim hominem, ſeductum exiſtimat vulgus, & ſecurum, & ſe contentum, ſibique viventem: quorum nihil ulli contingere, niſi ſapienti, poteſt. Ille quidem nulla re ſollicitus

2 *Sive bilis inſederat faucibus*] Excutit hunc locum illuſtratque Mercurialis lib. 6. de arte gymnaſtica, c. 10.

3 *Illinc lacu*] Lucrino. *Lipſius.*

4 *A recenti tempeſtate ſpiſſius*] Ita ex melioribus libris. Firmius autem ſpiſſiuſque à tempeſtate: quia recenter aquæ arenas ligaverant. quod aliter in ſiccis, & diffluunt. *Idem.*

5 *Aſinii Galli*] Cui Tiberius offenſus, & diu in cuſtodia habitum inopia cibi interemit. Tacitus 6 Annalium. *Idem.*

6 *Seiani odium*] Qui omnia apud Tiberium aliquamdiu potuit: evexit, depreſſit, oppreſſit, quos voluit. *Idem.*

7 *Deinde amor*] Quia illo jam inviſo & occiſo, quoſcumque amicos habuerat Tiberius fere ſuſtulit. *Idem.*

8 *Solus ſcis vivere*] Procul ſcilicet à Jove & fulmine. *Idem.*

9 *Parti*

Digitized by Google

tus ſcit ſibi vivere. ille enim (quod eſt primum) ſcit vivere. Nam qui res & homines fugit, quem cupiditatum ſuarum infelicitas relegavit, qui alios feliciores videre non potuit; qui velut timidum atque iners animal, metu oblituit, ille ſibi non vivit, ſed (quod eſt turpiſſimum) ventri, ſomno, libidini. Non continuo ſibi vivit, qui nemini. Adeo tamen magna res eſt conſtantia, & in propoſito ſuo perſeverantia, ut habeat auctoritatem inertia quoque pertinax. De ipſa villa nihil poſſum tibi certi ſcribere; frontem enim ejus tantum novi, & expoſita: quæ oſtendit etiam tranſeuntibus. Speluncæ ſunt duæ magni operis: laxo atrio [9] pares, manufactæ: quarum altera ſolem non recipit, altera uſque in occidentem tenet. [10] Platanona medius rivus, & à mari & ab Acheruſio lacu receptus, [11] Euripi modo dividit, alendis piſcibus (etiam ſi aſſiduo exhauritur) ſufficiens. Sed illi, cum mare patet, parcitur: cum tempeſtas piſcatoribus dedit ferias, manus ad parata porrigitur. Hoc tamen eſt commodiſſimum in villa, quod Baias [12] trans parietem habet: incommodis illarum caret, voluptatibus fruitur. Has laudes ejus ipſe novi: eſſe villam totius anni credo. Occurrit enim Favonio, & illum adeo excipit, ut Baiis neget. Non ſtulte videtur elegiſſe hunc locum Vatia, in quem otium ſuum pigrum jam & ſenile conferret. Sed non multum ad tranquillitatem locus confert: animus eſt, qui commendat omnia. Vidi ego in villa hilari & amœna mœſtos, vidi in media ſolitudine occupatis ſimiles. Quare non eſt quod exiſtimes, ideo parum bene compoſitum eſſe te, quod in Campania non es. quare au-

9 *Pares, manufacta*] Ita Muretus. At libri ſcripti: *magni operis, cujus laxo atrio paries manufactus.* Legam, *cuivis laxo atrio pares, manufacta.* Sunt, inquit, magni operis: ergo non nativæ, ut olim cenſui: deinde in modum magni atrii factæ, & cuivis illi pares, etſi ſic manu cavatæ & factæ. *Lipſius.*

10 *Platanona*] Solent enim ſilvæ id genus arborum habere, umbræ tantum cauſſa. Martialis:

Daphnonas, Platanonas, & aërios cypariſſos. Idem.

11 *Euripi modo*] Quos ipſos in hortis & villis habebant manufactos. *Idem.*

12 *Trans parietem*] Qui villam cingit. *Idem.*

13 *Cum*

re autem non es? hucuſque cogitationes tuas mitte. Converſari cum amicis abſentibus licet: & quidem quoties velis, quamdiu velis. magis hac voluptate, quæ maxima eſt, fruimur, dum abſumus. Præſentia enim nos delicatos facit: & quia aliquando una loquimur, ambulamus; [13] cum conſidemus, cum diducti ſumus, nihil de his quos modo vidimus, cogitamus. & ideo æquo animo ferre debemus abſentiam, quia nemo non multum etiam præſentibus abeſt. Pone hic primum noctes ſeparatas: deinde occupationes utrinque diverſas: deinde ſtudia ſecreta, ſuburbanas profectiones: videbis non multum eſſe, quod nobis peregrinatio eripiat. Amicus animo poſſidendus eſt. hic autem nunquam abeſt: quemcumque vult, quotidie videt. Itaque mecum ſtude, mecum cœna, mecum ambula. In anguſto viveremus, ſi quidquam eſſet cogitationibus clauſum. Video te, mi Lucili, cum maxime, audio: adeo tecum ſum, ut dubitem, an incipiam non epiſtolas, [14] ſed codicillos tibi ſcribere.

EPIST. LVI.

Mentem compoſitam, vacare ſibi & ſtudiis, etiam in turba. Suo exemplo docet. Magis optandum internum ſilentium, & pacem. Inertia porro, mala, & ea cupidinum mater.

PEream, ſi eſt tam neceſſarium, quam videtur, ſilentium in ſtudia ſepoſito. Ecce varius clamor undique me circumſonat: [1] ſupra ipſum balneum habito. Propone nunc tibi omnia genera vocum, quæ in odium poſſunt aures adducere: cum fortiores exercentur, & [2] manus plumbo

13 *Cum conſidemus, cum diducti*] Mss. *dum ſedimus, cum ſeducti.* Lege: *& quia aliquando una loquimur, ambulamus, conſidemus, cum ſeducti ſumus, nihil de his, quos modo vidimus, cogitamus.* Gronovius.

14 *Sed codicillos*] Mitti ſolitos ad præſentes. Dixi in Epiſtolica inſtitutione. *Lipſius.*

EPIST. LVI. 1 *Supra ipſum balneum*] Baiis, non Romæ. Nam hic ei laxior & aptior domus. Ibi, in diverſorio. *Idem.*

2 *Manus plumbo graves*] Halteres notat,

bo graves jactant, cum aut laborant, aut laborantem imitantur, gemitus audio: quoties retentum ſpiritum remiſerunt, ſibilos, & acerbiſſimas reſpirationes: [3] cum in alipten inertem, & hac plebeia unctione contentum incidi, audio crepitum illiſæ manus humeris: quæ prout plana pervenit, aut concava, ita ſonum mutat. Si vero [4] pilicrepus ſupervenerit, & [5] numerare cœperit [6] pilas, actum eſt.

notat, quibus & ad ſaltandum uſi, ſeque velut librandum; & iiſdem, ſed gravioribus ad exercendum, & ſine magno motu ſudorem evocandum, ſublatis depreſſiſque manibus, aut huc illuc jactatis. Erant autem iſtæ maſſæ plumbeæ, in circuli dimidiati, aut & aliam formam: ἁλτῆρες Græcis, à primo uſu dicti, παρὰ τὸ ἅλλεσθαι, *à ſaltando.* Juvenalis, Sat. 6.

Cum laſſata gravi ceciderunt brachia maſſa.

Scholiaſtes ibi: *Halteras dicit, quibus utuntur athletæ cum exercent. quaſi plumbeis ponderibus exercentur.* Martialis:

Quid pereunt ſtulto fortes haltère lacerti?
Exercet melius vinea foſſa viros. Lipſ.

3 *Cum in alipten inertem*] Unctorem. *Idem.* Aliptarum munus tangit Cicero lib. 1. epiſt. ad Lentulum: *Vellem non ſolum ſalutis meæ, quemadmodum Medici: ſed ut etiam aliptæ virium & coloris rationem habuiſſent.* de hiſce digna lectu multa Fornerius ad l. 203. §. quid autem. ff. de verb. ſign.

4 *Pilicrepus*] Gloſſæ Iſidori: *Pilicrepus, qui pila ludit.* In veteri lapide: *Ego ſum, ovantes convenite pilicrepi.* Et mox: *Urſumque canite voce concordi ſenem, Hilarem, jocoſum, pilicrepum, ſcholaſticum.* Ergo ad pilas luſorias hoc referendum: non cum Cælio, aliiſque, ad pilas fornacarias, id eſt glomos quoſdam pice illitos, quos in hypocauſta conjiciebant, igni alendo. Certum autem, pilas crepare ac ſonitum edere, cum datatim luditur, & decidunt: maxime in tabulatis, quibus tunc ludebant. Statius:

Quid nunc ſtrata ſolo referam tabulata, crepantes
Auditura pilas? ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.

Neque enim ad pilas illas fornacarias hæc eunt. ſed tantum oſtendit, ubi tabulata illa fuerint, nempe adſita hypocauſto. Plinius lib. 5. in ſua villa, *Apodyterio ſuperponit ſphæriſterium.* At bella etiam interpretatio (quid aliter ab optimo, & doctiſſimo, elegantiſſimo viro? quem ego inter amicos unice amo æſtimoque) Marci Velſeri, qui ex lapide jam dicto obſervat, *pila vitrea* Romanos luſitaſſe: quæ certe lapſæ crepabant, & diſſiliebant. Initium lapidis:

URSUS TOGATUS VITREA QUI PRIMUS PILA
LUSI DECENTER CUM MEIS LUSORIBUS
LAUDANTE POPULO MAXIMIS CLAMORIBUS
THERMIS TRAIANI THERMIS AGRIPPÆ ET TITI.]

Sed an ad Senecam nunc iſta, hæreo: quia Urſus *primum* ſe luſiſſe dicit: & quidem in thermis *Traiani.* Ergo poſt Senecæ ævum hæc inventio, & inter novitias fuit. Obſerva tamen inibi, thermis & balneis (ut hic) luſiſſe. *Lipſius.*

5 *Numerare cœperit*] Id eſt, tot pilarum, ſine caſu, jactus: quod & hodie fit in *pila*, ut Petronius appellat, *ſparſiva.* Etſi Petronius oſtendit, etiam deciduas numeraſſe adſtantes, ſed id novo more & per delicias Trimalcionis. De illo enim: *Notavimus etiam res novas. nam duo ſpadones in diverſa parte cir-*

eſt. Adjice nunc [7] ſcordalum, [8] & furem deprehenſum, & illum cui [9] vox ſua in balneo placet. Adjice nunc eos, qui in piſcinam cum ingenti impulſæ aquæ ſono ſaliunt. Præter iſtos, quorum ſi nihil aliud, [10] rectæ voces ſunt, [11] alipilum cogita, tenuem & ſtridulam vocem, quo ſit notabilior, ſubinde exprimentem, nec unquam tacentem, niſi dum vellit alas, & [12] alium pro ſe clamare cogit. [13] Jam libarii varias exclamationes, & [14] botularium, & [15] cruſtularium,

te circuli ſtabant, quorum alter matellam tenebat argenteam; alter numerabat pilas, non has quidem, qua inter manus luſu expellente vibrabant, ſed eas qua in terram decidebant. Viri ibi docti putant, hunc numeratorem *pilicrepum* dictum: quod non tam Seneca, quam lapis & Iſidorus refellunt. *Lipſius.*

6 *Pilas*] Explicavi. ſed Turnebus *plus* mallet, cum quibuſdam libris: & tunc ſcilicet, cum plures, quam eſſent, manus aut vices numeraret, magnos excitatos clamores. Non audio. nec noſtrum quidem Hadrianum Junium, qui *pilos* legit, item cum ſuffragio aliquot librorum: & explicat *pilicrepum*, qui pilos cum forſicularum crepitu (quod & hodie) truncat, & adnumerat. *Idem.*

7 *Scordalum*] Plures libri, *ſordalum*. ſed illa vox in Iſidoro, & explicatur: *Scordalus, ferox:* eſt & in Petronio, *Redditaque ſcordalo vice.* Noſter iterum utitur epiſt. 83. *Tullius Cimber & nimius erat in vino, & ſcordalus.* Quod aſſidet intepretationi Iſidori, ſignificatque hominem in vino feroculum & liberioris linguæ fuiſſe. Plebeia vox, & inter vulgi convicia: cui originem à Græco σκὼρ (quod *oletum* aut *merdam* notat) aliqui petunt; alii à σκορόδῳ ſive *allio*, quaſi fœtidum dicas. *Idem.*

8 *Et furem deprehenſum*] De *balneario* fure velim adeas Alciatum lib. 2. cap. 38. Parerg. P. Victorium lib. Varior. Cujacium ad ſententias Julii Pauli. Langlæum lib. 8. cap. 2. Otii ſemeſt. Douſam præcid. ad Arbitrum lib. 2. cap. 2. & Freherum lib. 2. c. 12. Parerg.

9 *Vox ſua in balneo*] Cantillabant illic, recitabant etiam. Nam, ut Horatius:

Suave locus voci reſonat concluſus.
Lipſius.

10 *Recta voces*] Non factæ, aut fractæ. *Idem.*

11 *Alipilum*] Inſcriptio vetus: M. OCTAVIUS. PRIMIGENIUS. ALIPILUS. A. TRITONE. Gloſſæ: *Alipilarius* ἀποτιλτής. Nempe ille, qui aut dropace (unguento è pice) pilos alarum evellit, aut & volſellis. Juvenalis, de puero vere puero:

— nec vellendas jam præbuit alas. Idem.

12 *Alium pro ſe clamare*] Eum, cui alas immodeſte vellit: ideoque dolorem excitat. Hoc ad volſellas magis ſpectat. *Idem.*

13 *Jam libarii varias exclamationes*] Qui liba vænui proclamat. *Idem.* Ita ſe legere, non *librarius* teſtatur Cælius Rhodiginus lib. 30. ſelect. antiq. c. 19. vide Turneb. lib. 7. Adverſ. cap. 4. & Mercurialem lib. 1. artis gymnaſt. cap. 12. qui totum fere hoc caput explicat.

14 *Botularium*] Qui botulos aut botellos. quorum duo genera: vel ex ovis, & nucleis, cepa ac porro, & pluribus apud Apicium lib. 2. cap. 5. vel ex ſanguinis, viſcerumque infarctis, in Tertulliano & Feſto. Græcis à diſtentione, id genus eſt φύσκη. *Idem.*

15 *Cru-*

Digitized by Google

larium, & omnes popinarum inſtitores, mercem ſua quadam & inſignita modulatione vendentes. O te, inquis, ferreum, aut ſurdum, cui mens inter clamores tam varios, tam diſſonos, conſtat! cum [16] Chryſippum noſtrum aſſidua ſalutatio perducat ad mortem. At mehercules, ego iſtum fremitum non magis curo, quam fluctum aut dejectum aquæ. Quamvis audiam [17] cuidam genti hanc unam fuiſſe cauſſam, urbem ſuam transferendi, quia fragorem Nili cadentis ferre non potuit. Magis mihi vox avocare videtur, quam crepitus. Illa enim animum abducit, hic tantum aures implet, ac verberat. In iis quæ me ſine avocatione circumſtrepunt, [18] eſſedas tranſcurrentes pono, & fabrum inquilinum, & ſerrarium vicinum, aut hunc qui [19] ad metam ſudantem [20] tabulas experitur & tibias, nec cantat, ſed

15 *Cruſtularium*] Seneca epiſt. 99. *Solamur cruſtulo pueros.* Horatius:

— pueris dant cruſtula blandi
Doctores.

Fruſtum panis bene cocti, leviter melliti. Video teſtamentis aliquoties juſſum dari, ut in lapide priſco quidam: NATALI. SUO. PERPETUO. DARI. MUNICIPIB. ET. INCOL. ET. MULIERIB. NUPTIS. CRUSTUL. P. I. MULSI. HEMIN. id eſt, *cruſtuli pondo unum, mulſi heminam.* in alio: UT. EX. EO. VECTIGALE. QUOTANNIS. COLONIS. MULSUM. ET. CRUSTUM. NATALI. CÆSARIS. AUGUSTI. DARETUR. *Lipſius.*

16 *Chryſippum noſtrum*] Quem? illum nobilem Græcum? atqui ſalutationum ille mos non ſic ſollennis Græcis. Neque *noſtrum* dixiſſet ſic familiariter, præſertim cum Lucilius in aliis caſtris. Meus liber, *Criſipum:* neque dubito legere *Criſpum*, magnum Senecæ amicum: ad quem & Epigramma ſcriptum. Apparet hunc offenſum ſalutatoribus, & ab iis obſeſſum, tale aliquid dixiſſe, an ſcripſiſſe. *Idem.*

17 *Cuidam genti*] Vide Quæſt. Nat. 4. cap. 2. *Idem.*

18 *Eſſedas*] Nam & ſic efferebant. Jornandes: *Curribus falcatis, quos more vulgari eſſedas vocant.* Gloſſæ: *Eſſeda, baſtarna.* Si diſplicet, poſſis, *eſſeda*, legere. *Idem.*

19 *Ad metam ſudantem*] Fuit quidem hoc cognomento in regione Urbis quarta, apud Victorem & Notitiam imperii: ſed & Baiis fuiſſe oportet, ubi hæc ſcripta. Dio tradidit lib. 48. *ſimulacrum Calypſus ibi ſudaſſe, cum portus ab Agrippa ſtrueretur:* an id Metæ tali impoſitum, & inde cognomen? *Idem.*

20 *Tabulas experitur*] Sic ſcripti libri: quid tamen velit ea vox, neſcio; neque apte cum *tibiis* dicas jungi. An fortaſſe, *fabula ſe experitur & tibia?* id eſſet, experimentum ſui capit in fabula agenda ad tibiam. Itaque ſequitur, *non cantat, ſed exclamat:* quod ſane ad ipſum virum, non inſtrumenta referas. At Muretus edidit, *tubas experitur:* ſed è mera Pinciani conjectura, quam etiam lectionem verba ea dicta damnant. Quod ſi tamen de tuba fuit, legam [illegible] *tubula ſe experitur.* Nam & nobiles viri tubæ & tibiæ operam dabant; atque etiam, ut apparet, cum cantu. Vidi adnotatum, in vetere codice legi, *ſcapulas:* tum com-

Digitized by Google

ſed exclamat. Etiam moleſtior eſt mihi ſonus, qui intermittitur ſubinde, quam qui continuatur. Sed jam me ſic ad omnia iſta duravi, ut audire [21] vel pauſarium poſſim, voce acerbiſſima remigibus modos dantem. Animum enim cogo ſibi intentum eſſe, nec avocari ad externa. omnia licet foris reſonent; dum intus nihil tumultus ſit, dum inter ſe non rixentur cupiditas & timor, dum avaritia luxuriaque non diſſideant, nec altera alteram vexet. Nam quid prodeſt totius regionis ſilentium, ſi affectus fremunt?

[22] *Omnia noctis erant, placida compoſta quiete.*

Falſum eſt. nulla placida quies eſt, niſi quam ratio compoſuit. nox exhibet moleſtiam, non tollit, & ſolicitudines mutat. Nam dormientium quoque inſomnia tam turbulenta ſunt, quam dies. [23] Illa tranquillitas vera eſt, in quam bona mens explicatur. Adſpice illum, cui ſomnus laxæ domus ſilentio quæritur: cujus aures ne quis agitet ſonus, omnis ſervorum turba conticuit, & ſuſpenſum, accedentium propius, veſtigium ponitur. Huc nempe verſatur atque illuc, ſomnum inter ægritudines levem captans: quæ non audit, audiſſe ſe queritur. Quid in cauſſa putas eſſe? animus illi obſtrepit: hic placandus eſt, hujus compeſcenda eſt ſeditio: quem non eſt quod exiſtimes placidum, ſi jacet corpus. Interdum quies inquieta eſt. Et ideo ad rerum actus excitandi, ac tractatione bonarum artium occupandi ſumus, quoties nos male habet inertia ſui impatiens.

Magni

conaret, *ſcabillo ſe experitur:* quod genus inſtrumenti cum tibia etiam Suetonius jungit, Calig. cap. 55. *Lipſius.*

21 *Vel pauſarium*] *Portiſculus* vel *Hortator* (Græcis κελευστής) dictus: quia & pergendi, & *pauſandi*, modos remigibus daret. Ovidius:

— *& qui* REQUIEMQUE, *modumque*
Voce dabat nautis, animorum HORTATOR *Epopeus.* Idem.

22 *Omnia noctis*] Verſus Varronis. quem cum altero habes apud Senecam patrem, lib. 7. Controv. 1. *Idem.*

23 *Illa tranquillitas*] Zeno (apud Plutarchum, Quomodo cognoſcas te profeciſſe) ait, *ex inſomniis ſuum quemque proceſſum poſſe ſentire: ſi videlicet non turbida aut turpia ea ſint, ſed alta tranquillitate compoſita: imagines & animi motus hilariores habeant.* Sunt ipſa hæc, & priora, Senecæ. *Idem.*

24 *Sta-*

Magni imperatores cum male parere militem vident, aliquo labore compeſcunt, & expeditionibus detinent. nunquam vacat laſcivire diſtrictis: nihilque tam certum eſt quam otii vitia negotio diſcuti. Sæpe videmur tædio rerum civilium, & infelicis atque ingratæ [24] ſtationis pœnitentia, ſeceſſiſſe: tamen in illa latebra, in quam nos timor & laſſitudo conjecit, interdum recrudeſcit ambitio. Non enim exciſa deſiit, ſed [25] fatigata, aut etiam obirata, rebus parum ſibi cedentibus. Idem de luxuria dico, quæ videtur aliquando ceſſiſſe: deinde frugalitatem profeſſos ſollicitat, atque in media parſimonia voluptates non damnatas, ſed relictas petit: & quidem eo vehementius, quo occultius. Omnia enim vitia in aperto leviora ſunt: morbi quoque tunc ad ſanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt, ac vim ſuam proferunt. Et avaritiam itaque, & ambitionem, & cetera mala mentis humanæ, tunc perniicioſiſſima ſcias eſſe, cum ſimulata ſanitate ſubſidunt. Otioſi videmur, & non ſumus. Nam ſi bona fide ſumus, ſi receptui cecinimus, ſi ſpecioſa contempſimus, ut paulo ante dicebam, nulla res nos avocabit, nullus hominum aviumque concentus interrumpet cogitationes bonas, ſolidaſque & jam certas. Leve illud ingenium, nec ſe adhuc reduxit introrſus, quod ad vocem [26] & accidentia erigitur. Habet intus aliquid ſolicitudinis, & concepti pavoris, quod illum curioſum facit, ut ait Virgilius noſter:

Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, nec adverſo glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis
Suſpenſum, & pariter comitique onerique timentem.

Prior ille ſapiens eſt, quem non tela vibrantia, non arietata inter

24 *Stationis*] Officii & muneris. à militia ductum. *Lipſius.*

25 *Fatigata aut etiam abjecta*] Modii liber, *abrata*: unde ipſe divinabat, *abjurata.* Sed optime Papiraceus, *obirata.* De Tranquill. c. 2. *ex hac deinde averſatione alienorum proceſſuum & ſuorum deſperatione obiraſcens fortunæ animus.* Rubenius.

26 *Ex accidenti*] Plures libri, *& accidentia.* Lipſius.

inter ſe arma agminis denſi, non urbis impulſæ fragor territat: hic alter imperitus eſt, rebus ſuis timet, ad omnem crepitum expaveſcens, quem una quælibet vox pro fremitu accepta dejecit, quem motus leviſſimi exanimant. Timidum illum ſarcinæ faciunt. Quemcumque ex iſtis felicibus elegeris, multa trahentibus, multa portantibus, videbis illum comitique onerique timentem. Tunc ergo te ſcito eſſe compoſitum, cum ad te nullus clamor pertinebit: cum te nulla vox tibi excutiet: non ſi blandietur, non ſi minabitur, non ſi inani ſono [27] varia circumſtrepet. Quid ergo? non aliquando commodius eſt, carere convicio? fateor. Itaque ego ex hoc loco migrabo: experiri & exercere me volui. Quid neceſſe eſt diutius torqueri: cum tam facile remedium Ulyſſes ſociis etiam adverſus Sirenas dederit, & invenerit?

EPIST. LVII.

De Crypta Neapolitana, & ibi horrore. tum primos motus in poteſtate non eſſe. Aliquid de animi tenuitate, & celeritate.

CUm Baiis deberem Neapolim repetere, facile credidi tempeſtatem eſſe, ne [1] iterum navem experirer. ſed tantum luti tota via fuit, ut poſſem videri [2] nihilominus navigaſſe. Totum [3] athletarum fatum mihi illo die perpetiendum fuit. [4] à ceromate nos haphe excepit, in [5] Crypta Neapo-

27 *Varia circumſtrepet*] Alias, *vana.* Lipſius.

EPIST. LVII. 1 *Iterum navem experirer*] Tam infeliciter, quam ſupra, epiſt. 53. *Idem.*

2 *Nihilominus navigaſſe*] In eſſedo videlicet: via madida & inæquali, mutante identidem illo, ac quaſi natante. Simili metaphora, de hac ipſa via, Statius Silvarum 4.

Nutabat cruce pendula viator,
Rodebatque rotas maligna tellus,
Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala NAVIGATIONIS.

Emenda ibidem ex meo libro, *Sorbebatque rotas.* Idem.

3 *Athletarum fatum*] Quorum eſt *ceromate* perfundi, & *haphe* deinde inſpergi. Mihi ſimile: qui in via prima luto & liquore, velut craſſo ceromate, delibutus ſum: deinde in crypta, arenis & pulvere, ut haphe perſperſus. *Idem.*

4 *A ceromate nos haphe excepit*] Huic loco lucem tibi dabit P. Faber lib. 3 Agoniſt. cap. 22.

5 *Crypta Neapolitana*] Quæ perfoſſo monte Pauſilypo (incertum, quo magni

Neapolitana. Nihil illo carcere longius, [6]nihil illis faucibus obſcurius; quæ nobis præſtant, non ut per tenebras videamus, ſed ut ipſas. Ceterum etiam ſi locus haberet lucem, pulvis auferret, in aperto quoque res gravis & moleſta: quid illic, ubi in ſe volutatur, & cum ſine ullo ſpiramento ſit incluſus, in ipſos à quibus excitatus eſt recidit? Duo incommoda inter ſe contraria ſimul pertulimus, eadem via, eodem die, & luto & pulvere laboravimus. Aliquid tamen mihi illa obſcuritas, quod cogitarem, dedit. ſenſi quemdam ictum animi, & ſine metu mutationem, quam inſolitæ rei novitas ſimul ac fœditas fecerat. Non de me nunc tecum loquor, qui multum ab homine tolerabili, ne-dum à perfecto abſum, ſed de illo in quem jus fortuna perdidit: hujus quoque ferietur animus, [7]mutabitur color. Quædam enim, mi Lucili, nulla virtus effugere poteſt: admonet illam natura mortalitatis ſuæ. Itaque & vultum adducet ad triſtitiam, & inhorreſcet ad ſubita, & caligabit, ſi vaſtam altitudinem in crepidine ejus conſtitutus deſpexerit. Non eſt hic timor, ſed naturalis affectio inexpugnabilis rationi. Itaque fortes quidam, & paratiſſimi fundere ſuum ſanguinem, alienum videre non poſſunt: quidam ad vulneris novi, quidam ad veteris & purulenti tractationem inſpectionemque concidunt, & linquuntur animo:

magni operis auctore) recta Neapolim ducit: *multorum ſtadiorum longitudine*, ait Strabo, atque ut hodie dimenſio eſt, *paſſuum circiter mille*. Alioqui ſuper ipſum montem eundum ſit, ambitu magno, & via ardua. *Lipſius.*

6 *Nihil faucibus obſcurius*] Fauces, anguſti tranſitus etiam vocabantur: nequis de aditu capiat, qui certe illuſtris. Obſcuritas autem hic, tempore Senecæ, & denſæ tenebræ, ut oſtendit: non æque Strabonis, id eſt Tiberii. qui diſertim ſcribit, Τὰ φῶτα ἐκ τῆς ἐπιφανείας τοῦ ὄρους, πολλαχόθεν ἐκκοπεισῶν θυρίδων, διὰ βάθους πολλοῦ κατάγεται· *lumen è ſuperficie montis, plurifariam feneſtellis inciſis, per multam altitudinem demitti*. Oportuit hæc luminaria obſtructa ævo aut neglectu fuiſſe, ſi tam denſæ tunc tenebræ. Quod idem fuit ad tempora Alphonſi primi Aragonum regis: qui provincia ea ſubdita, viam iſtam & fauces aperuit, complanavit, duas feneſtras incidit, quæ lumen in mediam ſpeluncam obliquum funderent: ut hodieque comparent. *Idem.*

7 *Mutabitur color*] De tota hac re, pulchre Stoïculus quiſpiam apud Agellium lib. 19. cap. 1. & nos Manuduct. 3. Diſſert. 7. *Idem.*

animo : alii gladium facilius recipiunt, quam vident. Senſi ergo (ut dicebam) quamdam non quidem perturbationem, ſed mutationem : rurſus, ad primum conſpectum redditæ lucis, alacritas incogitata rediit & injuſſa. Illud deinde mecum loqui cœpi, quam inepte quædam magis ac minus timeremus, cum omnium idem finis eſſet. Quid enim intereſt, utrum ſupra aliquem [8] vigiliarium ruat, an mons? nil invenies. Erunt tamen qui hanc ruinam magis timeant, quamvis utraque mortifera æque ſit. Adeo non effectus, ſed efficientia timor ſpectat. Nunc me putas de Stoicis dicere, qui exiſtimant [9] animam hominis magno pondere extriti [10] permeare non poſſe, & ſtatim ſpargi, quia non fuerit illi exitus liber : ego vero non facio. qui hoc dicunt, videntur mihi errare. Quemadmodum flamma non poteſt opprimi : nam circa id diffugit, quo urgetur : quemadmodum aër verbere aut ictu non læditur, nec ſcinditur quidem, ſed circa id cui ceſſit refunditur : ſic animus qui ex tenuiſſimo conſtat, deprehendi non poteſt, nec [11] intra corpus affligi : ſed beneficio ſubtilitatis ſuæ, per ipſa quibus premitur, erumpit. Quomodo fulmini, etiam cum latiſſi-

8 *Vigiliarium ruat, an mons*] Locus & ſpecula, in qua vigiles; ut valetudinarium, ſpoliarium, vivarium. Sed ſuper lectione ambi:u. & meus liber, *jugularium* præfert. Suſpicabar aliquando, *tigillarium* an, *vigilem atrium*. Idem. Prima vox an proba ſit, vehementer ambigimus cum Lipſio. Codex quidem ejus, *jugularium*. Suſpicatur autem, *Tigillarium* aut *vigilum atrium*. In noſtro erat, *vigilarium*. Forſan *nubilarium* reliquit Seneca : id vocare videntur rei-ruſticæ ſcriptores tectum leve ac temere contextum, in quod prima meſſis ſecundum aream congeritur. Varro lib. 1, 13. *Ædificium facere oportet ſub quod tectum totam fundi ſubjicere poſſis meſſem, quod vocant quidam nubilarium.* Columella lib. 1, 6. *Huic nubilarium applicari debet, maximeque in Italia propter inconſtantiam cæli, quo collata ſemitrita frumenta protegantur, ſi ſubitaneus imber inceſſerit.* Senſum eundem expreſſit noſter, 6 Nat. Quæſt. 1. *Nihil itaque intereſt, utrum me lapis unus elidat, an monte toto premar.* Audacius foret : *tegula una ruat an mons.* Monuit Rubenius, ſe in ms. reperiſſe *vigilarium* : & eam vocem exſtare in notis Tironis & Senecæ : *Vigilarium, Pervigil, Vigilat, Evigilat*, pag. 105. *Gronovius.*

9 *Animam hominis*] De hoc Stoico ſenſu ſcripſi Phyſiol. 3. Diſſ. 11. *Lipſius.*

10 *Permeare non poſſe*] Eſt Pinciani conjectura, ſed bella & blandiens. Libris ſcribitur, *permanere* : neque damnes. aut ſi, in *permanare*, aptiſſime mutes. *Idem.*

11 *Intra corpus affligi*] Velim, *effligi.* Idem.

12 Pro-

latiſſime percuſſit ac fulſit, per exiguum foramen eſt reditus: ſic animo, qui adhuc tenuior eſt igne, per omne corpus fuga eſt. Itaque de illo quærendum eſt, an poſſit immortalis eſſe? hoc quidem certum habe, ſi ſuperſtes eſt corpori, propter hoc illum nullo genere poſſe perire,[12] propter quod non perit: quoniam nulla immortalitas cum exceptione eſt, nec quidquam noxium æterno eſt.

EPIST. LVIII.

Verba quædam nupera, deſita nunc eſſe. tranſit ad Phyſica, & quotuplex τὸ ὄν, ex Platone. Aptat ad Ethica, & nihil hic idem, aut firmum, eſſe. Tum ſubtilitates, quem uſum habere poſſint? & hunc ex omni re captandum. Adnectit de ſenectute, & morte: neutram optandam, & recuſandam.

QUanta verborum nobis [1] paupertas, imo egeſtas ſit, nunquam magis quam hodierno die intellexi. Mille res inciderunt, cum forte de Platone loqueremur, quæ nomina deſiderarent, nec haberent: quædam vero cum habuiſſent, faſtidio noſtro perdidiſſent. Quis autem ferat in egeſtate faſtidium? Hunc quem Græci œſtrum vocant, pecora peragentem, & totis ſaltibus diſſipantem, aſilum noſtri vocabant. hoc Virgilio licet credas:

Eſt

12 *Propter quod non perit*] Uni meorum abeſt vox, *propter:* & relegem libenter, aut mutem in *propterea*. Non diſpliceat etiam: *per quod hoc perit*. Hoc, id eſt corpus. *Idem.* Opſopœus de conjectura: *propter quod hoc perit.* Lipſius releget *propter*, vel mutet in *propterea*, vel *per quod hoc perit*. Ego hoc in membro nihil vitii agnoſco, ſed in præcedenti arguunt ſcripti codices. Quorum ex apicibus formo: *ſi ſuperſtes eſt corpori, perire illum nullo genere poſſe, propter quod non perit.* Reſpicit ad quæſtionem ſuperius propoſitam de anima hominis magno pondere extriti: utrum illa è ruinis exeat, an ſub illis intereat. Hanc ait inanem eſſe, niſi probetur animam eſſe mortalem. Etenim ſi immortalis eſt & corpori ſuperſtes, propter quam cauſam eſt ſuperſtes & prorſus non perit, propter eandem non poteſt ullo genere interitus plecti: velut illo, ſi effligatur aut elidatur. *Gronovius.*

EPIST. LVIII. 1 *Paupertas, imo egeſtas*] Plus igitur hoc eſt: & pauperies eſſe rei poteſt, qua non egeas. Plinius lib. 4. epiſt. *Inopia, ac potius ut Lucretius ait, hac egeſtate patrii ſermonis.* Noſter epiſt. 17. *Non eſt quod paupertas nos à philoſophia revocet, nec egeſtas quidem.* Lipſius.

 2 *Puto*

Digitized by Google

Eſt lucum Silari juxta ilicibuſque virentem
Pluribus Alburnum volitans, cui nomen aſilo
Romanum eſt, œſtrum Græci vertere vocantes,
Aſper, acerba ſonans, quo tota exterrita ſilvis
Diffugiunt armenta. ——

[2] Puto intelligi iſtud verbum interiſſe. Ne te longe differam, quædam ſimplicia in uſu erant, ſicut cernere ferro inter ſe dicebantur. Idem Virgilius hoc probabit tibi:

—— *Stupet ipſe Latinus,*
Ingentis, genitos diverſis partibus orbis,
Inter ſe coiiſſe viros, & cernere ferro.

quod nunc decernere dicimus: ſimplicis illius verbi uſus amiſſus eſt. Dicebant antiqui, ſi juſſo, id eſt, ſi juſſero. Hoc nolo mihi credas: [3] ſed fide Virgilio:

Cetera, quæ juſſo, mecum manus inferat arma.

Non id ago nunc hac diligentia, ut oſtendam quantum tempus apud grammaticum perdiderim: ſed ut ex hoc intelligas, quantum apud Ennium & Attium, verborum ſitus occupaverit: cum apud hunc quoque, qui quotidie excutitur, aliqua nobis ſubducta ſint. Quid, inquis, ſibi iſta vult præparatio? quo ſpectat? Non celabo te. cupio, ſi fieri poteſt propitiis auribus tuis, [4] Eſſentiam dicere: ſin minus, dicam & iratis. [5] Ciceronem auctorem hujus verbi habeo, puto locupletem. ſi recentiorem quæris; [6] Fabianum, diſertum & elegantem, orationis, etiam ad noſtrum faſtidium, nitidæ. Quid enim fiet, mi Lucili? quomodo dicetur οὐσία res neceſſaria, [7] naturam continens, fundamentum omnium? Rogo itaque permittas mihi hoc verbo

2 *Puto intelligi*] Sive, *intelligis*. Idem.

3 *Sed fide*] Alii, *fideli*: fortaſſe, *fido*. Idem.

4 *Eſſentiam dicere*] Optime ita Muretus, cum in libris eſſet, *quid ſentiam*. Idem.

5 *Ciceronem auctorem*] Sidonius: *Lecturus es hic novum verbum Eſſentiam: ſed ſcias hoc ipſum dixiſſe Ciceronem*. Idem.

6 *Fabianum*] Quem intelligit Fabius: *Uſiam, quam Flavius Eſſentiam vocat*. Nomen ei fuit, *Ser. Flavius Papirius Fabianus*. Idem.

7 *Naturam continens*] Omnia enim ex Uſia: quæ eſt proprie Stoïcis, Deus & Materia. *Idem*.

bo uti. nihilominus dabo operam, ut jus à te datum parciſſime exerceam: fortaſſe contentus ero mihi licere. Quid proderit facilitas tua, cum ecce id nullo modo Latine exprimere poſſim, propter quod linguæ noſtræ convicium feci? Magis damnabis anguſtias Romanas, ſi ſcieris unam ſyllabam eſſe, quam mutare non poſſim. Quæ hæc ſit, quæris? τὸ ὄν. Duri tibi videbor ingenii: in medio poſitum, poſſe ſic transferri, ut dicam, Quod eſt. Sed multum intereſſe video. cogor verbum pro vocabulo ponere: ſed id ſi neceſſe eſt, ponam. Quod eſt, ſex modis hoc à Platone dici, amicus noſter homo eruditiſſimus hodierno die dicebat. Omnes tibi exponam, ſi ante indicavero, eſſe aliquod genus, eſſe & ſpeciem. Nunc enim primum illud genus quærimus, ex quo ceteræ ſpecies ſuſpenſæ ſunt, à quo naſcitur omnis diviſio, quo univerſa comprehenſa ſunt. Invenietur autem, ſi cœperimus ſingula retro legere. ſic enim perducemur ad primum. Homo ſpecies eſt, ut Ariſtoteles ait: equus ſpecies eſt, canis ſpecies. ergo commune aliquod quærendum eſt his omnibus vinculum, quod illa complectatur, & ſub ſe habeat. Hoc quid eſt? animal. Ergo genus eſſe cœpit omnium horum quæ modo retuli, hominis, equi, canis, animal. Sed ſunt quædam, quæ animam habent, nec ſunt animalia. placet enim ſatis & arbuſtis animam ineſſe. itaque & vivere illa, & mori dicimus. Ergo animantia ſuperiorem tenebunt locum, quia animalia in hac forma ſunt, & ſata. Quædam anima carent, ut ſaxa. itaque aliquid erit animantibus antiquius, ſcilicet corpus. hoc ſic dividam, ut dicam, corpora omnia aut animata eſſe, aut inanimantia. Etiamnum eſt aliquid ſuperius, quam corpus. Dicimus enim quædam corporalia eſſe, quædam incorporalia. Quid ergo erit ex quo hæc diducantur? illud cui nomen modo parum proprium impoſuimus, Quod eſt. Sic enim in ſpecies ſecabitur, ut dicamus: Quod eſt, aut corporale eſt, aut incorporale. Hoc ergo genus eſt primum & antiquiſſimum, &,

ut ita dicam, generale: cetera genera quidem ſunt, ſed ſpecialia, tanquam [8] homo genus eſt. Habet enim in ſe nationum ſpecies, Græcos, Romanos, Parthos; colorum, albos, nigros, flavos: habet ſingulos, Catonem, Ciceronem, Lucretium. Itaque qua multa continet, in genus cadit: qua ſub alio eſt, in ſpeciem. Illud genus, Quod eſt, generale, ſupra ſe nihil habet. Initium rerum eſt. omnia ſub illo ſunt. Stoici volunt ſuperponere huic etiam aliud genus magis principale: de quo ſtatim dicam, ſi prius illud genus, de quo locutus ſum, merito primum poni docuero, cum ſit rerum omnium capax. Quod eſt, in has ſpecies divido, ut ſint corporalia, aut incorporalia. Nihil tertium eſt. Corpus quomodo divido? ut dicam, aut animantia ſunt, aut inanimantia. Rurſus animantia quemadmodum divido? ut dicam, quædam animum habent, quædam tantum animam. aut ſic: quædam impetum habent, incedunt, tranſeunt: quædam ſolo affixa, radicibus aluntur & creſcunt. Rurſus animalia in quas ſpecies ſeco? aut mortalia ſunt, aut immortalia. Primum genus Stoicis quibuſdam [9] videtur, Quid: ſed quare videatur, ſubjiciam. In rerum (inquiunt) natura quædam ſunt, quædam non ſunt. Et hæc autem quæ non ſunt, rerum natura complectitur, quæ animo ſuccurrunt, tanquam Centauri, Gigantes, & quidquid aliud falſa cogitatione formatum, habere aliquam imaginem cœpit, quamvis non habeat ſubſtantiam. Nunc ad id quod tibi promiſi, revertor, quomodo quæcumque ſunt, [10] in ſex modos Plato partiatur. Primum

8 *Homo genus eſt*] Atqui ſupra ſpecies erat, ſed ex Ariſtotele: hic Logicam Chryſippi ſequi eum probabile eſt, hodie ridendam. *Lipſius.*

9 *Videtur, quid*] Ita lege, cum libris ſit ambigue *quid*, vel *quod*: ſed illud præfero. Muretus in uno etiam repperiſſe ait, *quiddam*. Græce dixerunt indubie, τὸ τί. Pincianus ſententiam loci primus pervidit, & breviter poſuit: Stoïcis aliud aliquod genus *Ente* ſuperius eſſe, nempe *quod*: ita enim ipſe legit. Id igitur iis dividitur, in vere *Ens*, & *non Ens*. Vere, ut omnia quæ in rerum natura ſunt: *Non Ens*, ut ſunt Centauri, Chimeræ, & quæ in mente ſola ſubſiſtunt. *Idem.*

10 *In ſex modos Plato*] Primo quidem in duos: atque ita in Timæo, & Sophiſta τὸ ὄν dividit. Apuleius ex illo,

mum illud Quod eſt, nec viſu, nec tactu, nec ullo ſenſu comprehenditur: cogitabile eſt. quod generaliter eſt: tanquam homo generalis ſub oculos non venit, ſed ſpecialis venit, ut Cicero & Cato. [11] Animal non videtur, ſed cogitatur: videtur autem ſpecies ejus, equus, & canis. Secundum ex his quæ ſunt, ponit Plato, quod eminet & exſuperat omnia. Hoc ait per excellentiam eſſe. ut poëta communiter dicitur. omnibus enim verſus facientibus hoc nomen eſt. ſed jam apud Græcos in unius notam ceſſit. Homerum intelligas, cum audieris poëtam. Quid ergo hoc eſt? Deus, ſcilicet major ac potentior cunctis. Tertium genus eſt eorum, quæ proprie ſunt: innumerabilia hæc ſunt: ſed extra noſtrum poſita conſpectum. Quæ ſunt, interrogas? propria Platonis ſupellex eſt. [12] Ideas vocat, ex quibus omnia, quæcumque videmus, fiunt: & ad quas cuncta formantur. Hæ immortales, immutabiles, inviolabiles ſunt. Quid ſit idea, id eſt, quid Platoni eſſe videatur, audi. Idea eſt eorum, quæ natura fiunt, exemplar æternum. Adjiciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat. Volo imaginem tuam facere. exemplar picturæ te habeo, ex quo capit aliquem habitum mens, quem operi ſuo imponat. Ita illa quæ me docet & inſtruit facies, à qua petitur imitatio, idea eſt. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piſcium, arborum: ad

lo, τὰς οὐσίας, *quas Eſſentias dicimus, duas eſſe ait: per quas cuncta gignantur. Mundusque ipſe. Quarum una cogitatione ſola concipitur; altera ſenſibus ſubjici poteſt. Prior illa vere eſſe memoratur: hanc vero non eſſe poſſumus dicere. Et prima quidem Eſſentia primum Deum eſſe, & mentem, formasque rerum & animam: ſecunda, omnia quæ informantur, quæque gignuntur, & quæ ab ſubſtantia ſuperioru exemplo originem ducunt.* Hæc ita univerſe in Platone: ſed diſtinctius noſter in ſex modos partitur. Primum eſt, *Ens* νοητὸν, *intelligibile:* ut animal. Secundum, excellentiſſimum Ens, & cauſſa Entium, *Deus*. Tertium, *Idea*. Quartum ipſa Εἴδη ſive *ſpecies*. Quintum, quæ ſenſibus ſubjecta, id eſt *corpora*. Sextum, quæ *quaſi ſunt*, ut inane, tempus. *Lipſius.*

11 *Animal non videtur, ſed cogitatur*] Tacent alii. tamen membranæ noſtræ carent particula adverſativa, tum pro *non* exhibent *ut*. Videtur fuiſſe: *Animal haud videtur; cogitatur.* Defectus adverſativæ exempla pluſcula ſuperius dedimus. Erf. & Heinſ. *Animal non videtur. cogitatur.* Gronov.

12 *Ideas vocat*] De his ego aliquid Phyſiol. 2. Diſſert. 3. *Lipſius.*

13 *Nemo*

Digitized by Google

ad quæ,quodcumque fieri ab illa debet, exprimitur. Quartum locum habet εἶδος. Quid ſit hoc εἶδος, attendas oportet: & Platoni imputes, non mihi, hanc rerum difficultatem. nulla eſt autem ſine difficultate ſubtilitas. Paullo ante pictoris imagine utebar. ille cum reddere Virgilium coloribus vellet, ipſum intuebatur: Idea erat Virgilii facies, futuri operis exemplar: ex hac quod artifex trahit, & operi ſuo impoſuit, εἶδος eſt. Quid interſit, quæris? alterum exemplar eſt, alterum forma ab exemplari ſumpta, & operi impoſita. alteram artifex imitatur, alteram facit. Habet aliquam faciem ſtatua: hæc eſt idos. habet aliquam faciem exemplar ipſum, quod intuens opifex, ſtatuam figuravit: hæc idea eſt. Etiamnum aliam deſideras diſtinctionem? Idos in opere eſt: Idea extra opus: nec tantum extra opus eſt, ſed ante opus. Quintum genus eſt eorum, quæ communiter ſunt. hæc incipiunt ad nos pertinere: hic ſunt omnia, homines, pecora, res. Sextum genus eorum eſt, quæ quaſi ſunt, tanquam inane, tanquam tempus. Quæcumque videmus ac tangimus, Plato in illis non numerat, quæ eſſe proprie putat. Fluunt enim, & in aſſidua diminutione atque adjectione ſunt. [13] Nemo noſtrum idem eſt in ſenectute, qui fuit juvenis. nemo eſt mane, qui fuit pridie. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more. quidquid vides, currit cum tempore, nihil ex his quæ videmus, manet. Ego ipſe dum loquor mutari iſta, mutatus ſum. Hoc eſt [14] quod ait Heraclitus: In idem flumen bis non deſcendimus. Manet idem fluminis nomen, aqua tranſmiſſa eſt. Hoc in amne manifeſtius eſt, quam in homine. ſed nos quoque non minus velox curſus prætervehit: & ideo

13 *Nemo noſtrum idem eſt in ſenectute, &c.*] Acuta quædam circa hunc locum Duarenus in tit. de judiciis c. 4.

14 *Quod ait Heraclitus*] Plato in Cratylo: Λέγει που Ἡράκλειτος, ὅτι πάντα ῥεῖ, καὶ οὐδὲν μένει. καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα, λέγει, ὡς δὶς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης. *Ait Heraclitus, omnia fluere, nec quidquam manere. & cum fluvii curſu iſta quæ ſunt comparans, addit, quod nec in idem flumen bis poſſis ingredi.* Idem in Empirico legas 3. Hypotheſeon. *Lipſius.*

15 *Vu*

ideo admiror dementiam noſtram, quod tantopere amamus rem fugaciſſimam, corpus, timemuſque ne quando moriamur: cum omne momentum, mors prioris habitus ſit. [15] Vis tu non timere, ne ſemel fiat quod quotidie fit? De homine dixi, fluida materia & caduca, [16] & omnibus obnoxia caſibus: mundus quoque, æterna res & invicta, mutatur, nec idem manet. Quamvis enim omnia in ſe habeat quæ habuit, aliter habet quam habuit, ordinem mutat. Quid, inquis, iſta ſubtilitas mihi proderit? Si me interrogas, nihil. Sed quemadmodum ille cælator oculos diu intentos ac fatigatos remittit atque avocat, &, ut dici ſolet, paſcit: ſic nos animum aliquando debemus relaxare, & quibuſdam oblectamentis reficere. ſed ipſa oblectamenta opera ſint: ex his quoque, ſi obſervaveris, ſumes quod poſſit fieri ſalutare. Hoc ego, mi Lucili, ſoleo facere: [17] ex omni natione, etiam ſi à philoſophia longiſſime averſa eſt, eruere aliquid conor, & utile efficere. Quid de iſtis capiam, quæ modo tractavimus, remotis à reformatione morum? quomodo meliorem me facere Ideæ Platonicæ poſſunt? quid ex iſtis traham, quod cupiditates meas comprimat? Vel hoc ipſum, quod omnia iſta quæ ſenſibus ſerviunt, quæ nos accendunt & irritant, negat Plato ex iis eſſe quæ vere ſint. Igitur iſta imaginaria ſunt, & ad tempus aliquam faciem ferunt: nihil horum ſtabile, nec ſolidum eſt. & nos tamen cupimus tanquam aut ſemper futura,

15 *Vis tu timere ne ſemel fiat*] Ex noſtro & quatuor Gruteri, quibus omnes Rubeniani accedunt, & Erf. Heinſ. reſtituimus: *Vis tu non timere.* Vide ad 3 de Ira, 38. Epiſt. 70. *Vis tu cogitare id in manibus eſſe conſilium, ad quod fama non pervenit.* Epiſt. ult. *Vis tu relictis, in quibus vinci te neceſſe eſt, ad bonum reverti tuum?* Martialis lib. 10. epigram. 83. *Vis tu ſimplicius ſenem fateri.* Plinius, lib. 9. epiſt. 17. *Vis tu remittere aliquid ex nugis? equidem nihil tale habeo, habentes tamen fero.* GRONOVIUS.

16 *Et omnibus obnoxia caſibus*] Neque hic è ſuis memorant varietatem. Sed vereor, ut fuerit parum diligentes. Nec noſter ſolus, Erf. Heinſ. *cauſſis:* nam & ſic veteres, Tarviſina, Veneta, Frobeniana, editiones. Vid. 3 Obſerv. 14. *Idem.*

17 *Ex omni natione*] Sic libri, & interpreteris, ex omni genere hominum aut ſecta. Muretus mallet, *tractatione:* eſt in ora quorumdam librorum, *oratione*, quod mihi præplaceat. *Lipſius.*

18 *Poſſe*

ra, aut ſemper habituri. Imbecilli fluidique per intervalla conſiſtimus: mittamus animum ad illa, quæ æterna ſunt. miremur in ſublimi volitantes rerum omnium formas: Deumque inter illa verſantem, & hoc providentem, quemadmodum quæ immortalia facere non potuit, quia materia prohibebat, defendat à morte, ac ratione vitium corporis vincat. Manent enim cuncta, non quia æterna ſunt, ſed quia defenduntur cura regentis. Immortalia tutore non egent. hæc conſervat artifex, fragilitatem materiæ vi ſua vincens. Contemnamus omnia, quæ adeo pretioſa non ſunt, ut an ſint omnino, dubium ſit. Illud ſimul cogitemus, ſi mundum ipſum non minus mortalem, quam nos ſumus, providentia periculis eximit, [18] poſſe tamen aliquatenus noſtra quoque providentia longiorem prorogari huic corpuſculo moram, ſi voluptates, quibus pars major perit, potuerimus regere & coërcere. Plato ipſe ad ſenectutem ſe diligentia pertulit. Erat quidem corpus validum ac forte ſortitus, & illi nomen [19] latitudo pectoris fecerat: ſed navigationes ac pericula multum detraxerunt viribus; parſimonia tamen, & earum quæ aviditatem evocant modus, & diligens ſui tutela, perduxit illum ad ſenectutem, multis prohibentibus cauſſis. Nam hoc ſcis, puto, Platoni dili-

18 *Poſſe tamen aliquatenus noſtra*] Et hic perperam Pinciani conjecturam contra mss. in contextum recepit Muretus: in qua nihil mutavit Lipſius, niſi *tandem* in *tamen*. At univerſa vetus ſcriptura reſtitui debuit, hoc modo diſtincta, ut fecimus. Nihil vitii eſt in oratione, ſi verbum *poteſt* retineatur, & per ſe ſententiam faciat: neque neceſſarium, ut reformatum in *poſſe* pendeat ab τῷ *cogitemus*. Sic epiſt. 71. *Illud licet magis admireris: jacere in convicio, malum eſt; torqueri in eculeo, bonum eſt*. Quæ neceſſitas hic jubeat facere *eſſe*? Rurſus quare *providentia* non æque bene dicatur *prorogare moram*, quam *providentia* in ultimo caſu *eandem prorogari*? Illud certe elegantius. Talis erat error Sigonii, cum, *ob inopiam & miſeriam civitatis legem eſſe ſcriptam*, ex pravo codice, quam ex ſenioribus, *inopiam & miſeriam civitatis iſtam legem ſcripſiſſe*, mallet apud Livium lib. 39, 8. Denique vox *longiorem* tanti non eſt, ut ejus ergo vadimonium tot librorum deſeramus. Nec qui moram prorogari dicit, longiorem negat. *Gronovius*.

19 *Latitudo pectoris*] Apuleius: *Platoni habitudo corporis cognomentum dedit. namque Ariſtocles prius nominatus.* πλατὺς Græcis, *latus*. Lipſius.

20 Na-

diligentiæ ſuæ beneficio contigiſſe, quod [20] natali ſuo deceſſit, & [21] annum unum atque octogeſimum implevit, [22] ſine ulla deductione. Ideo Magi, qui forte Athenis erant, immolaverunt defuncto, amplioris fuiſſe ſortis quam humanæ rati, quia conſummaſſet perfectiſſimum numerum, quem novem novies multiplicata componunt. Non dubito, quin paratus eſſet paucos dies ex iſta ſumma, & ſacrificium, remittere. Poteſt frugalitas producere ſenectutem: quam ut non puto concupiſcendam, ita ne recuſandam quidem. Jucundum eſt, eſſe ſecum quam diutiſſime, cum quis ſe dignum quo frueretur, effecit. Itaque de iſto [23] feremus ſententiam, an oporteat faſtidire ſenectutis extrema, & finem non opperiri, ſed manu facere. Prope eſt à timente, qui fatum ſegnis exſpectat: ſicut ille ultra modum deditus vino eſt, qui amphoram exſiccat, & fæcem quoque exſorbet. De hoc tamen quæremus, pars ſumma vitæ, [24] utrum fæx vitæ hæc ſit, an liquidiſſimum ac puriſſimum quiddam ſi modo mens ſine injuria eſt, & integri ſenſus animum juvant, nec defectum & præmortuum corpus eſt. Plurimum enim refert, vitam aliquis extendat, [25] an mortem. At ſi inutile miniſteriis eſt corpus, quid ni oporteat educere animum laborantem? & fortaſſe paulo ante quam debet,

20 *Natali ſuo*] Qui fuit menſis Thargelionis ſeptimus dies, Plutarcho auctore Quæſt. Convival. 8. Quæſt. 1. & Laërtio. *Lipſius.*

21 *Annum unum atque octogeſimum implevit*] Convenit cum Athenæo, qui ad *annum 82 perveniſſe* prodidit, libro 5. Item Cenſorino, qui ait *Magnos viros non prius vita exceſſiſſe, quam ad annum illum octogeſimum & unum pervenerint: in quo Plato finem vitæ & legitimum eſſe exiſtimavit, & habuit.* Idem Suidas: at Neanthes apud Laërtium annos 84 adſcribit. *Idem.*

22 *Sine ulla deductione*] Juſto calculo. quippe obiit ipſo natali ſuo: ergo explevit, nec plus minus fuit. Formularis ſermo eſt in ratiociniis. Vide de Benef. 2. cap. 4. *Idem.*

23 *Feremus ſententiam*] Quid hic Stoïci aut Seneca, ediſſerui Manud. 3. Diſſert. 22. *Idem.*

24 *Utrum fæx vitæ hæc ſit*] Ita poëta ille Comicus apud Stobæum:

Σφόδρα γ' ἐστὶν ὁ βίος ἡμῶν οἴνῳ προσφερὴς,
Ὅταν ᾖ τὸ λοιπὸν μικρὸν, ὄξος γίνεται·
Hæc vita vino ſimilis admodum cluet,
Cum paullulum ſuperſit, eſt fæx atque acor. Idem.

25 *An mortem*] Quia vita ſcilicet non eſt, in miſeriis maliſque, ſine ſpe, agere. *Idem.*

26 Quanto

Digitized by Google

debet, faciendum eſt, ne cum fieri debeat, facere non poſſis: & cum majus periculum ſit male vivendi, quam cito moriendi, ſtultus eſt qui non exigui temporis mercede, magnæ rei aleam redimit. Paucos longiſſima ſenectus ad mortem ſine injuria pertulit. multis iners vita ſine uſu jacuit ſui. [26] Quanto deinde crudelius judicas, aliquid ex vita perdidiſſe, quamvis finienda? Noli me invitus audire, tanquam ad te jam pertineat iſta ſententia: ſed quid dicam æſtima. Non relinquam ſenectutem, ſi me totum mihi reſervabit: totum autem ab illa parte meliore. At ſi cœperit concutere mentem, ſi partes ejus convellere, ſi mihi non vitam reliquerit, ſed animam: proſiliam [27] ex ædificio putrido ac ruenti. Morbum morte non fugiam, dumtaxat ſanabilem, nec officientem animo: non afferam mihi manus propter dolorem. ſic mori, vinci eſt. Hunc tamen ſi ſciero perpetuo mihi eſſe patiendum: exibo non propter ipſum, ſed quia impedimento mihi futurus eſt ad omne, propter quod vivitur. Imbecillus eſt & ignavus, qui propter dolorem moritur: ſtultus, qui doloris cauſſa vivit. Sed in longum exeo. eſt præterea materia [28] quæ ducere diem poſſit. Et quomodo finem vitæ imponere poterit, qui epiſtolæ non poteſt? Vale ergo: quod libentius [29] quam mortis moras lecturus es.

EPIST.

26 *Quanto deinde crudelius*] Verba adverſæ ſententiæ, non debere finiri. *Lipſius.*

27 *Ex ædificio putrido*] Stobæus Serm. 118. Gorgiæ Leontino hoc adſcribit. *qui ſenex interrogatus, ecquid libens moreretur?* Μάλιστα, εἶπεν. ὥσπερ γὰρ ἐκ σαπροῦ καὶ ῥέοντος οἰκιδίου ἀσμένως ἀπαλλάττομαι· *Maxime, inquit. nam, ut ex putri & diffluente domuncula, non invitus abeo.* Idem.

28 *Quæ ducere diem*] Id eſt, uber hæc materies & diſputatio, & vel diem traxerit. Alii explicant, *materiam in nobis eſſe, quæ mortem differre poſſit:* ſubtiliter magis, quam vere. *Idem.*

29 *Quam mortes moras lecturus es*]. Quas epiſtola hæc ultima habet, & ſonat. Ingratum verbum deſino, & in illud valetudinis muto. Olim ſic ego: mutant quidam, & *mortis moras* probant. mihi improbe. *Idem.* Si Lipſio ſublegit hanc lectionem Muretus, carbones pro theſauro ſublegit. Delicias vero ſummi viri. Mutant quidam, inquit, & *mortis moras* probant: mihi improbe. Immo non mutant illi, ſed tu, ὦ τᾶν, cum & veteres editiones ſic omnes & mss. niſi interpolati habuerint. Nec, cur *mortes moras* vocaret acutas de morte diſputationes, cauſa erat; ſed cur *mortis moras*, rationes

Digitized by Google

EPIST. LIX.

Voluptatis & Gaudii diſcrimen: atque hoc honeſtum verbum eſſe. Laudat deinde ſtilum Lucilii, & philoſopho verba item non negligenda; amandas etiam parabolas atque imagines. Serio autem, non obiter philoſophandum eſſe: nec nobis ipſis cito placendum. quæ adulatio nos perdit.

MAgnam ex epiſtola tua percepi voluptatem. permitte enim mihi uti verbis publicis; nec illa ad ſignificationem Stoicam revoca. Vitium eſſe voluptatem credimus. Sit ſane: ponere tamen illam ſolemus, ad demonſtrandam animi hilarem affectionem. Scio, inquam, & voluptatem (ſi [1] ad noſtrum album verba dirigimus) rem infamem eſſe, & gaudium [2] niſi ſapienti non contingere. Eſt enim animi elatio, [3] ſuis bonis viribuſque fidentis. vulgo tamen ſic loquimur, ut dicamus, magnum gaudium nos ex illius conſulatu, aut ex nuptiis, aut ex partu uxoris percepiſſe: quæ adeo non ſunt gaudia, ut ſæpe initia futuræ triſtitiæ ſint. Gaudio autem junctum eſt, non deſinere, nec in contraria verti. Itaque cum dicit Virgilius noſter: Et mala mentis Gaudia; diſerte quidem dicit, ſed parum proprie: nullum enim malum gaudium eſt. Voluptatibus hoc nomen impoſuit, & quod voluit, expreſſit: ſignificavit enim homines, malo

nes ejus proferendæ neque impatientia accelerandæ: quod eſt poſtremæ epiſtolæ argumentum. Et eſt hæc locutio Senecæ non hic ſolum uſurpata. Epiſt. 7. *Quo munimenta? quo gladii artes? omnia iſta mortis moræ ſunt.* Epiſt. 82. *Hic eſt enim Brutus, qui cum periret, mortis moras quæreret.* Lib. 2. Natur. Quæſt. *Non tibi timidiſſimus omnium videtur & inſipientiſſimus, qui magno ambitu rogat moram mortis?* Gronovius. *Mortis* pro *mortes*; ſic vocat acutas has de morte diſputationes.

EPIST. LIX. 1 *Ad noſtrum album*] Stoïcum. ut in noſtro foro & tribunali ſuper iis arbitramur. *Lipſius.*

2 *Niſi ſapienti*] Super tota hac re ego ubertim Manuduct. 3. Diſſert. 5. *Idem.*

3 *Suis bonis viribuſque*] In uno libro repperi, *ſuis bonis veriſque*: & valde placeat. Nam gaudium omne Stoïcis ex ſola virtute oritur, & conſequitur ſummum illud bonum, etſi boni pars non eſt. Si tamen *vires* retines, ad firmum fundatumque in virtute animi ſtatum referes. *Idem.*

Digitized by Google

[4] malo ſuo lætos. tamen ego non immerito dixeram, cepiſſe me magnam ex epiſtola tua voluptatem. quamvis enim [5] juſta cauſa imperitus homo gaudeat, tamen affectum ejus impotentem, & in diverſa ſtatim inclinaturum, voluptatem voco, opinione falſi boni motam, immoderatam & immodicam. Sed ut ad propoſitum revertar, audi quid me in epiſtola tua delectaverit. habes verba in poteſtate: non effert te oratio, nec longius quam deſtinaſti, trahit. Multi ſunt, qui ad id quod non propoſuerant ſcribere, alicujus verbi decore placentis vocentur. quod tibi non evenit. preſſa ſunt omnia, & rei aptata. Loqueris quantum vis, & plus ſignificas quam loqueris. Hoc majoris rei indicium eſt. apparet, animum quoque nihil habere ſupervacui, nihil tumidi. Invenio tamen tranſlationes verborum, ut non temerarias, ita quæ periculum ſui fecerint. Invenio imagines: quibus ſi quis nos uti vetat, & poëtis illas ſolis judicat eſſe conceſſas, neminem mihi videtur ex antiquis legiſſe, apud quos nondum captabatur plauſibilis oratio. Illi qui ſimpliciter, & demonſtrandæ rei cauſſa eloquebantur, parabolis referti ſunt: quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſſa qua poëtis, ſed ut imbecillitatis noſtræ adminicula ſint, & ut diſcentem & audientem in rem præſentem adducant. [6] Sextium ecce cum maxime lego, virum acrem,

4 *Malo ſuo lætos*] Nam & lætitia inter mala, & apud malos eſt. Cicero Tuſcul. 4. Stoice: *Atque ut confidere decet, timere non decet; ſic quidem gaudere decet, lætari non decet: quoniam docendi cauſſa à Gaudio Lætitiam diſtinguimus.* Muretus appoſitum Afranii verſum adducit,

Gaudebit ſapiens, lætabuntur ceteri:

Afranii, an ſuum? *Lipſius.*

5 *Ex juſta cauſſa*] Turbent aliquem ſcripti, qui, *ex homine iſta cauſſa.* Sed fuit ſcilicet, *ex honeſta cauſſa.* Idem.

6 *Sextium ecce*] Q. Sextius fuere pater & filius, uterque philoſophiæ ſtudiis ſcriptiſque noti. Nominat & laudat ſæpe noſter: itemque Suetonius in vita Craſſitii: *Dimiſſa repente ſchola tranſiit ad Q. Sextii ſectam.* Sectam enim & ipſe fecit, aut potius illam Pythagoræ renovavit: atque inter aſſeclas etiam Flavianum illum habuit (Seneca pater lib. 3 Controv. in Præfat.) de quo ſupra dixi. Meminit ejus Plinius, laudabili facto, & quale olim Democriti, in præviſa olei caritate omne illud præſtinantis. *Hoc poſteà* (inquit Plinius lib. 18. c. 28.) *Sextius è Romanis ſapientiæ aſſectatoribus Athenis fecit, eadem ratione.* Plutarchus de illo aliud memorabile habet, libello Quomodo ſentias te proficere: *Quidam,*

Digitized by Google

acrem, [7] Græcis verbis, Romanis moribus philoſophantem. movit me imago ab illo poſita: ire [8] quadrato agmine exercitum, ubi hoſtis ab omni parte ſuſpectus eſt, pugnæ paratum. Idem, inquit, ſapiens facere debet: omnes virtutes ſuas undique expandat, ut ubicumque infeſti aliquid oritur, illic parata præſidia ſint, & ad nutum regentis ſine tumultu reſpondeant. Quod in exercitibus his quos imperatores magni ordinant, fieri videmus, ut imperium ducis ſimul omnes copiæ ſentiant, ſic diſpoſitæ, ut [9] ſignum ab uno datum, peditem ſimul equitemque percurrat: hoc aliquanto magis neceſſarium eſſe nobis, Sextius ait. Illi enim ſæpe hoſtem timuere ſine cauſſa, tutiſſimumque illis iter, quod ſuſpectiſſimum fuit: nil ſtultitia pacatum habet. tam ſuperne illi metus eſt, quam infra. utrumque trepidat latus. [10] Sequuntur pericula & occurrunt, ad omnia pavet: imparata eſt, & ipſis terretur auxiliis. Sapiens autem, ad omnem incurſum munitus & intentus, non ſi paupertas, non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus & contra illa ibit, & inter illa. Nos multa alligant, multa debilitant: diu in iſtis vitiis jacuimus. elui difficile eſt. non enim inquinati

Quidam, inquit, *relicta republica & negotiis, in medio philoſophiæ curſu hærent, aut corruunt, ut Romanus ille Sextius. quem memorant relictis honoribus & magiſtratibus, cauſſa philoſophiæ, cum rurſus angeretur & in principio ipſa doctrina offenderet, pæne ex navi in mare ſe præcipitaſſe deſperabundum.* Ad honores natum vides: quod noſter item Seneca, epiſt. 98. *Honores reppulit pater Sextius, qui ita natus ut remp. deberet capeſſere, latum clavum, Divo Julio dante, non recepit.* Vide etiam Manud. 1. Diſſert. 6. *Lipſius.*

7 *Græcis verbis*] Nam vides Athenis multum egiſſe: ſed mores, inquit, Romanos habuit, graves, conſtantes. Citat tamen Latina quædam Claudianus Mamertus 2 de Anima, cap. 9. ſed ab ipſo fortaſſe verſa. *Idem.*

8 *Quadrato agmine*] Explicavi de Militia, libro 5. *Idem.*

9 *Signum ab uno*] In teſſera, aut verbo. Hæc quoque explicata in Militia. *Idem.*

10 *Sequuntur pericula & occurrunt*] Adducit hunc verſum Senecæ Fornerius ad l. 110. de verb. ſign. ut eos compeſcat qui litem his movent: *Sequeſter dictus ab eo quod occurrenti, aut quaſi ſequenti eos qui contendunt, committitur:* quaſi videlicet quis abſurde iiſdem occurrere atque idem ſequi videatur; cum in illis quæ conjunctim dicuntur ordo nullus obſervetur, nec quicquam utrum prius poſteriuſve ſcribatur aut dicatur intereſt. l. 14. quidam. ff. de pecul. leg.

quinati ſumus, ſed infecti. [11] Ne ab alia imagine ad aliam tranſeamus, hoc quæram, quod mecum ſæpe diſpicio, quid ita nos ſtultitia tam pertinaciter teneat? Primo quia non fortiter illam repellimus, nec toto ad ſalutem impetu nitimur: deinde, quia illa quæ à ſapientibus viris reperta ſunt, non ſatis credimus, nec apertis pectoribus haurimus, leviterque tam magnæ rei inſiſtimus. Quemadmodum autem poteſt aliquis, quantum ſatis ſit, adverſus vitia diſcere, qui [12] quàntum à vitiis vacat, diſcit? Nemo noſtrum in altum deſcendit. ſumma tantum decerpſimus: & exiguum temporis impendiſſe philoſophiæ, ſatis abundeque occupatis fuit. Illud præcipue impedit, quod cito nobis placemus: ſi invenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui ſanctos, agnoſcimus. Nec ſumus modica laudatione contenti: quidquid in nos adulatio ſine pudore congeſſit, tanquam debitum prendimus: optimos nos eſſe, ſapientiſſimos affirmantibus aſſentimur, cum ſciamus [13] illos ſæpe mentiri. Adeoque indulgemus nobis, ut laudari velimus in id, cui contraria cum maxime facimus. Mitiſſimum ille ſe in ipſis ſuppliciis audit, in rapinis liberaliſſimum, in ebrietatibus ac libidinibus temperatiſſimum. Sequitur itaque, ut ideo mutari nolimus, quia nos optimos eſſe credimus. Alexander cum jam in India vagaretur, & gentes, ne finitimis quidem ſatis notas, bello vaſtaret, in [14] obſidione cujuſdam urbis, dum circuit muros, & dum imbecilliſſima mœnium quærit, ſagitta ictus, [15] diu perſedere,

11 *Ne ab alia imagine*] Manet in illa militari, ubi capti *alligantur*, *tenentur*. Lipſius.

12 *Quantum à vitiis vacat*] Sapientiæ ſtudium inter ſubſiciva habet. *Idem*.

13 *Illos ſæpe mentiri*] Dilutum eſt, & velim, *illos ſpei mentiri*. quod eſſet, cum ſciamus hæc dari ſpei, qua à nobis aliquid captant. *Idem*.

14 *Obſidione cujuſdam urbis*] Urbis *Mazagarum*, ut Curtius lib. 8. appellat, & factum hoc denarrat. Idem lib. 4. Arrianus, qui *Maſſagas* dicit, & *leviter Alexandrum in malleolo pedis percuſſum*. At Curtius *in ſura*, & gravius vulnus facit. *Idem*.

15 *Diu perſedere*] Sic fere ſcripti: ſed meus, *diu perdere*: ex quo ego, *pergere*, velim. Nam *perſedere* vix convenit. quia pedes ibat, ut narrat Curtius, & læſus demum juſſit equum admoveri. Alii quidam, *diu perſtitit ire*: ſed ex interpolatione. *Idem*.

16 *Omnes*,

dere, & incepta agere perſeveravit. Deinde cum, repreſſo ſanguine, ſicci vulneris dolor creſceret, & crus equo ſuſpenſum paulatim obtorpuiſſet, coactus abſiſtere, [16] Omnes, inquit, jurant me Jovis eſſe filium, ſed vulnus hoc hominem eſſe me clamat. Idem nos faciamus: cum pro ſua quemque portione adulatio infatuat, dicamus: Vos quidem me dicitis prudentem eſſe: ego autem video quam multa inutilia concupiſcam, nocitura optem. ne hoc quidem intelligo, quod animalibus ſatietas monſtrat, quis cibo debeat eſſe, quis potioni modus: quantum capiam, adhuc neſcio. Jam docebo, quemadmodum intelligas te non eſſe ſapientem? Sapiens ille eſt plenus gaudio, hilaris & placidus, inconcuſſus, [17] cum diis ex pari vivit. Nunc ipſe te conſule: ſi nunquam mœſtus es, nulla ſpes animum tuum futuri exſpectatione ſollicitat, ſi per dies noctesque par & æqualis animi tenor erecti & placentis ſibi eſt: perveniſti ad humani boni ſummam. Sed ſi appetis voluptates, & undique, & omnes: ſcito tantum tibi ex ſapientia, quantum ex gaudio, deeſſe. Ad hoc cupis pervenire, ſed erras, qui inter divitias illuc venturum eſſe te ſperas. Inter honores gaudium, id eſt, inter ſolicitudines quæris? iſta quæ ſic petis, tanquam datura lætitiam ac voluptatem, cauſſæ dolorum ſunt. Omnes, inquam, illi tendunt ad gaudium: ſed unde ſtabile magnumque conſequantur, ignorant. Ille ex conviviis & luxuria: ille ex ambitione, & circumfuſa clientium turba: ille ex amica: alius ex ſtudiorum liberalium vana oſtentatione, & nihil ſanantibus litteris. Omnes iſtos oblectamenta fallacia & brevia decipiunt: ſicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem inſaniam, longi temporis tædio penſat. ſicut plauſus & acclamationis ſecundæ favor, qui magna ſolicitudine & partus eſt, & expiandus. Hoc ergo cogita,

16 *Omnes, inquit, jurant*] Curtius effert: *Se quidem Jovis filium dici, ſed corporis ægri vitia ſentire.* Lipſius.

17 *Cum diis ex pari*] Id eſt, pariter & æqualiter vivit. Stoïcum γαυρίαμα, de quo ſæpe jam monui, & rejeci in Manud. 3. Diſſert. 14. *Idem.*

cogita, hunc eſſe ſapientiæ effectum gaudii æqualitatem. Talis eſt ſapientis animus, [18] qualis mundi ſtatus ſuper Lunam. ſemper illic ſerenum eſt. Habes ergo, quare velis ſapiens eſſe: quia nunquam ſine gaudio eſt. Gaudium hoc non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientia. Non poteſt gaudere, niſi fortis, niſi juſtus, niſi temperans. Quid ergo, inquis? ſtulti ac mali non gaudent? Non magis, quam prædam nacti leones. Cum fatigaverunt ſe vino & libidinibus, cum illos nox [19] inter vina defecit, cum voluptates anguſto corpori ultra quam capiebat ingeſtæ ſupputare cœperunt, tunc exclamant miſeri Virgilianum illum verſum:

Namque ut ſupremam falſa inter gaudia noctem
Egerimus, noſti.

Omnem luxurioſi noctem inter falſa gaudia, & quidem tanquam ſupremam, agunt. Illud gaudium, quod deos deorumque æmulos ſequitur, non interrumpitur, non deſinit: deſineret, ſi ſumptum eſſet aliunde: quia non eſt alieni muneris, nec arbitrii quidem alieni. Quod non dedit fortuna, non eripit.

EPIST. LX.

Vota vulgi ſpernenda. Naturam audiendam eſſe.

QUeror, litigo, iraſcor. Etiamnum optas quod tibi optavit nutrix tua, aut pædagogus, aut mater? Nondum intelligis, quantum mali optaverint? O quam inimica nobis ſunt vota noſtrorum! eo quidem inimiciora, quo ceſſere felicius. Jam non admiror, ſi omnia nos à prima pueritia mala ſequuntur: inter exſecrationes parentum crevimus. Exaudiant quoque diu noſtram pro votis vocem

18 *Qualis mundi ſtatus*] Meliores libri, *Qualis mundus ſuper Lunam*: & credo interpolatum ab iis, qui neſciebant cælum ipſum mundum dici. De re, vide de Ira 3. c. 6. Scripſit & poëta, de ſapiente:

Perpetuum nulla temeratus nube ſerenum. Lipſius.

19 *Inter vina defecit*] Alius, *inter vitia*: & præferam. *Idem.*

[1] vocem gratuitam. Quouſque poſcemus aliquid deos, quaſi nondum ipſi alere nos poſſimus? Quam diu ſationibus implebimus [2] magnarum urbium campos? quam diu nobis [3] populus metet? quam diu [4] unius menſæ frumentum multa navigia, & quidem non ex uno mari, ſubvehent? Taurus pauciſſimorum jugerum paſcuis impletur: una ſilva elephantis pluribus ſufficit: homo & terra paſcitur, & mari. Quid ergo? tam inſatiabilem nobis natura alvum dedit, cum tam modica corpora dediſſet, ut vaſtiſſimorum edaciſſimorumque animalium aviditatem vinceremus? minime. Quantulum eſt enim quod naturæ datur? parvo illa dimittitur. Non fames nobis ventris noſtri magno conſtat, ſed ambitio. Hos itaque (ut ait Salluſtius) ventri obedientes animalium loco numeremus, non hominum: quoſdam vero ne animalium quidem, ſed mortuorum. Vivit is, qui ſe utitur: qui vero latitant & torpent, ſic in domo ſunt, tanquam [5] in conditivo. Horum licet in limine ipſo [6] nomen marmori inſcribas, mortem ſuam anteceſſerunt.

EPIST.

EPIST. LX. 1 *Vocem gratuitam*] Quæ mercedem non trahat, externa non poſcat. *Lipſius.*

2 *Magnarum urbium campos*] Notat latifundia, quæ privati illi divites tenebant, vel urbibus ſuffectura. *Idem.*

3 *Populus metet*] Tota natio aut provincia aliqua meſſem nobis faciet. *Idem.*

4 *Unius menſæ frumentum*] Interpretor, unius domini & domus, quæ familiam tantam habet. Legiones enim illæ ſervorum, ut Plinius appellat, multum frumentum requirebant: & adde cottidianam hoſpitalem menſam. Hæc autem frumenta *non ex uno mari* (ſupero, inferoque) advehebantur, nec ex una regione. Seneca epiſt. 89. *Amnes, magnarum gentium termini, uſque ad oſtium a fonte, veſtri ſunt. Latifundiis veſtris maria cinxiſtis, trans Hadrianum, & Ionium, Ægeumque veſter villicus regnat.* Qui autem hic *inſtrumentum*, aut *ſtrumentum* eodem ſenſu, pro *frumento* ſubſtituunt, & ad menſæ apparatum referunt; falluntur, veteris moris opumque ignari. *Idem.*

5 *In conditivo*] Sepulchro, ubi condimur: quod *conditorium* Suetonio, & utrique Plinio. *Idem.*

6 *Nomen marmori*] Ritu ſepulchrorum, *Talis hic ſitus eſt.* Idem.

Epist. LXI.

Emendari & immutari ſtudeamus. mortem cogitemus, ut ſemper imminentem, & utique venturam.

DEſinamus quod voluimus velle. Ego certe id ago ſenex, non eadem velle, quæ puer volui. In hoc unum eunt dies, in hoc noctes: hoc opus meum eſt, hæc cogitatio, imponere veteribus malis finem. Id ago, ut mihi inſtar totius vitæ, ſit dies. Nec mehercules [1] tanquam ultimum rapio, ſed ſic illum adſpicio, tanquam eſſe vel ultimus poſſit. Hoc animo tibi hanc epiſtolam ſcribo, tanquam cum maxime ſcribentem mors evocatura ſit. Paratus exire ſum, & ideo [2] fruor vita: quia quam diu futurum hoc ſit, [3] non nimis pendeo. Ante ſenectutem curavi, ut bene viverem: in ſenectute, ut bene moriar. Bene autem mori, eſt libenter mori. Da operam, ne quid unquam invitus facias. quidquid neceſſe eſt, futurum eſt. Repugnanti, [4] non volenti neceſſitas eſt: in volente neceſſitas non eſt. Ita dico, qui imperia libens excipit, partem acerbiſſimam ſervitutis effugit, facere quod nolit. Non qui juſſus aliquid facit, miſer eſt: ſed qui invitus

Epist. LXI. 1 *Tamquam ultimum rapio*] Nec more vulgi voluptatibus me perfundo: ſed quod addit, craſtinum mihi non ſpondeo. Sophocles in Trachiniis, ea mente:

— ὥστ' εἴ τις δύο
Εἰ κὴ πλείους τις ἡμέρας λογίζεται,
Μάταιός ἐστιν· οὐ γάρ ἐσθ' ἥ γ' αὔριον,
Πρὶν εὖ πάθῃ τις τὴν παροῦσαν ἡμέραν
— *ideo qui duos*
Pluresve deſtinare ſibi velit dies,
Is ſtultus eſt. nec certo erit vel craſtinus,
Niſi huncce, qui nunc agitur, egeris bene. Lipſius.

2 *Fruor vita*] Securus & lætus. *Idem.*

3 *Non nimis pendeo*] Sic veteres ferio, nec muto. non anxius ſum, neque animi pendeo. *Idem.*

4 *Non volenti neceſſitas eſt*] Omnes mss. arguunt hæc verba νοθείας. oſtendunt autem, nec nimis ſagaci, ſcribendum eſſe: *quicquid neceſſe eſt, futurum eſt repugnanti. in volentem neceſſitas non eſt.* Quomodo & Gruterus, niſi quod maluimus ex duobus, *in volentem:* eſt enim neceſſitas velut agens εἴς τινα. quod ſic melius exprimitur. Et ſic editiones ante Frobenianam. Cyprianus de habitu virginum: *Celebrantur lavacra cum feminis, quarum in vos pudica lavatio eſt.* Sic recte meliores codices. Fruſtra corrigunt, *quarum in nox lavatio eſt.* Nam lavatio eſt actio in eos qui lavantur: idque non potuit melius ſignificari. *Gronovius.*

5 Sed

Digitized by Google

vitus facit. Itaque ſic animum componamus, ut quidquid res exiget, id velimus: & in primis finem noſtri ſine triſtitia cogitemus. ante ad mortem, quam ad vitam, præparandi ſumus. Satis inſtructa vita eſt: [5] ſed nos inſtrumentorum ejus avidi ſumus. Deeſſe nobis aliquid videtur, & ſemper videbitur. Ut ſatis vixerimus, nec anni nec dies facient, ſed animus. Vixi, Lucili cariſſime, quantum ſatis erat: mortem plenus exſpecto.

[1] EPIST. LXII.

Homines aut negotia non obſtare Bonæ menti. Laus Demetrii.

MEntiuntur, qui ſibi obſtare ad ſtudia liberalia turbam negotiorum videri volunt: ſimulant occupationes, & augent, & ipſi ſe occupant. Vaco, mi Lucili, vaco: & ubicumque ſum, meus ſum. Rebus enim non me trado, [2] ſed commodo: nec conſector perdendi temporis cauſſas: quocumque conſtiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in animo ſalutare verſo. Cum me amicis dedi, non tamen mihi abduco: nec cum illis moror, quibus me tempus aliquod congregavit, aut cauſſa [3] ex officio nata civili, ſed cum optimo quoque ſum: ad illos, in quocumque loco, in quocumque ſæculo fuerint, animum meum mitto. Demetrium, virorum optimum, [4] mecum circumfero, & relictis [5] conchyliatis, cum illo ſeminudo loquor, illum admiror. Quid ni admirer? vidi nihil ei deeſſe. Contemnere omnia aliquis poteſt: omnia habere nemo poteſt, Bre-

5 *Sed nos inſtrumentorum ejus*] Scripti, *inſtrumento ejus*. Vellem, *inſtruenda ejus*. Lipſius.

EPIST. LXII. 1 Brevicula & hæc eſt, ut priores: nec tamen, cum Mureto, habeo pro laciniis aut fragmentis. Sunt cogitationes & *μελετήματα* Senecæ, quæ voluit EPISTOLARUM titulo venire in lucem. *Idem.*

2 *Sed commodo*] Uſum mei, non mancipium, dono. *Idem.*

3 *Ex officio nata civili*] Quod inter cives, de more, uſurpatur, ut ire ad nuptias, ad togam virilem, ad funera, ad ſalutationes. *Idem.*

4 *Mecum circumfero*] Pectore geſto. *Idem.*

5 *Conchyliatis*] Qui in lacernis purpureis, aut togis purpuratis. *Idem.*

Digitized by Google

Breviſſima ad divitias, per contemptum divitiarum, via eſt. Demetrius autem noſter ſic vivit, non tanquam contempſerit omnia, ſed tanquam aliis [6] habenda permiſerit.

EPIST. LXIII.

Conſolatoria ſuper morte amici, ſapiens & perpulcra.

GRaviter fers deceſſiſſe Flaccum, amicum tuum: plus tamen æquo dolere te nolo. Illud, ut non doleas, vix audebo exigere: & eſſe melius ſcio. Sed cui iſta firmitas animi continget, niſi jam multum ſupra fortunam elato? Illum quoque iſta res vellicabit, ſed tantum vellicabit. Nobis autem ignoſci poteſt, prolapſis ad lacrimas: ſi non nimiæ decurrerent, ſi ipſi illas repreſſimus. Nec ſicci ſint oculi amiſſo amico, nec fluant; lacrimandum eſt, non plorandum. Duram tibi legem videor ponere? cum poëtarum Græcorum maximus, jus flendi dederit [1] in unum dumtaxat diem: [2] cum dixerit, etiam Nioben de cibo cogitaſſe. Quæris unde ſint lamentationes, unde immodici fletus? per lacrimas argumenta deſiderii quærimus: & dolorem non ſequimur, ſed oſtendimus. [3] Nemo triſtis ſibi eſt.

6 *Habenda permiſerit*] Ipſe rex, & eorum dominus: ſed uſum aliis indulget. *Lipſius.*

EPIST. LXIII. 1 *In unum dumtaxat diem*] Homerum intelligi certum eſt, & huc advocari. Ubi autem hoc ille? ut puto in Iliad. τ. ubi Ulyſſes Achillem à nimio luctu absterret: atque inter alia dicit,

Ἀλλὰ χρὴ τὸν μὲν καταθάπτειν ὅς κε θάνησι,
Νηλέα θυμὸν ἔχοντας, ἐπ' ἤματι δακρύσαντας·

Sed ſepelire decet defunctum, pectore forti
Conſtantes, unamque diem fletu indulgentes. Idem.

2 *Cum dixerit, etiam Nioben*] Hoc non indidem, ſed ex Iliade ultima eſt. in qua Achilles ita Priamo lugenti:

—— νῦν δὲ μνησώμεθα δόρπου.
Καὶ γάρ τ' ἠΰκομος Νιόβη ἐμνήσατο σίτου,
Τῇπερ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροισιν ὄλοντο·

—— *nunc cœna nos quoque demus.*
Namque & pulchricomam Nioben cœnaſſe putandum eſt,
Etſi bis ſenos, lugeret, funera, natos. Idem.

3 *Nemo triſtis ſibi*] Tale, quod Martialis de Gellia:

Amiſſum non flet, cum ſola eſt Gellia, patrem:
Siquis adeſt, juſſæ proſiliunt lacrymæ.
Non dolet hic, quiſquis laudari, Gellia, quærit,
Ille dolet vere, qui ſine teſte dolet.

Sed ipſa hæc verba noſter iterat, epiſt.

eſt. O infelicem ſtultitiam! eſt aliqua & doloris ambitio. Quid ergo? inquis. obliviſcar amici? Brevem illi apud te memoriam promittis, ſi cum dolore manſura eſt. Jam iſtam frontem ad riſum quælibet fortuita res transferet. Non differo in longius tempus, quo deſiderium omne mulcetur, quo etiam acerrimi luctus reſidunt: cum primum te obſervare deſieris, imago iſta triſtitiæ diſcedet. Nunc ipſe [4] cuſtodis dolorem tuum, ſed cuſtodienti quoque elabitur: eoque citius, quo eſt acrior, deſinit. Id agamus, ut jucunda fiat nobis amiſſorum recordatio. nemo libenter ad id redit, quod non ſine tormento cogitaturus eſt. Si tamen iſtud fieri neceſſe eſt, ut cum aliquo nobis morſu, amiſſorum quos amavimus nomen occurrat: hic quoque morſus habet ſuam voluptatem. Nam, ut dicere ſolebat [5] Attalus noſter; Sic amicorum defunctorum memoria jucunda eſt, quomodo poma quædam ſunt ſuaviter aſpera, quomodo in vino nimis veteri [6] ipſa nos amaritudo delectat: cum vero intervenit ſpatium, omne quod angebat exſtinguitur, & pura ad nos voluptas venit. Si illi credimus, amicos incolumes cogitare, melle ac placenta frui eſt: eorum qui fuerunt retractatio, non ſine acerbitate quadam juvat. Quis autem negaverit, hæc acria quoque, & habentia auſteritatis aliquid, ſtomachum excitare? Ego non idem ſentio. mihi amicorum defunctorum cogitatio, dulcis ac blanda eſt. habui enim illos, tanquam amiſſurus: amiſi, tanquam

epiſt. 99. *Plus oſtentatio doloris exigit, quam dolor. Quotuſquiſque ſibi triſtis eſt?* & plura adſlit in hunc ſcænicum dolorem. *Lipſius.*

4 *Cuſtodis dolorem tuum*] Idem ad Marciam, cap. 8. *Quoties aliud egeris, animus relaxabitur: nunc te ipſa cuſtodis.* Idem.

5 *Attalus noſter*] Sæpe nominat, laudatque: & audiſſe eum alibi fatetur. Sed & hoc tribuit, *quod Etruſcorum doctrinam Græca ſubtilitate miſcuerit:* 2 Quæſt. Nat. cap. 50. Quid Seneca pater? magis virum notificat: *Attalus*, inquit, *Stoicus, qui ſolum vertit à Seiano circumſcriptus, magnæ vir eloquentiæ, ex philoſophis, quos noſtra ætas vidit, longe & ſubtiliſſimus, & facundiſſimus:* Suaſoria 2. *Idem.*

6 *Ipſa nos amaritudo*] Catullus apud Gellium, lib. 7. cap. 20. *Ingere mi calices amariores.* Et eſt primo in vino veteraſcente *δριμύτης* quædam, ut Galenus appellat, id eſt *acritudo*; denique poſtremo *πικρότης*, *amaritudo.* Idem.

7 *Tam-*

[7] tanquam habeam. Fac ergo, mi Lucili, quod tuam æquitatem decet. Deſine [8] beneficium Fortunæ male interpretari. abſtulit, ſed dedit. Ideo amicis avide fruamur, quia quamdiu contingere hoc poſſit, incertum eſt. Cogitemus quam ſæpe illos reliquerimus, in aliquam peregrinationem longinquam exituri: quam ſæpe eodem morantes loco, non viderimus: intelligemus, plus nos temporis perdidiſſe in vivis. Feras autem hos, qui cum negligentiſſime amicos habeant, miſerrime lugent: nec amant quemquam, niſi cum perdiderunt? Ideoque tunc effuſius mœrent, quia verentur, ne dubium ſit an amaverint: ſera judicia [9] affectus ſui quærunt. Si alios habemus amicos, male de his & meremur, & exiſtimamus: quia parum valent in unius elati ſolatium. ſi non habemus, majorem ipſi nobis injuriam fecimus, quam à fortuna accepimus. Illa unum abſtulit: nos quemcumque non fecimus. Deinde [10] ne unum quidem amavit, qui plus quam unum amare non potuit. Si quis deſpoliatus, amiſſa unica tunica, complorare ſe malit, quam circumſpicere quomodo frigus effugiat, & aliquid inveniat quo tegat ſcapulas, nonne tibi videatur ſtultiſſimus? Quem amabas, extuliſti: quære, quem ames. Satius eſt amicum reparare, quam flere. Scio quidem pertritum jam hoc eſſe, quod adjecturus ſum: non tamen ideo prætermittam, quia ab omnibus dictum eſt. Finem dolendi etiam qui conſilio non fecerat, tempore invenit: turpiſſimum autem eſt in homine prudente remedium mœroris, laſſitudo mœrendi. Malo relinquas dolorem, quam ab illo relinquaris. quamprimum id facere deſiſte,

7 *Tamquam habeam*] Cogitatione enim fruor, & mihi repræſento. *Lipſ.*

8 *Beneficium fortunæ*] Nam & amici inter res externas ſunt: etſi non amicitia. Fortuna in illos jus habet. Itaque male hic *naturæ* ſubſtituunt, præter libros. *Idem.*

9 *Affectus ſui quærunt*] Ita & meus: tamen aliquot ſcripti auctius, *affectus ſui relinquunt, & quærunt*. Vacare alterum verbi videtur: niſi reſcribas, *relinquere quærunt*. Idem.

10 *Ne unum quidem amavit*] Quare? quia amicitia ſociabilis virtus eſt: nec, ut laſcivus ille amor, in unum fertur. *Idem.*

11 *An-*

deſiſte, quod etiamſi voles, diu facere non poteris. [11] Annum fœminis ad lugendum conſtituêre majores, non ut tam diu lugerent, ſed ne diutius: viris nullum legitimum tempus eſt, quia nullum honeſtum. Quam tamen mihi ex illis mulierculis dabis, vix retractis à rogo, vix à cadavere revulſis, cui lacrimæ in totum menſem duraverint? Nulla res citius in odium venit, quam dolor: qui recens, conſolatorem invenit, & aliquos ad ſe adducit: inveteratus vero deridetur. nec immerito: aut enim ſimulatus, aut ſtultus eſt. Hæc tibi ſcribo, is qui [12] Annæum Serenum, cariſſimum mihi, tam immodice flevi, ut (quod minime velim) inter exempla ſim eorum quos dolor vicit. hodie tamen factum meum damno, & intelligo maximam mihi cauſſam ſic lugendi fuiſſe, quod nunquam cogitaveram, mori eum ante me poſſe. Hoc unum mihi occurrebat, minorem eſſe, & multo minorem: tanquam ordinem fata ſervarent. Itaque aſſidue cogitemus, tam de noſtra, quam omnium quos diligimus, mortalitate. Tunc ego dicere debui: Minor eſt Serenus meus: quid ad rem pertinet? poſt me mori debet, ſed ante me poteſt. quia non feci, imparatum ſubito fortuna percuſſit. Nunc cogito, omnia & mortalia eſſe, & incerta lege mortalia. Hodie fieri poteſt, quidquid unquam poteſt. Cogitemus ergo, Lucili cariſſime, cito nos eo perventuros, quo illum perveniſſe mœremus. Et fortaſſe ([13] ſi modo ſapientum vera fama eſt, recipitque nos locus aliquis) quem putamus periſſe, præmiſſus eſt.

EPIST.

11 *Annum fœminis*, &c.] Ita. annum in quocumque alio luctu, annum, dico, communem: at illum Romuli decem menſium, in luctu viri. Dixi aliquid Conſol. ad Helviam, cap. 15. *Idem.* Hac de re multa apud Briſſonium lib. de jure connub. item lib. 10. de verb. ſign. & Rævard. lib. 1. cap. 20. Variorum.

12 *Annæum Serenum*] Cui de Tranquillitate inſcripſit. Obiit autem præcipiti fato, de quo Plinius lib. 22. *Fungi familias nuper interemere, & convivia tota. Annæum Serenum, Præfectum Neronis Vigilum, & Tribunos, & Centuriones.* Lipſius.

13 *Si modo ſapientum*] Dubie & trepide ſuper immortalitate, ut alias. Vide me Phyſiol. 3. Diſſert. 11. & 14. *Idem.*

EPIST.

EPIST. LXIV.

Q. Sextii laudatio, & ipſius deinde Sapientiæ. Veteres ejus auctores venerandos, & nos tamen poſſe adjicere.

FUiſti heri nobiſcum. Potes queri, ſi heri tantum: ideo adjeci, nobiſcum: mecum enim ſemper es. Intervenerant quidam amici, propter quos major fumus fieret: non hic qui erumpere ex lautorum culinis, & [1] terrere vigiles ſolet: [2] ſed hic modicus, qui hoſpites veniſſe ſignificaret. Varius nobis ſermo fuit, ut in convivio, nullam rem uſque ad exitum adducens, ſed aliunde alio tranſiliens. Lectus eſt deinde liber Q. Sextii patris, magni, ſi quid mihi credis, viri, & [3] licet negent, Stoici. [4] Quantum in illo, dii boni, vigoris eſt, quantum animi! hoc non in omnibus philoſophis invenies. Quorumdam ſcripta clarum habent tantum nomen: cetera exſanguia ſunt. Inſtituunt, diſputant, cavillantur: non faciunt animum, quia non habent. Cum legeris Sextium, dices: Vivit, viget, liber eſt, ſupra hominem eſt, dimittit me plenum ingentis fiduciæ. In quacumque poſitione mentis ſim, cum lego hunc, (fatebor tibi) libet omnes caſus provocare, libet exclamare: Quid ceſſas fortuna? congredere. paratum vides. Illius animum induo, qui quærit ubi ſe experiatur, ubi virtutem ſuam oſtendat,

Spu-

EPIST. LXIV. 1 *Terrere vigiles*] Tertullianus Apolog. cap. 38. *Ad fumum cænæ Serapicæ ſparteoli excitabuntur:* id eſt, vigiles, qui ſcilicet incendiis curabant. Intellegit uterque cohortes vigilum, hoc fine ab Auguſto inſtitutas. *Lipſius.*

2 *Sed hic modicus, qui* &c.] In V.C. ſignificet, quod magis ſequor. Priſcus codex habet, *hic medicus*, unde conjicio Senecam ſcripſiſſe, *hic medius:* ut nomine *medii ignis*, deſignet moderatum honeſtumque ciborum apparatum, qui non ſit ex opiparis, nec ex vilioribus nam etſi novi iſti hoſpites non adveniſſent, non tamen propterea domi focus modicus deſinebat. *Juretus.*

3 *Licet negent, Stoïci*] Quidam libri, *neget.* Ipſe aut alii negabant, & Pythagoricum inſcribebant: ſed ſententiis decretiſque Stoïcus erat. Vide Manuduct. 1. Diſſert. 6. *Lipſius.*

4 *Quantum in illo*] Hæc omnia de noſtro ſi accipis, eleganter & juſte facis: nec potuit verius ſe deſcripſiſſe. *Idem.*

5 Ritu

Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum aut fulvum deſcendere monte leonem.

Libet aliquid habere quod vincam, cujus patientia exerceear. Nam hoc quoque egregium Sextius habet, quod & oſtendet tibi beatæ vitæ magnitudinem, & deſperationem ejus non faciet. Scies illam eſſe in excelſo, ſed volenti penetrabilem. hoc quidem virtus tibi ipſa præſtabit, ut illam admireris, & tamen ſperes. Mihi certe temporis multum auferre ſolet contemplatio ipſa ſapientiæ. non aliter illam intueor obſtupefactus, quam ipſum interim mundum, quem ſæpe tanquam ſpectator novus video. Veneror itaque inventa ſapientiæ, inventoreſque: adire tanquam multorum hereditatem juvat. Mihi iſta acquiſita, mihi laborata ſunt. Sed agamus bonum patremfamiliæ: faciamus ampliora quæ accepimus. major iſta hereditas à me ad poſteros tranſeat. Multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit: nec ulli nato poſt mille ſæcula præcludetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi. Sed etiam ſi omnia à veteribus inventa ſunt: hoc ſemper novum erit, uſus, & inventorum ab aliis ſcientia & diſpoſitio. Puta relicta nobis medicamenta, quibus ſanarentur oculi. non opus eſt mihi alia quærere: hæc tantum morbis & temporibus aptanda ſunt. Hoc aſperitas oculorum conlevatur. hoc palpebrarum craſſitudo tenuatur. hoc vis ſubita & humor avertitur. hoc acuitur viſus. Teras iſta oportet, & eligas tempus, adhibeas ſingulis modum. Animi remedia inventa ſunt ab antiquis: quomodo autem admoveantur, aut quando, noſtri operis eſt quærere. Multum egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt: ſuſpiciendi tamen ſunt, & [5] ritu deorum colendi. Quid ni ego magnorum virorum & imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? Quid ni illos honoris cauſſa ſemper appellem? Quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem illis præcepto-

5 *Ritu deorum colendi*] Lucretius: —— *nonne decebit* *Hos homines numero divum dignarier eſſe?* Lipſius.

6 *Equo*

[3] cauſſam & materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, ceſſatura, ſi nemo moveat. Cauſſa autem, [4] id eſt, ratio, materiam format, & quocumque vult verſat, ex illa varia opera producit. Eſſe debet ergo unde aliquid fiat, deinde à quo fiat: hoc cauſſa eſt, illud materia. Omnis ars imitatio eſt naturæ: itaque quod de univerſo dicebam, ad hæc transfer, quæ ab homine facienda ſunt. Statua & materiam habuit, quæ pateretur artificium: & artificem, qui materiæ daret faciem. Ergo in ſtatua materia æs fuit, cauſſa artifex. Eadem conditio rerum omnium eſt. ex eo conſtant quod fit, & ex eo quod facit. Stoicis placet [5] unam cauſſam eſſe, id quod facit. [6] Cauſſam Ariſtoteles putat tribus modis dici. Prima, inquit, cauſſa eſt ipſa materia, ſine qua nihil poteſt effici. Secunda opifex. Tertia forma, quæ unicuique operi imponitur, tanquam ſtatuæ. nam hanc Ariſtoteles Idos vocat. Quarta quoque, inquit, his accedit, propoſitum totius operis. Quid ſit hoc, aperiam. Æs prima ſtatuæ cauſſa eſt: nunquam enim facta eſſet, niſi fuiſſet id, ex quo ea funderetur, duceretur ve. Secunda cauſſa artifex eſt: non potuiſſet enim æs illud in habitum ſtatuæ figurari, niſi acceſſiſſent peritæ manus. Tertia cauſſa eſt forma: neque enim ſtatua iſta Doryphoros aut Diadumenos vocaretur, niſi hæc illi eſſet impreſſa facies. Quarta cauſſa eſt faciendi propoſitum: nam niſi hoc fuiſſet, facta non eſſet. Quid eſt propoſitum? quod invitavit artificem, quod ille ſecutus fecit. Vel pecunia eſt hoc, ſi venditurus fabricavit: vel gloria, ſi laboravit in nomen: vel religio, ſi donum templo paravit. Ergo & hæc cauſſa eſt, propter quam fit. An non putas inter cauſſas facti operis

3 *Cauſſam & materiam*] Explicavi partim Phyſiol. 1. Diſſert. 4. partim lib. 2. Diſſert. 2. *Idem.*

4 *Id eſt ratio*] Sic Stoïci loqui amant: quia velut Ratione Deus per Materiam diſcurrit, & operatur. Vide Conſol. ad Helv. cap. 8. de Vit. beat. cap. 32. *Idem.*

5 *Unam cauſſam eſſe*] Deum, qui efficit: nam materia patitur. *Idem.*

6 *Cauſſam Ariſtoteles*] Quattuor genera facit 1. Poſtphyſic. cap. 3. & 2 Phyſic. cap. 3. Efficientem, Formalem, Materialem, Finalem. *Idem.*

operis numerandum, quo remoto factum non eſſet? His quintam Plato adjicit, exemplar, quam [7] ipſe ideam vocat: hoc eſt enim ad quod reſpiciens artifex, id quod deſtinabat, efficit. Nihil autem ad rem pertinet, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos; an intus, quod ſibi ipſe concepit & poſuit. Hæc exemplaria rerum omnium Deus intra ſe habet, numeroſque univerſorum quæ agenda ſunt, & modos mente complexus eſt. plenus his figuris eſt, quas Plato ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque [8] homines quidem pereunt: ipſa autem humanitas ad quam homo effingitur, permanet: & hominibus laborantibus, intereuntibus, illa nil patitur. [9] Quinque ergo cauſſæ ſunt, ut Plato dicit: Id ex quo, id à quo, id quo, id ad quod, id propter quod. noviſſime id quod ex his eſt. Tanquam in ſtatua (quia de hac loqui cœpimus) id ex quo, æs eſt: Id à quo, artifex eſt: Id quo, forma eſt, quæ aptatur illi: Id ad quod, exemplar eſt, quod imitatur is qui facit: Id propter quod, facientis propoſitum eſt. Id quod ex iſtis eſt, ipſa ſtatua. Hæc omnia mundus quoque (ut ait Plato) habet. Faciens, hic Deus eſt: Ex quo fit, hæc materia eſt: Forma, hic eſt habitus, & ordo mundi quem videmus: Exemplar, ſcilicet ad quod Deus hanc magnitudinem operis pulcherrimi fecit: Propoſitum, propter quod fecit. Quæris, quid ſit propoſitum Deo? Bonitas. ita certe Plato ait. Quæ Deo faciendi mundum cauſſa fuit? bonus eſt, bono nulla cujuſquam boni invidia eſt.

7 *Ipſe ideam vocat*] Dixi Phyſiol. 2. Diſſert. 3. *Lipſius.*

8 *Homines quidem pereunt: ipſa autem humanitas*, &c.] P. Faber lib. 2 Semeſtr. cap. 1. obſervat *humanitatem* hic notare ideam quandam hominis. quin & Stephanus lib. 2. Proodop. cap. ult. ait verbum hoc non id ſonare, quod paſſim apud Latinos eo ſignificatur, ſed id quod Græcis ſonat ἀνθρωπότης· atque ejus adeo exemplar effictum.

9 *Quinque ergo cauſſæ, ut Plato*] Plutarchus tamen brevius ex ejus mente dividit: *Platoni*, inquit, τριχῶς τὸ αἴτιον λέγεται· ὑφ' οὗ, ἐξ οὗ, πρὸς ὅ. κυριώτερον δ' ἡγεῖται τὸ ὑφ' οὗ· τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ποιοῦν, ὅ ἐστι νοῦς· *tripliciter cauſſa dicitur, A quo, Ex quo, Ad quod. Proprie vero dici maxime cenſet eam, A quo: quæ eſt Efficiens, id eſt Mens.* Cum ſic dividit, intellegit *Efficientem, Materialem, Finalem.* Tum autem *Exemplarem, & Formalem*, in *Efficiente* intelliguntur incluſæ. *Lipſius.*

10 *Neq;*

eſt. Fecit itaque quam optimum potuit. Fer ergo judex ſententiam, & pronuncia, quis tibi veriſimillimum videatur dicere, non quis verum dicat. id enim tam ſupra nos eſt, quam ipſa veritas. Hæc quæ ab Ariſtotele & Platone ponitur turba cauſſarum, aut nimium multa, aut nimium pauca comprehendit. Nam ſi quocumque remoto quid effici non poteſt, id cauſſam judicant eſſe faciendi, pauca dixerunt. Ponant inter cauſſas tempus. nihil ſine tempore poteſt fieri. Ponant locum. ſi non fuerit ubi fiat aliquid, ne fiet quidem. Ponant motum. nil ſine hoc nec fit nec perit: nulla ſine motu ars, nulla mutatio eſt. Sed nos nunc primam & generalem cauſſam quærimus. hæc ſimplex eſſe debet. nam & materia ſimplex eſt. Quærimus, quid ſit cauſſa: Ratio faciens, id eſt, Deus. Ita enim quæ nunc retuli, non ſunt multæ & ſingulæ cauſſæ, ſed ex una pendent, ex ea quæ facit. Formam dicis cauſſam eſſe: hanc imponit artifex operi. pars eſt, non cauſſa. Exemplar quoque non eſt cauſſa, ſed inſtrumentum cauſſæ neceſſarium. Sic neceſſarium eſt exemplar artifici, quomodo ſcalprum, quomodo lima. ſine his procedere ars non poteſt. non partes tamen hæc artis, aut cauſſæ ſunt. Propoſitum, inquit, artificis, propter quod ad faciendum aliquid accedit, cauſſa eſt. ut ſit cauſſa, non eſt efficiens cauſſa, ſed superveniens. Hæ autem innumerabiles ſunt: nos de cauſſa quærimus generali. Illud vero non pro ſolita ipſis ſubtilitate dixerunt, totum mundum & conſummatum opus, cauſſam eſſe. multum enim intereſt inter opus, & cauſſam operis. Aut fer ſententiam: aut (quod facilius in ejuſmodi rebus eſt) [10] nega tibi liquere, & nos reverti jube. Quid te, inquis,

10 *Nega tibi liquere, & nos* &c.] A Romano ritu, in re ambigua, *Non liquet*, pronunciantium. *Lipſius.* Solebant judices in re ambigua & dubia ita ſe judicandi neceſſitate expedire, ſi pronuntiarent *ſibi non liquere.* l. 13. §. ult. ff. de arbit. l. 36. ff. de re jud. Nec in publicis tantum, ſed in privatis hanc pronunciandi formulam locum ſibi vindicaſſe arguit locus iſte Senecæ. Plura hac de re Briſſonius lib. 10. de verb. ſign. & lib. 5. de formulis.

quis, delectat tempus inter iſta conterere, quæ tibi nullum affectum eripiunt, nullam cupiditatem abigunt? Ego quidem priora illa ago ac tracto, quibus pacatur animus, & me prius ſcrutor: deinde hunc mundum. Ne hoc quidem tempus, ut exiſtimas, perdo. Iſta enim omnia ſi non concidantur, nec in hanc ſubtilitatem inutilem diſtrahantur, attollunt & levant animum, qui gravi ſarcina preſſus, explicari cupit, & reverti ad illa quorum fuit. Nam corpus hoc, animi pondus ac pœna eſt: premente illo urgetur, [11] in vinculis eſt, niſi acceſſit philoſophia: & illum reſpirare rerum naturæ ſpectaculo juſſit, & à terrenis dimiſit ad divina. Hæc libertas ejus eſt, hæc evagatio: ſubducit interim ſe cuſtodiæ in qua tenetur, & cælo reficitur. Quemadmodum artifices ex alicujus rei ſubtilioris intentione, quæ oculos defatigat, ſi malignum & [12] precarium lumen habent, in publicum prodeunt, & in aliqua regione ad populi otium dedicata oculos libera luce delectant: ſic animus in hoc triſti & obſcuro domicilio cluſus, quoties poteſt, apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requieſcit. Sapiens aſſectatorque ſapientiæ adhæret quidem in corpore ſuo, ſed optima ſui parte abeſt, & cogitationes ſuas ad ſublimia intendit, & [13] velut ſacramento rogatus, hoc quod vivit, ſtipendium putat: & ita formatus eſt, ut illi nec amor vitæ, nec odium ſit, patiturque mortalia, quamvis ſciat ampliora ſupereſſe. Interdices mihi inſpectione rerum naturæ, ac toto abductum rediges in partem? Ego non quæram, quæ ſint initia univerſorum, quis rerum formator, quis omnia in una maſſa & materia inerti convoluta diſcreverit? Non quæram, quis ſit artifex hujus mundi? qua ratione tanta magnitudo in legem & ordinem

11 *In vinculis eſt*] Ideo Græci corpus hoc δέμας vocant, ὡς δεδεμένης ὑπ' αὐτῆς τῆς ψυχῆς ἐνταῦθα παρὰ φύσιν· *tamquam ligata hic ab ipſa anima, præter naturam.* Lipſius.

12 *Precarium lumen*] Varie corruptum in libris: ſed hoc rectum eſt. Precarium autem lumen, modicum non juſtum, & ut ſolent quæ precibus impetrantur. *Idem.*

13 *Velut ſacramento rogatus*] Ita ſupra dictum, *Vitam militiam eſſe.* Idem.

14 *In*

nem venerit? quis ſparſa collegerit, confuſa diſtinxerit, [14] in una deformitate latentibus faciem diviſerit? [15] unde lux tanta fundatur? ignis ſit, an aliquid igne lucidius? Ego iſta non quæram? ego neſciam unde deſcenderim? [16] ſemel hæc mihi [17] videnda ſint, an ſæpe naſcendum? quo hinc iturus ſim? [18] quæ ſedes exſpectet animam, ſolutam legibus ſervitutis humanæ? Vetas me cælo intereſſe, id eſt, jubes me vivere capite demiſſo? Major ſum, & ad majora genitus, quam ut mancipium ſim mei corporis: quod equidem non aliter adſpicio, quam vinculum aliquod libertati meæ circumdatum. Hoc itaque oppono fortunæ, in quo reſiſtat; nec per illud ad me ullum tranſire vulnus ſino. Quidquid in me poteſt injuriam pati, [19] hoc eſt: in hoc obnoxio domicilio animus liber habitat. nunquam me caro iſta compellet ad metum. nunquam ad indignam bono ſimulationem, nunquam in honorem hujus corpuſculi mentiar. Cum viſum fuerit, diſtraham cum illo ſocietatem: & nunc tamen dum hæremus, non erimus æquis partibus ſocii: animus ad ſe omne jus ducet. Contemptus corporis ſui, certa libertas eſt. Ut ad propoſitum revertar, huic libertati multum conferet & illa, de qua modo loquebamur, inſpectio. Nempe univerſa [20] ex materia & ex Deo conſtant:

14 *In una deformitate*] In chao. *Lipſius.*

15 *Unde lux tanta*] A Sole nimirum. *Idem.*

16 *Semel hæc mihi*] Ad παλιγγενεσίαν Stoicam ſpectat, de qua ego Phyſiol. 2. Diſſert. 21. Fortaſſe & ad Pythagoricam, de qua item ego Phyſiol. 3. Diſſert. 12. *Idem.*

17 *Videnda ſint an ſæpe? neſciam quo*] Quando veriſſimum eſt, quod ait doctus commentator, ad παλιγγενεσίαν ſive Stoicam ſive Pythagoræam his verbis reſpici: quid cauſæ fuit, cur Pincianus de ſua conjectura mutaret veterem lectionem? *ſemel hæc mihi videnda ſint an ſæpe naſcendum? quo hinc iturus ſim?* cur Muretus exterminaret? cur poſteriores exilio punitam & ſubditiciæ decedere coactam non reſtituerent? Nos vero fecimus, obſecuti rationi & omnibus libris ſcriptis, in quibus nulla varietas, niſi quod levi errore librarii quidam, *noſcendum*. Gronovius.

18 *Quæ ſedes exſpectet*] Aliqua ſublunaris, ut Stoici cenſent: at vide me Phyſiol. 3. Diſſert. 14. *Lipſius.*

19 *Hoc eſt in hoc obnoxio domicilio: animus*] Vim & vitam ſententiæ reddimus parva opera diſtinctionis mutatæ: *Quicquid in me poteſt injuriam pati, hoc eſt:* nempe corpus: *in hoc obnoxio domicilio animus liber habitat.* Res ipſa ſe probat. *Gronovius.*

20 *Ex materia & ex Deo*] Non ſolum

ſtant: Deus iſta temperat, quæ circumfuſa rectorem ſequuntur, & ducem. Potentius autem ac pretioſius eſt quod facit, qui eſt Deus, quam materia patiens Dei. Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus: quod eſt illic materia, id nobis corpus eſt. Serviant ergo deteriora melioribus: fortes ſimus adverſus fortuita: non contremiſcamus injurias, non vulnera, non vincula, non egeſtatem. Mors quidem eſt aut finis aut tranſitus. nec deſinere timeo; idem eſt enim quod non cœpiſſe: nec tranſire; quia nuſquam tam anguſte ero.

EPIST. LXVI.

Claranum ſenem, ſed alacrem eſſe: eumdem corpore deformem, animo honeſtum. Non refert de caſa, in qua is habitet. Diſcrimen Bonorum Stoicis: & omnia paria eſſe. Quid ergo? idem Gaudium, & Patientia? idem, quod ad Virtutem: non ad Materiam. Externa etiam, non dare Boni augmentum. Hæc diffuſe, diſtincte, pulcre. O legamus, & aptemus!

CLaranum condiſcipulum meum vidi, poſt multos annos, [1] non puto exſpectas ut adjiciam, ſenem: ſed mehercules viridem animo ac vigentem, & cum corpuſculo ſuo colluctantem. Inique enim ſe natura geſſit, & talem animum [2] male collocavit: aut fortaſſe voluit hoc ipſum nobis oſtendere, poſſe ingenium fortiſſimum ac beatiſſimum ſub qualibet cute latere. Vicit tamen omnia impedimenta: & ad cetera contemnenda à contemptu ſui venit. Errare mihi viſus eſt qui dixit:

Gratior eſt pulcro veniens è corpore virtus.

nullo enim honeſtamento eget: ipſa & magnum ſui decus eſt,

lum à Deo, ſed ex Deo: & ſæpe ſic loquuntur. Quid ita? quia omnibus caloris & ignis aliquid inſitum, qui eſt ipſe Stoicis Deus, & omnia permanat. *Lipſius.*

EPIST. LXVI. 1 *Non puto exſpectas*] Vel quia ipſe ſcis; vel quia præmiſi, *condiſcipulum*. Ergo ſenis ſenem. *Idem.*

2 *Male collocavit*] Simile illc, *Ingenium Galba male habitat*. Idem.

eſt, & [3] corpus ſuum conſecrat. Certe Claranum noſtrum cœpi intueri, [4] formoſus mihi videtur, & tam rectus corpore, quam eſt animo. Poteſt ex caſa vir magnus exire: poteſt & ex deformi humilique corpuſculo formoſus animus ac magnus. Quoſdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, ut approbet virtutem omni loco naſci. Si poſſet per ſe nudos edere animos, feciſſet: nunc quod amplius eſt, facit: quoſdam enim edit corporibus impeditos, ſed nihilominus perrumpentes obſtantia. Claranus mihi videtur in exemplar editus: ut ſcire poſſemus, non deformitate corporis fœdari animum; ſed pulcritudine animi corpus ornari. Quamvis autem [5] pauciſſimos una fecerimus dies, tamen multi nobis ſermones fuerunt, quos ſubinde egeram, & ad te mittam. Hoc primo die quæſitum

3 *Corpus ſuum conſecrat*] Quod eſt velut parvi ejus Dei templum. *Lipſius.*

4 *Formoſus mihi videtur*] Itaque Platonici tales animo pulchros amabant. *Nec enim*, ait Apuleius, *deformitas corporis talem poterit abigere appetitum: ſed cum ipſa anima complacita eſt, homo totus adamatur.* Idem.

5 *Pauciſſimos una egerimus dies*] Et hoc à calore Mureti: nam veteres editiones, & ſcripti omnes, *fecerimus*. Quod minime fuit corrigendum. Inſcriptio vetus: *Licinia. conjugi. kariſſimæ. cum. qua. fecit. annos.* VIII. *m.* VI. *d.* XXV. Alius lapis: *qua. vixit. annos.* XIII. *d.* XLVII. *cum. marito. fecit. me. d.* XX. L. *Non Ver.* Ut puella quæ tredecim annorum fuit, in matrimonio dies ſeptem & quadraginta vixerit, inquit Gutherius de jure Manium cap. 26. Immo, ut quæ tredecim annos & dies quadraginta ſeptem vixerit, cum marito menſem & dies viginti fuerit. Illudit idem vir doctus ſibi in explicanda phraſi ex l. 218. de V. S. Nihil ad Dionyſum. Neque ridicula locutio eſt, ſed ſimplex, ſeria, Latina, minimeque indigna luctum teſtantibus. Sic l. 14. de Statu lib. *ſi ſervus fugerat, & annum in fuga fecerat*, l. 11. §. 5. ad l. Jul. de adult. *poſtulabat, ne ſibi computarentur dies, quos in cuſtodia feciſſet.* Quæ alieno loco aptat Lipſius ad librum de Tranquill. anim. cap. 10. Male etiam aptant huc ex Cicerone lib. 5. ad Attic. epiſt. 20. *Iconii decem dies fecimus.* Ubi perperam etiam Corradus & Lambinus, *forum egimus*: perperam Voverius & Bordelotius, *ſedimus*. Nam Cicero, cum narraſſet ſe Laodiceæ biduum moratum, honorificiſque verbis omnes injurias revelliſſe ſuperiores, addit: *quod idem deinde Apamea quinque dies morati & Synnadis triduum, Philomeli quinque dies, Iconii decem, fecimus.* Integrum igitur erat: *quod idem Iconii decem dies morati fecimus.* In vita D. Antonii verſa ab Euagrio presbytero, apud Iſaacum Voſſium: *Frequenter enim eum viſitavi, & quæ ab eo didici, qui ad præbendam aquam non paululum temporis cum eo feci, dilectioni veſtræ indicare properavi.* Ariſtides εἰς Βασιλέα. οὔτε ἀπελθούσης τῆς Βρισηΐδος παρ' αὐτοῦ, καὶ χρόνον τινὰ ποιησάσης παρ' Ἀγαμέμνονι. Adde Caſaubonum ad Matth. 20. v. 12. & Acta Apoſt. 15, 33. *Gronovius.*

tum eſt, quomodo poſſint paria bona eſſe, ſi [6] triplex eorum conditio eſt. Quædam (ut noſtris videtur) prima bona ſunt: tanquam gaudium, pax, ſalus patriæ. Quædam ſecunda, in materia infelici expreſſa: tanquam tormentorum patientia, & in morbo gravi temperantia. Illa bona directo optamus nobis: hæc, ſi neceſſe erit. Sunt adhuc tertia: tanquam modeſtus inceſſus, & compoſitus, ac probus vultus, & conveniens prudenti viro geſtus. Quomodo iſta inter ſe paria eſſe poſſunt: cum alia optanda ſint, alia averſanda? Si volumus iſta diſtinguere, ad primum revertamur, & conſideremus id quale ſit. Animus intuens vera, peritus fugiendorum ac petendorum, non ex opinione, [7] ſed ex natura pretia rebus imponens, toti ſe inferens mundo, & in omnes ejus actus contemplationem ſuam mittens, cogitationibus actionibuſque intentus, ex æquo magnus ac vehemens, aſperis blandiſque pariter invictus, neutri ſe fortunæ ſubmittens, ſupra omnia quæ contingunt acciduntque eminens, [8] pulcherrimus, ordinatiſſimus, cum decore, cum viribus ſanus ac ſiccus, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec attollant fortuita, nec deprimant. [9] Talis animus virtus eſt, hæc ejus facies,

6 *Triplex eorum conditio*] Vide, ſi lubet, Manud. 3. Diſſert. 6. *Lipſius.*

7 *Sed ex natura*] Id eſt, recta ratione. *Idem.*

8 *Pulcerrimus cum decore*] Tres apud Gruterum & Rubeniani: *pulcerrimus, ordinatiſſimus cum decore.* Pro eo dixerat *diſpoſitum* lib. 3 de Ira, cap. 6. ut ibi notavimus. *Gronovius.*

9 *Talis animi virtus eſt*] Omnes mss. Modiani, Pall. Gall. vetereſque editiones ante Froben. *animus.* Quod verum eſſe vidit & Optopœus. Ubi illa Stoicæ linguæ peritia? Nam Gruterum ferre potuiſſe hominem, qui conjiciebat, *talis avis*, nimiæ eſt patientiæ. Qualis, quæſo, avis eſt virtus? bubo credo aut veſpertilio. Liceat vero Senecæ Stoicorum more loqui. Sic epiſt. 9. ἀπαθείαν Latine redditurus dicit *invulnerabilem animum* aut *animum extra omnem patientiam poſitum.* Quod cui parum ſcite exprimere viſus, nihil ipſe dat ſcitius. Epiſt. 113. *Virtus nihil aliud eſt quam animus quodammodo ſe habens.* Et rurſum: *Juſtitia quid eſt? inquit. animus quodammodo ſe habens.* Cicero lib. 2 Tuſcul. *ſed præſto eſt domina omnium & regina ratio, quæ connixa per ſe, & progreſſa longius, fit perfecta virtus.* Lib. 5 Tuſcul. *Hic igitur animus, ſi eſt excultus, & ſi ejus acies ita curata eſt, ut ne cæcetur erroribus, fit perfecta mens, id eſt, abſoluta ratio, quæ eſt idem quod virtus.* Seneca epiſt. 71. *Hæc ratio perfecta, virtus vocatur, eademque honeſtum eſt.* Ab his ſumſerunt juris auctores, cum juſtitiam

Digitized by Google

facies, ſi ſub unum veniat adſpectum, & ſemel tota ſe oſtendat. Ceterum multæ ejus ſpecies ſunt, quæ pro vitæ varietate & pro actionibus explicantur: nec minor fit aut major ipſa. [10] Decreſcere enim ſummum bonum non poteſt, nec virtuti ire retro licet: ſed in alias atque alias qualitates convertitur, ad rerum quas actura eſt habitum figurata. Quidquid attigit, in ſimilitudinem ſui adducit & tingit: actiones, amicitias, interdum domos totas, quas intravit diſpoſuitque, condecorat: quidquid tractavit, id amabile, conſpicuum, mirabile facit. Itaque vis ejus & magnitudo ultra non poteſt ſurgere, quando incrementum maximo non eſt. Nihil invenies rectius recto, non magis quam verius vero, quam temperato temperatius. omnis in modo eſt virtus: modus certa menſura eſt. Conſtantia non habet quo procedat, non magis quam fiducia, aut veritas, aut fides. Quid accedere perfecto poteſt? nihil. aut perfectum non erat, cui acceſſit: ergo ne virtuti quidem, cui ſi quid adjici poteſt, defuit. Honeſtum quoque nullam acceſſionem recipit: honeſtum eſt enim propter illa quæ retuli. Quid porro decorum, & juſtum, & legitimum? non ejuſdem eſſe formæ putas, certis terminis comprehenſum? Creſcere poſſe, imperfectæ rei ſignum eſt: bonum omne in eaſdem cadit leges: juncta eſt privata & publica utilitas, tam mehercules, quam inſeparabile eſt, laudandum petendumque. Ergo virtutes inter ſe pares ſunt, & opera virtutum, & omnes homines quibus illa contigere. Satorum vero animaliumque virtutes, cum mortales ſint, fragiles, caducæque, & incertæ, exſiliunt reſiduntque: & ideo non eodem pretio æſtimantur. Una inducitur humanis virtutibus regula: una enim eſt ratio recta, ſimplexque. Nihil eſt divino divinius, cæleſti cæleſtius. [11] Mortalia eminent, cadunt,

tiam definierunt, *conſtantem & perpetuam voluntatem jus ſuum cuique tribuendi.* Adde lib. 4 de Benef. c. 8. *Gronov.*

10 *Decreſcere ſummum bonum non poteſt*] Nos aliquid Manud. 3. Diſſert. 4. itemque 3. & quod ſequitur, de *paritate virtutum*, ibi ex profeſſo. *Lipſius.*

11 *Mortalia eminent, cadunt*] A Pinci-

cadunt, deteruntur, creſcunt, exoriuntur, implentur: itaque illis in tam incerta ſorte inæqualitas eſt: divinorum una natura eſt. Ratio autem nihil aliud eſt, quam in corpus humanum pars divini ſpiritus merſa. Si ratio divina eſt, nullum autem bonum ſine ratione eſt, bonum omne divinum eſt. nullum porro inter divina diſcrimen eſt, ergo nec inter bona. Paria itaque ſunt inter ſe gaudium, & fortis atque obſtinata tormentorum perpeſſio. in utroque enim eadem eſt animi magnitudo: in altero remiſſa, & laxa; in altero pugnax, & intenta. Quid? tu non putas, parem eſſe virtutem ejus qui fortiter hoſtium mœnia expugnat, & ejus qui obſidionem patientiſſime ſuſtinet? Et magnus Scipio, qui Numantiam claudit & comprimit, cogitque invictas manus in exitium ipſas ſui verti: & magnus ille obſeſſorum animus, qui ſcit nihil eſſe clauſum, cui mors aperta eſt, & in complexu libertatis exſpirat. Æque reliqua quoque inter ſe paria ſunt, tranquillitas, ſimplicitas, liberalitas, conſtantia, æquanimitas, tolerantia: omnibus enim iſtis una virtus ſubeſt, quæ animum rectum & indeclinabilem præſtat. Quid ergo? nihil intereſt inter gaudium, & dolorum inflexibilem patientiam? nihil, quantum ad ipſas virtutes: plurimum, quantum ad illa, in quibus virtus utraque oſtenditur. In altero namque naturalis animi remiſſio ac laxitas: in altero, contra naturam dolor. Itaque media ſunt hæc, quæ plurimum intervalli recipiunt. Virtus in utraque par eſt: virtutem materia non mutat: nec pejorem facit dura & difficilis, nec meliorem hilaris & læta. Neceſſe eſt ergo æqualia ſint bona utraque: quia nec hic poteſt ſe melius in hoc gaudio gerere, nec ille melius in illis cruciatibus. duo vero, quibus nihil fieri melius poteſt, paria ſunt. Nam

Pinciano ſic Muretus: cum in mss. & editis omnibus eſſet, *minuuntur*. Sed quia ſequentia per oppoſitum dicta ſunt, *deteri & creſcere, exhauriri & impleri*, in illa lectione eſt aliquid vitii.

Scribe: *muniuntur, cadunt*. Tranſlatio eſt à ſtructura ædificiorum in utroque verbo: nam *munire* eſt ſtruere, ut, *munire mœnia, aggerem, viam*. Gronovius.

12 *In*

Digitized by Google

Nam ſi quæ extra virtutem poſita ſunt, aut minuere illam, aut augere poſſunt, deſinit unum bonum eſſe, quod honeſtum eſt. Si hoc conceſſeris, omne honeſtum perit. Quare? dicam: quia nihil honeſtum eſt, quod ab invito, quod à coacto fit. omne honeſtum voluntarium eſt. Admiſce illi pigritiam, querelam, tergiverſationem, metum: quod habet in ſe optimum; perdidit, ſibi placere. Non poteſt honeſtum eſſe, quod non eſt liberum. nam quod timet, ſervit. Honeſtum omne ſecurum eſt, tranquillum eſt: ſi recuſat aliquid, ſi complorat, ſi malum judicat, perturbationem recipit, & in magna diſcordia volutatur. Hinc enim ſpecies recti vocat, illinc ſuſpicio mali retrahit. Itaque qui honeſte aliquid facturus eſt, quidquid opponitur, id etiam ſi incommodum putat, malum non putat: velut libens faciet. Omne honeſtum injuſſum, incoactumque eſt, ſincerum, & nullo malo mixtum. Scio quid mihi hoc loco reſponderi poſſit. Hoc nobis perſuadere conaris, nihil intereſſe, utrum aliquis in gaudio ſit, an [12] in equuleo jaceat, & tortorem ſuum laſſet. Poteram reſpondere [13] quod Epicurus ait, Sapientem, ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce eſt, & ad me nil pertinet. Quid miraris, ſi ego paria bona dico, unius in convivio jacentis, alterius inter tormenta fortiſſime ſtantis: cum (quod incredibilius eſt) dicat Epicurus, dulce eſſe torqueri? Et hic reſpondeo, plurimum intereſſe inter gaudium & dolorem. Si quæratur electio, [14] alterum petam, alterum vitabo. illud ſecundum naturam eſt, hoc contra. Quamdiu ſic

12 *In equuleo jaceat*] Cicero 5 de Finibus: *Sit vir bonus cacus, debilis, morbo graviſſimo affectus, exſul, orbus, torqueatur in eculeo: quem hunc appellas Zeno? Beatum, inquit. Etiam beatiſſimum? Quippe, inquiet, cum tam docuerim gradus iſtam rem non habere, quam virtutem, in qua ſit ipſum beatum.* Lipſius.

13 *Quod Epicurus ait*] Cicero 5 Tuſcul. *Epicuro dicere licebit, Nullum ſapienti eſſe tempus, etſi uratur, torqueatur, ſecetur, quin poſſit exclamare, Quam pro nihilo puto?* denique etiam, *Beatam vitam in Phalaridis taurum deſcenſuram.* Idem.

14 *Alterum petam*] Quod Stoïcum in verbis diſcrimen eſt, inter adiaphora. Vide me Manuduct. 2. Diſſert. 22. *Idem.*

15 *Quem-*

ſic æſtimantur, magno inter ſe diſſident ſpatio: cum ad virtutem ventum eſt, utraque par eſt, & quæ per læta procedit, & quæ per triſtia. Nullum habent momentum vexatio & dolor,& quidquid aliud incommodi eſt: virtute enim obruitur. [15] Quemadmodum minuta lumina claritas ſolis obſcurat: ſic dolores, moleſtias, injurias, virtus magnitudine ſua elidit, atque opprimit; & quocumque affulſit, ibi quidquid ſine illa apparet, exſtinguitur: nec magis ullam portionem habent incommoda, cum in virtutem inciderint, quam in mari nimbus. Hoc ſcias ita eſſe, ad omne pulcrum vir bonus ſine ulla cunctatione procurret. ſtet illic licet carnifex, ſtet tortor atque ignis, perſeverabit: nec quid paſſurus, ſed quid facturus ſit, adſpiciet: & ſe honeſtæ rei tanquam bono viro credet. utilem illam ſibi judicabit, tutam, proſperam. Eumdem ergo locum habebit apud illum honeſta res, ſed triſtis atque aſpera, quem vir bonus, pauper, aut exſul, ac pallidus. Agedum pone ex alia parte virum bonum, divitiis abundantem, ex altera nihil habentem, ſed in ſe omnia: uterque æque bonus vir erit, etiam ſi fortuna diſpari utetur. Idem (ut dixi) in rebus judicium eſt, quod in hominibus. æque laudabilis eſt virtus in corpore valido ac libero poſita, quam in morbido ac vincto. [16] Ergo tua quoque virtus non magis laudabilis, ſi corpus illæſum tibi & integrum fortuna præſtiterit, quam ſi ex aliqua parte mutilatum. Alioqui hoc erit, ex ſervorum habitu dominum æſtimare. Omnia enim iſta, in quæ dominium

15 *Quemadmodum minora lumina*] Ex ora Eraſmicæ recepit Muretus, cum editum eſſet, habeantque mss. *minuta lumina*. Neque repudiari decuit: nam ſolem ſi contra compares, omnia lumina ſunt minuta. Per ſe magna, comparatio reddit exigua. Præfat. Natur. Quæſt. totum mundum conſiderans de terrarum orbe ait: *Hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur!* Sic quæ ſequuntur elegantia de formicis. *Gronovius.*

16 *Ergo tua quoque virtus non magis laudabilis*] Vide Gruteri notas & ſimul appendicem, apparebitque veriorem ſcripturam eſſe: *Ergo tuam quoque virtutem non magis laudabis, ſi corpus illibatum, integrum, fortuna præſtiterit, quam ſi ex aliqua parte mutilatum, multatum.* Eandem præcipiunt Erf. & Heinſ. *Idem.*

17 *Servi-*

minium caſus exercet, [17] ſerva ſunt, pecunia, & corpus, & honores: imbecilla, fluida, mortalia, poſſeſſionis incertæ. Jlla rurſus libera & invicta opera virtutis. quæ non ideo magis appetenda ſunt, ſi benignius à fortuna tractantur; nec minus, ſi aliqua rerum iniquitate premuntur. Quod amicitia in hominibus eſt, hoc in rebus appetitio eſt. Non, puto, magis amares virum bonum locupletem, quam pauperem: nec robuſtum & lacertoſum, quam gracilem, & languidi corporis: ergo ne rem quidem magis appetes hilarem ac pacatam, quam diſtractam & operoſam. Et ſi hoc eſt, magis diliges ex duobus æque bonis viris, nitidum & unctum, quam pulverulentum & horrentem. deinde huc-uſque pervenies, ut magis diligas integrum omnibus membris & illæſum, quam debilem aut luſcum. Paulatim faſtidium tuum illo uſque procedet, ut ex duobus æque juſtis ac prudentibus, comatum & criſpulum malis, quam recalvaſtrum. Ubi par eſt in utroque virtus, non comparet aliarum rerum inæqualitas: omnia enim alia non partes, ſed acceſſiones ſunt. Nam quis tam iniquam cenſuram inter ſuos agit, ut filium ſanum quam ægrum magis diligat? procerumve & excelſum, quam brevem & modicum? Fœtus ſuos non diſtinguunt feræ, & ſe in alimentum pariter omnium ſternunt. aves ex æquo partiuntur cibos. Ulyſſes ad Ithacæ ſuæ ſaxa ſic properat, quemadmodum Agamemnon ad Mycenarum nobiles muros. Nemo enim patriam, quia magna eſt, amat, ſed quia ſua. Quorſum hæc pertinent? ut ſcias, virtutem omnia opera ſua, velut fœtus ſuos, iiſdem oculis intueri, æque indulgere omnibus:

17 *Servilia ſunt, pecunia & corpus*] Lege cum tribus Gall. Erf. Heinſ. & uno Pal. *ſerva ſunt*. Cicero, 3. agrar. *Libera meliore jure ſunt quam ſerva*. Livius lib. 25. *Se quidem tertium annum circumſedere Syracuſas, non ut populus Romanus ſervam civitatem haberet, ſed ne transfugarum duces captam & oppreſſam tenerent*. Plautus Perſa: *Servam operam, linguam liberam herus meus me juſſit habere*. Juſtinus lib. 18. *In primis fundamentis caput bubulum inventum eſt: quod auſpicium quidem fructuoſa terra ſed laborioſa perpetuoque ſerva urbis fuit*. Gronovius.

18 *Magis*

bus: & quidem impenſius, laborantibus. Quoniam quidem etiam parentum amor, [18] magis in ea quorum miſeretur, inclinatur. Virtus quoque opera ſua quæ videt affici & premi, non magis amat, ſed parentum bonorum more, magis complectitur ac fovet. Quare non eſt ullum bonum altero majus? quia non eſt quidquam apto aptius, quia plano nihil eſt planius. Non potes dicere, Hoc magis par eſt alicui quam illud: ergo nec honeſto honeſtius quidquam eſt. Quod ſi par omnium virtutum natura eſt, tria genera bonorum in æquo ſunt. Ita dico, in æquo eſt moderate gaudere, & moderate dolere: Lætitia illa non vincit hanc animi firmitatem, ſub tortore gemitus devorantem. Illa bona optabilia ſunt, hæc mirabilia. utraque nihilominus paria: quia quidquid incommodi eſt, velamento majoris boni tegitur. Quiſquis hæc imparia judicat, ab ipſis virtutibus avertit oculos, & exteriora circumſpicit. Bona vera idem pendunt, idem patent: falſa multum habent vani. Itaque ſpecioſa & magna contra viſentibus, cum ad pondus revocata ſunt, fallunt. Ita eſt, mi Lucili, quidquid vera ratio commendat, ſolidum & æternum eſt, firmat animum, attollitque, ſemper futurum in excelſo: illa quæ temere laudantur, & vulgi ſententia bona ſunt, inflant inanibus lætos. Rurſus ea quæ timentur tanquam mala, injiciunt formidinem mentibus, & illas non aliter, quam animalia ſpecies periculi, agitant. Utraque res ergo ſine cauſſa animum & diffundit, & mordet: nec illa gaudio, nec hæc metu digna eſt: ſola ratio immutabilis & judicii tenax

18 *Magis in ea quorum miſeretur, inclinat*] Auctor Thebaidis:

Quo cauſſa melior, ſorſque deterior trahit,
Inclinat animus, ſemper infirmo favens:
Miſeros magis Fortuna conciliat ſuis.

Hæc ibi ipſa Jocaſta mater, inclinata in miſerum Polynicem. Noſter Conſol. ad Helv. cap. ult. *Neceſſe eſt, cum omnia feceris, mater, cogitationes tuas ſubinde ad me recurrere, nec quemquam ex liberis frequentius tibi obverſari: non quia alii minus cari ſint, ſed quia naturale eſt manum ſæpius referre ad id quod doleat.* Lipſius. Quinque Pall. *inclinatur.* Male mutarunt. Epiſt. ſequenti: *ver aperire ſe cœpit, ſed jam inclinatum in æſtatem.* Lib. 2 de Ira 19. *inclinatum calorem frigus inſequitur.* Gronovius.

19 *Viri*

tenax eſt. non enim ſervit, ſed imperat ſenſibus. Ratio rationi par eſt, ſicut rectum recto: ergo & virtus, quæ non aliud eſt quam recta ratio. omnes virtutes rationes rectæ ſunt: ſi rectæ ſunt, & pares ſunt. Qualis ratio eſt, tales & actiones ſunt: ergo omnes pares ſunt. Nam cum ſimiles rationi ſint, ſimiles & inter ſe ſunt: pares autem actiones inter ſe eſſe dico, qua rectæ ſunt, & honeſtæ. Ceterum magna habebunt diſcrimina, variante materia: quæ modo latior eſt, modo anguſtior, modo illuſtris, modo ignobilis; modo ad multos pertinens, modo ad paucos. In omnibus tamen iſtis, id quod optimum eſt, par eſt. tanquam [19] viri boni, omnes pares ſunt, qua boni ſunt. ſed habent differentias ætatis: alius ſenior, alius junior. habent corporis: alius formoſus, alius deformis eſt. habent fortunæ: ille dives, hic pauper eſt: ille gratioſus, potens, urbibus notus & populis; ignotus hic pleriſque, & obſcurus. Sed per illud quod boni ſunt, pares ſunt. De bonis ac malis ſenſus non judicat: quid utile, ſcit; quid inutile, ignorat. Non poteſt ferre ſententiam, niſi in rem præſentem perductus eſt: nec futuri providus eſt, nec præteriti memor: quid ſit conſequens neſcit. Ex hoc autem rerum ordo ſerieſque contexitur, & unitas vitæ in perfectum itura. Ratio ergo arbitra eſt bonorum ac malorum: aliena & externa pro vilibus habet: & ea quæ neque bona ſunt, neque mala, acceſſiones minimas ac leviſſimas judicat. omne illi bonum in animo eſt. Ceterum quædam prima exiſtimat, ad quæ ex propoſito venit, tanquam victoriam, bonos liberos, patriæ ſalutem: quædam ſecunda, quæ non apparent niſi in rebus adverſis: tanquam æquo animo pati morbum magnum, exſilium: quædam media, quæ nihilo magis ſecundum naturam ſunt, quam contra naturam: tanquam [20] prudenter ambulare, compoſite ſedere. Non enim

19 *Viri boni omnes pares*] Id quoque inter Paradoxa Stoïca, Sapientes inter ſe pares. Explanavi Manuduct. 3. Diſſert. 3. *Lipſius.*

20 *Prudenter ambulare, compoſite ſedere*] Forte, *pudenter.* Ut Ciceroni, *pudenter*

enim minus ſecundum naturam eſt, ſedere, quam aut ſtare, aut ambulare. Duo illa ſuperiora diverſa ſunt. prima enim ſecundum naturam ſunt, gaudere liberorum pietate, patriæ incolumitate: ſecunda contra naturam ſunt, fortiter obſtare tormentis, & ſitim perpeti, morbo urente præcordia. Quid ergo? aliquid contra naturam bonum eſt? minime. ſed illud aliquando contra naturam eſt, in quo bonum illud exſiſtit. vulnerari enim, & ſubjecto igne tabeſcere, & adverſa valetudine affligi, contra naturam eſt: ſed inter iſta ſervare animum infatigabilem, ſecundum naturam eſt. Et ut, quod volo, exprimam breviter, materia boni aliquando contra naturam: at bonum, nunquam. quoniam bonum ſine ratione nullum eſt: ſequitur autem ratio naturam. [21] Quid eſt ergo ratio? naturæ imitatio. Quid eſt ſummum hominis bonum? ex naturæ voluntate ſe gerere. Non eſt, inquit, dubium, quin felicior pax ſit nunquam laceſſita, quam multo reparata ſanguine. Non eſt dubium, inquit, quin felicior ſit inconcuſſa valetudo, quam ex gravibus morbis & extrema minitantibus in tutum vi quadam & patientia educta. Eodem modo non erit dubium, quin majus bonum ſit gaudium, quam obnoxius animus ad perpetiendos cruciatus vulnerum aut ignium. Minime: illa enim quæ fortuita ſunt, plurimum diſcriminis recipiunt: æſtimantur enim utilitate ſumentium. Bonorum unum propoſitum eſt, conſentire naturæ: hoc in omnibus par eſt. Cum alicujus in ſenatu ſententiam ſequimur, non poteſt dici: Ille magis aſſentitur, quam ille: ab omnibus in eamdem ſententiam itur. idem de virtutibus dico: omnes naturæ aſſentiuntur. idem de bonis dico: omnia naturæ aſſentiuntur. Alter adoleſcens deceſſit, alter ſenex, aliquis præter hos infans, cui nihil amplius contigit,

pudenter vivere. Epiſt. 66. *modeſtus inceſſus, & compoſitus ac probus vultus.* Gronovius.

21 *Quid eſt ergo ratio*] Hæc valde notanda, pro ſenſu præcipui dogmatis Stoicorum, *Naturam ſequi.* Quod equidem explicavi aliquot Diſſertationibus, Manud. 3. *Lipſius.*

22 *Ait*

git, quam proſpicere vitam: omnes hi æque fuere mortales, etiam ſi mors aliorum longius vitam paſſa eſt procedere, aliorum in medio flore præcidit, aliorum interrupit principia. Alius inter cœnandum ſolutus eſt, alterius continuata mors ſomno eſt, aliquem concubitus exſtinxit. his oppone ferro transfoſſos, aut exanimatos ſerpentum morſu, aut fractos ruina, aut per longam nervorum contractionem extortos minutatim. aliquorum melior dici, aliquorum pejor poteſt exitus: mors quidem omnium par eſt. per quæ venit, diverſa ſunt; id in quod deſinunt, unum eſt. mors nulla major aut minor eſt: habet enim eumdem in omnibus modum, finiſſe vitam. Idem tibi de bonis dico. hoc bonum inter meras voluptates eſt, hoc inter triſtia & acerba; illud fortunæ indulgentiam rexit, hoc violentiam domuit; utrumque æque bonum eſt, quamvis illud plana emolliverit, hoc aſpera. Idem finis omnium eſt. bona ſunt, laudanda ſunt, virtutem rationemque comitantur: virtus æquat inter ſe, quidquid agnoſcit. Nec eſt quod hoc inter noſtra placita mireris. apud Epicurum duo bona ſunt, ex quibus ſummum illud beatumque componitur: ut corpus ſine dolore ſit, animus ſine perturbatione. Hæc bona non creſcunt, ſi plena ſunt. quo enim creſcet, quod plenum eſt? Dolore corpus caret: quid ad hanc accedere indolentiam poteſt? Animus conſtat ſibi, & placidus eſt: quid accedere ad hanc tranquillitatem poteſt? Quemadmodum ſerenitas cæli non recipit majorem adhuc claritatem, in ſinceriſſimum nitorem repurgata: ſic hominis, corpus animumque curantis, & bonum ſuum ex utroque nectentis, perfectus eſt ſtatus, & ſummam voti ſui invenit, ſi nec æſtus animo eſt, nec dolor corpori. Si qua extra blandimenta contingunt, non augent ſummum bonum, ſed, ut ita dicam, condiunt & oblectant: abſolutum enim illud humanæ naturæ bonum, corporis & animi pace contentum eſt. Dabo apud Epicurum tibi etiamnum ſimillimam huic noſtræ diviſionem bonorum. Alia enim ſunt

ſunt apud illum, quæ malit contingere ſibi: ut corporis quietem, ab omni incommodo liberam, & animi remiſſionem, bonorum ſuorum contemplatione gaudentis. Alia ſunt, quæ quamvis nolit accidere, nihilominus & laudat & comprobat: tanquam illam, quam paulo ante dicebam, malæ valetudinis, & dolorum graviſſimorum perpeſſionem. in qua Epicurus fuit illo ſummo ac fortunatiſſimo die ſuo: [22] ait enim ſe veſicæ & exulcerati ventris tormenta tolerare, ulteriorem doloris acceſſionem non recipientia: eſſe nihilominus ſibi illum beatum diem; beatum autem agere, niſi qui eſt in ſummo bono, non poteſt. Ergo & apud Epicurum ſunt hæc bona, quæ malles non experiri: ſed quia ita res tulit, & amplexanda & laudanda & exæquanda ſummis ſunt. Non poteſt dici, hoc non eſſe par maximis bonum, quod beatæ vitæ clauſulam impoſuit, cui Epicurus extrema voce gratias egit. Permitte mihi, mi Lucili virorum optime, aliquid audacius dicere. ſi ulla bona majora eſſe aliis poſſent: hæc ego quæ triſtia videntur, mollibus illis & delicatis prætuliſſem. Majus eſt enim perfringere difficilia, quam læta moderari. Eadem ratione fit, ſcio, ut aliquis felicitatem bene, & calamitatem fortiter ferat. Æque fortis eſſe poteſt, qui pro vallo ſecurus excubuit, nullis hoſtibus caſtra tentantibus: & qui ſucciſis poplitibus in genua ſe excepit, nec arma dimiſit. [23] Macte virtute eſto, ſanguinolentis & ex acie redeuntibus dicitur. Itaque hæc magis laudaverim bona exercitata & fortia, & cum fortuna rixata. Ego dubitem, quin magis laudem truncam illam & retorridam manum Mucii, quam cujuſlibet fortiſſimi ſalvam? Stetit hoſtium flammarumque contemptor, & manum ſuam in hoſtili foculo diſtillantem perſpectavit, donec

22 *Ait enim ſe veſica*] Ipſa verba ejus apud Laërtium, ex epiſtola ad Idomeneum, hæc ſunt: *Cum ageremus vita beatum, & eumdem ſupremum diem, ſcribebamus hac. Aderat autem veſica morbus & urina mittenda difficultas, & viſcerum affectiones tanta, qua magnitudinem ultra non reciperent. Obſtabat tamen & repellebat hac omnia animi in nobis gaudium, memoria rationum inventorumque noſtrorum.* Adde epiſt. 92. *Lipſius.*

23 *Ma-*

nec Porſenna, cujus pœnæ favebat, gloriæ invidit: & ignem invito eripi juſſit. Hoc bonum quidni inter prima numerem: tantoque majus putem, quam illa ſecura & intentata fortunæ, quanto rarius eſt hoſtem amiſſa manu viciſſe, quam armata? Quid ergo? inquis. hoc bonum tibi optabis? Quid ni? hoc enim, niſi qui poteſt & optare, non poteſt facere. An potius optem, ut [23] malaciſſandos articulos exoletis meis porrigam? ut muliercula, aut aliquis in muliérculam ex viro verſus, digitulos meos ducat? Quid ni ego feliciorem putem Mucium, qui ſic tractavit ignem, [24] quaſi illam manum [25] tractatori præſtitiſſet? [26] in integrum

23 *Malaciſſandos articulos*] Quidam libri, *malaxandos*. Utrumvis rectum, & Græcienſe, imo Græcum. Dicunt enim μαλακίζειν, & μαλάσσειν, *emollire, lenire*. Plautus illud prius *malaciſſare* uſurpavit. *Lipſius.*

24 *Quaſi illam manum*] Legerem, *quam ſi.* Idem.

25 *Tractatori præſtitiſſet*] Ita dicti, quos in prioribus lineis deſcripſit: qui manu artifice membra, & plurimum manus digitoſque, ducebant & leniter trahebant. Martialis lib. 3.

Percurrit agili corpus arte tractatrix.

Deſcribit pulchre Clearchus apud Athenæum, lib. 6. in deliciis & mollitie Paphii cujuſdam adoleſcentis. *Jacebat quidem ille*, inquit, *in lectulo: ſed ad pedes lecti ſedebat quiſpiam, qui ejus pedes genibus ſuis impoſitos tenui panniculo confoveret. Quid autem præterea fecerit, vel ſilente me non obſcurum. Deinde alius ad ipſum lectum ſedens*, καὶ τ̃ νεανίσκου τ̃ χεῖρα παρειμένον, ἐκκρεμάμενον ταύτην καὶ θεραπευτικῶς κατέψηχέ τε, καὶ τῶν δακτύλων ἕκαστον ἐν μέρει διαλαμβάνων, ἄλκε δὲ καὶ ἐξέτεινεν, ὥστε τὸν πρῶτον αὐτὸν ὀνομάζοντα Σικύαν εὐστόχως εἰρηκέναι δοκεῖν. *Cum adoleſcens manum ſuam velut languidam remiſiſſet, ille appronans ſe & huic accidens, demulcebat eam & contrectabat, digitorum ſingulos trahens & extendens per vices. ita ut qui primus illum Cucurbitam vocavit, ingenioſe & feliciter dixiſſe videatur.* Ecce verum Tractatorem: & quare Cucurbitam? quod ut illa trahit cutem & extendit, & tumentem leviter reddit, ſic iſte. Vetus aliquis ſcriptor, aut certe ex veteri Joannis Sariſberienſis, hæc ſic narrat, ut ex Clearcho tranſlata dicas, lib. 3. Polycratici, cap. 13. *Cum laſcivientis divitis luxus libidini vota ſua præcingit, recumbentis pedes calamiſtratus comatulus excipit: & in aliorum conſpectu pedes, & ne plus dicam, teneris manibus tibias tractat. Chirothecatus enim inceſſit diutius, ut manus Soli ſubtractas emolliret, ad divitis uſum. Deinde licentia paullum procedente totum corpus impudico tactu oberrans pruriginem ſcalpit, quam fecit, & ignes Veneris languentibus inflammat.* Finem hic etiam fœdæ tractationis habes: denique & manus Tractatoris mollicellas, chirothecarum uſu à ſole defenſas. *Idem.*

26 *In integrum reſtituit quicquid erraverat*] Quod ad movendas actiones attinet, cum non videantur conſentire, qui errant, nihil mirum eſt reſtitutionem in integrum à Prætore indulgeri ob juſtum errorem: cum in omnibus negotiis contrahendis, ſi error aliquis intervenerit, nihil valeat quod actum eſt, quia nihil ſit conſenſui tam contrarium quam error, qui imperitiam detegit. l. ſi per errorem. inf. de juriſd. omn. jud. Hinc expli-

grum reſtituit, quidquid erraverat. confecit bellum inermis ac mancus, & illa manu trunca [27] reges duos vicit.

EPIST. LXVII.

Poſt Præfatiunculam Quæſtio, An omne bonum optabile? Ait, eſſe: etiam cujus materia in malis. Ut, fortiter uri, ægrotare, flagellari. Non ipſa uſtio, morbus, flagella; ſed illud, fortiter & patienter, inquit, eſt optabile. Deinde Virtutes nexas eſſe: & uti una, omnes. Sunt & hæc pulcra, fortis, germani Stoici.

UT à communibus initium faciam, ver aperire ſe cœpit: ſed jam inclinatum in æſtatem, quo tempore calere debebat, intepuit: nec adhuc illi fides eſt. ſæpe enim in hiemem revolvitur. Vis ſcire quam dubium adhuc ſit? nondum me [1] committo frigidæ: adhuc [2] rigorem ejus infringo. Hoc eſt, inquis, nec calidum, nec frigidum pati. Ita eſt, mi Lucili. jam ætas mea contenta eſt ſuo frigore: vix media relegatur æſtate. Itaque major pars [3] in veſtimentis degitur. Ago gratias ſenectuti, quod me [4] lectulo affixit. Quid ni gratias illi hoc nomine agam? quidquid debebam

explicandum quod μεταφορικῶς hic dicit Seneca. P. Faber ad l. 116. ff. de reg. jur.

27 *Reges duos vicit*] Tarquinium exſulem, & Porſennam, quos ab obſidione removit. *Lipſius.*

EPIST. LXVII. 1 *Committo frigida*] Sic libri ſuadent legere, & monuit in paucis bonus doctuſque vir Nic. Faber. Significat, ſe frigida plane non uti, ad lavandum, ut ſolet: idque ob aëris adhuc intemperiem. Sed, inquit, *rigorem ejus infringo.* quomodo? vel Sole admiſſo, vel tepida infuſa. Spectat totum eo, quod balneis & lotione calida numquam uti ſolet, ſemper Pſychrolutes. Adi epiſt. 83. quæ ipſa hæc interpretatur. *Idem.*

2 *Rigorem ejus infringo*] Sic aliquot libri: ex quibus Pincianus malebat, *rigore ejus infringor.* Poſſit aliquis: *ad hunc rigorem ejus infringor.* Idem.

3 *In veſtimentis degitur*] Volebat & hinc Pincianus, *in ſtramentis*, adverſantibus libris: nec audimus. Veſtimenta, ipſius lecti ſunt. ut in Propertio:

Nunc queror in toto non ſidere pallia lecto.

& Terentio:

Huc eſt intro latus lectus, veſtimentis ſtratus eſt.

ut in ipſo Seneca, epiſt. 78. *Eſt virtuti etiam in lectulo locus. non tantum arma & acies dant argumenta alacris animi; & in veſtimentis vis fortis apparet.* Idem.

4 *Lectulo affixit*] Lucubratorio illi, non dormitorio. nam & hos veteres habebant: atque homines quieti, aut

Digitized by Google

[5] debebam nolle, non poſſum. Cum libellis mihi plurimus ſermo eſt. ſi quando interveniunt epiſtolæ tuæ, tecum eſſe mihi videor: & ſic afficior animo, tanquam tibi non reſcribam, [6] ſed reſpondeam. Itaque & de hoc quod quæris, quaſi colloquar tecum: quale ſit, una ſcrutabimur. Quæris an omne bonum optabile ſit. Si bonum eſt, inquis, fortiter torqueri, & magno animo uri, & patienter ægrotare, ſequitur ut iſta optabilia ſint. nihil autem video ex iſtis voto dignum. Neminem certe adhuc ſcio eo nomine votum ſolviſſe, quod flagellis cæſus eſſet, aut podagra diſtortus. aut equuleo longior factus. [7] Diſtingue, mi Lucili, iſta: & intelliges eſſe in his aliquid optandum. Tormenta abeſſe à me velim: ſed ſi ſuſtinenda fuerint, ut me in illis fortiter, honeſte, animoſe geram, optabo. Quidni ego malim non incidere bellum? ſed ſi inciderit, ut vulnera, ut famem, & omnia quæ bellorum neceſſitas fert, generoſe feram, optabo. Non ſum tam demens, ut ægrotare cupiam: ſed ſi ægrotandum fuerit, ut nihil intemperanter, nihil effeminate faciam, optabo. Ita non incommoda optabilia ſunt, ſed virtus qua perferuntur incommoda. Quidam ex noſtris exiſtimant, [8] omnino aſperorum fortem tolerantiam non eſſe optabilem, [9] ſed nec abominandam quidem: quia voto purum bonum peti debet, & tranquillum, & extra moleſtiam poſitum. Ego diſſentio. Quare? primum

ti, aut litteris operati, fere ſemper in lecto. Juvenalis, de iis:

Eſt genus ignavum, quod lecto gaudet & umbra.

Seneca epiſt. 72. *Quædam ſunt, quæ poſſis & in ciſio ſcribere, quædam lectum & otium deſiderant.* Lipſius.

5 *Debebam nolle*] Diſcurrere, ſalutare, tempus terere. *Idem.*

6 *Sed reſpondeam*] Ore videlicet, ut ſi coram videam. *Idem.*

7 *Diſtingue, mi Lucili, iſta*] Notat Muretus ex Ariſtotele, iſta ſecundæ notæ, dici ἐξ ὑποθέσεως αἱρετὰ, *ſub conditione optanda:* ut, ſi ægrotes, ſanari: & talia. *Idem.*

8 *Omnino aſperorum fortem, tolerantiam*] A Mureti ingenio eſt, cum Eraſmus & priores edidiſſent, *omnium noſtrorum:* & ſic mss. Suſpicor in libro, unde hæc lectio manavit, fuiſſe, *urorum*, ambigua nota ꝑ *u*, ſic ut *n* credi poſſet. Itaque breviter ſcriptum putarunt pro *noſtrorum*, quod deleta prima litera ſupererat ex antiquo, *durorum.* Niſi mavis, *omnium noxiorum.* Utrumvis ſcripturæ veteri vicinius. *Gronovius.*

quia fieri non poteſt, ut aliqua res bona quidem ſit, ſed optabilis non ſit: deinde ſi virtus optabilis eſt, nullum autem ſine virtute bonum, & omne bonum optabile. Deinde etiam, ſi tormentorum fortis patientia optabilis non eſt: etiamnum interrogo, Nonne fortitudo optabilis eſt? atqui pericula contemnit & provocat. Pulcherrima pars ejus, maximeque mirabilis illa eſt, non cedere ignibus, obviam ire vulneribus: interdum tela ne vitare quidem, ſed pectore excipere. Si fortitudo optabilis eſt; & tormenta patienter ferre optabile eſt. hoc enim, fortitudinis pars eſt: ſed ſepara iſta, ut dixi, nihil erit quod tibi faciat errorem. Non enim pati tormenta optabile eſt, ſed pati fortiter. Illud opto fortiter, quod eſt virtus. Quis tamen unquam hoc ſibi optavit? Quædam vota aperta & profeſſa ſunt, cum particulatim fiunt: quædam latent, cum uno voto multa comprehenſa ſunt. Tanquam opto mihi vitam honeſtam: vita autem honeſta actionibus variis conſtat. In hac eſt [9] Reguli arca, Catonis ſciſſum manu ſua vulnus, Rutilii exſilium, calix venenatus qui Socratem tranſtulit è carcere in cælum. Ita cum optavi mihi vitam honeſtam, & hæc optavi, ſine quibus interdum honeſta non poteſt eſſe.

——— O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum, Trojæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere!

Quid intereſt, optes hoc alicui, an optabile fuiſſe fatearis? Decius ſe pro Rep. devovit, & in medios hoſtes incitato equo mortem petens irruit. Alter poſt hunc paternæ virtutis æmulus, [10] conceptis ſolennibus, [11] ac jam familiaribus

9 *Reguli arca*] In qua clavis confixus ſtetit. De Provid. cap. 3. *Lipſius.*

10 *Conceptis ſollennibus*] Formula enim devovendi erat, Pontifice præeunte, quæ eſt in Livii libro 8. *Idem.* Certa plane fuiſſe & ſolennia verba, quibus Dictatores, Coſſ. Prætores ſeſe hoſtiumque legiones devovebant, oſtendit Cicero lib. 2 de Natura Deor. Plinius lib. 28. cap. 2. & auctor de Vir. illuſt. cap. 27. de P. Decio filio agens. quibus autem verbis uterentur aperit Livius lib. 8. & Briſſonius lib. 1. de formulis.

11 *Ac jam familiaribus*] Non ignotis: itemque velut propriis huic familiæ, quia pater uſurpaverat. *Lipſius.*

Digitized by Google

bus verbis, in aciem confertiſſimam incurrit, de hoc ſolicitus tantum [12] ut litaret, optabilem rem putans bonam mortem. Dubitas ergo, an optimum ſit memorabilem mori, & in aliquo opere virtutis? Cum aliquis tormenta fortiter patitur, [13] omnibus virtutibus utitur fortaſſe, cum una in promptu ſit, & maxime appareat, patientia. ceterum illic eſt fortitudo: cujus patientia & perpeſſio, & tolerantia, rami ſunt. illic eſt prudentia, ſine qua nullum initur conſilium: quæ ſuadet, quod effugere non poſſis, quam fortiſſime ferre. illic eſt conſtantia: quæ dejici loco non poteſt, & propoſitum nulla vi extorquente dimittit. illic eſt individuus ille comitatus virtutum. Quidquid honeſte fit, una virtus facit, ſed [14] de conſilii ſententia: quod autem ab omnibus virtutibus comprobatur, etiam ſi ab una fieri videtur, optabile eſt. Quid? tu exiſtimas ea tantum optabilia eſſe, quæ per voluptatem & otium veniunt? [15] quæ excipiuntur foribus ornatis? Sunt quædam triſtes voluptates, ſunt quædam vota, quæ non gratulantium cœtu, ſed adorantium venerantiumque celebrantur. Ita tu non putas Regulum optaſſe, ut ad Pœnos perveniret? Indue magni viri animum, & ab opinionibus vulgi ſecede pauliſper: cape quantam debes virtutis pulcherrimæ ac magnificentiſſimæ ſpeciem, quæ nobis non ſertis, ſed ſudore & ſanguine colenda eſt. Adſpice M. Catonem, ſacro illi pectori puriſſimas manus admoventem, & vulnera parum demiſſa

12 *Ut litaret*] Non ſacrificaret ſe tantum, ſed Deos propitiaret. Mori certus, ſed ex ſalute publica mori optans. Nonius Marcellus: *Sacrificare, eſt veniam petere: litare eſt propitiare, & votum impetrare.* Lipſius.

13 *Omnibus virtutibus utitur*] Nam Stoico ſcito, nexæ ex inter ſe ſunt. Vide me Manuduct: 3. Diſſert. 4. *Idem.*

14 *De conſilii ſententia*] Ex forenſi formula. Nam Prætor aut Quæſitor pronunciat, de conſilii ſententia. *Idem.*

15 *Quæ excipiuntur foribus ornatis*] Quæ in re læta, lauru & lucernis ſolent obduci. Multa olim ſuper hoc ritu ego 1 Elector. c. 3. *Idem.* Hoc dicit, quod in omni publica privataque lætitia receptum, januam ornari lauro & lucernis. Tertullianus in Apolog. *Cur die læto non laureis poſtes adumbramus? nec lucernis diem infringimus*, &c. Apuleius lib. 4 Metam. *Domus tota lauris obſita, tædis lucida ſtrepebat hymenæum,*

miſſa laxantem. Utrum illi tandem dicturus es, [16] Vellem quæ velles: &, Moleſte fero? an, [17] Feliciter, quod agis? Hoc loco mihi Demetrius noſter occurrit, qui vitam ſecuram, & ſine ullis fortunæ incurſionibus mare mortuum vocat. Nihil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cujus denuntiatione & incurſu firmitatem animi tui tentes: ſed in otio inconcuſſo jacere: non eſt tranquillitas, [18] malacia eſt. Attalus Stoicus dicere ſolebat: Malo me fortuna in caſtris ſuis, quam in deliciis habeat. torqueor, ſed fortiter: bene eſt. occidor, ſed fortiter: bene eſt. Apud Epicurum dicet, Et dulce eſt. Ego tam honeſtæ rei ac ſeveræ nunquam [19] molle nomen imponam. Uror, ſed invictus. Quid ni optabile ſit, non quod urit me ignis, ſed quod non vincit? Nihil eſt virtute præſtantius, nihil pulcrius; & bonum eſt, & optabile, quidquid ex hujus geritur imperio.

EPIST. LXVIII.

Suadet otium, ſed cum Philoſophia junctum. Idipſum non jactandum eſſe. Et in eo de ſe, apud ſe, agendum: id eſt, ut in vitia inquiramus, emendemus. Denique hoc otium, ſuper aliorum negotia eſſe; quod magnæ reip. ſervit.

CONſilio tuo accedo: abſconde te in otio, ſed & otium tuum abſconde. Hoc te facturum, Stoicorum [1] etiam ſi non præcepto, at exemplo licet ſcias: ſed ex præcepto quoque facies: id tibi, cum voles, approbabo. [2] Nec ad omnem

16 *Vellem quæ velles*] Ita in Plauto, *Velim ut velles Tranio*: in conſolatione, & cum affectu magis, quam effectu. *Lipſius.*

17 *Feliciter, quod agis*] Formula approbandi, & in re læta gratandi. Suetonius Claudii cap. 7. Domitiani 13. *Idem.*

18 *Malacia eſt*] Quæ in mari dicitur, cum ſtat ſine ventis & fere motu. Alludit autem ad mollitiem obiter, & languorem animi effeminati. *Idem.*

19 *Molle nomen*] Ut eſt illud *dulce* Epicuri. *Idem.*

EPIST. LXVIII. 1 *Etiam ſi non precepto*] Ita de Vit. beat. cap. 28. *Non quo miſerint me illi, ſed quo duxerint, ibo:* in hac ipſa re. *Idem.*

2 *Nec ad omnem Remp.*] De Vit. beat. cap. ult. *Negant noſtri ad quamlibet*

Digitized by Google

omnem Remp. mittimus, [3] nec ſemper, [4] nec ſine ullo fine. Præterea, cum ſapienti [5] Remp. ipſo dignam dedimus, id eſt, mundum; non eſt extra Remp. etiamſi ſeceſſerit. imo fortaſſe relicto uno angulo, in majora atque ampliora tranſit, & cælo impoſitus, intelligit, [6] cum ſellam aut tribunal adſcenderat, [7] quam humili loco ſederit. Depono hoc apud te: nunquam plus agere ſapientem, quam cum in conſpectum ejus divina atque humana venerunt. Nunc ad illud revertor, quod ſuadere tibi cœperam, ut otium tuum ignotum ſit. Non eſt [8] quod inſcribas tibi philoſophiam. atque etiam aliud propoſito tuo nomen impone: valetudinem, & imbecillitatem vocato, & deſidiam. Gloriari otio, iners ambitio eſt. Animalia quædam, ne inveniri poſſint, veſtigia ſua circa cubile ipſum confundunt: idem tibi faciendum eſt, alioqui non deerunt qui perſequantur. Multi aperta tranſeunt, condita & obſtruſa rimantur. furem ſignata ſollicitant. vile videtur, quidquid patet: [9] aperta effractarius præterit. Hos mores habet populus, hos imperi-

bet remp. acceſſurum ſapientem. Lipſius.

3 *Nec ſemper*] Nec omni tempore, & ut non aliud agat. *Idem.*

4 *Nec ſine ullo fine*] Pauſa & quies in ſenectute eſto. Cum diu reip. id eſt aliis, etiam tibi vaces. *Idem.*

5 *Remp. ipſo dignam*] Totum hoc argumentum ex profeſſo tractavit libello, qui cum Vita beata coivit, & cum ea legitur. Vide cap. 29. 30. & ſequentia. *Idem.*

6 *Cum ſellam aut tribunal adſcenderat*] Curulem, in Magiſtratu. *Idem.* De his Rævardus lib. Pro tribunal. c. 7.

7 *Quam humili loco*] Reſpectu curæ, quam cælo & mundo impendit. Muretus opportune profert Themiſtii in hanc rem Epigrammation:

Ἄντυγος αἰθερίης ὑπερήμενος, εἰς πόθον ἦλθες
Ἄντυγος ἀργυρέης. αἶσχος ἀπειρέσιον.
Ἦσθα κάτω κρείσσων, ἀναβὰς δ' ἐγένου μέγα χεῖρον,
Δεῦρ' ἀνάβηθι κάτω. νῦν γὰρ ἄνω κατέβης.

Quod ſubito vertimus:

Ætherea in ſella poſitum te cura ſubivit
Sella argentatæ. prò pudor & macula!
Major eras, humilis; minor es nunc, ſublimatus.
Deſcende, ut poſſis ſcandere nunc iterum.

Seſe alloquitur Themiſtius, à Juliano Cæſare ad Conſulatum evectus, & à Sapientiæ ſtudio abductus. *Lipſius.*

8 *Quod inſcribas tibi philoſophiam*] Non debet. modeſte & ſine oſtentatione tractanda eſt. Ideo Socrates olim Antiſtheni, qui *pallium tritum & ſciſſum obvertebat, atque oſtendebat*: Ὁρῶ σου, ἔφη, διὰ τοῦ τρίβωνος τὴν κενοδοξίαν. *Video, inquit, per pallium tuam vanitatem.* Adde ſimilis argumenti in epiſt. 5. & 14. & 18. & 103. *Idem.*

9 *Aperta effractarius præterit*] Qui obſerata frangunt & reſerant. Sidonius *Effractorem* vocat: *Scrinia tua manus effractorum arguta populabitur.* Iſidorus: *Apertularius, effractor.* Illud, quia

peritiſſimus quiſque: in ſecreta irrumpere cupit. Optimum itaque eſt, non jactare otium ſuum. jactandi autem genus eſt, nimis latere, & à conſpectu hominum ſecedere. Ille Tarentum ſe abdidit, ille Neapoli incluſus eſt: ille multis annis non tranſit domus ſuæ limen. Convocat turbam, quiſquis otio ſuo aliquam fabulam impoſuit. Cum ſeceſſeris, non eſt agendum hoc, ut de te homines loquantur, ſed ut ipſe tecum loquaris. Quid autem tecum loquaris? quod homines de aliis libentiſſime faciunt, de te apud te male exiſtima. Aſſueſce & dicere verum, & audire. Id autem maxime tracta, quod in te eſſe infirmiſſimum ſenties. Nota habet quiſque ſui corporis vitia. itaque alius vomitu levat ſtomachum, alius frequenti cibo fulcit, alius interpoſito jejunio corpus exhaurit & purgat. Hi quorum pedes dolor repetit, aut vino aut balneo abſtinent: in cetera negligentes, huic, à quo ſæpe infeſtantur, occurrunt. Sic in animo noſtro ſunt quaſi [10] cauſſariæ partes, quibus adhibenda curatio eſt. Quid in otio facio? ulcus meum curo. Si oſtenderem tibi pedem turgidum, lividam manum, aut contracti cruris aridos nervos, permitteres mihi uno loco jacere, & fovere morbum meum: majus malum eſt, hoc, quod non poſſum tibi oſtendere. In pectore collectio & vomica eſt. Nolo laudes, nolo dicas: O magnum virum! contempſit omnia, & damnatis humanæ vitæ furoribus fugit. Nihil damnavi, niſi me: non eſt, quod proficiendi cauſſa venire ad me velis. Erras, qui hinc aliquid auxilii ſperas. non medicus, ſed æger hic habitat. Malo illa, cum diſceſſeris, dicas: ego iſtum beatum hominem putabam, & eruditum: erexeram aures. deſtitutus ſum, nihil vidi, nihil audivi, quod concupiſcerem, ad quod reverte-

quia operta aperit. Gloſſæ: *Apertularius*, τοιχωρύχος. *Idem.* De his plurima lectu digna Langlæus lib. 8. c. 3. Otii Semeſtr.

10 *Cauſſariæ partes*] Cauſſarii in militia, qui cauſſam commeatus aut vacationis, valetudinem allegant. Inde cauſſarii, pro ægris aut affectis: itemque, *in cauſſa* eſſe, pro morbo. Nos in Militia, & Mercurialis lib. 6 Variar. cap. 1. Reſtitui Senecæ hanc vocem, Conſol. ad Marciam c. 11. vide. *Lipſius.*

11 *Di-*

Digitized by Google

verterer. Si hoc ſentis, ſi hoc loqueris, aliquid profectum eſt. Malo ignoſcas otio meo, quam invideas. Otium, inquis, Seneca, mihi commendas? ad Epicureas voces dilaberis. Otium tibi commendo, in quo majora agas & pulcriora, quam quæ reliquiſti. Pulſare ſuperbas potentiorum fores, [11] digerere in litteram ſenes orbos, plurimum in foro poſſe, invidioſa potentia ac brevis eſt, &, ſi verum æſtimes, ſordida. Ille me gratia forenſi longe antecedit. ille ſtipendiis militaribus [12] & quæſita per hoc dignitate. ille clientum turba. hujus turbæ par eſſe non poſſum, hujus gratiæ. Tanti eſt ab hominibus vinci, dum à me fortuna vincatur. Utinam quidem hoc propoſitum ſequi olim fuiſſet animus tibi! utinam de vita beata non in conſpectu mortis ageremus! ſed nunc quoque non moremur. Multa enim, quæ ſupervacua eſſe & mimica, credituri fuimus rationi, nunc experientiæ credimus. Quod facere ſolent qui ſerius exeunt, & volunt tempus celeritate reparare, calcar addamus. hæc ætas optime facit ad hæc ſtudia: jam deſpumavit, jam vitia primo fervore adoleſcentiæ indomita laſſavit: non multum ſupereſt, ut exſtinguat. Et quando, inquis, tibi proderit iſtud, quod in exitu diſcis, aut in quam rem? in hanc, [13] ut exeam melior. Non eſt tamen quod exiſtimes, ullam ætatem aptiorem eſſe ad bonam mentem, quam quæ ſe multis experimentis, longa ac frequenti rerum patientia domuit: quæ ad ſalutaria, mitigatis

11 *Digerere in litteram ſenes*] Salutandi cauſſa, pugillares aut libros habebant, ubi litterarum ordine ſcripti potentes, divites, orbi, quorum gratiam aut opes captabant. de Benefic. 6. cap. 33. *Quid tu iſtos libros, quos vix nomenclatorum aut memoria aut manus complectitur, amicorum exiſtimas eſſe? Non ſunt iſti amici, qui magno agmine januam pulſant.* Quamquam illi libri proprie de Clientibus ſunt: ſed ſimile ſuadent in Patronis aut regibus iſtis fuiſſe. *Digeruntur* igitur *in litteram*, non *lineam* (ut quidam volunt): quia quiſque in ſua tali legitur, *Annæus*, *Burrhus*, *Canius*. Quibuſdam libris, *in litteraturam:* ſenſu pari. *Lipſius.*

12 *Et quæſita per hoc dignitate*] Vel Equeſtri, vel Senatoria. Nam & qui primum pilum duxerant, Equites fiebant; & qui Tribunatu militum functi, Senatores. Supra, ep. 47. *Idem.*

13 *Ut exeam melior*] Ad vocem Solonis, qui moriturus audire aliquid cupidus, & *Quo fine*, interrogatus: *Ut doctior*, inquit, *moriar*. Idem.

14 *Annis*

tis affectibus, venit. Hoc eſt hujus boni tempus. quiſquis ſenex ad ſapientiam pervenit, [14] annis pervenit.

EPIST. LXIX.

Loca non mutanda, ſed magis quieſcendum corpore, ut & animus poſſit. Hunc in ſalutari ſtudio defigendum, & quæ avocent, vitanda.

MUtare te loca, & in alium de alio [1] tranſilire, nolo. Primum, quia tam frequens migratio, inſtabilis animi eſt. [2] coaleſcere otio non potes, niſi deſinas circumſpicere & errare. Ut animum poſſis continere, prius corporis tui fugam ſiſte. Deinde, plurimum remedia continuata proficiunt. interrumpenda non eſt quies, & vitæ prioris oblivio. Sine dediſcere oculos tuos: ſine aures aſſueſcere ſanioribus verbis. quoties proceſſeris, in ipſo tranſitu aliqua quæ renovent cupiditates tuas, tibi occurrent. Quemadmodum ei, qui amorem exurere conatur, evitanda eſt omnis admonitio dilecti corporis: nihil enim facilius quam amor recrudeſcit: ita qui deponere vult deſideria rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, & oculos & aures ab his quæ reliquit, avertat. Cito rebellat affectus. quocumque ſe verterit, pretium aliquod præſens occupationis ſuæ adſpiciet. Nullum [3] ſine auctoramento malum eſt. Avaritia pecuniam promittit: luxuria multas ac varias voluptates: ambitio purpuram & plauſum, & ex hoc potentiam, & quidquid potentia poteſt. Mercede te vitia ſolicitant: hic tibi gratis vivendum eſt. Vix effici toto ſæculo poteſt, ut vitia tam longa licentia tumida ſubigantur, & jugum accipiant: nedum, ſi tam breve tempus intervallo

14 *Annis pervenit*] Id eſt, beneficio annorum pervenit. ætati hoc debet.

EPIST. LXIX. 1 *Tranſilire nolo*] Meus & aliquot ſcripti, *tranſire.* Idem.

2 *Coaleſcere otio non potes*] Ut enim ipſe alibi: *Non coaleſcit planta, quæ ſæpe transfertur.* Idem.

3 *Sine auctoramento*] Sine mercede & *pretio*, quod ante dixit. *Idem.*

4 *Mori*

vallo diſcindimus. Unam quamlibet rem vix ad perfectum adducit aſſidua vigilia & intentio. Si me quidem velis audire, hoc meditare. exerce te, ut mortem & excipias, & ſi ita res ſuadebit, arceſſas. intereſt nihil, an illa ad nos veniat, an ad illam nos. Illud imperitiſſimi cujuſque verbum, falſum eſſe ipſe tibi perſuade: Bella res eſt, [4] mori ſua morte. Illud præterea tecum licet cogites: Nemo [5] niſi ſuo die moritur. Nihil perdis ex tuo tempore. nam quod relinquis, alienum eſt.

EPIST. LXX.

Pompeios ſe fuiſſe, & præteriti temporis admonitu ſenſiſſe ejus fugam. Mortem inſtare, portum nempe jactationum. neque timendam, neque appetendam, aut ſumendam: niſi interdum. & quando? cum ratio, non impetus ſuadebit. Pluria & perpulcra in hunc ſenſum.

POſt longum intervallum Pompeios tuos vidi. in conſpectum adoleſcentiæ meæ reductus ſum. quidquid illic juvenis feceram, videbar mihi facere adhuc poſſe, & paulo ante feciſſe. Prænavigamus, mi Lucili, vitam: & quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noſter,

—— *Terræque urbeſque recedunt:*

ſic in hoc curſu rapidiſſimi temporis, primum pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, deinde quidquid eſt illud inter juvenem & ſenem medium, in utriuſque confinio poſitum, deinde ipſius ſenectutis optimos annos. noviſſime incipit oſtendi publicus finis generis humani. Scopulum eſſe illum putamus, dementiſſimi? [1] portus eſt aliquando

4 *Mori ſua morte*] Ita Suetonius, de Julianis percuſſoribus: *nemo amplius triennio ſupervixit, neque ſua morte defunctus eſt.* Sua, id eſt, ex naturæ communi lege, quam manu non facis. Opponitur mors *βιοθάνατος*, *violenta*. Lipſius.

5 *Niſi ſuo die*] Veriſſimum eſt. noſtro ratiocinio præmorimur; fati decreto morimur. *Idem.*

EPIST. LXX. 1 *Portus eſt*] Vitam cum mari conferri, & in eo agitatione, crebrum. Quies autem & portus, in morte. Vide Conſol. ad Polyb. cap. 28. *Idem.*

2 Non

quando petendus, nunquam recuſandus. In quem ſi quis intra primos annos delatus eſt, non magis queri debet, quam qui cito navigavit. Alium enim, ut ſcis, venti ſegnes ludunt ac detinent, & tranquillitatis lentiſſimo tædio laſſant: alium pertinax flatus celerrime perfert. Idem evenire nobis puta. alios vita velociſſime adduxit, quo veniendum erat etiam cunctantibus: alios maceravit & coxit. quæ, ut ſcis, non ſemper retinenda eſt. [2] Non enim vivere bonum eſt, ſed bene vivere. Itaque ſapiens vivit, quantum debet, non quantum poteſt. Videbit ubi victurus ſit, cum quibus, quomodo, quid acturus. cogitat ſemper, qualis vita, non quanta ſit. Si multa occurrunt moleſta, & tranquillitatem turbantia, [3] emittit ſe: nec hoc tantum in neceſſitate ultima facit, ſed cum primum illi cœperit ſuſpecta eſſe fortuna, diligenter circumſpicit, nunquid illo die deſinendum ſit. Nihil exiſtimat ſua referre, faciat finem, an accipiat: tardius fiat, an citius. non tanquam de magno detrimento timet. [4] Nemo multum ex ſtillicidio poteſt perdere. Citius mori, vel tardius, ad rem non pertinet: bene mori, aut male, ad rem pertinet. bene autem mori, eſt effugere male vivendi periculum. Itaque effeminatiſſimam vocem [5] illius Rhodii exiſtimo, qui cum in caveam conjectus eſſet à tyranno, & tanquam ferum aliquod animal aleretur, ſuadenti cuidam ut abſtineret cibo: Omnia, inquit, homini, dum vivit, ſperanda ſunt. Ut ſit hoc verum, non omni pretio vita emenda eſt. Quædam, licet

2 *Non enim vivere bonum*] Plutarchus Conſol. ad Apollon. *Modus enim vitæ, honeſtum; non temporis longinquitas eſt.* Itemque antea: *Non eſſe longiſſimam vitam, optimam; ſed honeſtiſſimam. Neque enim qui plurimum cithara cecinit, aut oravit, aut navem gubernavit, ſed qui optime, commendatur.* Adde epiſt. 93. *Lipſius.*

3 *Emittit ſe*] Ex Stoïco decreto. quibus probatur illa ἐξαγωγὴ & eductio è vita, ſi cauſſa non ſit vitæ. Diximus in Manud. 3. Diſſert. 22. *Idem.*

4 *Nemo multum ex ſtillicidio*] Aptiſſima imago. Vita velut guttatim per horas & dies fluit: & mox deſinit: quid mali, inquit, ſi paullo citius? *Idem.*

5 *Illius Rhodii*] Teleſphori, qui à Lyſimacho in caveam conjectus. Vide de Ira, lib. 3. cap. 17. *Idem.*

6 *Timore*

Digitized by Google

licet magna, licet certa ſint, tamen ad illa turpi infirmitatis confeſſione non veniam. Ego cogitem, in eo qui vivit, omnia poſſe fortunam, potius quam cogitem in eo qui ſcit mori, nihil poſſe fortunam? Aliquando tamen, etiam ſi certa mors inſtabit, & deſtinatum ſibi ſupplicium ſciet, non commodabit pœnæ ſuæ manum. Stultitia eſt, [6] timore mortis mori. venit qui occidat. Exſpecta. quid occupas? quare ſuſcipis alienæ crudelitatis procurationem? utrum [7] invides carnifici tuo, [8] an parcis? Socrates potuit abſtinentia finire vitam, & inedia potius quam veneno mori: [9] triginta tamen dies in carcere, & in exſpectatione mortis exegit: non hoc animo, tanquam omnia fieri poſſent, tanquam multas ſpes tam longum tempus reciperet, ſed ut præberet ſe legibus, ut fruendum amicis extremum Socratem daret. Quid erat ſtultius, quam mortem contemnere, venenum timere? [10] Scribonia gravis femina, amita Druſi

6 *Timore mortis mori*] Supra, ep. 24. *Tantam hominum imprudentiam eſſe, ut quidam timore mortis cogantur ad mortem.* Lucretius:

Et ſæpe uſque adeo, mortis formidine, vitæ
Percipit humanos odium lucisque videndæ,
Ut ſibi conſciſcant mœrenti pectore letum.

Arceſilaus, apud Plutarchum Conſol. ad Apollonium: Πολλοὶ διὰ τὴν ἀσθένειαν, καὶ τὴν πρὸς τὸν θάνατον διαβολὴν, ἀποθνήσκουσιν ἵνα μὴ ἀποθάνωσι. *Multi ob vilitatem ingenii, & criminationes mortis, moriuntur ne moriantur.* Nimirum, ut Diogenes aiebat, ὁ φόβος οὕτω χαλεπὸς, ὥστε πολλοὶ ἤδη προέλαβον τὸ ἔργον. οἱ μὲν ἐν νηὶ χειμαζόμενοι, οὐ περιμείναντες καταδῦναι τὴν ναῦν, ἀλλὰ φθάσαντες αὐτοὺς ἀποσφάξαντες. *adeo difficilis & mala res metus eſt, ut multi anteceperint ipſum factum, id eſt id quod timebatur. Ut qui in navi tempeſtate jactantur & periclitantur, non exſpectato dum ea mergatur, ſeſe interficiunt.* Lucanus his conſonat:

——— *multos in ſumma pericula miſit*
Venturi timor ipſe mali. Lipſius.

7 *Invides carnifici*] Ne gloriam tui interfecti habeat. *Idem.*

8 *An parcis*] Ne interficiendi moleſtiam. *Idem.*

9 *Triginta dies in carcere*] Poſt ipſam damnationem, quia *Delia feſta*, ut Xenophon ait, *intervenerunt.* Ἀνάγκη, inquit, ἐγένετο αὐτῷ μετὰ τὴν κρίσιν τριάκοντα ἡμέρας βιῶναι, διὰ τὸ Δήλια μὲν ἐκεῖνα τοῦ μηνὸς εἶναι. τὸν δὲ νόμον μηδένα ἐᾶν δημοσίᾳ ἀποθνήσκειν, ἕως ἂν ἡ θεωρία ἐκ Δήλου ἐπανέλθῃ. *Neceſſe illi fuit triginta dies, poſt ſententiam, vivere, quia Delia feſta illo menſe erant. Lex autem non ſinebat publice quemquam tolli, niſi pompa è Delo rediiſſet.* Simile Romanis, non funeſtare dies feſtos & lætos ſuppliciis. *Idem.* Quia lex non ſinebat palam in quemquam animadverti, antequam oraculi conſultores Delo reverterentur. Vide P. Fabrum lib. 2 Semeſtr. cap. 9.

10 *Scribonia gravis femina*] Quondam Auguſti conjux: Tacitus 2 Annal. *Lipſius.*

[11] Druſi Libonis fuit, adoleſcentis tam ſtolidi, quam nobilis, [12] majora ſperantis, quam aut [13] illo ſæculo quiſquam ſperare poterat, [14] aut ipſe ullo. cum æger à ſenatu in lectica relatus eſſet, non ſane [15] frequentibus exſequiis, (omnes enim neceſſarii [16] deſeruerant impie, jam non reum, ſed funus) habere cœpit conſilium, utrum conſciſceret ſibi mortem, an exſpectaret. Cui Scribonia: Quid te, inquit, delectat [17] alienum negotium agere? [18] Non perſuaſit. manus ſibi attulit, nec ſine cauſſa. Nam poſt diem tertium aut quartum inimici moriturus arbitrio, ſi vivit, alienum negotium agit. Non poſſis itaque [19] de re in univerſum pronuntiare, cum mortem vis externa denuntiat, occupanda ſit, an exſpectanda. Multa enim ſunt, quæ in utramque partem trahere poſſunt. Si altera mors cum tormento, altera ſimplex & facilis eſt, quid ni huic injicienda ſit manus? Quemadmodum navim eligam navigaturus, & domum habitaturus, ita mortem utique qua ſum exiturus è vita. Præterea, quemadmodum non utique melior eſt longior vita, ſic pejor utique mors longior. In nulla re magis, quam in morte, morem animo gerere debemus. exeat qua impetum cepit: ſive ferrum appetit, ſive

11 *Druſi Libonis*] Cujus criminatio & mors, in eodem ſcriptore ibidem: at non hoc de Scribonia hic narratum. *Lipſius.*

12 *Majora ſperantis*] Imperium & res ſummas. *Idem.*

13 *Illo ſæculo*] Tiberiano. cum ipſe Princeps intentus, & potentiæ ſuæ anxius. *Idem.*

14 *Aut ipſe ullo*] Ne laxo quidem & libero. quia non illi ingenium ad eminendum. *Idem.*

15 *Frequentibus exſequiis*] Cur hoc mutant? appellat enim ſtatim *funus*: & ut jam mortuus deducebatur. Volunt tamen ; *obſequiis*, etiam docti. *Idem.*

16 *Deſeruerant impie*] Non video cur illi impietatis ſic accuſentur, in juſto à Principe metu, & ne faviſſe viderentur. Malim, *impium.* Idem.

17 *Alienum negotium*] Carnificis, cui deſtinaris. *Idem.*

18 *Non perſuaſit*] Sic libri omnes, nec muto. Videtur enim mens Scriboniæ fuiſſe, ne mori præverteret, & occuparet quod alius erat facturus. Etſi aliorſum id vertit mox Seneca, & Druſi factum στωικῶς probans, ait *alienum* etiam *negotium agere*, qui alteri vivunt, & animam in manu ejus poſitam trahunt. Alii tamen ediderunt ſublata negatione, *Perſuaſit*: moti, opinor, ſequentibus verbis. *Idem.*

19 *De re in univerſum pronunciare*] Lege noſtra, ſodes, ſuper ea tota, in Manud. 3. Diſſert. 22. *Idem.*

20 *Ad*

ſive laqueum, ſive aliquam potionem venas occupantem, pergat, & vincula ſervitutis abrumpat. Vitam & aliis approbare quiſque debet. mortem ſibi. optima eſt, quæ placet. Stulte hæc cogitantur: Aliquis dicet me parum fortiter feciſſe, aliquis nimis temere, aliquis fuiſſe aliquod genus mortis animoſius. Vis tu cogitare id in manibus eſſe conſilium, [20] ad quod fama non pertinet? hoc unum intuere, ut te fortunæ quam celerrime eripias. Alioqui aderunt qui de facto tuo male exiſtiment. Invenies etiam [21] profeſſos ſapientiam, qui vim afferendam vitæ ſuæ negent, & nefas judicent ipſum interemptorem ſui fieri. exſpectandum eſſe exitum, quem natura decrevit. Hoc qui dicit, non videt ſe libertatis viam claudere. [22] Nil melius æterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. Ego exſpectem vel morbi crudelitatem, vel hominis, cum poſſim per media exire tormenta, & adverſa diſcutere? Hoc eſt unum, cur de vita non poſſimus queri: neminem tenet. Bono loco res humanæ ſunt, quod nemo niſi vitio ſuo miſer eſt. Placet? vive. non placet? licet eo reverti unde veniſti. Ut dolorem capitis levares, ſanguinem ſæpe emiſiſti: ad extenuandum corpus vena percutitur: non opus eſt vaſto vulnere dividere præcordia. [23] ſcalpello aperitur ad illam magnam libertatem via: & puncto ſecuritas conſtat. Quid ergo eſt, quod nos facit pigros, inerteſque? Nemo noſtrum cogitat, quandoque ſibi ex hoc domicilio exeundum. Sic veteres inquilinos indulgentia loci & conſuetudo, etiam inter injurias, detinet. Vis adverſus hoc corpus liber eſſe? tanquam migraturus habita: propone tibi, quandoque hoc contubernio carendum. fortior

20 *Ad quod fama non pertinet*] Nec enim ipſe eam auditurus es. atque eo ſenſu, non pertinet: pertinet tamen, ſi poſt te etiam de ea curas. *Lipſius.*

21 *Profeſſos ſapientiam*] Peripateticos. *Idem.*

22 *Nil melius æterna lex*] Haud diſſimile illud Tragici, in divina Thebaïd.
Ubique mors eſt. optime hoc cavit Deus;
Eripere vitam nemo non homini poteſt,
At nemo mortem. Idem.

23 *Scalpello aperitur*] Secta nimirum vena. quæ crebra via mortis Senecæ ævo, & ipſius Senecæ fuit. *Idem.*

tior eris ad neceſſitatem exeundi. Sed quemadmodum ſuus finis veniet in mentem, omnia ſine fine concupiſcentibus? Nullius rei meditatio tam neceſſaria eſt. Alia enim exercentur fortaſſe in ſupervacuum. adverſus paupertatem præparatus eſt animus? permanſere divitiæ. ad contemptum nos doloris armavimus? nunquam à nobis exiget hujus virtutis experimentum integri ac ſani felicitas corporis: ut fortiter amiſſorum deſideria pateremur, præcepimus nobis? omnes quos amabamus, ſuperſtites fortuna ſervavit. Hujus unius rei uſum qui exigat dies, veniet. Non eſt quod exiſtimes, magnis tantum viris hoc robur fuiſſe, quo ſervitutis humanæ clauſtra perrumperent. non eſt quod judices, hoc fieri niſi à Catone non poſſe, qui quam ferro non emiſerat animam, [24] manu extraxit. cum viliſſimæ ſortis homines ingenti impetu in tutum evaſerint, [25] cumque commodo mori non licuiſſet, nec ad arbitrium ſuum inſtrumenta mortis eligere: obvia quæque rapuerunt, & quæ natura non erant noxia, vi ſua tela fecerunt. Nuper in ludo [26] beſtiariorum, unus è Germanis, cum ad [27] matutina ſpectacula pararetur, ſeceſſit ad exonerandum corpus.

24 *Manu extraxit*] De Provid. c. 2. *Animam, indignam quæ ferro contaminaretur, manu educit.* Lipſius.

25 *Cumque commodo mori non licuiſſet*] Alii, *cumque ſuo modo mori*: mihi non placitum. Certe non licuit iis commode mori, qui aſſervabantur, inter cuſtodias, & incluſi. *Idem.* Petrus Faber mavult: *cumque ſuo modo mori.* Cui ſubſcribit Gruterus, utique cum in plurimis libris ſit, *quomodo.* Sed hic librariorum ſolennis error. Retinet vulgatum Lipſius, quod non licuerit iis commode mori, qui adſervabantur. Bene: ſed videamus an locutionem nec vulgarem & valde Latinam (unde præſtantiſſimis viris parum intellecta eſt) frequentiorem exemplis præbitis facere poſſimus. Eſt, ſuo tempore, ad ſuum placitum & commodum. Epiſt. 49. *Securi eſt & ex commodo migrantis, minuta conquirere.* Nat. Quæſt. 5. ult. *Emetiri cuique annos ſuos ex commodo licet, & ad ſeneſtutem decurrere.* M. Seneca Contr. 4. *Adulter matris exit & commodo ſuo.* Vide quæ ad Livium lib. 26, 32. Cicero ad Attic. 12, 27. *homo nequam qui tuum commodum non exſpectarit, cum ob eam cauſam miſſus eſſet.* Cæſar apud eundem, lib. ad Att. 14. epiſt. 1. *cum M. Cicero ſedeat, nec ſuo commodo me convenire poſſit.* Et ſequenti: *cum tam diu ſedens meum commodum exſpectet.* Gronovius.

26 *Beſtiariorum*] Qui ad beſtias damnati, vel auctorati. *Lipſius.*

27 *Matutina ſpectacula*] Supra, epiſtola 7. Similia autem exempla habes & in Symmacho lib. 2. epiſt. 46. *Idem.*

28 Spe-

pus. nullum aliud illi dabatur ſine cuſtode ſecretum. ibi lignum id, quod ad emundanda obſcœna adhærente ſpongia poſitum eſt, totum in gulam farſit, & vi præcluſis faucibus ſpiritum eliſit. Hoc fuit morti contumeliam facere. ita prorſus. Parum munde, & parum decenter. Quid eſt ſtultius, quam faſtidioſe mori? O virum fortem! ô dignum, cui fati daretur electio! quam fortiter ille gladio uſus eſſet! quam animoſe in profundam ſe altitudinem maris, aut abſciſſæ rupis, immiſiſſet! Undique deſtitutus invenit, quemadmodum & mortem ſibi deberet, & telum: ut ſcias ad moriendum nihil aliud in mora eſſe, quam velle. Exiſtimetur de facto hominis acerrimi, ut cuique viſum erit, dum hoc conſtet, præferendam eſſe ſpurciſſimam mortem ſervituti mundiſſimæ. Quoniam cœpi ſordidis exemplis uti, perſeverabo. plus enim à ſe quiſque exiget, ſi viderit hanc rem etiam à contemptiſſimis poſſe contemni. Catones, Scipioneſque, & alios, quos audire cum admiratione conſuevimus, ſupra imitationem poſitos putamus: jam ego iſtam virtutem habere tam multa exempla in ludo beſtiario, quam in ducibus belli civilis oſtendam. Cum adveheretur nuper inter cuſtodias quidam ad matutinum [28] ſpectaculum miſſus, tanquam ſomno premente nutaret, caput uſque eo demiſit, donec radiis insereret, & tamdiu ſe in ſedili ſuo tenuit, donec cervicem circumactu rotæ frangeret. eodem vehiculo quo ad pœnam ferebatur, pœnam effugit. Nihil obſtat, erumpere & exire cupienti. [29] In aperto nos natura cuſtodit. Cui permittit neceſſitas ſua, circumſpiciat exitum mollem. cui ad manum plura ſunt, per quæ ſeſe aſſerat, is delectum agat, & qua potiſſimum liberetur conſideret: cui difficilis occaſio eſt,

28 *Spectaculum miſſus*] Miſſus aliunde, à Præſide provinciæ. Suſpicabar aliquando, *Myſus*: ut ſupra, *Germanus*. Lipſius.

29 *In aperto nos natura cuſtodit*] Quaſi dicat. liberi ſumus, & natura in aperto, non in clauſo nos habet. Vitæ alligavit, ſed vinculis quæ, cum voles, & ut voles, rumpas. *Idem*.

eſt, is proximam quamque pro optima arripiat, ſit licet inaudita, ſit nova. Non deerit ad mortem ingenium, cui non defuerit animus. Vides quemadmodum extrema quoque mancipia, ubi illis ſtimulos adegit dolor, excitentur, & intentiſſimas cuſtodias fallant? Ille vir magnus eſt, qui mortem ſibi non tantum imperavit, ſed invenit. Ex eodem tibi munere plura exempla promiſi. [30] Secundo Naumachiæ ſpectaculo, unus è barbaris lanceam, quam in adverſarios acceperat, totam jugulo ſuo immerſit. Quare, inquit, non omne tormentum, omne ludibrium jam dudum effugio? quare ego mortem armatus exſpecto? Tanto hoc ſpecioſius ſpectaculum fuit, quanto honeſtius mori diſcunt homines, quam occidere. Quid ergo? quod animi perditi noxioſique habebunt, non habebunt illi, quos adverſus hos caſus inſtruxit longa meditatio, & magiſtra rerum omnium ratio? Illa nos docet, fati varios eſſe acceſſus, finem eumdem, nihil autem intereſſe, unde incipiat [31] quod venit. Eadem illa ratio monet, ut, ſi licet, moriaris ſine dolore: ſin autem non potes, fac quemadmodum potes, & quidquid obvenerit ad vim adferendam tibi, invadas. Injurioſum eſt rapto vivere: at contra pulcherrimum, mori rapto.

EPIST. LXXI.

Summum Bonum in oculis habendum, eo ſingula conſilia vel actiones referendas. Quod igitur illud? unum honeſtum. Adulterant, qui Externa miſcent: quia in ſolo animo hæret. Deinde, Bona paria eſſe: & Contemptum à Claritate non differre, ſi utrumque ex Honeſto. Catonem dat exemplum, & (ô pulcre!) dilatat. Mortem honeſtam à vita tali, non item differre: contra Academicos, qui gradus faciunt Beatitatis. Non eſſe, nec illam,

30 *Secundo Naumachiæ ſpectaculo*] Naumachiam bis Nero dedit: alteram intellegit. Poſſis & ad diem ſpectaculi alterum referre. *Lipſius.*

31 *Quod venit*] Vide an non argutius, *quod finit*: etſi alterum nec damno, & accipio, Nihil intereſſe unde veniat, quod omnino venit. *Idem.*

EPIST.

illam, nec Honeſtum intendi. Itaque in eculeo, Beatiſſimo eſſe licere. Itane? non pallebit, tremet, dolebit? Imo (a natura enim iſta;) ſed hæc omnia animi robore vincet. Nec tamen ſtatim omnes. diſcrimina ſunt inter Sapientes, aut Studioſos. Lege ſodes, attende, mirare.

SUbinde me de rebus ſingulis conſulis, oblitus vaſto nos mari dividi. cum magna pars conſilii ſit in tempore, neceſſe eſt evenire, ut de quibuſdam rebus tunc ad te perferatur ſententia mea, cum jam contraria potior eſt. Conſilia enim rebus aptantur: res noſtræ feruntur, imo volvuntur. Ergo conſilium ſub die naſci debet: & hoc quoque tardum eſt nimis: [1] ſub manu, quod aiunt, ſub manu naſcatur. Quemadmodum autem inveniatur, oſtendam. Quoties quid fugiendum ſit, aut quid petendum, voles ſcire: ad ſummum bonum, & propoſitum totius vitæ reſpice. Illi enim conſentire debet quidquid agimus. non diſponet ſingula, niſi cui jam vitæ ſuæ ſumma propoſita eſt. Nemo, quamvis paratos habeat colores, ſimilitudinem reddet, niſi jam conſtet quid velit pingere. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat. Scire debet quid petat ille, [2] qui ſagittam vult mittere: & tunc dirigere, & moderari manu telum. errant conſilia noſtra, quia non habent quo dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nullus ſuus ventus eſt. Neceſſe eſt multum in vita noſtra caſus poſſit, quia vivimus caſu. Quibuſdam autem evenit, ut quædam ſcire ſe neſciant. quemadmodum quærimus ſæpe eos, cum quibus ſtamus: ita plerumque finem ſummi boni ignoramus appoſitum. nec multis verbis, nec circuitu longo, quid ſit ſummum bonum colliges: digito, ut ita dicam, demonſtrandum eſt, nec in multa ſpargendum. Quid enim ad rem

EPIST. LXXI. 1 *Sub manu, quod aiunt*] Suetonius Augusto: *Quo celerius ac ſub manu annunciari poſſet.* Lipſius.

2 *Qui ſagittam vult*] Similis imago apud Ariſtotelem in hac ipſa re. 1 Ethic. Nicom. cap. 2. Vide me in Manud. 2. cap. 13. *Idem.*

rem pertinet, in particulas illud diducere? cum poſſis dicere, Summum bonum eſt, quod honeſtum eſt: & quod magis admireris, [3] Unum bonum eſt, quod honeſtum eſt: cetera falſa & adulterina bona ſunt. Hæc ſi perſuaſeris tibi, & virtutem adamaveris, (amare enim parum eſt) quidquid illa contigerit; id tibi, qualecumque aliis videbitur, fauſtum felixque erit: & torqueri, ſi modo jacueris ipſo torquente ſecurior: & ægrotare, ſi non maledixeris fortunæ, ſi non ceſſeris morbo. Omnia denique quæ ceteris videntur mala, & manſueſcent, & in bonum abibunt, ſi ſuper illa eminueris. Hoc liqueat, nihil eſſe bonum, niſi honeſtum: & omnia incommoda ſuo jure bona vocabuntur, quæ modo virtus honeſtaverit. Multis videmur majora promittere, quam recipit humana conditio. non immerito. ad corpus enim reſpiciunt. revertantur ad animum: jam hominem Deo metientur. Erige te, Lucili virorum optime, & [4] relinque iſtum ludum litterarium philoſo-

3 *Unum bonum, quod honeſtum*] Capitale Stoicum dogma, & fons reliquorum. Ego Manuduct. 2. Diſſert. 20. *Lipſius.*

4 *Relinque iſtum ludum literarium philoſophorum*] Faber ex codice ſcripto, *litterariorum:* at mihi ex meo placeat, *litteralium*. Philoſophi ſcilicet qui litteras curant, & Philoſophiam Philologiam reddunt. *Idem.* Unum ex elegantiſſimis Senecæ dictis enervant magni viri, Faber & Gruterus, *literariorum*, Lipſius, *literalium* reſcribendo. Non enim ludus hic ludibrium ſignificat, ſed ſcholam. Et in hoc urbanitas, quod jungit non jungenda: quaſi diceret, *Grammaticen philoſophorum:* & ſic appellat tractationem de vocabulis ac diſtinctionem ambiguorum. Epiſt. 88. *philoſophi quantum habent ſupervacui, quantum ab uſu recedentis? Ipſi quoque ad Syllabarum diſtinctiones, & conjunctionum ac præpoſitionum proprietates deſcenderunt, & invidere Grammaticis.* Sic epiſtola ſequenti de partibus Philoſophiæ: *tertia proprietates verborum exigit, & ſtructuram.* In his dum ingenium exercent quidam nimis, animum relinquebant inexercitum: & illa vere magna atque animum emendatura aut omittebant aut nimis differebant. Ita philoſophiam profeſſi videbantur *ludum literarium* exercere, verba aucupantes & de phraſibus ſoliciti. *Aliæ* autem *artes ad ingenium tota pertinent, hic animi negotium agitur,* inquit epiſt. 75. Qui philoſophiam tractabant, non ut affectuum domitores, virtutis doctores, vitiorum cenſores, ſed ut literatores & grammatici, eorum tractatio philoſophiæ *ludus literarius philoſophorum* Senecæ dicitur. Talis jocoſa compoſitio eſt apud Ciceronem lib. 1 ad Atticum: *noſtri iſti comiſſatores conjurationis, barbatuli juvenes.* Sic vocat, qui inter comiſſandum inierant conſpirationem adverſus rempublicam: qui cum omnis illorum ætas in luxuria tereretur, re comeſa, de dominatione capeſſenda conſilia agita-

loſophorum, qui rem magnificentiſſimam ad ſyllabas vocant, qui animum minuta docendo demittunt & conterunt: fies ſimilis illis, [5] qui invenerunt iſta, non qui docent, & id agunt ut philoſophia potius difficilis, quam magna videatur. Sequere illos, ſi quid apud te habeo auctoritatis. Socrates, qui totam philoſophiam revocavit ad mores, & hanc ſummam dixit eſſe ſapientiam, bona malaque diſtinguere: Ut ſis beatus, inquit, & te alicui ſtultum videri ſine. Quiſquis volet, tibi contumeliam faciat, & injuriam: tu tamen nihil patieris, ſi modo tecum erit virtus. Si vis, inquit, beatus eſſe, ſi fide bona vir bonus, ſine contemnat te aliquis. Hoc nemo præſtabit, niſi qui [6] omnia bona exæquaverit: quia nec bonum ſine honeſto eſt, & honeſtum in omnibus par eſt. Quid ergo? nihil intereſt inter præturam Catonis, & repulſam? nihil intereſt utrum Pharſalica acie Cato vincatur, an vincat? hoc ejus bonum, quo victis partibus non poteſt vinci, par erat illi bono, quo victor rediret in patriam, & componeret pacem? Quid ni par ſit? eadem enim virtute & mala fortuna vincitur, & ordinatur bona. virtus autem non poteſt major aut minor fieri. Unius ſtaturæ eſt. Sed Cn. Pompeius amittit exercitum: ſed [7] illud pulcherrimum reip. prætextum, optimates,

agitarent. Tale Curtii lib. 7. *Beſſus circumferri merum largius jubet, debellaturus ſuper menſa Alexandrum.* Sic Cicero Clodium vocat, *Furiam muliebrium religionum:* de quo quia pro Victorio contra Manutium diſputandum eſt, largius alibi. *Gronovius.*

5 *Qui invenerunt*] Socrati, Zenoni, talibus, vita philoſophis. *Lipſius.*

6 *Omnia bona exæquaverit*] In læta aut triſti materie ea ſint. Supra, ep. 66. diffuſe. *Idem.*

7 *Illud pulcherrimum reip. prætextum, optimates*] Suetonius Julii cap. 30. *Et prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit.* Pompeius autem Optimatum & reip. cauſſam agere videbatur, atque id ambitioni ſuæ prætexebat. Poſſis etiam accipere. Senatum velut prætextum veſtis & purpuram, in reliquo reip. corpore eſſe. Ita Epictetus *Virum bonum, purpuram in veſte* facit. *Idem.* Jure ad corvos juſſit abire Gruterus libidinem editionis Muretinæ, quæ contra omnes veteres libros dedit: *ille pulcherrimus reip. prætextus.* Significare autem vocem illam idem, quod ornamentum & decus, ex eo, quod prætexta magiſtratus ornabat, dubie hic adfirmatum Lipſio, docuit vir nobiliſſimus ad hiſtoriam Auguſtam. Valerius Maximus lib. 7, 3. *Magiſtratum populi Romani abjecto honoris prætexto alienigenæ religionis obſcuratum inſignibus.* Sic cōdex S. Victoris & duo Andini: non *abjecta prætexta.* Sic lib. 2. cap.

Digitized by Google

mates, & prima acies Pompeianarum partium, ſenatus ferens arma, uno prælio profligabuntur: & tam magni ruina imperii, in totum diſſiliet orbem. aliqua pars ejus in Ægypto, aliqua in Africa, aliqua in Hiſpania cadet. ne hoc quidem miſeræ reip. continget, ſemel ruere. Omnia licet fiant. Jubam in regno ſuo, non locorum notitia adjuvet, non popularium pro rege ſuo virtus obſtinatiſſima: Uticenſium quoque fides [8] malis fracta deficiat, & Scipionem in Africa nominis ſui fortuna deſtituat: olim proviſum eſt, ne quid Cato detrimenti capiat. Victus eſt tamen. Et hoc numera inter repulſas Catonis. tam magno animo feret, aliquid ſibi ad victoriam, quam ad præturam obſtitiſſe. Quo die [9] repulſus eſt, luſit: qua nocte periturus fuit, legit: eodem loco habuit, prætura & [10] vita excidere. omnia quæ acciderent, ferenda eſſe perſuaſerat ſibi. Quid ni ille mutationem Reip. forti & æquo pateretur animo? Quid enim mutationis periculo exceptum? non terra, non cælum, non totus hic rerum omnium contextus, quamvis Deo agente ducatur. [11] non ſemper tenebit hunc ordinem: ſed

cap. 10. *Grate enim & jucunde introitu animis hominum illabitur admirationis prætexto velata:* legitur apud S. Victorem, non *prætextu*. Neque aliter ſcribendum lib. 4. cap. 4. *& plurimorum ac maximorum operum prætexto titulum imaginum ſuarum amplificavit.* Ruſus lib. 7. cap. 5. *M. Porcius Cato plus moribus ſuis præturæ decoris adjecturus, quam prætexto ejus ſplendoris ipſe laturus.* Eadem inclinatione ſcribendum eſt apud Manilium lib. 5. volentibus membranis Venetis:

Nobilitas tenet octavam, quæ conſtat honoris
Conditio, & famæ modus, & genus & ſpecioſo
Gratia prætexto.

Cyprianus de Eccleſiæ unitate: *adſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætexto fidei.* Sic emenda in exemplari tuo juſſu membranarum. *Gronovius.*

8 *Malis fracta deficiat*] Meus & quidam, *malis paſſa & fracta deſinat.* Forte, *malis preſſa:* vel ut Gruterus noſter, *quaſſa.* Lipſius.

9 *Repulſus eſt, luſit*] Pila quidem, & in publico. adeo nec puduit, nec doluit. Adde epiſt. 104. *Idem.*

10 *Vita excidere*] Quia de Prætura etiam, mallem *excidere.* Idem.

11 *Non ſemper tenebit*] Refert Muretus ad id, quod Plato etiam ſcribit in Politico, *Solem & ſidera non eodem ſemper motu, ſed alio aliàs ferri: atque adeo ubi nunc occidit Sol, inde ortum olim eſſe.* Non refuto. ſimplicius tamen arbitror, ad Stoicam ἐκπύρωσιν, ſive *conflagrationem* referre, cum omnia confuſa peribunt. Similis ſententiæ ſunt, quæ Conſol. ad Polyb. cap. 21. legas. *Idem.*

12 *Sed*

ſed illum ex hoc curſu aliquis dies dejiciet. Certis eunt cuncta temporibus: naſci debent, creſcere, exſtingui. Quæcumque vides ſupra nos currere, & hæc quibus innixi atque impoſiti ſumus veluti ſolidiſſimis, carpentur ac deſinent. nulli non ſenectus ſua eſt. inæqualibus iſta ſpatiis eodem natura dimittit. quidquid eſt, non erit; nec peribit, [12] ſed reſolvetur. Nobis ſolvi, perire eſt. Proxima enim intuemur: ad ulteriora non proſpicit mens hebes, & quæ ſe corpori addixerit: alioqui fortius finem ſui ſuorumque pateretur, ſi ſperaret omnia illa ſic in vitam mortemque per vices ire, & compoſita diſſolvi; diſſoluta componi; in hoc opere æternam artem cuncta temperantis Dei verti. Itaque Cato cum ævum animo percurrerit, dicet: Omne humanum genus, quodque eſt, quodque erit, morte damnatum eſt. omnes quæ uſquam rerum potiuntur urbes, [13] quæque alienorum imperiorum magna ſunt decora, ubi fuerint, aliquando quæretur, & vario exitii genere tollentur. alias deſtruens bella, alias deſidia, paxque ad inertiam verſa conſumet, & magnis opibus exitioſa res luxus. Omnes hos fertiles campos [14] repentina maris inundatio abſcondet, aut in ſubitam cavernam conſidentis ſoli lapſus abducet. Quid eſt ergo, quare indigner, aut doleam, ſi exiguo momento publica fata præcedo? magnus animus Deo pareat: & quidquid lex univerſi jubet, ſine cunctatione patiatur. Aut in meliorem emittitur vitam, lucidius tranquilliuſque [15] inter divina manſurus: aut certe ſine ullo futurus incommodo, [16] naturæ ſuæ remiſcebitur, & rever-

12 *Sed reſolvetur*] In prima principia, Ignem & Materiam. *Lipſius.*

13 *Quæque alienorum imperiorum*] Tota ſententia eſt. tam urbes quæ imperant, ut Roma aliqua, aut Carthago: & quæ imperantur, ut Corinthus, Syracuſæ, Athenæ; quæ tamen illis ipſis imperantibus decus & lumen afferunt. Nam clarum & magnificum eſt ſcilicet, tam magnis imperare. Sunt igitur decora alieni imperii. *Idem.*

14 *Repentina maris inundatio*] Id quoque Stoïcum, Cataclyſmo mundi partes perire, aut inverti. Vide Phyſiol. lib. 2. Diſſert. 20. *Idem.*

15 *Inter divina manſurus*] Inter aut juxta ſidera. In Phyſiol. 3. Diſſert. 11. *Idem.*

16 *Naturæ ſuæ remiſcebitur*] Sæpe ſic ambigue de Anima, utrum maneat, an

revertetur in totum. Non eſt ergo M. Catonis majus bonum honeſta vita, quam mors honeſta: quoniam [17] non intenditur virtus. [18] Idem eſſe dicebat Socrates veritatem & virtutem: quomodo illa non creſcit, ſic nec virtus quidem. habet numeros ſuos, plena eſt. Non eſt itaque quod mireris paria eſſe bona, & quæ ex propoſito ſumenda ſunt, & quæ [19] ſubita res tulit. nam ſi hanc inæqualitatem receperis, ut fortiter torqueri in minoribus bonis numeres, numerabis etiam in malis: & infelicem Socratem dices in carcere, infelicem Catonem vulnera ſua animoſius quam fecerat, retractantem: calamitoſiſſimum omnium Regulum, fidei pœnas etiam hoſtibus ſervatæ pendentem. Atqui nemo hoc dicere, ne ex molliſſimis quidem, auſus eſt. negant enim illum eſſe beatum, ſed tamen negant miſerum. Academici veteres beatum quidem eſſe etiam inter hos cruciatus fatentur, [20] ſed non ad perfectum, nec ad plenum: quod nullo modo poteſt recipi. Niſi beatus eſt, in ſummo bono non eſt. Quod ſummum bonum eſt, ſupra ſe gradum non habet: ſi modo illi virtus ineſt, ſi illam adverſa non minuunt, ſi manet etiam comminuto corpore incolumis. manet autem. Virtutem enim intelligo animoſam & excelſam: quam incitat, quidquid infeſtat. Hunc animum quem ſæpe induunt generoſæ indolis juvenes, quos alicujus honeſtæ rei pulcritudo percuſſit, ut omnia fortuita contemnant, profecto ſapientia infundet, & tradet: perſuadebit unum bonum eſſe quod honeſtum. Hoc nec remitti

an ſtatim ad originem ſui, id eſt ſidera recurrat. Nos loco dicto. *Lipſius.*

17 *Non intenditur virtus*] Stoicum dogma, Non creſcit, non minuitur. Vide Manud. 3. Diſſert. 4. *Idem.*

18 *Idem eſſe veritatem & virtutem*] Eo ſenſu, quod virtus ſit ſcientia: omnis autem ſcientia veritas. Plato non ipſum quidem ſummum bonum veritatem eſſe, ſed ei adhærere: ſicut Soli lucem. Eſſe igitur ἀγαθοειδῆ, non ipſum ἀγαθὸν de Republ. 6. & antea, οὐδὲν οἰκειότερον σοφίᾳ τι ἀληθείας εὑρ. nihil affinius familiariuſque Sapientia, quam Veritatem eſſe. Denique ἡγεμόνος τῆς ἀληθείας, οὐκ ἄν ποτε χορὸν αὐτῷ κακῶν ἀκολουθῆσαι· præeunte veritate, namquam chorum vitiorum ſubſecuturum. Plura talia elogia, quæ huc ſpectant. *Idem.*

19 *Subita res tulit*] Caſus, non conſilium. *Idem.*

20 *Sed non ad perfectum*] Diximus in Manud. 3. Diſſert. 6. *Idem.*

21 *Rigi-*

Digitized by Google

remitti nec intendi poſſe, non magis quam regulam, qua rectum probari ſolet. quam ſi flectes, quidquid ex illa mutaveris, injuria eſt recti. Idem ergo de virtute dicemus: & hæc recta eſt. flexuram non recipit. [21] rigidari quidem, amplius intendi non poteſt. Hæc de omnibus rebus judicat, de hac nulla. Si rectior ipſa non poteſt fieri, nec quæ ab illa quidem fiunt, alia aliis rectiora ſunt. huic enim neceſſe eſt reſpondeant. ita paria ſunt. Quid ergo? inquis. Jacere in convivio, & torqueri, paria ſunt? Hoc mirum videtur tibi? illud licet magis admireris. Jacere in convivio, malum eſt: torqueri in equuleo, bonum eſt: ſi illud turpiter, hoc honeſte fit. bona iſta aut mala, non efficit materia, ſed virtus. hæc ubicumque apparuit, omnia ejuſdem menſuræ ac pretii ſunt. In oculos nunc mihi manus intentat ille, qui omnium animum æſtimat ex ſuo, quod dicam paria bona eſſe adverſa fortiter portantis, & proſpera honeſte judicantis: quod dicam paria bona eſſe ejus qui triumphat, & ejus qui ante currum vehitur, invictus animo. Non putant enim fieri, quidquid facere non poſſunt: ex infirmitate ſua de virtute ferunt ſententiam. Quid miraris, ſi uri, vulnerari, occidi, alligari juvat, aliquando etiam libet? Luxurioſo frugalitas pœna eſt, pigro ſupplicii

cii

21 *Rigida eſt: amplius intendi*] Dixerat Pincianus exemplaria pleraque ſervare antiquitus vulgatam, *rigidari quidem, amplius intendi non poteſt:* alia, *rigida eſt*. Poſterius arripuit ſtatim Muretus, atque ab eo ſic legimus. Sed cum Pall. quoque & Erf. cum Heinſ. id verbum, quantumvis inſolens, non tamen analogiæ repugnans, adſertum eant, non putem loco movendum, ut & Gruterus. Explicat ille, rigidior fieri: recte: ſed quo figuram ſumtam à metallis, quæ crebro mallei ictu magis magiſque indurantur? Quid durities ad regulam? Quid ad regulam metalla? Regula fabrorum eſt & agrimenſorum. Ea natura ſua rigorem ſive recturam habet: ſecus non poſſet ea rectum probari. Si opus ei, ut rigidetur, regula non eſt. Pertica ſive linea quamdiu neceſſe habet rigidari, videlicet ſi angulum aut flexuram admittat, nondum habet rigorem, nec regula eſt. Si intendendo corrigitur, ex quo ſemel modum ſuum & rigorem accepit, regula eſt, & tum rigidior aut rectior fieri nequit nec intendi. Non dubito quin artificum illud verbum fuerit. Rigidum hic non durum, ſed rectum. Ut cum Seneca inferius: *onera rigida cervice ſuſtollat*. Gronovius.

22 *Deli-*

cii loco labor eſt, [22] delicatus miſeretur induſtrii, deſidioſo ſtudere torqueri eſt. Eodem modo hæc, ad quæ omnes imbecilli ſumus, dura atque intoleranda credimus, obliti quam multis tormentum ſit vino carere, aut prima luce excitari. Non iſta difficilia ſunt natura, ſed nos fluidi & enerves. Magno animo de rebus magnis judicandum eſt: alioqui videbitur illarum vitium eſſe quod noſtrum eſt. Sic quædam rectiſſima, cum in aquam demiſſa ſunt, ſpeciem curvi præfractique viſentibus reddunt. Non tantum quid videas, ſed quemadmodum, refert. animus noſter ad vera perſpicienda caligat. Da mihi adoleſcentem incorruptum, & ingenio vegetum, dicet [23] fortunatiorem ſibi videri, qui omnia rerum adverſarum onera rigida cervice ſuſtollit, qui ſupra fortunam exſtat. Non mirum eſt, in tranquillitate non concuti: illud mirare, ibi extolli aliquem, ubi omnes deprimuntur; ibi ſtare, ubi omnes jacent. Quid eſt in tormentis, quid eſt in aliis quæ adverſa appellamus, mali? hoc, ut opinor, ſuccidere mentem, & incurvari, & ſuccumbere: quorum nihil ſapienti viro poteſt evenire. Stat rectus ſub quolibet pondere. nulla illum res minorem facit, nihil illi eorum quæ ferenda ſunt, diſplicet. Nam quidquid cadere in hominem poteſt, in ſe cecidiſſe non queritur. vires ſuas novit: ſcit ſe eſſe oneri ferendo. [24] Non educo ſapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, ſicut ab aliqua rupe nullum ſenſum admittente, ſubmoveo. memini ex duabus partibus illum eſſe compoſitum. Altera eſt irrationalis. hæc mordetur, uritur, dolet: altera rationalis. hæc inconcuſſas opiniones habet, intrepida eſt, & indomita. In hac poſitum eſt ſummum illud hominis bonum. quod antequam impleatur, incerta mentis volutatio eſt; cum verò perfectum eſt, im-

mota

22 *Delicatus miſeretur induſtrii*] Non diſpliceat lectio, quæ è manuſcripto meo aliiſque eruitur: *delicatis miſeria eſt continentia, indoctis induſtria, deſidioſo ſtudere t. c.* Lipſius.

23 *Fortunatiorem ſibi videri*] Paria in de Provident. cap. 2. *Idem.*

24 *Non educo ſapientem*] Vide Manud. 3. Diſſert. 7. *Idem.*

25 *In-*

mota illa ſtabilitas eſt. Itaque [25] inchoatus, ad ſumma procedens, cultorque virtutis, etiamſi appropinquat perfecto bono, ſed ei nondum ſummam manum impoſuit, ibi interim ceſſabit, & remittet aliquid ex intentione mentis. nondum enim incerta tranſgreſſus eſt, etiam nunc verſatur in lubrico. beatus vero, & virtutis exactæ, tunc ſe maxime amat, tum fortiſſime expertus eſt: & metuenda ceteris, ſi alicujus honeſti officii pretia ſunt, non tantum fert, ſed amplexatur. multoque audire mavult, [26] Tanto melior, quam felicior. Venio nunc illo, quo me vocat exſpectatio tua. Ne extra rerum naturam vagari virtus noſtra videatur, & tremet ſapiens, & dolebit, & expalleſcet: hi enim omnes corporis ſenſus ſunt. Ubi ergo eſt origo calamitatis? ubi illud malum verum eſt: illic ſcilicet, ſi iſta animum detrahunt, ſi ad confeſſionem ſervitutis adducunt, ſi illi [27] pœnitentiam ſui faciunt. Sapiens quidem vincit virtute fortunam. At multi profeſſi ſapientiam, leviſſimis nonnunquam minis exterriti ſunt. Hoc loco noſtrum vitium eſt, qui quod dicitur de ſapiente, exigimus & à proficiente. Suadeo adhuc mihi iſta quæ laudo, nondum perſuadeo: etiamſi perſuaſiſſem, nondum tam parata haberem, aut tam exercitata, ut ad omnes caſus procurrerent. Quemadmodum lana quoſdam colores ſemel ducit, quoſdam niſi ſæpius macerata & recocta non perbibit: ſic alias diſciplinas ingenia cum accepere, protinus præſtant: hæc niſi alte deſcendit, & diu ſedit, animum non coloravit, ſed infecit, nihil ex his quæ promiſerat, præſtat. Cito hoc poteſt tradi, & pauciſſimis verbis, unum bonum eſſe virtutem: nullum

25 *Inchoatus, ad ſumma procedens*] Eſt ille *proficiens* & τυπούμενος, cœptus formari & doceri, nondum doctus. Nos hæc diſcrimina in Manud. 2. Diſſert. 9. *Lipſius.*

26 *Tanto melior*] Hic epiſt. 31. *Tanto melior, ſurge & inſpira:* De Tranquill. cap. ult. *Dicamus Tanto fortior, tanto felicior.* Quinctilianus: *Unde illa laudatio: Tanto melior, nec ego intellexi.* Eſt igitur acclamandi laudandique formula. *Idem.*

27 *Pœnitentiam ſui faciunt*] Sui illi excutiunt decreta ſua: Sicut Bruto morituro, qui virtutem accuſat, ut verba. *Idem.*

28 *Tre-*

Digitized by Google

nullum certe ſine virtute: & ipſam virtutem in parte noſtri meliore, id eſt, rationali poſitam. Quid erit hæc virtus? judicium verum, & immotum: ab hoc enim impetus veniet mentis, ab hoc omnis ſpecies, quæ impetum movet, redigetur ad liquidum. Huic judicio conſentaneum erit, omnia quæ virtute contacta ſunt, & bona judicare, & inter ſe paria. Corporum autem bona corporibus quidem bona ſunt, ſed in totum non ſunt bona. His [28] pretium quidem erit aliquod, ceterum dignitas non erit: magnis inter ſe intervallis diſtabunt, alia majora, alia minora erunt. Et in ipſis ſapientiam ſectantibus [29] magna diſcrimina eſſe, fateamur neceſſe eſt. alius jam in tantum profecit, ut contra fortunam audeat attollere oculos, ſed non pertinaciter: cedunt enim nimio ſplendore præſtricti. alius in tantum, ut poſſit cum illa conferre vultum: ſi jam pervenit ad ſummam, [30] & fiduciæ plenus eſt. Imperfecta neceſſe eſt labent, & modo prodeant, modo ſublabantur, aut ſuccidant. Sublabentur autem, niſi ire & niti perſeveraverint: ſi quidquam ex ſtudio & fideli intentione laxaverint, retro eundum eſt. Nemo profectum ibi invenit, ubi reliquerat. Inſtemus itaque, & perſeveremus. plus quam profligavimus, reſtat: ſed magna pars eſt profectus, velle proficere. Hujus rei conſcius mihi ſum: volo, & tota mente volo. Te quoque inſtinctum eſſe, & magno ad pulcherrima properare impetu video. Properemus. ita demum vita beneficium erit: alioqui mora eſt, & quidem turpis inter fœda verſantibus. Id agamus, ut noſtrum omne tempus ſit. non erit autem, niſi prius nos noſtri eſſe cœperimus. Quando continget contemnere utramque fortunam? quando continget omnibus oppreſſis affectibus, & ſub arbitrium addu-

28 *Pretium erit aliquod*] Stoïce ἀξία, *dignatio*. Nam inter adiaphora quoque diſcrimen, & alia æſtimationem, alia rejectionem habent. Manuduct. 2. Diſſert. 22. *Lipſius*.

29 *Magna diſcrimina eſſe*] Explicavi Manud. 2. Diſſert. 9. *Idem*.

30 *Et fiducia plenus eſt*] Hæc ſic legenda, & diſtinguenda, utiliter monui ibidem. *Idem*.

adductis, hanc vocem emittere? Vici. Quem vicerim, quæris? Non Perſas, nec extrema Medorum, nec ſi quid ultra Dahas bellicoſum jacet: ſed avaritiam, ſed ambitionem, ſed metum mortis, qui victores gentium vicit.

EPIST. LXXII.

Differt petitionem Lucilii. ex occaſione, differri à nobis Boni ſtudium: male. huic uni, omiſſis aliis, vacandum eſt. Nihil incidere, quod impediat, Sapienti quidem: aliqua Proficienti. Diſcrimen inter utroſque. Externa nec addere, nec demere Sapienti, ſemper ſe contento.

QUod quæris à me, liquebat mihi; [1] ſi remeditari poſſem: ſed diu non retentavi memoriam meam. Itaque non facile me ſequitur. quod evenit libris [2] ſitu cohærentibus, hoc eveniſſe mihi ſentio: explicandus eſt animus, & quæcumque apud illum depoſita ſunt, ſubinde excuti debent, ut parata ſint quoties uſus exegerit. Ergo hoc in præſentia differamus: multum enim operæ, multum diligentiæ poſcit. Cum primum longiorem eodem loco ſperavero moram, tunc iſtud in manus ſumam. Quædam enim ſunt, quæ poſſis & [3] in ciſio ſcribere: quædam [4] lectum, & otium,

EPIST. LXXII. 1 *Sic rem edidiceram*] Eraſmi lectio, nec longe nimis à libris. Muretus, *ſi reminiſcerer*, ſuo jure & more. Meus & aliquot ſcripti: *Si rem ædificarem per ſe, ſed non retractavi.* Feſtus: *liquebat mihi ſcire, modo edifferere (vel edicere) poſſem. ſed diu.* Quid? imo aliter: *liquebat mihi, ſi remeditari poſſem:* & rem attigi. Remeditari, ut reminiſci. *Lipſius.*

2 *Situ cohærentibus*] Quod facile in illis voluminibus. *Idem.*

3 *In ciſio ſcribere*] A Pinciani ſagacitate eſt, cum libri fere, *inſciſo.* Eſt autem ciſium vehiculi genus: & vult quædam per iter aut geſtationem etiam ſcribi. Quis damnet? at quidam libri, *in circo:* nec id male. ubi omnia vocibus ſtrepunt, & avocatio multiplex eſt: atque aiunt ſic factitaſſe Julium Cæſarem, qui *inter ſpectandum epiſtolis libelliſque legendis, aut reſcribendis, vacabat:* auctore Tranquillo. *Idem.*

4 *Lectum & otium*] Quieti iſti & otioſi, non ſellis ſedebant olim, ut nos; ſed plurimum in lectulo erant, ſemi tamen recti. Ovidius:

Non hæc in noſtris, ut quondam, ſcribimus hortis,
Nec conſueto meum lectule corpus habes.

Plinius lib. 5. epiſt. *Viſus eſt ſibi jacere in lectulo ſuo, compoſitus in habitum ſtudentis.* Adde ſupra, epiſt. 67. *Idem.*

5 Nec

otium, & ſecretum deſiderant. nihilominus his quoque occupatis diebus agatur aliquid, & quidem totis. nunquam enim non ſuccedent occupationes novæ. ſerimus illas: itaque ex una exeunt plures: deinde ipſi nobis dilationem damus. Cum hoc peregero, toto animo incumbam: & ſi hanc rem moleſtam compoſuero, ſtudio me dabo. Non cum vacaveris, philoſophandum eſt: omnia alia negligenda, ut huic aſſideamus, cui nullum tempus ſatis magnum eſt, etiam ſi à pueritia uſque ad longiſſimos humani ævi terminos vita protenditur. Non multum refert, utrum omittas philoſophiam, an intermittas. non enim ubi interrupta eſt manet, ſed eorum more, quæ intenta diſſiliunt, uſque ad initia ſua recurrit, quod à continuatione diſceſſit. Reſiſtendum eſt occupationibus: [5] nec explicandæ, ſed ſubmovendæ ſunt. tempus quidem nullum eſt parum idoneum ſtudio ſalutari. Atqui multi [6] inter illa non ſtudent, propter quæ ſtudendum. Incidet aliquid quod impediat? non equidem eum, cujus animus in omni negotio lætus atque alacer eſt. Imperfectis adhuc interſcinditur lætitia: [7] ſapienti vero contexitur gaudium, nulla rumpitur cauſſa, nulla fortuna: ſemper & ubique tranquillum eſt. Non enim ex alieno pendet, nec favorem fortunæ, aut hominis exſpectat: domeſtica illi felicitas eſt. exiret ex animo, ſi intraret. ibi naſcitur. Aliquando extrinſecus, quo admoneatur mortalitatis, intervenit: ſed id leve, & quod ſummam cutem ſtringat. Aliquo, inquam, incommodo afflatur: maximum ejus illud bonum, eſt fixum. Ita dico, extrinſecus aliqua ſunt incommoda, velut in corpore interdum robuſto ſolidoque, eruptiones quædam puſtularum, & ulcuſcula: nullum in alto malum eſt. Hoc, inquam, intereſt

5 *Nec explicandæ*] Id eſt, non diſponendæ per tempora, & digerendæ ſunt: quod faciunt tamen homines ſerioſi. *Lipſius.*

6 *Inter illa non ſtudent*] Inter vanitates, officia, triſtitias. *Studere* autem, eſt philoſophari Stoïca lingua. Ego in Manud. 2. Diſſert. 1. *Idem.*

7 *Sapienti vero contexitur gaudium*] Eſt dogma Porticus, Sapientem ſemper in gaudio eſſe, explicatum Manuduct. 3. Diſſert. 5. *Idem.*

8 Com-

eſt inter [8] conſummatæ ſapientiæ virum, & alium procedentis, quod inter ſanum, & ex morbo gravi ac diutino emergentem. cui ſanitatis loco eſt, levior acceſſio. Hic, niſi attendit, ſubinde gravatur, & in eadem revolvitur. Sapiens recidere non poteſt, [9] ne incidere quidem amplius. Corpori enim ad tempus bona valetudo eſt: quam medicus etiam ſi reddidit, non præſtat. ſæpe [10] ad eumdem quem advocaverat, excitatur: animus ſemel in totum ſanatur. Dicam quomodo intelligas ſanum. ſi ſe ipſe contentus eſt, ſi confidit ſibi; ſi ſcit, omnia vota mortalium, omnia beneficia quæ dantur petunturque, nullum in beata vita habere momentum. [11] Nam cui quid accedere poteſt, id imperfectum eſt: cui quid abſcedere poteſt, id imperpetuum eſt. cujus perpetua futura lætitia eſt, is ſuo gaudeat. Omnia autem quibus vulgus inhiat, ultro citroque fluunt. Nihil dat fortuna mancipio: ſed hæc quoque fortuita tunc delectant, cum illa ratio temperavit ac miſcuit. hæc eſt etiam quæ externa commendet, quorum avidus uſus ingratus eſt. Solebat Attalus hac imagine uti: Vidiſti aliquando canem miſſa à domino fruſta panis aut carnis aperto ore captantem? quidquid excepit, protinus integrum devorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem evenit nobis. quidquid exſpectantibus fortuna projecit, id ſine ulla voluptate demittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti & attenti.

8 *Conſummatæ ſapientiæ*] Iterum hic diſcrimina perfecti ſapientis, & inchoati, videnda plene Manud. 2. Diſſert. 9. *Lipſius.*

9 *Ne incidere quidem*] Argutatur in vocibus venuſte, Neque recidere in eumdem, nec incidere in alium. *Idem.*

10 *Ad eumdem, quem advocaverat, excitatur*] Senſum Muretus, opinor, ſecutus (nam libros minime) edidit: *quem excitaverat, advocatur.* At ego levi mutatione libros tueor: *ad eumdem qui advocaverat.* Idem qui antea vocaverat, revocat, & redire in morbo redeunte jubet. *Excitatur* autem, ob ſubitam, aut intempeſtivam, vel noctu vocationem. *Idem.* Muretus etſi contra omnes libros, non tamen ſine ſpecie, fecerat: *quem excitaverat, advocatur.* Epiſt. 104. *Fregit aliquis crus aut extorſit articulum? advocat medicum.* Sed hoc ipſum videtur dixiſſe *excitare.* Et cur omnes illud tenerent libri, niſi quid aliud ſubeſſet? Lipſius: *qui advocaverat.* Forte rectius, quod fuit in uno Pal. *avocaverat*, ſcilicet à præſenti dolore, quem ſenſu mali levaverat. Et notum hæc duo verba ſæpe à librariis confuſa. Niſi malis: *quem adjuverat.* Gronovius.

attenti. Hoc ſapienti non evenit: plenus eſt. etiam ſi quid obvenit, ſecure excipit, ac reponit. lætitia fruitur maxima, continua, ſua. Habet aliquis bonam voluptatem, habet profectum, ſed cui multum deſit à ſummo? hic deprimitur alternis, & extollitur, ac modo in cælum allevatur, modo defertur ad terram. Imperitis ac rudibus, nullus præcipitationis finis eſt: in Epicureum illud chaos decidunt inane, ſine termino. [12] Adhuc eſt genus tertium eorum qui ſapientiæ alludunt. [13] quam non quidem contigerunt, in conſpectu tamen, &, ut ita dicam, [14] ſub ictu habent: hi non concutiuntur; ne defluunt quidem: nondum in ſicco, jam in portu ſunt. Ergo cum tam magna ſint inter ſummos imoſque diſcrimina, cum medios quoque ſequatur fructus ſuus, ſequatur ingens periculum ad deteriora redeundi: non debemus occupationibus indulgere. excludendæ ſunt: ſi ſemel intraverint, in locum ſuum alias ſubſtituent. Principiis illarum obſtemus. melius non incipient, quam deſinent.

Epist.

11 *Nam cui quid accedere*] Meus, *cui aliud* (alii, *aliquid*) *accidere poteſt*: certiſſime. Duo dicit. Sapiens in perpetuo gaudio & fiducia: quare? quia nihil accidere poteſt, quamvis turbidum, quod turbet. quare etiam? quia nihil decedere, quod minuat vel abrumpat. Itaque ſequentia legenda, ut edidi auctoribus libris. *Lipſius.*

12 *Adhuc eſt genus tertium*] Et hæc explicata Manud. 3. Diſſert. 9. *Idem.*

13 *Quam non quidem attigerunt*] Pinciani, Pall. Heinſ. & Erf. ſcripta lectio, *contigerunt*. Cæſar lib. 1 de bello Gall. *reliquum ſpatium mons continet magna altitudine, ita ut radices ejus montis ex utraque parte ripæ fluminis contingant.* De Ira, 1, 15. *facturi pejora, quæ contingant.* Gronovius.

14 *Sub ictu habent*] A ſagittariis, qui emiſſuri telum ad ſcopum, etſi nondum emiſerunt. Alii à gladiatoribus petunt, jam ferituris. Parum eſt, de ſenſu liquet, vel ex Senecæ ſimilibus locis. De Benefic. 2. cap. 29. de Vit. beat. cap. 12. ad Marciam, cap. 9. Adde hoc Lucani:

—— quod nolles ſtare ſub ictu
Fortunæ, quo mundus erat Romanaque fata,
Conjux ſola fuit.

Ad Pompeium dicit, qui ſolam Corneliam extra bella habuit. *Lipſius.* A gladiatorum arte traductum videtur, qui ſub ictu habent adverſarium, cum intectum ac nudum jam jam icturi ſunt. diciturque ſub ictu eſſe, qui ictui ſe alterius expoſuit. Et ab ea mente Lactantius quoque forſan lib. 7. c. 12. divin. inſtit. *Nec vim repellere poteſt, quia ſub aſpectum & ictum venit.* hæc Acidalius lect. Vellejan. lib. 2.

Epist.

EPIST. LXXIII.

Philoſophos non eſſe contumaces. Parere magis, & amare Principes, quam illos ambitioſos, aut Palatinos. Nam iſti appetunt, invident, ſemper inquieti, & ſæpe irati. Illi autem amant, quia in quiete ſub iis ſunt, & tales ſunt, id eſt, bonarum mercium pleni. Imputant etiam hoc beneficium, etſi pluribus contingat. Hortatur deinde aſſurgere ad Virtutem, id eſt, Deum. Nam Sapientem (Stoica ſuperbia) vel illi parem.

ERrare mihi videntur, qui exiſtimant, philoſophiæ fideliter deditos, [1] contumaces eſſe ac refractarios, & contemptores magiſtratuum ac regum, eorumve per quos publica adminiſtrantur. E contrario enim, nulli adverſus illos gratiores ſunt: nec immerito. nullis enim plus præſtant, quam quibus frui tranquillo otio licet. Itaque hi, [2] quibus ad propoſitum bene vivendi aditum confert ſecuritas publica, neceſſe eſt auctorem hujus boni, ut parentem colant: multo quidem magis, quam illi inquieti, & [3] in medio poſiti; qui multa principibus debent, ſed [4] multa & imputant: quibus nunquam tam plene occurrere ulla liberalitas poteſt, ut cupiditates illorum quæ creſcunt, dum implentur, exſatiet. Quiſquis autem de accipiendo cogitat, oblitus accepti eſt. nec ullum habet malum cupiditas

EPIST. LXXIII. 1 *Contumaces eſſe ac refractarios*] Crebra objectio in Stoïcos, propter magnitudinem ſermonis atque animi, & quia terribilia calcabant. Epictetus 4. Diſſert. cap. 7. *At iſta verba contemptores legum efficiunt. Quæ vero verba legibus obedientiores reddunt? Lex non eſt, quæ fertur à ſtultis. & tamen vide quomodo ad illa etiam ſe aptent & efficiant paratos.* Plura lege: & apud me, ſi lubet, Manud. 1. Diſſert. 15. *Lipſius.*

2 *Quibus ad propoſitum bene vivendi aditum confert*] Libri ſcripti fere, *quibus altum ad propoſitum bene vivendi confert*: meus & quidam, *quibus alterum*. Quod probem, non primum aditum confert cuique voluntas ſua, & ſtudium; alterum hæc publica ſecuritas, quia datur & licet. *Idem.* Mirum eſt omnes aliorum codices deſtitui voce, quæ plane exiſtat in Erf. *quibus altum otium ad propoſitum bene vivendi confert ſecuritas publica.* Gronovius.

3 *In medio poſiti*] Non ſeducti, & à turba remoti, ut philoſophi. *Lipſius.*

4 *Multà & imputant*] Quia officia & miniſteria Principibus exhibent, qui in actu. Nihil inſcribere poſſunt otioſi. *Idem.*

ditas majus, quam quod ingrata eſt. [5] Adjice nunc, quod nemo eorum qui in republica verſantur, quos vincat, ſed à quibus vincatur, adſpicit: & illis non tam jucundum eſt, multos poſt ſe videre, quam grave, aliquem ante ſe. Habet hoc vitium omnis ambitio: non reſpicit. Nec ambitio tantum inſtabilis eſt, verum cupiditas omnis: quia [6] incipit ſemper à fine. At ille vir ſincerus ac purus, qui reliquit & curiam, & forum, & omnem adminiſtrationem reip. ut ad ampliora ſecederet, diligit eos per quos hoc ei facere tuto licet, ſoluſque illis [7] gratuitum teſtimonium reddit, & magnam rem [8] neſcientibus debet. Quemadmodum præceptores ſuos veneratur ac ſuſpicit, quorum beneficio [9] illis ſe vitiis exuit: ſic & his, ſub quorum tutela poſitus exercet artes bonas. Verum alios quoque rex viribus ſuis protegit. quis negat? Sed quemadmodum Neptuno plus debere ſe judicat, ex his qui eadem tranquillitate uſi ſunt, qui plura & pretioſiora illo mari vexit: & animoſius à mercatore, quam à vectore ſolvitur votum: & ex ipſis mercatoribus effuſius gratus eſt, qui odores ac purpuras & auro penſanda portabat, quam qui viliſſima quæque & ſaburræ loco futura congeſſerat: ſic hujus pacis beneficium ad omnes pertinentis, altius ad eos pervenit, qui illa bene utuntur. multi enim ſunt ex his togatis, quibus pax operoſior bello eſt. An idem exiſtimas pro pace debere eos, qui illam ebrietati aut libidini impendunt, aut aliis vitiis, quæ vel bello rumpenda ſunt? niſi forte tam iniquum putas eſſe ſapien-

5 *Adjice nunc, quod*] His ſimilia aut gemina, vide 2 de Benef. c.27. & 3 de Ira, cap.30. & 31. *Lipſius.*

6 *Incipit ſemper à fine*] Finis unius, eſt initium alterius. Hoc cupitum habeo? aliud cupio, & fit ſeries infinita. *Idem.*

7 *Gratuitum teſtimonium*] Mercede alia, aut privato beneficio, non emptum. *Idem.*

8 *Neſcientibus debet*] Quia nec ſciunt Principes, aut intendunt, illi ſe hoc praſtare. *Idem.*

9 *Illis ſe vitiis exuit*] Mureti eſt: è libris facias, *illis invia exiit.* Nam ſtulti ſemper extra viam, & errabundi: in recto & alto ſapiens.

Deſpicere unde queat alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ. Idem.

10 *Quam-*

ſapientem, ut nihil viritim ſe debere pro communibus bonis judicet. Soli lunæque plurimum debeo: & non uni mihi oriuntur. anno, temperantique annum Deo, privatim obligatus ſum: [10] quamvis nihil in meum honorem deſcripta ſint. [11] Stulta avaritia mortalium poſſeſſionem proprietatemque diſcernit, nec quidquam ſuum credit eſſe, quod publicum eſt: at ille ſapiens nihil judicat ſuum magis, quam cujus illi cum humano genere conſortium eſt. Nec enim eſſent iſta communia, niſi pars illorum pertineret ad ſingulos. ſocium efficit, etiam quod ex minima portione commune eſt. Adjice nunc, quod magna & vera bona non ſic dividuntur, ut exiguum in ſingulos cadat: ad unumquemque tota perveniunt. Ex congiario tantum ferunt homines, quantum in capita promiſſum eſt: epulum & [12] viſceratio, & ſi quid aliud capitur manu, diſcedit in partes: at hæc individua bona, pax, & libertas, tam omnium tota, quam ſingulorum ſunt. Cogitat itaque ſapiens, per quem ſibi horum uſus fructuſque contingat, per quem non ad arma illum, nec ad ſervandas vigilias, nec ad tuenda mœnia, & multiplex belli tributum publica neceſſitas vocet: agitque gubernatori ſuo gratias. Hoc docet philoſophia præcipue, bene debere beneficia, bene ſolvere. interdum autem ſolutio eſt ipſa confeſſio. Confitebitur ergo multum ſe debere ei, cujus adminiſtratione ac providentia

10 *Quamvis non in meum honorem*] Mss. *Quamvis nihil in meum*, vel *nil.* Unde Gruterus pro *deſcripta* ſuſpicabatur *deſtricta.* Sed nec hoc mutem, & illud è vett. recipiam: quando ſolent veteres interdum τὸ *nihil* ἀντὶ τοῦ *non* ponere. Cicero lib. 2 de Oratore: *vibrant haſtas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur.* Lib. 1 Tuſc. Qu. *Sed nihil te interpellabo, continentem orationem audire malo.* Gronovius.

11 *Stulta avaritia mortalium*] Spectant ad Paradoxum illud, Omnia ſapientis eſſe: de quo nos Manuduct. 3. Diſſert. 11. *Lipſius.*

12 *Viſceratio*] Epiſt. 19. *Sine amico viſceratio, leonis ac lupi vita eſt.* Sed ibi de privata viſceratione, cum ex ſacrificio, aut tali cauſſa, caro uberior, nec ſoli abſumenda. Hic de publica, cum Princeps aut magiſtratus daret. In epulis autem & ſacrificiis publicis etiam caro & talia, partibus diſtributa: quod Plutarchus argumentum priſcæ frugalitatis habet, Quæſt. Convival. 2. cap. ult. *Idem.*

dentia contingit illi pingue otium, & arbitrium ſui temporis, & imperturbata publicis occupationibus quies.

O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi ſemper Deus. ——

Si illa quoque otia multum auctori ſuo debent, quorum munus hoc maximum eſt:

Ille meas errare boves (ut cernis) & ipſum
Ludere quæ vellem, calamo permiſit agreſti:

quanti æſtimamus hoc otium, quod inter deos agitur, quod deos facit? Ita dico, Lucili, & te in cælum compendiario voco. Solebat Sextius dicere, [13] Jovem plus non poſſe quam bonum virum. Plura Jupiter habet, quæ præſtet hominibus: ſed inter duos bonos non eſt melior, qui locupletior. non magis, quam inter duos, quibus par ſcientia regendi gubernaculum eſt, meliorem dixeris, cui majus ſpecioſiuſque navigium eſt. Jupiter quo antecedit virum bonum? diutius bonus eſt. Sapiens nihilo ſe minoris æſtimat, quod virtutes ejus ſpatio breviore clauduntur. Quemadmodum ex duobus ſapientibus, qui ſenior deceſſit, non eſt beatior eo, cujus intra pauciores annos terminata virtus eſt: ſic Deus non vincit ſapientem felicitate, etiam ſi vincit ætate. non eſt virtus major, quæ longior. Jupiter omnia habet: ſed nempe aliis tradidit habenda. ad ipſum hic unus uſus pertinet, quod utendi etiam omnibus cauſſa eſt: ſapiens tam æquo animo omnia apud alios videt, contemnitque, quam Jupiter. & hoc ſe magis ſuſpicit, quod Jupiter uti illis non poteſt, ſapiens non vult. Credamus itaque Sextio, monſtranti pulcherrimum iter, & clamanti, Hac itur ad aſtra: hac, ſecundum frugalitatem; hac, ſecundum temperantiam; hac, ſecundum fortitudinem. Non ſunt dii faſtidioſi, non invidi: admittunt, & aſcendentibus manum porrigunt. Miraris hominem ad deos ire? Deus ad homines venit, imo (quod propius eſt) [14] in homines

13 *Jovem plus non poſſe*] Vana, ridenda. Vide hæc omnia in Manud. 3. Diſſertat. 14. *Lipſius.*

14 *In homines venit*] Nam recta Ratio

nes venit. Nulla ſine Deo mens bona eſt. Semina in corporibus humanis divina diſperſa ſunt. quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeunt, & paria his ex quibus orta ſunt ſurgunt: ſi malus, non aliter quam humus ſterilis ac paluſtris, necat, ac deinde [15] curat purgamenta pro frugibus.

EPIST. LXXIV.

O pulcra, ô honeſta Epiſtola! & de ipſo Honeſto. unum illud re Bonum eſſe: cetera, opinione. Qui tuto, qui ſecuro volet vivere, ſic ſentiat. Quid etiam? ſcutum in omnia fortuita promptum habeat, Deum ſequi. Objectiunculis quibuſdam deinde reſpondet: poſtremo, vitam beatam, ut circulum eſſe; in parvo, in magno, perfectam: nihil addi, nihil detrahi ab Externis. Iterandum eſt, ô pulcra, ô honeſta! qui mentem talem habes, fruere.

EPiſtola tua delectavit me, & marcentem excitavit: [1] memoriam quoque meam, quæ jam mihi ſegnis ac lenta eſt, evocavit. Quid ni tu, mi Lucili, maximum putes inſtrumentum beatæ vitæ hanc perſuaſionem, [2] unum bonum eſſe, quod honeſtum eſt? Qui omne bonum honeſto circumſcripſit, [3] intra ſe felix eſt. nam qui alia bona judicat, in fortunæ venit poteſtatem, alieni arbitrii ſit.

tio in nobis, ut volunt, ipſa ejus pars eſt. *Lipſius.*

15 *Creat purgamenta*] Quidam ſcripti, *curat:* bono item ſenſu. Cum enim bonus cultor curare & educare fruges debeat; iſte curam purgamentis impendit, id eſt paleas, & ſtipulas (res externas) habet pro frugibus. *Idem.*

EPIST. LXXIV. 1 *Memoriam quoque meam*] Ergo illud fuit, quod ſupra epiſtola 72. quærebatur, & negabat ſe memoriam retentaſſe. Vide initium. *Idem.*

2 *Unum bonum, quod honeſtum*] Eſt certe maximum inſtrumentum, & radix (ut ego appellavi) omnium decretorum. Vide Manud. 2. Diſſert. 20. *Idem.*

3 *Intra ſe felix*] Caput primum Epicteti, in Pugillari. *Τῶν ὄντων τὰ μὲν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δὲ οὐκ ἐφ' ἡμῖν. Quæ ſunt, alia in nobis, alia non in nobis:* & addidit, illa in poteſtate noſtra eſſe libera, & liberum efficere, id eſt beatum. Beatitas igitur intra, nec extra quærenda eſt. *Idem.*

ſit. Hic amiſſis liberis mœſtus, hic ſolicitus ægris, hic turpibus & aliquam paſſis infamiam triſtis. illum videbis alienæ uxoris amore cruciari, [4] illum ſuæ. Non deerit, quem repulſa diſtorqueat: erunt, quos honor ipſe vexet. Illa vero maxima eſt ex omni mortalium populo turba miſerorum, quam exſpectatio mortis exagitat, undique impendens. [5] nihil enim eſt, unde non ſubeat. Itaque ut in hoſtili regione verſantibus, huc & illuc circumſpiciendum eſt, & ad omnem ſtrepitum circumagenda cervix: niſi hic timor è pectore ejectus eſt, palpitantibus præcordiis vivitur. Occurrent acti in exſilium, & evoluti bonis: occurrent (quod genus egeſtatis graviſſimum eſt) [6] in divitiis inopes: occurrent naufragi, ſimiliave naufragis paſſi, quos aut [7] popularis ira, aut invidia, pernicioſum optimis telum, inopinantes ſecuroſque disjecit, procellæ more, quæ in ipſa ſereni fiducia ſolet emergere, aut [8] fulminis ſubiti, ad cujus ictum etiam vicina tremuerunt. Nam ut illic quiſquis ab igne propior ſtetit, percuſſo ſimilis obſtupuit: ſic in his per aliquam vim accidentibus, unum calamitas opprimit, ceteros metus: paremque paſſis [9] triſtitiam facit, pati poſſe. Omnium animos mala aliena ac repentina ſollicitant. Quemadmodum aves, etiam inanis fundæ ſonus territat: ita nos non ad ictum tantum exagitamur, ſed ad crepitum. Non poteſt ergo quiſquam beatus eſſe, qui huic ſe opinioni credidit. non enim beatum eſt, niſi quod intrepidum. inter ſuſpecta male vivitur. Quiſquis ſe multum

4 *Illum ſuæ*] Nimio aut ſuſpicioſo (quod adhæret) amore. Mæcenas aliquis in hac ſorte. *Lipſius.*

5 *Nihil enim eſt, unde*] Ubique mors eſt. ab homine, fera, domo, tegula, arbore, aqua, vento, aura: & quid excipiam? non ipſum te, qui eam times. Potes & manus tibi adferre. *Idem.*

6 *In divitiis inopes*] Avari. *Idem.*

7 *Popularis ira*] Dic verum Seneca, & pro tuo ævo: Principis ira, aut odium. *Idem.*

8 *Fulminis ſubiti*] Similis comparatio, & ſententia, in de Clement. 1. cap. 8. *Idem.*

9 *Triſtitiam facit, pati poſſe*] O occulta, & vera! Nihil in Tyrannide magis angit, quam quod ab exemplo timemus: & in uno læſo, lædi poſſe videmus, & ſuſpicamur. *Idem.*

10 *Miſſi-*

tum fortuitis dedit, ingentem ſibi materiam perturbationis, & inexplicabilem fecit: una hæc via eſt ad tuta vadenti, & externa deſpicere, & honeſto contentum eſſe. Nam qui aliquid virtute melius putat, aut ullum præter illam bonum; ad hæc quæ à fortuna ſparguntur, ſinum expandit, & ſolicitus [10] miſſilia ejus exſpectat. Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum honores, divitias, gratiam excutere: quorum alia inter diripientium manus ſciſſa ſunt, alia infida ſocietate diviſa, alia magno detrimento eorum, in quos devenerant, prenſa: ex quibus quædam aliud agentibus inciderunt, quædam quia nimis captabantur, amiſſa, & dum avide rapiuntur, excuſſa ſunt. Nulli vero, etiam cui rapina feliciter ceſſit, gaudium rapti duravit in poſterum. Itaque [11] prudentiſſimus quiſque, cum primum induci videt munuſcula, à theatro fugit, & ſcit magno parva conſtare. Nemo manum conſerit cum recedente, nemo exeuntem ferit: circa præmium rixa eſt. Idem in his evenit, quæ fortuna deſuper jactat. æſtuamus miſeri, diſtringimur, multas habere cupimus manus: modo in hunc, modo in illum reſpicimus: nimis tarde nobis mitti videntur, quæ cupiditates noſtras irritant, ad paucos perventura, exſpectata omnibus. Ire obviam cadentibus cupimus: gaudemus ſi quid invaſimus: invidentque alii, quos ſpes vana deluſit. vilem prædam magno aliquo incommodo luimus, [12] aut inde fallimur. Secedamus itaque ab iſtis ludis, & demus raptoribus locum. Illi ſpectent bona iſta pendentia, & ipſi magis pendeant. Quicumque beatus eſſe conſtituit, unum eſſe bonum putet, quod honeſtum eſt. Nam ſi ullum aliud exiſtimat, primum male de providentia judicat:

quia

10 *Miſſilia ejus exſpectat*] A ludis ſumptum, in quibus teſſerulæ ſpargi donorum indices, aut ipſa etiam dona ſolent. Quia ex alto mittebantur in ſorte capientes, *Miſſilia* dicta. *Lipſ.*

11 *Prudentiſſimus quiſque*] Plebeia enim hæc oblectamenta, aut capturæ: honeſtiores ſpernebant. *Idem.*

12 *Aut inde fallimur*] Corruptum. Fortaſſis, *aviditate fallimur*: aut, *avidique*. Tentabam etiam, *aut hiando*. Idem.

quia multa incommoda juſtis viris accidunt: & quia quidquid nobis dedit, breve eſt & exiguum, ſi compares mundi totius ævo. Ex hac deploratione naſcitur, ut ingrati divinorum interpretes ſimus. querimur, quod non ſemper, & quod pauca nobis, & incerta, & abitura contingant. Inde eſt quod nec vivere, nec mori volumus. vitæ nos odium tenet, timor mortis. Nutat omne conſilium, nec implere nos ulla felicitas poteſt. Cauſſa autem eſt, quod non pervenimus ad illud bonum immenſum & inſuperabile, ubi neceſſe eſt reſiſtat voluntas noſtra, quia ultra ſummum non eſt locus. Quæris, quare virtus nullo egeat? præſentibus gaudet, non concupiſcit abſentia: nihil non illi magnum eſt, quia ſatis. Ab hoc diſcede judicio: non pietas conſtabit, non fides. multa utramque præſtare cupienti patienda ſunt, ex his quæ mala appellantur: multa impendenda ſunt ex his, quibus indulgemus tanquam bonis. Perit fortitudo, quæ periculum facere debet ſui: perit magnanimitas, quæ non poteſt eminere, niſi omnia velut minuta contempſerit, quæ pro maximis vulgus optat: perit gratia, & [13] relatio gratiæ æſtimatur labor, ſi quidquam pretioſius fide novimus, ſi non optima ſpectamus. Sed ut illa prætercam, aut iſta bona non ſunt quæ vocantur, aut homo felicior Deo eſt. quoniam quidem quæ parata nobis ſunt, non habet in uſu Deus: nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes, nec quidquam ex his hominem ineſcantibus, & vili voluptate ducentibus, pertinet. Ergo aut, quod incredibile eſt, bona Deo deſunt, aut hoc ipſum argumentum eſt, bona non eſſe quæ Deo deſunt. Adjice, quod multa quæ bona videri volunt, animalibus quam homini pleniora contingant. Illa cibo avidius utuntur. Venere non æque fatigantur: virium illis major eſt & æquabilior firmitas. ſequitur ut multo feliciora ſint homine.

Nam

13 *Relatio gratiæ æſtimatur*] Cum Grutero meo libens ſic diſtinxi, & ſcripſi: etſi ex meo facias, *relatio gratiæ exiſtimatur labi.* Illud melius, veriuſque. *Lipſius.*

14 *Sunt-*

Nam ſine nequitia, ſine fraudibus degunt; fruuntur voluptatibus, quas & magis capiunt, & ex facili, ſine ullo pudoris aut pœnitentiæ metu. Conſidera tu itaque, an id bonum vocandum ſit, quo Deus ab homine vincitur. [14] Summum bonum in animo conſtituamus. obſoleſcit, ſi ab optima noſtri parte ad peſſimam tranſit, & transfertur ad ſenſus, qui agiliores ſunt animalibus mutis. Non eſt ſumma felicitatis noſtræ in carne ponenda. Bona illa ſunt vera, quæ ratio dat: ſolida ac ſempiterna, quæ cadere non poſſunt, nec decreſcere quidem aut minui. cetera opinione bona ſunt: & nomen quidem habent commune cum veris, proprietas in illis boni non eſt. Itaque [15] commoda vocentur, & (ut noſtra lingua loquar) producta: ceterum ſciamus mancipia noſtra eſſe, non partes; & ſint apud nos, ſed ita ut meminerimus extra nos eſſe. Etiam ſi apud nos ſint, inter ſubjecta & humilia numerentur, propter quæ nemo ſe attollere debeat. quid enim ſtultius, quam aliquem eo ſibi placere, quod ipſe non fecit? Omnia iſta nobis accedant, non hæreant: ut ſi abducantur, ſine ulla noſtri laceratione diſcedant. Utamur illis, non gloriemur: & utamur parce, tanquam depoſitis apud nos, & abituris. Quiſquis illa ſine ratione poſſedit, non diu tenuit. ipſa enim felicitas ſe niſi temperat, premit: ſi fugaciſſimis bonis credidit, cito deſeritur; & [16] ut non deſeratur, affligitur. Paucis deponere felicitatem molliter licuit: ceteri, cum his inter quæ eminuere, labuntur, & illos degravant ipſa quæ extulerant. Ideo adhibebitur prudentia, quæ modum illis ac parſimoniam imponat. quoniam quidem licentia opes ſuas

14 *Summum bonum in animo conſtituamus*] Mss. *contineamus*. Hoc eſt, intra animum claudamus & arctemus. Sic Celtas Cæſar ait *contineri Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum*. Epiſt. 87. *ſine ullis rebus niſi quæ corpore noſtro continebantur*. Gronovius.

15 *Commoda vocentur*] Quia aliquid commodant: Græcis Εὔχρηστα. Vide me diffuſe Manud. 3. Diſſert. 22. *Lipſius*.

16 *Ut non deſeratur, affligitur*] Id eſt, ſi maneant opes & potentia, cadunt ſuper ipſum, & dejiciunt. Tacitus: *Potentia, quæ nimia, poſtremo ruit ſuper ipſum*. Idem.

17 *Tla-*

ſuas præcipitat, atque urget: nec unquam immodica duarunt, niſi illa moderatrix ratio compeſcuit. Hoc multarum tibi urbium oſtendet eventus, quarum in ipſo flore luxurioſa imperia ceciderunt, & quidquid virtute erat partum, intemperantia corruit. Adverſus hos caſus muniendi ſumus. nullus autem contra fortunam inexpugnabilis murus eſt: intus inſtruamur. Si illa pars tuta eſt, pulſari homo poteſt, capi non poteſt. Quod ſit hoc inſtrumentum, ſcire deſideras? nihil indignetur ſibi accidere, ſciatque, illa ipſa quibus lædi videtur, ad conſervationem univerſi pertinere, & ex his eſſe, quæ curſum mundi officiumque conſummant. [17] Placeat homini, quidquid Deo placuit: ob hoc ſeipſum ſuaque miretur, quod non poteſt vinci, quod mala ipſa ſub ſe tenet, quod ratione, qua valentius nihil eſt, caſum doloremque & injuriam ſubigit. Ama rationem: hujus te amor contra duriſſima armabit. Catulorum amor in venabula impingit feras, quas feritas & inconſultus impetus præſtat indomitas: juvenilia nonnunquam ingenia cupido gloriæ in contemptum tam ferri, quam ignium, miſit: ſpecies quoſdam, atque umbra virtutis, in mortem voluntariam trudit. quanto his omnibus fortior ratio eſt, quanto conſtantior, tanto vehementior per metus ipſos & pericula exibit. Nihil agitis, inquit, quod negatis ullum eſſe aliud ab honeſto bonum. non faciet vos hæc munitio tutos à fortuna, & immunes. Dicitis enim, inter bona eſſe liberos pios, & bene moratam patriam, & parentes bonos. horum pericula non poteſtis ſpectare ſecuri; perturbabit vos obſidio patriæ, liberorum mors, parentum ſervitus. Quid adverſus hos pro nobis reſponderi ſoleat, ponam: deinde tunc adjiciam, quid præterea reſpondendum putem. Alia conditio eſt in his, quæ ablata in locum ſuum aliquid incommodi ſubſtituunt: tanquam bona

17 *Placeat homini*] Vide paria Manud. 2. Diſſert. 16. Hic enim finis hominis, Naturam, id eſt Deum, ſequi. *Lipſius.*

18 In

bona valetudo vitiata, in malam transfertur: acies oculorum exſtincta, cæcitate nos afficit: non tantum velocitas perit poplitibus inciſis, ſed debilitas pro illa ſubit. Hoc periculum non eſt in his, quæ paulo ante retulimus. quare? ſi amicum bonum amiſi, non eſt mihi pro illo perfidia patienda: nec ſi bonos liberos extuli, in illorum locum impietas ſuccedit. Deinde non amicorum ille, aut liberorum interitus, ſed corporum eſt. Bonum autem uno modo perit, ſi in malum tranſit, quod natura non patitur: quia omnis virtus & opus omne virtutis incorruptum manet. Deinde, etiam ſi amici perierunt, etiam ſi probati reſpondenteſque voto patris liberi: eſt quod illorum expleat locum. Quid ſit, quæris? quod illos bonos fecerat, virtus. Hæc nihil vacare patitur loci: totum animum tenet, deſiderium omnium tollit: ſola ſatis eſt. Omnium enim bonorum vis & origo in ipſa eſt. Quid refert, an aqua decurrens intercipiatur atque abeat, ſi fons ex quo fluxerat, ſalvus eſt? Non dices vitam juſtiorem ſalvis liberis, quam amiſſis, nec ordinatiorem, nec prudentiorem, nec honeſtiorem: ergo nec meliorem quidem. Non facit collectio amicorum ſapientiorem, non facit ſtultiorem detractio? ergo nec beatiorem, aut miſeriorem. quamdiu ſalva fuerit virtus, non ſenties quid abſceſſerit. Quid ergo? non eſt beatior & amicorum & liberorum turba ſuccinctus? Quid ni non ſit? Summum enim bonum nec infringitur, nec augetur: in ſuo modo permanet: utcumque fortuna ſe geſſit, ſive illi ſenectus longa contigit, ſive citra ſenectutem finitus eſt, eadem menſura ſummi boni eſt, quamvis ætatis diverſa ſit. Utrum majorem an minorem circulum ſcribas, ad ſpatium ejus pertinet, non ad formam. licet alter diu manſerit, alterum ſtatim obduxeris, & in eum [18] in quo ſcriptus eſt pulve-

18 *In quo ſcriptus eſt pulverem ſolveris*] Mathematici veteres, non creta in tabula, ut hodie, ſed radio in pulvere ſcribebant: atque inde Ciceroni, *pulvis eruditus*. Perſius:

Nec qui abaco numeros, & ſecto in pulvere metas
Scit riſiſſe vafer.

Ubi Scholiaſtes: *Geometra conſueti ſunt in abaco, radio, id eſt aliquo ſtilo formas aliquas*

pulverem ſolveris, in eadem uterque forma fuit. Quod rectum eſt, nec magnitudine æſtimatur, nec numero, nec tempore: non magis produci, quam contrahi poteſt. [19] Honeſtam vitam ex centum annorum numero in quantum voles corripe, & in unum diem coge: æque honeſta eſt. modo latius virtus funditur, regna, urbes, provincias temperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos liberoſque diſpenſat officia: modo arcto fine circumdatur paupertatis, exſilii, orbitatis: non tamen minor eſt, ſi ex altiore faſtigio in privatum, ex regio in humilem ſubducitur, ex publico & ſpatioſo jure in anguſtias domus, vel anguli coit. Æque magna eſt, etiam ſi in ſe receſſit, undique excluſa. nihilominus enim magni ſpiritus eſt & erecti, exactæ prudentiæ, indeclinabilis juſtitiæ. Ergo æque beata eſt: beatum enim illud in uno loco poſitum eſt, in ipſa mente, ſtabile, grande, tranquillum: quod ſine ſcientia divinorum humanorumque non poteſt effici. Sequitur illud, quod me reſponſurum eſſe dicebam: Non affligitur ſapiens liberorum amiſſione, non amicorum. eodem enim animo fert illorum mortem, quo ſuam exſpectat. non magis hanc timet, quam illam dolet. [20] Virtus enim convenientia conſtat: omnia opera ejus cum ipſa concordant, & congruunt: hæc concordia perit, ſi animus, quem excelſum oportet eſſe, luctu aut deſiderio ſubmittitur. Inhoneſta eſt omnis trepidatio & ſolicitudo, & in ullo actu pigritia. Honeſtum enim ſecurum & expeditum eſt, interritum

aliquas & menſuras in ſummo terra annotare. Bene de abaco. nam hanc menſulam, ſive tabulam habebant, in qua pulverem ſpargerent atque adæquarent. *Idem.* Adoleſcentes olim, ut ad cæteras artes perdiſcendas libero quidem homine dignas, animum appellebant, ita Geometriæ plurimum operæ impendebant. Quare in gymnaſiis præſto ſemper erat abacus *pulvere* conſperſus, in quo lineas virgula deſcriberent, ac figuras ducerent: quas commode ſi quid diſpliceret, aut immutarent aut delerent; aliaque ratione deformarent. Hinc *pulvis eruditus* pro mathematicis diſciplinis a Cicero lib. 2 de Nat. Deor. plura Brodæus lib. 1. c. 1. Miſcell.

19 *Honeſtam vitam*] Totum hoc argumenti pertractavi Manud. 3. Diſſert. 2. *Lipſius.*

20 *Virtus enim convenientia conſtat*] Exprimit Zenonis illam ὁμολογίαν, de qua Manud. 2. Diſſert. 15. *Idem.*]

21 Ter-

tum eſt, in procinctu ſtat. Quid ergo? non ergo perturbationi ſimile patietur? nam & color ejus mutabitur, & vultus agitabitur, & artus refrigeſcent? & quidquid aliud, non ex imperio animi, ſed inconſulto quodam naturæ impetu geritur? Fateor: ſed permanebit illi perſuaſio eadem: nihil illorum malum eſſe, nec dignum, ad quod mens ſana deficiat. Omnia quæ facienda erunt, audacter facit & prompte. Hoc enim ſtultitiæ proprium quis non dixerit, ignave & contumaciter facere quæ facit, & alio corpus impellere, alio animum, diſtrahique inter diverſiſſimos motus? Jam propter illa ipſa, quibus extollit ſe miraturque, contempta eſt, & ne illa quidem quibus gloriatur, libenter facit. Si vero aliquod timetur malum, eo perinde, dum exſpectatur, quaſi veniſſet urgetur: & quidquid ne patiatur timet, jam metu patitur. Quemadmodum in corporibus futuri languoris ſigna præcurrunt: quædam enim ſegnitia nervis ineſt, & ſine labore ullo laſſitudo & oſcitatio & horror membra percurrens: ſic infirmus animus, multo ante quam opprimatur malis, quatitur. præſumit illa, & ante tempus cadit. Quid dementius autem, quam angi futuris, nec ſe tormento reſervare, ſed accerſere ſibi miſerias, & admovere: quas optimum eſt differre, ſi diſcutere non poſſis? Vis ſcire, futuro neminem debere torqueri? quicumque audierit poſt quinquageſimum annum ſibi patienda ſupplicia, non perturbatur, niſi ſi medium ſpatium tranſilierit, & ſe [22] in illam ſæculo poſt futuram ſolicitudinem immiſerit. Eodem modo fit, ut animos libenter ægros, & captantes cauſſas doloris, vetera atque obliterata contriſtent. & quæ præterierunt, & quæ futura ſunt, abſunt: neutra ſentimus. non eſt autem, niſi ex eo quod ſentias, dolor.

EPIST.

21 *Perturbationi ſimile patietur*] Vide epiſt. 57. *Lipſius.*

22 *In illam ſæculo poſt futuram*] Ergo *ſæculum* hic pro anno *trigeſimo* circiter. ſi vera lectio de *quinquageſimo* anno. Idem.

Epist. LXXV.

Philoſophiam verba non captare, nec tamen ingenio aut eloquio renuntiare. Præcipuum eſt, ſit vita ut ſermo. Deinde, tentemus progredi: quoniam per gradus adſcenditur, & ſunt tres Proficientium claſſes.

MInus tibi accuratas à me epiſtolas mitti quereris. quis enim accurate loquitur, niſi qui vult putide loqui? Qualis ſermo meus eſſet, ſi una ſederemus, aut ambularemus; illaboratus & facilis: tales eſſe Epiſtolas meas volo, quæ nihil habeant accerſitum, nec fictum. Si fieri poſſet, quid ſentiam, oſtendere quam loqui mallem. Etiam ſi diſputarem, nec ſupploderem pedem, nec manum jactarem, nec attollerem vocem: ſed iſta oratoribus reliquiſſem, contentus ſenſus meos ad te pertuliſſe, quos nec exornaſſem, nec abjeciſſem. hoc unum plane tibi approbare vellem, omnia me illa ſentire quæ dicerem: nec tantum ſentire, ſed amare. Aliter homines amicam, aliter liberos oſculantur: tamen in hoc quoque amplexu tam ſancto & moderato, ſatis apparet affectus. Non mehercules jejuna eſſe & arida volo, quæ de rebus tam magnis dicentur: neque enim philoſophia [1] ingenio renuntiat: multum tamen operæ impendi verbis non oportet. Hæc ſit propoſiti noſtri ſumma: quod ſentimus, loquamur, quod loquimur, ſentiamus. Concordet ſermo cum vita. ille promiſſum ſuum implevit, qui & cum videas illum, & cum audias, idem eſt. Videbimus qualis ſit, quantus: [2] unus ſit. Non delectent verba noſtra, ſed proſint. Si tamen contingere eloquentia non ſolicito poteſt, aut ſi parata eſt, aut parvo conſtat, aſſit, & res pulcherrimas proſequatur. Sit talis, ut

res

Epist. LXXV. 1 *Ingenio renunciat*] Meus, *ingeniorum velut renunciat*: Quidam *ingeniorum velut gelu renunciat*. Quid fuerit, non educo. *Lipſius.*

2 *Unus ſit*] Convenientia ſit in vita. Epiſt. 120. *Magnam rem puta, unum hominem agere.* Vide ibi. *Idem.*

3 *Infra*

res potius quam ſe oſtendat. Aliæ artes, ad ingenium totæ pertinent: hic animi negotium agitur. Non quærit æger medicum eloquentem, ſed ſanantem: ſed ſi ita competit, ut idem ille qui ſanare poteſt, compte de his quæ facienda ſunt diſſerat, boni conſulet: non tamen erit, quare gratuletur ſibi, quod inciderit in medicum etiam diſertum. hoc enim tale eſt, quale ſi peritus gubernator etiam formoſus eſt. Quid aures meas ſcalpis? quid oblectas? aliud agitur. urendus, ſecandus, abſtinendus ſum. Ad hæc adhibitus es: curare debes morbum veterem, gravem, publicum. Tantum negotii habes, quantum in peſtilentia medicus: circa verba occupatus es? jamdudum gaude, ſi ſufficis rebus. Quando multa diſces? quando quæ didiceris affiges tibi, ita ut excidere non poſſint? quando illa experieris? Non enim vt cetera memoriæ tradidiſſe ſatis eſt: in opere tentanda ſunt. Non eſt beatus qui ſcit illa, ſed qui facit. Quid ergo? [3] infra illum nulli gradus ſunt? ſtatim [4] ab ſapientia præceps eſt? Non exiſtimo. Nam qui proficit, in numero quidem ſtultorum eſt, magno tamen intervallo ab illis diducitur: inter ipſos quoque proficientes ſunt magna diſcrimina. [5] In tres claſſes (ut quibuſdam placet) dividuntur: [6] primi ſunt qui ſapientiam nondum habent, ſed jam in vicinia ejus conſtiterunt. tamen etiam quod prope eſt, extra eſt. Qui ſint hi, quæris? qui omnes jam affectus

3 *Infra illum*] Qui nempe ſcit & facit: id eſt, vere ſapientem. *Lipſius.*

4 *Ad ſapientiam*] Placeat cum quibuſdam libris, *à ſapientia præceps:* quod interpretor, Quid igitur? præcipitium eſt ſtatim ab illa ſapientia? non eſt diſcrimen inter vicinos, & longinquos? *Idem.*

5 *In tres claſſes*] Nos in Manud. 2. Diſſert. 9. *Idem.*

6 *Primi ſunt, qui ſapientiam*] Hos Chryſippi verbis deſcribi video, apud Stobæum Serm. 101. Ὁ δ' ἐπ' ἄκρον προκόπτων, ἅπαντα πάντως ἀποδιδοὺς τὰ καθήκοντα, καὶ οὐδὲν παραλείπων· τὸν δὲ βίον οὐκ εἶναι πω φησὶν εὐδαίμονα, ἀλλ' ἐπιγενήσεσθαι αὐτῷ τὴν εὐδαιμονίαν, ὅταν αἱ μέσαι πράξεις αὗται προσλάβωσι τὸ βέβαιον καὶ ἑκτικόν, καὶ ἰδίαν πῆξίν τινα λάβωσιν. *Qui in ſummo eſt proficiens, omnia omnino officia præſtat, nihilque omittit. tamen hujus vitam ait* (Chryſippus, aut Zeno) *nondum beatam eſſe, ſed ſupervenire beatitudinem & accedere, cum media iſta actiones conſtantiam, & habitum, & firmum fixumque aliquid fuerint nacta.* Faciunt plane ad iſta Senecæ, & meis illis in Manuductione licet jungas. *Idem.*

ctus ac vitia poſuerunt: quæ erant complectenda, didicerunt: ſed illis adhuc inexperta fiducia eſt. bonum ſuum nondum in uſu habent. Jam tamen [7] in illa quæ fugerunt, recidere non poſſunt; jam ibi ſunt, unde non eſt retro lapſus: ſed hoc illis de ſe nondum liquet, & quod in quadam epiſtola ſcripſiſſe me memini, ſcire ſe neſciunt. Jam contingit illis bono ſuo frui, nondum confidere. Quidam hoc proficientium genus, de quo locutus ſum, ita complectuntur, ut illos dicant jam effugiſſe morbos animi, affectus nondum, & adhuc in lubrico ſtare: quia nemo ſit extra periculum malitiæ, niſi qui totam eam excuſſit. nemo autem illam excuſſit, niſi qui pro illa ſapientiam aſſumpſit. Quid [8] inter morbos animi interſit & affectus, ſæpe jam dixi: nunc quoque te admonebo. Morbi ſunt inveterata vitia, & dura: ut avaritia, ut ambitio nimia: poſtquam hæc animum implicuerunt, & perpetua eſſe mala ejus cœperunt. Ut breviter finiam, morbus eſt judicium in pravo pertinax. tanquam valde expetenda ſint, quæ leviter expetenda ſunt. vel, ſi mavis, ita finiamus: [9] Nimis imminere leviter petendis, vel ex toto non petendis, aut in magno pretio habere in aliquo habenda, vel in nullo. Affectus, ſunt motus animi improbabiles, ſubiti & concitati: qui frequentes neglectique, fecere morbum. ſicut diſtillatio una, nec adhuc in morem adducta tuſſim facit; aſſidua & vetus, phthiſin. Itaque qui plurimum profecere, extra morbos ſunt: affectus

7 *In illa quæ fugerunt, recidere*] Libri omnes, *decidere*, inquit Gruterus. Et ſic Erf. Quidni? Sic & epiſt.92. *Si non poteſt, ut dicitis, ſapiens ex beato in miſerum decidere, non poteſt in non beatum.* Epiſt.92. *Cæteri decidunt ſubinde, & non reponuntur, & inter omiſſa appetitaque alternis fluctuantur.* Gronovius.

8 *Inter morbos animi*] Cicero ſæpe confundit, & morbos etiam affectus vocat: ſed noſtri diſparant, & ipſe ex eorum & Chryſippi (nominat enim) ſenſu, 4 Tuſculana: *Intelligatur igitur, Perturbationem* (Senecæ, Affectum) *jactantibus ſe opinionibus inconſtanter & turbide, in motu eſſe ſemper: cum autem hic fervor concitatioque animi inveteraverit, & tanquam in venis medulliſque inſederit, tum exiſtit & morbus.* Lipſius.

9 *Nimis imminere leviter petendis*] Similis finitio in Laërtio, Νόσημα, ὡσὰν οἴησιν σφόδρα δοκοῦντος αἱρετοῦ· *Ægrotatio, eſt opinatio rei valde expetendæ.* Etſi ille à *Morbo* etiam ſive ἀῤῥωστήματα τι diſtinguit, Senecæ hic neglectum. Nos in Ethicis videbimus. *Idem.*

10 *Tam*

ctus adhuc ſentiunt, perfecto proximi. Secundum genus eſt eorum, qui & maxima animi mala & affectus depoſuerunt, ſed ita ut non ſit illis ſecuritatis ſuæ certa poſſeſſio: poſſunt enim in eadem relabi. Tertium illud genus extra multa & magna vitia eſt, ſed non extra omnia. effugit avaritiam; ſed iram adhuc ſentit. jam non ſollicitatur libidine; ſed habet etiamnum ambitionem. jam non concupiſcit; ſed adhuc timet. & in ipſo metu ad quædam ſatis firmus eſt, quibuſdam cedit: mortem contemnit, dolorem reformidat. De hoc loco aliquid cogitemus: bene nobiſcum agetur, ſi in hunc admittimur numerum. Magna felicitate naturæ, magnaque & aſſidua intentione ſtudii, ſecundus occupatur gradus: ſed nec hic quidem contemnendus eſt color tertius. Cogita, quantum circa te videas malorum: adſpice, quam nullum ſit nefas ſine exemplo, quantum quotidie nequitia proficiat, quantum publice privatimque peccetur: intelliges ſatis nos conſequi, ſi inter peſſimos non ſumus. Ego vero, inquis, ſpero me poſſe & amplioris ordinis fieri. Optarim hoc nobis magis, quam promiſerim. præoccupati ſumus: ad virtutem contendimus, inter vitia diſtricti: pudet dicere, honeſta colimus, quantum vacat. At quam grande præmium nos exſpectat, ſi occupationes noſtras, & mala tenaciſſima, abrumpimus? Non cupiditas nos, non timor pellet: inagitati terroribus, incorrupti voluptatibus, nec mortem horrebimus, nec deos: ſciemus mortem malum non eſſe, deos malos non eſſe. [10] Tam imbecillum eſt, quod nocet, quam cui nocetur: optima vi noxia carent. Exſpectant nos, ſi ex hac aliquando fæce in illud evadimus ſublime & excelſum, tranquillitas animi, & expulſis erroribus abſoluta libertas. Quæris, quæ ſit iſta? non homines timere, non deos: nec turpia velle, nec nimia: in ſeipſum habere maximam poteſtatem. Inæſtimabile bonum eſt, ſuum fieri.

EPIST.

10 *Tam imbecillum eſt quod nocet*] Timere enim videtur, ideoque vel cavere, vel ulciſci. *Lipſius.*

EPIST. LXXVI.

Philoſophum ſe audire, & ſcholam adire. Conqueritur de hominum incuria vel ignavia, qui alia diſcunt, philoſophari negligunt. Ne tu ſic, ô Lucili. propera, & Bonum diſce. quod Bonum? unum illud, Honeſtum. Et iterum argumentis evincit, tale eſſe; alia non eſſe. Laudabilis & ſapiens Epiſtola.

[1] INimicitias mihi denuntias, ſi quidquam ex his quæ quotidie facio, ignoraveris. Vide quam ſimpliciter tecum vivam: hoc quoque tibi committam. Philoſophum audio, & quidem quintum jam diem habeo, ex quo in ſcholam eo, & ab octava diſputantem audio. [2] Bona, inquis, ætate. Quid ni bona? quid autem ſtultius, quam quia diu non didiceris, non diſcere? Quid ergo? idem faciam, quod [3] troſſuli & juvenes? Bene mecum agitur, ſi hoc unum [4] ſenectutem meam dedecet. Omnes ætatis homines hæc ſchola admittit: in hac ſeneſcamus, [5] hanc ut juvenes

EPIST. LXXVI. 1 *Inimicitias mihi denuntias*] Solebant veteres, ſi quæ graves inter eos inciderent ſimultates, amicitiam ſolemni quadam ratione renuntiare, & inimicitias præſentibus ſuperſtitibus profiteri. Exprimit evidenter Suetonius in Claudio: ubi de Germanico loquitur: *Ac non tam quidem ultra progreſſus, quam ut amicitiam ei renuntiaret, mandaret domeſticis ultionem ſi quid accideret.* de hoc ipſo Tacitus lib. 6 Annal. *Morem fuiſſe majoribus quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumque finem gratiæ ponere.* Vide plura apud Rævardum lib. 5. c. 15. Var. Durantium lib. 2. cap. 11. Var. & Lipſium ad lib. 2 Annal. Taciti.

2 *Bona, inquis, ætate*] Ridentis verba. & juvenis ſcilicet diſcis. *Lipſius.*

3 *Quod troſſuli*] Equites. in quo ordine tunc quia plerique juvenes, & grandiores ad latum clavum ſtatim veniebant; factum, ut & pro juvenibus caperentur. Vide me 2 Elector. cap. 1. Utitur iterum Seneca, epiſt. 87. *Idem.*

4 *Senectutem meam dedecet*] Sim ſane ſenex Scholaſticus, & ridear: ſicut & in proverbio erat, *Mittatur ſenex in ſcholam.* Utinam non alia in me dedecora! *Idem.*

5 *Hanc, ut juvenes ſequamur*] Scriptis abeſt omnibus illud, *hanc*: nec ſcio an Latine ſatis, *ſequi ſcholam.* Ex libris igitur argutius legam: *in hac ſeneſcamus, ut juveneſcamus.* Seneſcamus in iſta ſapientiæ ſchola, ut alios animos, ſi non annos, ſumamus, & in meliorem ſtatum renovemur. *Idem.* Dubitat Lipſius, an ſatis Latine; *ſcholam ſequi.* Satis: ut *ſequi* ſit idem quod petere. Cicero, 4 Famil. 2. *quod conſilium in diſceſſu, quæ loca ſequamur?* Libro 10 ad Att. ult. *Formias nunc ſequimur: eadem nos fortaſſe furiæ perſequentur.* Sic libri mss. Fruſtra ſubdiderunt, *Furias* aut [illegible], apud Lambinum, *Fors μιᾶς* Boſius. Superiore epiſt. 16.

For-

Digitized by Google

venes ſequamur. In theatrum ſenex ibo, & in circum deferar, & nullum par ſine me depugnabit. Ad philoſophum ire erubeſcam? Tam diu diſcendum eſt, quam diu neſcias, &, ſi proverbio credimus, [6] quam diu vivas. Nec ulli hoc rei magis convenit, quam huic: tam diu diſcendum eſt quemadmodum vivas, quam diu vivis. Ego tamen hic aliquid & doceo. Quæris quid doceam? etiam ſeni eſſe diſcendum. Pudet autem me generis humani, [7] quoties ſcholam intravi. Præter ipſum theatrum Neapolitanorum (ut ſcis) tranſeundum eſt, Metronactis petentibus domum. [8] Illud quidem factum eſt: & hoc ingenti ſtudio, quis ſit [9] pithaules bonus, judicatur: habet tibicen quoque Græcus [10] & præco concurſum. At in illo loco, in quo vir bonus quæritur, in quo vir bonus diſcitur, pauciſſimi ſedent: & hi pleriſque videntur nihil boni negotii habere, quod agant: inepti & inertes vocantur. Mihi contingat iſte deriſus. æquo animo audienda ſunt imperitorum convicia: & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemptus.

Perge,

Formianum nominat. Sic Virgilius, *Italiam ſequimur.* De lectione tamen dubito, quia omnes mss. voce *hanc* carent. Vide an poſſit placere Scriverii conjectura: *in hanc ſenes eamus, ut juvenes ſequantur.* Gronovius.

6 *Quam diu vivas*] Plato in Amatoribus: Τί οὖν ἐστιν φιλοσοφεῖν; τί δ' ἄλλο γε, ἢ κατὰ τὸν Σόλωνα; Σόλων γάρ πού εἶπε·

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Καὶ ἐμοὶ δοκεῖ ἀεὶ οὕτω χρῆναι, ἕν γέ τι μανθάνειν τὸν μέλλοντα φιλοσοφήσειν, καὶ νεώτερον ὄντα καὶ πρεσβύτερον· *Quid igitur eſt philoſophari? Quid aliud, niſi illud Solonis? qui dixit,*

Aſſidue addiſcens ad ſenium venio.

Et mihi ſic decere videtur, eum, qui philoſophus eſt futurus, aliquid ſemper diſcere, & juvenem exſiſtentem & ſenem. Talia in Lachete idem, & alibi: nos in Manud. 1. Diſſert. 1. *Lipſius.*

7 *Quoties ſcholam intravi*] Magnam lucem dabit melior diſtinctio: *Pudet me generis humani, quoties ſcholam intravi. Præter ipſum theatrum Neapolitanorum, ut ſcis, tranſeundum eſt Metronactis petentibus domum. Illud quidem factum eſt,* &c. *Gronovius.*

8 *Illud quidem farctum eſt*] Plenum, ſtipatum. *Idem.*

9 *Pithaules bonus*] Ita Græcis, qui doliolo ſive cado canit. Nam & id genus inflatur modulate, ſicut utris. Qui autem iſtum, *aſcaula* Græcis, nobis *utricularii* dicti. *Idem.* Turneb. lib. 11. Adverſ. cap. 25. *Pithaulas capit* pro tibicinibus qui Pythia cantant. Vide eum & Brodæum lib. 2 Miſcell. c. 13.

10 *Et præco concurſum*] Nempe qui muſicis agonibus vicerant, ipſorum laudes publice proclamabantur atque decantabantur à præconibus; qui præcones deinde etiam inter ſe decertabant, ut probatur ex Cicerone lib. 5. epiſt. 68. quæ eſt ad Lucceium. plura de his P. Faber lib. 2. cap. 14. & 15. Agoniſticon.

Perge, Lucili, & propera, ne tibi accidat quod mihi, ut ſenex diſcas: imo ideo magis propera, quoniam id nunc aggreſſus es, quod perdiſcere vix ſenex poſſis. Quantum, inquis, proficiam? [11] quantum tentaveris. Quid exſpectas? nulli ſapere caſu obtigit. Pecunia veniet ultro, honor offeretur, gratia ac dignitas fortaſſe ingerentur tibi: virtus in te non incidet; ne levi quidem opera aut parvo labore [12] cognoſcitur: ſed eſt tanti laborare, omnia bona ſemel occupaturo. Unum enim eſt bonum, quod honeſtum: in illis nihil invenies veri, nihil certi, quæcumque famæ placent. Quare hoc unum ſit bonum, quod honeſtum, dicam: quoniam me parum exſecutum priore epiſtola judicas, magiſque hanc rem tibi laudatam quam probatam putas. Et ut in arctum, quæ dicta ſunt, contraham: omnia ſuo bono conſtant. vitem fertilitas commendat, ſapor vinum, velocitas cervum. Quare fortia dorſo jumenta ſint, quæris? quia eorum hic unus eſt uſus, ſarcinam ferre. In cane ſagacitas prima eſt, ſi inveſtigare debet feras: curſus, ſi conſequi: audacia, ſi mordere & invadere. Id in quoque optimum eſt cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio: hac antecedit animalia; [13] deos ſequitur. [14] Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum eſt: cetera illi cum animalibus ſatiſque communia ſunt.

11 *Quantum tentaveris*] Nam conatui effectus hic reſpondet, ut Stoïcis viſum: & velis eſſe bonus, eris. *Lipſius.*

12 *Cognoſcitur*] Diſcitur. *Idem.*

13 *Deos ſequitur*] Bene, atque etiam belle, quia præivit de anteceſſione, & nunc de ſequela. At Claudius Puteanus, inter Galliæ decora, volebat, *Diis æquatur*: pro ſolita inſolentia Stoicorum. *Idem.*

14 *Ratio ergo perfecta*] Per doctrinam: & facta Naturam ſequi. At quæ hic de animalibus, & ſingulis ſuas dotes aut tela eſſe; Phocyllides eadem,

Ὅπλον ἑκάστῳ νεῖμε Θεὸς, φύσιν ἐγγύφοιτον
Ὄρνισι μὲν, πολλὴν ταχυτῆτ' ἀλκήν τε λέουσι.
Ταύροις δ' αὐτοχύτους κεράεντα, κέντρα μελίσσαις,
Ἔμφυλον ἄλκαρ ἔδωκε· λόγος δ' ἔρυμ' ἀνθρώποισι·
Arma animantum cuique Deus dedit. alipotentes
Aëra uti penetrent; fortes celereſque leones
Finxit, cornupetas tauros, & apes pungentes.
Sola homini Ratio telum eſt, munimen & unum, Idem.

15 *Ima-*

ſunt. Valet? & leones. formoſus eſt? & pavones. velox eſt? & equi. non dico, in his omnibus vincitur. Nôn quæro quid in ſe maximum habeat, ſed quid ſuum. Corpus habet? & arbores. habet impetum & motum voluntarium? & beſtiæ, & vermes. habet vocem? ſed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem mobilioremque luſcinii? Quid in homine proprium? Ratio. hæc recta & conſummata, felicitatem hominis implevit. Ergo ſi omnis res, cum bonum ſuum perfecit, laudabilis eſt, & ad finem naturæ ſuæ pervenit, homini autem ſuum bonum ratio eſt; ſi hanc perfecit, laudabilis eſt, & finem naturæ ſuæ attigit. hæc ratio perfecta, virtus vocatur, eademque honeſtum eſt. Id itaque unum bonum eſt in homine, quod unum hominis eſt. nunc enim non quærimus quid ſit bonum, ſed quod ſit hominis bonum. Si nullum aliud eſt hominis, quam ratio: hæc erit unum ejus bonum, ſed penſandum cum omnibus. Si ſit aliquis malus, puto improbabitur: ſi bonus, puto probabitur. Id ergo in homine proprium ſolumque eſt, quo & probatur, & improbatur. Non dubitas, an hoc ſit bonum: dubitas, an ſolum bonum ſit. Si quis omnia alia habeat, valetudinem, divitias, [15] imagines multas, [16] frequens atrium, ſed malus ex confeſſo ſit: improbabis illum. Item ſi quis nihil quidem illorum quæ retuli, habeat, deficiatur pecunia, clientum turba, nobilitate, & avorum proavorumque ſerie, ſed ex confeſſo bonus ſit: probabis illum. Ergo hoc unum eſt bonum hominis: quod qui habet, etiam ſi aliis deſtituitur, laudandus eſt: qui non habet, in omnium aliorum copia damnatur ac rejicitur. Quæ conditio rerum, eadem & hominum eſt. Navis bona dicitur, non quæ pretioſis coloribus picta eſt, nec cui [17] argenteum aut aureum roſtrum

15 *Imagines multas*] Nobilitatem veterem. *Lipſius.*

16 *Frequens atrium*] Clientibus & ſalutatoribus plenum. *Idem.*

17 *Argenteum aut aureum*] Per luxum, nam ex ære aut ferro ſolet, ad uſum. *Idem.*

roſtrum eſt, nec [18] cujus tutela ebore cælata eſt. nec quæ fiſcis ac opibus regiis preſſa eſt: ſed ſtabilis, & firma, & juncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendum incurſum maris ſolida, gubernaculo parens, [19] velox, & non ſentiens ventum. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur: ſed cui & ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quam formoſa, ſed quam recta ſit, quæritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium eſt. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fœneret, à quam multis ſalutetur, quam pretioſo incumbat lecto, quam pellucido poculo bibat, ſed quam bonus ſit: bonus autem eſt, ſi ratio explicita & recta eſt, & ad naturæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus: hoc eſt honeſtum, & unicum hominis bonum. Nam cum ſola ratio perficiat hominem, ſola ratio perfecta beatum facit. hoc autem unum hominis bonum eſt, quo uno beatus efficitur. Dicimus & illa bona eſſe, quæ à virtute profecta contactaque ſunt, id eſt, opera ejus omnia. Sed ideo unum ipſa bonum eſt, quia nullum ſine illa eſt. Si omne in animo bonum eſt; quidquid illum confirmat, extollit, amplificat, bonum eſt: validiorem

18 *Cujus tutela ebore cælata*] Tutela dicitur, locus in prora ubi dii tutelares: ſive ipſe Deus Deave, ſuus cuique navi tutor. Silius: *Tutelaque Deûm fluitant.* Feſtus, in Europa: Alii eam à *Prædonibus raptam, & nave, cujus tutela effigiem tauri habuerit, in eam regionem eſſe delatam.* Ita hæc legenda vel ex Lactantio. qui de ead. re, lib. 1. cap. 11. *Rapuiſſe dicitur in aquila catamitum. poeticus color eſt: ſed aut per religionem* (ſcribe *legionem*) *rapuit, cujus inſigne Aquila eſt; aut navis in qua eſt impoſitus, tutelam habuit in aquila figuratam: ſicut taurum figuratum, cum rapuit Europam.* Satis, pro Seneca, de Tutela, quæ Græcis παράσημον & Latinis etiam *inſigne*, quia dignoſcebatur eo, & navi fere nomen dabat. Tacitus 6 Annal. *Nec quiſquam ariete ſacrificaverit, credito Phryxum vexiſſe: ſive id animal, ſeu navis inſigne fuit.* Idem. Vide Brodæum lib. 1. cap. 10. Miſcell. Turneb. lib. 19. c. 2. Adverſ.

19 *Velox, & conſentiens vento*] Pinciani eſt, & perplacet. Libri tamen, *non ſentiens ventum:* deterius. *Lipſius.* Non poteſt nobis, ut Lipſio, placere conjectura Pinciani præ omnium veterum ſcriptorum & editorum lectione: *& non ſentiens ventum.* Recte intellexit Gruterus, & nos alibi pluribus firmabimus. *Gronovius.*

20 Sa-

diorem autem animum, & excelſiorem, & ampliorem, facit virtus. nam cetera quæ cupiditates noſtras irritant, deprimunt quoque animum & labefaciunt: & cum videntur attollere, inflant, ac multa vanitate deludunt. Ergo unum id bonum eſt, quo melior animus efficitur. Omnes actiones totius vitæ, honeſti ac turpis reſpectu, temperantur: ad hæc, faciendi & non faciendi, ratio dirigitur. Quid ſit hoc, dicam. Vir bonus quod honeſte ſe facturum putaverit, faciet, etiam ſi laborioſum erit: faciet, etiam ſi damnoſum erit: faciet, etiam ſi periculoſum erit. rurſus quod turpe erit, non faciet, etiam ſi pecuniam affert, etiam ſi voluptatem, etiam ſi potentiam. Ab honeſto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla ſpe invitabitur. Ergo ſi honeſtum utique ſecuturus eſt, turpe itaque vitaturus: & in omni actu vitæ ſpectaturus hæc duo: nullum aliud bonum quam honeſtum, nec aliud malum quam turpe. Si una indepravata virtus eſt, & ſola permanet tenoris ſui, unum eſt bonum, virtus: cui jam accidere ne ſit bonum, non poteſt. Mutationis periculum effugit ſapientia. [20] Sapientia non eripitur, ſapientia in ſtultitiam non revolvitur. Dixi, ſi forte meminiſti, concupita vulgo, & formidata, inconſulto impetu pleroſque calcaſſe. inventus eſt [21] qui flammis imponeret manum: [22] cujus riſum non interrumperet tortor: qui in funere liberorum lacrimam non mitteret: qui morti intrepidus occurreret. amor, ira, cupiditas, pericula depopoſcerunt. Quod ſi hoc poteſt brevis obſtinatio animi, aliquo ſtimulo excitata: quanto magis virtus quæ non ex impetu, nec ſubito, ſed æqualiter valet; cui perpetuum robur eſt? Sequitur, ut quæ ab inconſultis ſæpe

20 *Sapientia non eripitur*] In libris hæc alia, & auctiora. Legas: *periculum effugit. Stultitia ad ſapientiam erepit, ſapientia in ſtultitiam non revolvitur.* Sententia eſt, Stultos mutari poſſe, & paulatim (ideo *erepere*) ac per gradus ad ſapientiam venire: non contra. Nam Stoïcorum ſapiens fixus in bono eſt. *Lipſius.*

21 *Qui flammis*] Mucius Romanus. *Idem.*

22 *Cujus riſum*] Servus, qui in vindictam domini Aſdrubalem interfecerat. *Idem.*

ſæpe contemnuntur, à ſapientibus ſemper, ea nèc bona ſint, neç mala. Unum ergo bonum ipſa virtus eſt, quæ inter hanc fortunam & illam ſuperba incedit, cum magno utriuſque contemptu. Si hanc opinionem receperis, aliquid bonum eſſe præter honeſtum, nulla non virtus laborabit. nulla enim obtineri poterit, ſi quidquam extra ſe reſpexerit. Quod ſi eſt, rationi repugnat, ex qua virtutes ſunt; & veritati, quæ ſine ratione non eſt. quæcumque autem opinio veritati repugnat, falſa eſt. Virum bonum, concedas, neceſſe eſt, ſummæ pietatis erga deos eſſe: itaque quidquid illi acciderit, æquo animo ſuſtinebit. ſciet enim id accidiſſe lege divina, qua univerſa procedunt. Quod ſi eſt, unum illi bonum erit, quod honeſtum: in hoc enim poſitum eſt & parere diis, nec excandeſcere ad ſubita, nec deplorare ſortem ſuam, ſed patienter excipere fatum, & facere imperata. Si enim ullum aliud eſt bonum quam honeſtum, ſequetur nos aviditas vitæ, aviditas rerum vitam inſtruentium: quod eſt intolerabile, infinitum, vagum. Solum ergo bonum eſt honeſtum, cui modus eſt. Diximus, hominum futuram feliciorem vitam quam deorum, ſi ea bona ſunt, quorum nullus diis uſus eſt, tanquam pecunia & honores. Adjice nunc, quod ſi modo ſolutæ corporibus animæ manent, felicior illis ſtatus reſtat, quam eſt dum merſantur in corpore. Atqui ſi iſta bona ſunt, quibus per corpora utimur, emiſſis erit pejus: quod contra fidem eſt, feliciores eſſe liberis, & in univerſum datis, clauſas & obſeſſas. Illud quoque dixeram, ſi bona ſunt ea quæ tam homini contingunt quam mutis animalibus, & muta animalia beatam vitam actura: quod fieri nullo modo poteſt. Omnia pro honeſto patienda ſunt: quod non erat faciendum, ſi eſſet ullum aliud bonum quam honeſtum. Hæc quamvis latius exſecutus eſſem priore epiſtola, conſtrinxi, & breviter percurri. Nunquam autem vera tibi opinio talis videbitur, niſi animum alleves & teipſum interroges: ſi res exegerit, ut pro patria moriaris, & ſalutem

Digitized by Google

tem omnium civium tua redimas, an porrecturus ſis cervicem, non tantum patienter, ſed etiam libenter? Si hoc facturus es, nullum aliud bonum eſt. Omnia relinquis, ut hoc habeas. Vide, quanta vis honeſti ſit? Pro rep. morieris,[23] etiamſi ſtatim facturus hoc eris, cum ſcieris tibi eſſe faciendum. [24] interdum ex re pulcherrima magnum gaudium etiam tempore brevi ac exiguo capitur: & quamvis fructus operis peracti nullus ad defunctum exemptumque rebus humanis pertineat, ipſa tamen contemplatio futuri operis juvat: & vir fortis & juſtus, cum mortis ſuæ pretia ante ſe poſuit, libertatem patriæ, ſalutem omnium pro quibus dependit animam, in ſumma voluptate eſt, & periculo ſuo fruitur. Sed ille quoque, cui etiam hoc gaudium eripitur, quod tractatio operis maximum & ultimum præſtat, nihil cunctatus deſiliet in mortem, facere recte pieque contentus. Oppone etiam nunc illi multa, quæ dehortentur. Dic, Factum tuum matura ſequetur oblivio, & parum grata exiſtimatio civium: reſpondebit tibi, Iſta omnia extra opus meum ſunt. ego ipſum contemplor: hoc eſſe honeſtum ſcio. Itaque quocumque ducit ac vocat, venio. Hoc ergo unum bonum eſt, quod non tantum perfectus animus, ſed generoſus quoque & indolis bonæ ſentit: cetera levia ſunt, mutabilia. Itaque ſolicite poſſidentur, etiam ſi favente fortuna in unum congeſta ſunt: dominis ſuis incumbunt gravia, & illos ſemper premunt, aliquando & elidunt. Nemo ex iſtis, quos purpuratos vides, felix eſt, non magis, quam ex illis quibus ſceptrum & chlamydem [25] in ſcena fabulæ aſſignant. cum præſente populo elati inceſſerunt, & cothurnati, ſimul exierunt, excalceantur,

23 *Etiamſi ſtatim*] Ita lego, ſpreta negatione. ſignificat enim, etiam ſine alio fructu vel diutinæ cogitationis, id facturum aliquem eſſe. *Lipſius.*

24 *Interdum ex re*] Pinciano aſſentior, *interim.* Idem.

25 *In ſcena fabulæ*] Sæpe hæc vita cum Mimo comparatur, & juſte. Breviter olim Socrates: Τὸν τῶν ἀπαιδεύτων βίον, καθάπερ ὑποκριτῇ, πολλὰ τὰ μετενδύματα περίκειται· *Vita indoctorum, tamquam hiſtrioni, multa faſtus indumenta circumpoſita ſunt.* Adde epiſt. 80. *Idem.*

26 Cum

ceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt. Nemo iſtorum, quos divitiæ honoreſque in altiore faſtigio ponunt, magnus eſt. Quare ergo magnus videtur. [26] Cum baſi illum ſua metiris. Non eſt magnus pumilio, licet in monte conſtiterit: coloſſus magnitudinem ſuam ſervabit, etiam ſi ſteterit in puteo. Hoc laboramus errore: ſic nobis imponitur: quod neminem æſtimamus eo quod eſt, ſed adjicimus illi & ea, quibus adornatus eſt. Atqui cum voles veram hominis æſtimationem inire, & ſcire qualis ſit, nudum inſpice. ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia: corpus ipſum exuat: animum intuere, qualis quantuſque ſit, alieno an ſuo magnus: [27] ſi erectis oculis gladios micantes videt, & ſi ſcit ſua nihil intereſſe utrum anima per os, an per jugulum exeat, beatum voca. ſi, cum illi denuntiata ſunt corporis tormenta, & quæ caſu veniunt, & quæ potentioris injuria, ſi vincula & exſilia, & vanas humanarum formidines mentium, ſecurus audit, & dicit,

—— Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave ſurgit:
Omnia præcepi, atque animo mecum ipſe peregi.

Tu hodie iſta denuntias, ego ſemper denuntiavi mihi, & hominem paravi ad humana. præcogitati mali mollis ictus venit. At ſtultis & fortunæ credentibus, omnis videtur nova rerum & inopinata facies. magna autem pars eſt apud imperitos mali, novitas. Hoc ut ſcias, ea quæ putaverunt aſpera, cum aſſuevere, patiuntur. Ideo ſapiens aſſueſcit futuris malis: & quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. Audimus aliquando voces imperitorum, dicentium: Neſciebam hoc mihi reſtare. ſapiens ſcit ſibi omnia reſtare: quidquid factum eſt, dicit, Sciebam.

EPIST.

26 *Cum baſi illum ſua*] Cum cothurno, non incedit: cum opibus quibus inſiſtit. *Idem.*

27 *Si erectis oculis*] Imo rectum, recta. Idem.

Digitized by Google

EPIST. LXXVII.

Et hac inter bonas, utileſque. Narrat obiter de Alexandrinis navibus: aliis accurrentibus, ſe neglexiſſe. Quanti enim iſta, aut quamdiu? Senex ſum, abeo. Et aliquando ſponte abeundum, ut fecit Marcellinus. Tum contra metum mortis: rationeſque hujus temnendæ.

[1] SUbito hodie nobis [2] Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti ſolent & nuntiare ſecuturæ claſſis adventum. [3] tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniæ adſpectus eſt. [4] omnis in pilis Puteolorum turba conſiſtit, & ex ipſo genere velorum Alexandrinas, quamvis in magna turba navium, intelligit. Solis enim licet [5] ſupparum intendere, quod in alto omnes habent naves. Nulla enim res æque adjuvat curſum, quam ſumma pars veli: illinc maxime navis urgetur. Itaque quoties ventus increbuit, majorque eſt quam expedit, antenna ſubmittitur. minus habet virium flatus ex humili. [6] Cum intravere Capreas & [7] promontorium, ex quo

Alta

EPIST. LXXVII. 1 *Subito hodie*] Nihil cauſſæ eſt, cur acuti hic ſimus, & S. V. B. legamus, interpretemurque ex formula, *Si vales, bene*. Abnuunt libri, & mos ejus avi. *Idem*.

2 *Alexandrinæ naves*] Frumentariæ. claſſis enim illa inſtituta ab Auguſto, ut ſatis docui 1 Elector. cap. de Frumentatione. *Idem*.

3 *Tabellarias vocant*] Quia velut nuncii erant, adventantis claſſis. *Idem*.

4 *Omnis in pilis*] In ſaxeis molibus, quas Auguſtus, portui formando, ibi jecit: Ego ad Taciti Annal. 14. *Idem*.

5 *Supparum intendere*] Velum ſummo malo appenſum ſic vocabant: id eſt minuſculum velum, & quod in venti faventia nautæ ſolent extendere. Lucanus optime:

—— ſummaque tendens
Suppara, velorum perituras colligit auras.

Statius:

—— ſummis annectite ſuppara velis.

Manilius:

—— non invehet undis
Suppara nec pelagus Xerxes ferietque tergetque:

etſi communiter ille, pro velis. *Idem*.

6 *Cum intravere Capreas*] Quæ inſula, Tiberio adamata & infeſſa, interjacet: & mare medium inter Minervæ promontorium habet. *Idem*.

7 *Promontorium ex quo*] Templum ibi Minervæ, & periculum in flectendo, ut ſolet. Ideo ibi Deæ libabant. Statius:

Prima ſalutavit Capreas, & margine dextro
Sparſit Tyrrhena Mareotica vina Minervæ:

de

Alta procelloſo ſpeculatur vertice Pallas,

ceteræ velo jubentur eſſe contentæ : ſupparum Alexandrinarum inſigne eſt. In hoc omnium diſcurſu properantium ad litus, magnum ex pigritia mea ſenſi voluptatem, quod epiſtolas meorum accepturus, non properavi ſcire, quis illic eſſet [8] rerum mearum ſtatus, quid afferrent. Olim jam nec perit quidquam mihi, nec acquiritur. Hoc, etiam ſi ſenex non eſſem, fuerat ſentiendum : nunc vero multo magis. quia quantulumcumque haberem, tamen plus jam mihi ſupereſſet viatici, quam viæ : præſertim cum eam viam ſimus ingreſſi, quam peragere non eſt neceſſe. Iter imperfectum erit, ſi in media parte, aut citra petitum locum ſteteris : vita non eſt imperfecta, ſi honeſta eſt. Ubicumque deſines, ſi bene deſinis, tota eſt. Sæpe autem & fortiter deſinendum eſt, & non ex maximis cauſis. nam nec hæ maximæ ſunt, quæ nos tenent. Tullius Marcellinus, quem optime noveras, adoleſcens quietus & cito ſenex, morbo, & non inſanabili correptus, ſed longo & moleſto & multa imperante, cœpit deliberare de morte. convocavit complures amicos, unuſquiſque, aut quia timidus erat, id illi ſuadebat, quod ſibi ſuaſiſſet : aut quia adulator & blandus, id conſilium dabat, quod deliberanti gratius fore ſuſpicabatur. Amicus noſter Stoicus, homo egregius, &, ut verbis illum quibus laudari dignus eſt, laudem, vir fortis ac ſtrenuus, videtur mihi optime illum cohortatus. Sic enim cœpit : Noli, mi Marcelline, torqueri, tanquam de re magna deliberes. Non eſt res magna, vivere, omnes ſervi tui vivunt, omnia animalia. magnum eſt, honeſte mori, prudenter, fortiter. Cogita quamdiu jam idem facias. Cibus, ſomnus,

de ipſis iſtis Alexandrinis navibus, aut navi. Eſt juxta Surrentum, & à promontorio Miſeni, quod ſinu medio opponitur, diſtinctum. Livius de eo, libro 40. *Inter Duumviros ita diviſa tuenda maritima ora, ut promontorium in Minerva velut cardo in medio eſſet: alter in dexteram partem, uſque ad Maſſiliam : alter lævam, ad Barium uſque tueretur.* Idem.

8 *Rerum mearum ſtatus*] Nam pecuniam, fortaſſe & agros, in variis provinciis habebat : atque etiam actores. *Idem.*

9 *Servi*

ſomnus, libido: per hunc circulum curritur. Mori velle non tantum prudens & fortis, aut miſer, ſed etiam faſtidioſus poteſt. Non opus erat ſuaſore illi, ſed adjutore. [9] ſervi parere nolebant. Primum detraxit illis metum, & indicavit, tunc [10] familiam periculum adire, cum incertum eſſet, an mors domini voluntaria fuiſſet: alioquin tam mali exempli eſſe occidere hominem, quam prohibere. Deinde ipſum Marcellinum admonuit, non eſſe inhumanum, quemadmodum cœna peracta [11] reliquiæ circumſtantibus dividuntur, ſic peracta vita aliquid porrigi his, qui totius vitæ miniſtri fuiſſent. Erat Marcellinus facilis animi, & liberalis, [12] etiam cum de ſuo fieret. Minutas itaque ſummulas diſtribuit flentibus ſervis, & illos ultro conſolatus eſt. Non fuit illi opus ferro, non ſanguine: triduo abſtinuit, & in ipſo cubiculo [13] poni tabernaculum juſſit. [14] Solium deinde illatum eſt, in quo diu jacuit, & calida ſubinde ſuffuſa, paullatim defecit: ut aiebat, non ſine quadam voluptate. quam afferre ſolet lenis diſſolutio, non inexperta nobis, quos aliquando liquit animus. In fabellam exceſſi, non ingratam tibi: exitum enim amici tui cognoſces, non difficilem, nec miſerum. Quamvis enim mortem ſibi conſciverit, tamen molliſſime exceſſit, & vitæ elapſus eſt. Sed ne inutilis quidem hæc fabella fuerit. Sæpe enim talia exempla neceſſitas exigit. Sæpe debemus mori; nec volumus: morimur; nec volumus. Nemo tam imperitus eſt, ut neſciat, ſibi quandoque moriendum: tamen cum prope ac-

9 *Servi parere nolebant*] Ut dominum manu adjuvarent, & eaſdem apprimerent. *Lipſius.*

10 *Familiam periculum adire*] Ex more veteri, & SC. Silaniano, quo tenebantur ſervi & liberti, qui ſub eodem tecto fuiſſent, domino interfecto. Nos ad Annal. Taciti 14. de Pedanio Secundo ſic occiſo. *Idem.*

11 *Reliquiæ circumſtantibus*] Servis ad pedes, aut lectum, ſolent reliquias dividere: ex Suetonii Galba, cap. 22. Martiali, Athenæo, aliis. *Idem.*

12 *Etiam cum de ſuo*] Quaſi nunc non de ſuo, haud ultra fruiturus, & hæc relinquens. *Idem.*

13 *Poni tabernaculum*] An non lecticam dormitoriam? atqui ea in ipſo cubiculo de more erat. Potius ergo, tentorium aliquod inſtar balneoli, quo ſolium & ipſe tegerentur. *Idem.*

14 *Solium*] Balnearium vas ſive cupa, ad lavandum. *Idem.*

15 *Ante*

pe acceſſerit, tergiverſatur, tremit, plorat. Nonne tibi videbitur ſtultiſſimus omnium, qui fleverit quod [15] ante annos mille non vixerat? æque ſtultus eſt, qui flet, quod poſt annos mille non vivet. Hæc paria ſunt: non eris, nec fuiſti. Utrumque tempus alienum eſt. In hoc punctum conjectus es: quod ut extendas, quouſque extendes? Quid fles? quid optas? perdis operam.

Deſine fata Deûm flecti ſperare precando:

rata & fixa ſunt, atque magna & æterna neceſſitate ducuntur. Eo ibis, quo omnia eunt. Quid tibi novum eſt? ad hanc legem natus es: hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus poſt te. Series invicta, & nulla mutabilis ope, illigat ac trahit cuncta. Quantus te populus moriturorum ſequetur, quantus comitabitur? Fortior, ut opinor, eſſes, ſi multa millia tibi commorerentur. atqui multa millia hominum & animalium [16] hoc ipſo momento, quo tu mori dubitas, animam variis generibus emittunt. Tu autem non putabas te aliquando perventurum ad id, ad quod ſemper ibas? nullum ſine exitu iter eſt. Exempla nunc magnorum virorum me tibi judicas relaturum? puerorum referam. [17] Lacon ille memoriæ traditur impubes adhuc, qui captus clamabat, Non ſerviam, ſua illa Dorica lingua: & verbis fidem impoſuit. Ut primum juſſus eſt fungi ſervili & contumelioſo miniſterio: afferre enim vas obſcœnum jubebatur; [18] illiſum parieti caput rupit. Tam prope libertas eſt: & ſervit aliquis? Ita non ſic perire filium tuum malles, quam per incr-

15 *Ante annos mille*] Simile in Stobæi Eclogis Teles Pythagoreus, magnus ſublimiſque vir, ut indicant fragmenta: *At ille non amplius erit. Nempe nec ante decem millia annorum fuit, nec Troicis temporibus, ſed nec proavorum ſuorum.* Lipſius.

16 *Hoc ipſo momento*] Pulchra contemplatio, & vera. Totum orbem vide, notum, ignotum: multa millia omnibus momentis naſci, mori, certum eſt: & quoſdam eodem genere læti. *Idem.*

17 *Lacon ille*] Plutarchus in Apophthegm. Laconicis. *Idem.*

18 *Illiſum parieti caput*] Potuit alius eſſe ab illo Plutarchi: etſi reliqua conveniunt. ſed hic diſſonant, quod Plutarchus ſcribit, *præcipitem ſe ab alto dediſſe, & ſic obiiſſe.* Idem.

19 Nulla

inertiam ſenem fieri? Quid ergo eſt, cur perturberis, ſi mori fortiter etiam puerile eſt? Puta te nolle ſequi, duceris. Fac tui juris, quod alieni eſt. Non ſumes pueri ſpiritum, ut dicas, Non ſervio? Infelix, ſervis hominibus, ſervis rebus, ſervis vitæ. Nam vita, ſi moriendi virtus abeſt, ſervitus eſt. Ecquid habes propter quod exſpectes? Voluptates quæ te morantur ac retinent, conſumpſiſti: [19] nulla tibi nova eſt: nulla non jam odioſa ipſa ſatietate. quis ſit vini, quis mulſi ſapor, ſcis: nihil intereſt, centum per veſicam tuam, an mille amphoræ tranſeant. [20] ſaccus es. quid ſapiat oſtreum, quid mullus, optime noſti. nihil tibi luxuria tua in futuros annos intactum reſervavit. Atqui hæc ſunt, à quibus invitus divelleris. Quid eſt aliud quod tibi eripi doleas? Amicos & patriam? tanti enim illam putas, ut tardius cœnes? [21] ſolem quoque, ſi poſſes, exſtingueres. Quid enim unquam feciſti luce dignum? confitere, non curiæ te, non fori, non ipſius naturæ rerum deſiderio, tardiorem ad moriendum fieri. Invitus relinquis macellum, [22] in quo nihil reliquiſti. Mortem times: at quomodo illam [23] media oblectatione contemnis? Vivere vis: ſcis enim. Mori times: quid porro iſta vita? non mors eſt? [24] Cæſar, cum illum tranſeuntem per Latinam viam, unus [25] ex cuſtodiarum agmine, demiſſa uſque in pectus vetere barba, rogaret mortem: [26] Nunc enim, inquit, vivis? Hoc iſtis reſpondendum eſt, quibus [27] ſuccurſura mors

19 *Nulla tibi nova eſt*] In ipſo hoc argumento Lucretius: *Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas.* Lipſius.

20 *Saccus es*] Plures libri, *ſaccus eſt:* ut ad veſicam ipſam referas: placeatque. Alioqui & alluſum videri poteſt ad vini caſtrationem, quæ ſacco fiebat. *Idem.*

21 *Solem quoque*] Ut citius cænes, aut diutius dormias ſtertaſque. *Idem.*

22 *In quo nihil reliquiſti*] Coemiſti, quidquid ibi lautum aut rarum. *Idem.*

23 *Media oblectatione*] Vel in Venere, quæ accelerat; vel in gula, quæ conciliat. Tunc nec cogitas. *Idem.*

24 *Cæſar*] C. Cæſar Caligula. *Idem.*

25 *Ex cuſtodiarum agmine*] Ex ipſis qui cuſtodiebantur. trahebantur à Prætorianis militibus concatenati. *Idem.*

26 *Nunc enim, inquit, vivis*] Argutum eſt, & ſimile illi. Similis dicto ſive ſcripto, *Tot annos egit, ſeptem duntaxat vixit:* quaſi vita in miſeriis, nec vita ſit. *Idem.*

27 *Succurſura mors eſt*] Liberatura à vitiis, à moleſtiis. *Idem.*

mors eſt: Mori times. nunc enim vivis? Sed ego, inquit, vivere volo, qui multa honeſte facio. invitus relinquo officia vitæ, quibus fideliter & cum induſtria fungor. Quid? tu neſcis unum eſſe ex vitæ officiis, & mori? Nullum officium relinquis. non enim certus numerus, quem debebas explere, finitur. Nulla vita eſt non brevis. nam ſi ad naturam rerum reſpexeris, etiam Neſtoris & [28] Statiliæ brevis eſt: quæ inſcribi monumento ſuo juſſit, annis ſe nonaginta novem vixiſſe. Vides aniculam gloriari ſenectute longa. quis illam ferre potuiſſet, ſi contigiſſet centeſimum implere? [29] Quomodo fabula, ſic vita: non quam diu, ſed quam bene acta ſit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas. quocumque voles, deſine: tantum bonam clauſulam impone.

EPIST. LXXVIII.

De morbis ſuis, etiam in juventute: & quid ſit iis levandis? Honeſta, inquit, ſtudia, itemque amici: ſed remediorum remedium, contemptus mortis. Eo vocat Lucilium; & contra Dolorem plura diſſerit, alta, animoſa, vera.

VExari te deſtillationibus crebris ac febriculis, quæ longas deſtillationes & in conſuetudinem adductas ſequuntur, eo moleſtius mihi eſt, quia expertus ſum hoc genus valetudinis: quod inter initia contempſi. Poterat adhuc adoleſcentia injurias ferre, & ſe adverſus morbos contumaciter gerere: deinde ſuccubui, & eo perductus ſum, [1] ut ipſe deſtillarem. Ad ſummam maciem deductus, ſæpe

28 *Statiliæ brevis eſt*] Quæ ex nobili domo, *Claudio Principe, nonagintanovem annos vixit*. Plinius 7. c. 48. *Lipſius.*

29 *Quomodo fabula*] Epictetus: *Memento actorem te eſſe fabulæ, qualem doctor eſſe voluit: ſi brevem, brevis; ſi longam, longæ.* Varro: *Non eos optime vixiſſe, qui diutiſſime, ſed qui modeſtiſſime vixerint.* Idem.

EPIST. LXXVIII. 1 *Ut ipſe diſtillarem*] Liqueſcerem, & conſumerer. Fuerit id genus morbi, quo etiam ſub Caio laboravit. qui infenſus ei ob eloquentiam, occidere deſtinarat: ſed muliercula opera ſervatus eſt, quæ affirmaret tabe eum laborare, nec diu poſſe vivere. ferrum ſupervacuum. Dio 69. *Idem.*

2 *Deſ-*

ſæpe impetum cepi abrumpendæ vitæ: patris me indulgentiſſimi ſenectus retinuit. Cogitavi enim, non quam fortiter ego mori poſſem, ſed quam ille fortiter [2] deſiderare non poſſet. Itaque imperavi mihi ut viverem. aliquando enim & vivere, fortiter facere eſt. Quæ mihi tunc fuerint ſolatio, dicam: ſi prius hoc dixero, hæc ipſa quibus acquieſcebam, medicinæ vim habuiſſe. In remedium cedunt honeſta ſolatia: & quidquid animum erexit, etiam corpori prodeſt. Studia mihi noſtra ſaluti fuerunt. Philoſophiæ acceptum fero quod ſurrexi, quod convalui: illi vitam debeo, & [3] nihil illi minus debeo. Multum mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici, quorum adhortationibus, vigiliis, ſermonibus allevabar. Nihil æque, Lucili virorum optime, ægrum reficit atque adjuvat, quam amicorum affectus: nihil æque exſpectationem mortis ac metum ſurripit. Non judicabam me, cum illos ſuperſtites relinquerem, mori: putabam, inquam, me victurum, non cum illis, ſed per illos: non effundere ſpiritum mihi videbar, ſed tradere. Hæc mihi dederunt voluntatem adjuvandi me, & patiendi omne tormentum. [4] alioqui miſerrimum eſt, cum animum moriendi projeceris, non habere vivendi. Ad hæc ergo remedia te confer. Medicus tibi quantum ambules, quantum exercearis, monſtrabit: ne indulgeas otio, ad quod vergit iners valetudo: ut legas clarius, & ſpiritum, cujus iter & receptaculum laborat, exerceas: ut naviges, & viſcera molli jactatione concutias: quibus cibis utaris: vinum quando virium cauſſa advoces, quando intermittas, ne irritet & exaſperet tuſſim. Ego tibi illud præcipio, quod non tantum hujus morbi, ſed totius vitæ remedium eſt: con-

2 *Deſiderare non poſſet*] Significat, patrem ſuum philoſophiæ alienum (quod alibi teſtatur) parum fortem ad tales caſus fuiſſe. Igitur negatio hic convenit, & libri aſſerunt. Muretus tamen, *deſiderare me poſſet*. Lipſius.

3 *Nihil illi minus debeo*] Quaſi dicat, hoc inter minima ejus beneficia. Corpus enim ſpectat, reliqua animum. *Idem*.

4 *Alioqui miſerrimum eſt*] Miſerum eſt, cum nolis mori, non omnia facere ut vivas. *Idem*.

contemne mortem. Nihil triſte eſt, cum hujus metum effugimus. Tria hæc in omni morbo gravia ſunt, metus mortis, dolor corporis, intermiſſio voluptatum. De morte, ſatis dictum eſt. hoc unum dicam, non morbi hunc eſſe, ſed naturæ metum. multorum [5] mortem diſtulit morbus: & ſaluti illis fuit, videri perire. Morieris, non quia ægrotas, ſed quia vivis. Iſta te res & ſanatum manet. cum convalueris, non mortem, ſed valetudinem effugies. Ad illud nunc proprium incommodum revertamur. magnos cruciatus habet morbus: ſed hos tolerabiles intervalla faciunt. Nam ſummi doloris intentio invenit finem. Nemo poteſt valde dolere, & diu. ſic nos amantiſſima noſtri natura diſpoſuit, ut dolorem aut tolerabilem, aut brevem faceret. Maximi dolores conſiſtunt in macerrimis corporis partibus: nervi, articulique, & quidquid aliud exile eſt, acerrime ſævit, cum in arcto vitia concepit. Sed cito hæ partes obſtupeſcunt. & ipſo dolore ſenſum doloris amittunt: ſive quia ſpiritus naturali prohibitus curſu, & mutatus in pejus, vim ſuam qua viget, admonetque nos, perdit: ſive quia corruptus humor, cum deſiit habere quo confluat, ipſe ſe elidit, & his quæ nimis implevit, excutit ſenſum. Sic podagra & chiragra, & omnis vertebrarum dolor nervorumque, interquieſcit, cum illa quæ torquebat hebetavit: omnium iſtorum [6] prima verminatio vexat, impetus mora exſtinguitur, & finis dolendi eſt, obtorpuiſſe. Dentium, oculorum, aurium dolor ob hoc ipſum acutiſſimus eſt, quod inter anguſta corporis naſcitur: non minus mehercule, quam capitis ipſius. Sed quo incitatior eſt, eo citius in alienationem ſtuporemque convertitur. Hoc itaque ſolatium vaſti doloris eſt, quod neceſſe eſt deſinas illum ſentire, ſi nimis ſenſeris. Illud autem eſt, quod imperitos in vexatione corporis male habet: non aſſueverunt animo eſſe

5 *Mortem diſtulit morbus*] In ipſo Seneca, jam dictum. *Lipſius.*
6 *Prima verminatio*] Morſicatio prima, & velut pruritus doloris. Utitur ea voce ſæpius. Vide de Vita beata, cap. 17. *Idem.*

7 *Sed*

eſſe contenti: multum illis cum corpore fuit. Ideo vir magnus ac prudens animum diducit à corpore, & multum cum meliore & divina parte verſatur: cum hac querula ac fragili, quantum neceſſe eſt. Sed moleſtum eſt, inquis, carere aſſuetis voluptatibus, abſtinere cibo, ſitire, eſurire. Hæc prima abſtinentia gravia ſunt: deinde cupiditas relangueſcit, ipſis per quæ cupimus fatigatis, ac deficientibus. Inde moroſus eſt ſtomachus: inde quorum fuit aviditas, odium eſt: deſideria ipſa moriuntur. Non eſt autem acerbum carere eo, quod cupere deſieris. Adjice, quod nullus non intermittitur dolor, aut certe remittitur. Adjice, quod licet & cavere venturum, & obſiſtere imminenti remediis: Nullus enim non ſigna præmittit, utique qui ex ſolito revertitur. Tolerabilis eſt morbi patientia, ſi contempſeris id quod extremum minatur. Noli mala tua facere tibi ipſi graviora, & te querelis onerare: levis dolor eſt, ſi nihil illi opinio adjecerit. Contra, ſi exhortari te cœperis, ac dicere, Nihil eſt, aut certe, exiguum eſt; duremus, jam deſinet: levem illum, dum putas, facies. Omnia ex opinione ſuſpenſa ſunt. non ambitio tantum ad illam reſpicit, & luxuria, & avaritia: ad opinionem dolemus. Tam miſer eſt quiſque, quam credit. Detrahendas præteritorum dolorum conqueſtiones puto, & illa verba: Nulli unquam fuit pejus. Quos cruciatus, quanta mala pertuli? nemo me ſurrecturum putavit. Quoties deploratus ſum à meis, quoties à medicis relictus? In equuleum impoſiti non ſic diſtrahuntur. Etiamſi ſunt vera iſta, tranſierunt. Quid juvat præteritos dolores retractare, & miſerum eſſe, quia fueris? Quid, quod nemo non multum malis ſuis adjicit, & ſibi ipſe mentitur? Deinde quod acerbum fuit, retuliſſe jucundum eſt. naturale eſt, mali ſui fine gaudere. Circumcidenda ergo duo ſunt, & futuri timor, & veteris incommodi memoria: hoc ad me jam non pertinet, illud nondum. In ipſis poſitus difficultatibus dicat:

—— *Forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.*

Toto contra illum pugnet animo. vincetur, ſi ceſſerit: vincet, ſi ſe contra dolorem ſuum intenderit. Nunc hoc plerique faciunt, attrahunt in ſe ruinam, cui obſtandum eſt. iſtud quod premit, quod impendet, quod urget, ſi ſubducere te cœperis, ſequetur & gravius incumbet: ſi contra ſteteris, & obniti volueris, repelletur. Athletæ quantum plagarum ore, quantum toto corpore excipiunt? ferunt tamen omne tormentum gloriæ cupiditate: nec tantum quia pugnant, iſta patiuntur, [7] ſed ut pugnent. exercitatio ipſa tormentum eſt. Nos quoque evincamus omnia, quorum præmium non corona, nec palma eſt, [8] nec tubicen prædicationi nominis noſtri ſilentium faciens: ſed virtus, & firmitas animi, & pax in ceterum parta, ſi ſemel in aliquo certamine debellata fortuna eſt. Dolorem gravem ſentio. Quid? ergo non ſentis, ſi illum muliebriter tuleris? Quemadmodum pernicioſior eſt hoſtis fugientibus, ſic omne fortuitum incommodum magis inſtat cedenti & averſo. Sed grave eſt. quid? nos ad hoc fortes ſumus, ut levia portemus? Utrum vis longum eſſe morbum, an concitatum & brevem? Si longus eſt, habet intercapedinem, dat refectioni locum: multum temporis donat. neceſſe eſt ut exſurgat, & deſinat. Brevis morbus ac præceps alterutrum faciet: aut exſtinguetur, aut exſtinguet. Quid autem intereſt, non ſit, an non ſim? in utroque finis dolendi eſt. Illud quoque proderit, ad alias cogitationes avertere animum, & à dolore diſcedere. Cogita, quid honeſte, quid fortiter feceris: bonas partes tecum ipſe tracta: memoriam in ea quæ maxime miratus es, ſparge. tunc tibi fortiſſimus quiſque, & victor doloris, occurrat. Ille, qui dum varices exſecandas præberet, legere librum perſeveravit. Ille, qui non deſiit ridere, cum ob hoc ipſum irati tortores omnia inſtrumenta crudelitatis experirentur. Non vincetur

7 *Sed ut pugnent*] Ut pugnæ idonei ſint, & exercitio præparentur. In ipſo autem exercitio hæc mala. *Lipſius.*

8 *Nec tubicen*] Qui præcinebat, ut vox deinde Præconis ſuccederet, & victorem renunciaret. *Idem.*

9 Quod

cetur dolor ratione, qui victus eſt riſu? Quidquid vis, nunc licet dicas, deſtillationes, & vim continuæ tuſſis egerentem viſcerum partes, & febrem præcordia ipſa torrentem, & ſitim, & artus in diverſum articulis exeuntibus tortos: plus eſt flamma, & equuleus, & lamina, & vulneribus ipſis intumeſcentibus, [9] quod illa renovaret & altius urgeret impreſſum. inter hæc tamen aliquis non gemuit: parum eſt. non rogavit: parum eſt. non reſpondit: parum eſt. riſit, & quidem ex animo: vis tu poſt hoc [10] dolorem deridere? Sed nihil, inquit, agere ſinit morbus, qui me omnibus abduxit officiis. Corpus tuum valetudo tenet, non animum. Itaque curſoris moratur pedes, ſutoris ac fabri manus impediet. Si animus tibi eſſe in uſu ſolet; ſuadebis, docebis, audies, diſces, quæres, recordaberis. Quid porro? nihil agere te credis, ſi temperans æger ſis? oſtendes morbum poſſe ſuperari, vel certe ſuſtineri. Eſt, mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus. Non tantum arma & acies dant argumenta alacris animi, indomitique terroribus: [11] & in veſtimentis vir fortis apparet. Habes quod agas. bene luctare cum morbo: ſi nihil te coëgerit, [12] ſi nihil exoraverit, inſigne prodis exemplum. O quam magna erat gloriæ materia, ſi ſpectaremur ægri! ipſe te ſpecta. ipſe te lauda. Præterea duo ſunt genera voluptatum. corporales morbus inhibet, non tamen tollit, imo, ſi verum æſtimes, incitat.

magis

9 *Quod illa renovaret*] Quid intellegit? ferrum plagis immiſſum, ſæviendi, non explorandi, cauſſa à videtur. *Lipſius.*

10 *Dolorem deridere*] Mihi negatio inſerenda videatur, *dolorem non deridere?* Sed & ante vellem, *vis tuum poſt hoc:* minorem ſcilicet, nec cum tali comparandum. *Idem.*

11 *Et in veſtimentis*] Dormitoriis, vel quibus in lecto tegeris. Supra, epiſt. 67. *Idem.*

12 *Si nihil exoraverit*] Ita & Eraſmus, neç non Pal. pr. Col. quart. ac ſec. *Si nihil te exortavit.* tert. *Si nihil te exorbitaverit.* quod hercle fere putarim auctoris germanum. Sic Gruterus. Ego autem minime. Hoc ipſum dicit 1 de Ira, 8. *cum metus aut cupiditas aliquid impetrarit.* Epiſt. 94. *Leges non perſuadent, quia minantur: at præcepta non cogunt, ſed exorant.* Epiſt. 116. *Nullum vitium eſt ſine patrocinio: nulli non initium eſt verecundum & exorabile.* Columella lib. 5, 9. *cum, qui aret olivetum, rogare fructum; qui ſtercoret, exorare; qui cadat, cogere.* Gronovius.

13 Vire

magis juvat bibere ſitientem: gratior eſt eſurienti cibus. Quidquid ex abſtinentia contingit, avidius excipitur. Illas vero animi voluptates, quæ majores certioreſque ſunt, nemo medicus ægro negat: has quiſquis ſequitur, & bene intelligit, omnia ſenſuum blandimenta contemnit. O infelicem ægrum! quare? quia non [13] vino nivem diluit: quia non rigorem potionis ſuæ, quam capaci ſcypho miſcuit, renovat [14] fracta inſuper glacie: quia non oſtrea illi Lucrina in ipſa menſa aperiuntur: quia non circa cœnationem ejus tumultus coquorum eſt, [15] ipſos cum obſoniis focos transferentium. hoc enim [16] jam luxuria commenta eſt. Ne quis intepeſcat cibus, ne quid [17] palato jam calloſo parum ferveat, cœnam culina proſequitur. O infelicem ægrum! edet quantum concoquat. non jacebit in conſpectu [18] aper, ut vilis caro, à menſa relegatus, nec in repoſitorio ejus [19] pectora avium (totas enim videre faſtidium eſt) congeſta ponentur. Quid tibi mali factum eſt? cœnabis tanquam æger: imo aliquando tanquam ſanus. Sed omnia iſta facile perferemus, ſorbitionem, aquam calidam, & quidquid aliud intolerabile videtur delicatis & luxu fluentibus, magiſque animo quam corpore morbidis: tantum mortem deſinamus horrere. Deſinemus autem, ſi fines bonorum

ac

13 *Vino nivem diluit*] Dicas magis, vinum dilui nive. Sed ſic iterum loquitur 2 de Ira, cap. 25. neque nivatas potiones ſolum, ſed *nivem* ipſam *roſiſſe*, noſter ſcribit, epiſt. 95. *Lipſius.*

14 *Fracta inſuper glacie*] Seneca 4 Quæſt. Nat. cap. ult. *Inde eſt, quod nec nive quidem contenti ſunt, ſed glaciem, velut certior illis ex ſolido rigor ſit, exquirunt.* Idem.

15 *Ipſos cum obſoniis focos*] Epiſt. 95. *Quid illa purulenta, & quæ tantum non ab ipſo igne in os transferuntur, judicas ſine noxa in ipſis viſceribus extingui?* Et 4 Quæſt. cap. ult. *Ardentes boletos, & raptim condimento ſuo merſatos, demittunt pene fumantes.* Idem.

16 *Jam luxuria commenta eſt*] Non quin foculos ſive ἐσχάρας, qui cum prunis transferrentur, jam antea habuerint Græci Romanique: ſed non ad boletos, & talem iſtum luxuriæ uſum. *Idem.*

17 *Palato jam calloſo*] Quarto Quæſtion. *Emortuæ fauces, & occallatæ cibis ardentibus.* Idem.

18 *Aper, ut vilis caro*] De luxu in apris, quos totos apponebant; & denique ſatis habebant oſtendere, ſcripſi adfatim 4. Poliorcet. Dialogiſmo 1. *Idem.*

19 *Pectora avium*] Epiſt. 47. de carptore: *Alius pretioſas aves ſcindit: pectus & clunes in fruſta excutit.* Idem.

20 *Unus*

Digitized by Google

ac malorum cognoverimus: ita demum nec vita tædio erit, nec mors timori. Vitam enim occupare ſatietas ſui non poteſt, tot res varias, magnas, divinas percenſentem: in odium illam ſui adducere ſolet iners otium. Rerum naturam peragranti, nunquam in faſtidium veritas veniet: falſa ſatiabunt. Rurſus, ſi mors accedit & vocat, licet immatura ſit, licet mediam præcidat ætatem, perceptus longiſſime fructus eſt. cognita eſt illi ex magna parte natura, ſcit tempore honeſta non creſcere. His neceſſe eſt videri omnem vitam brevem, qui illam voluptatibus vanis, & ideo infinitis, metiuntur. His te cogitationibus recrea, & interim epiſtolis noſtris vacando: veniet aliquod tempus, quod nos iterum jungat ac miſceat. quantum libet ſit illud, longum faciet ſcientia utendi. Nam, ut Poſidonius ait, [20] unus dies hominum eruditorum plus patet, quam imperiti longiſſima ætas. Interim hoc tene, hoc morde, adverſis non ſuccumbere, lætis non credere, omnem fortunæ licentiam in oculis habere: tanquam quidquid poteſt facere, factura ſit. Quidquid exſpectatum eſt diu, levius accedit.

EPIST.

20 *Unus dies hominum eruditorum*] Eruditorum, id eſt ſapientum, Stoïca lingua. De ſenſu autem, ſimilis in Philone Judæo, libro, Quis divinor. oper. heres: Τ' παραίτησιν δὲ τοῦ τοιαύτην ἄγοντι εἰρήνην, καλὸν γῆρας, οὐ δίαιταν πολυχρόνιον, ἀλλὰ τὸ μετὰ φρονήσεως ζῆν. Τὸ γὰρ ἀνήμερον πολυετίας κρεῖττον, ὅσῳ καὶ βραχύτερον φῶς σκότους αἰωνίου. Μίαν γὰρ ἡμέραν, ὑγιαίνων εἶπέ τις προφήτης ἀνὴρ, βούλεσθαι βιῶναι μετ᾽ ἀρετῆς, ἢ μυρία ἔτη ἐν σκιᾷ τοῦ θανάτου· σκιὰν τὸν φαῦλον αἰνιττόμενος βίον. *Pollicetur autem talem agenti pacem, bonam ſenectutem: id eſt, non longævitatem, ſed vitam cum prudentia conjunctam. Nam vel dies felicitas multitudine annorum melior, quanto brevis aliqua lux tenebris æternis. Unam enim diem, dixit ſalubriter vir propheta, malle ſe vivere cum virtute, quam multa millia annorum in umbra mortis: umbram mortis, malam indicans vitam.* Hæc Philo, ex Moyſe & Davide: iterumque ipſe David: *Melior eſt dies una in atriis tuis, ſuper millia.* Idem.

Digitized by Google

EPIST. LXXIX.

De Charybdi aliquid, Scylla, & Ætna. Tum, Sapientes inter ſe pares eſſe: & ad Sapientiam hortatur, etiamſi gloria non comitetur. Atqui comitabitur, vel poſt vitam. Bona.

EXſpecto epiſtolas tuas, quibus mihi indices, circumitus Siciliæ totius quid tibi novi oſtenderit, & omnia de ipſa Charybdi certiora. Nam Scyllam [1] ſaxum eſſe, [2] & quidem non terribile navigantibus, optime ſcio: Charybdis an reſpondeat fabulis, perſcribi mihi deſidero. Et ſi forte obſervaveris (dignum eſt autem, ut obſerves) fac nos certiores, utrum [3] uno tantum vento agatur in vortices, an omnis tempeſtas æque mare illud contorqueat: & an verum ſit, quidquid illo freti turbine arreptum eſt, per multa millia trahi conditum, & [4] circa Tauromenitanum litus emergere. Si hæc mihi perſcripſeris, tunc tibi audebo mandare, ut in honorem meum Ætnam quoque aſcendas: quam conſumi, & ſenſim ſubſidere, ex hoc colligunt, quod [5] aliquanto longius navigantibus ſolebat oſtendi. Poteſt hoc accidere, non quia montis altitudo deſedit, ſed quia ignis evanuit, & minus vehemens [6] ac largus effertur: ob

EPIST. LXXIX. 1 *Saxum eſſe*] Apud Servium 3 Æn. *Salluſtius Scyllam ſaxum eſſe dicit, ſimile formæ celebrata procul viſentibus.* Lipſius.

2 *Et quidem non terribile*] Ego hoc rectum cenſeo, nec accedo, qui, *modo terribile*, ſupponunt: quaſi etiam nunc pro veteri fama eſſet. Non, inquam, accedo: nec res eſt tanta, aut fuit. *Idem.*

3 *Uno tantum vento*] Quo illo? Auſtro. Vide Conſol. ad Marc. cap. 17. & ſupra, epiſt. 14. *Idem.*

4 *Circa Tauromenitanum*] Satis diſſitum, ſed ventus nempe & fluctus eo ducunt. Servius idem: *Nam ſorbet univerſa, quæ prehendit: & ſecundum Salluſtium, ea circa Tauromenitanum litus egerit.* Strabo, lib. 6. *Demonſtratur ante Meſſanam profunditas quædam vaſta (Charybdis) in quam æſtus freti abducunt navigia contorta, & abſorptorum fragmenta devolvuntur ad litus Tauromenitanum.* Idem.

5 *Aliquanto longius*] Ælianus Var. Hiſt. lib. 8. cap. 11. Τὴν γ' οὖν Αἴτνην φασὶν οἱ πλέοντες ἐξ ἐλάσσονος ὁρᾶν, ἢ πρὸ τοῦ ἑώρατο. *Ætnam aiunt navigantes è longinquo minus aſpici, quam antea ſolebat.* Idem.

6 *Ac largus effertur*] Noſtri omnes ſic libri, & Gruteriani: tamen Modius e ſuis, *ac largus effervit.* Idem.

7 Et

ob eamdem cauſam, fumo quoque per diem ſegniore. Neutrum autem incredibile eſt, nec montem qui devoretur quotidie minui, nec ignem non manere eumdem: qui non ipſe ex ſe eſt, ſed in aliqua inferna valle conceptus exæſtuat, [7] & alibi paſcitur: in ipſo monte non alimentum habet. ſed viam. In Lycia regio notiſſima eſt, [8] Epheſtion incolæ vocant, perforatum pluribus locis ſolum, quod ſine ullo naſcentium damno ignis innoxius circuit. Læta itaque regio eſt, & herbida, nil flammis adurentibus, ſed tantum vi remiſſa ac languida refulgentibus. Sed reſervemus iſta, tunc quæſituri, cum tu mihi ſcripſeris, quantum ab ipſo ore montis nives abſint, quas ne æſtas quidem ſolvit. adeo tutæ ſunt ab igne vicino. Non eſt autem, quod iſtam curam imputes mihi: [9] morbo enim tuo daturus eras, etiam ſi nemo [10] mandaret tibi, donec Ætnam deſcribas in tuo carmine, & hunc ſolennem omnibus Poëtis locum attingas. quem quo minus Ovidius tractaret, nihil obſtitit, quod jam Virgilius impleverat: [11] ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit. Omnibus præterea feliciter hic locus ſe dedit: & qui præceſſerant, non præripuiſſe mihi videntur quæ dici poterant, ſed aperuiſſe. Sed multum intereſt, utrum ad conſumptam materiam, an ad ſubactam accedas: creſcit in dies, & inventuris inventa non obſtant.

7 *Et alibi paſcitur*] Scripti, *& aliis*: recte. non ipſius montis viſceribus, ſed interiora ſua pabula habet. *Lipſius.*

8 *Epheſtion incola*] Scribe, Hephæſtion, ἡφαίϛειον, quaſi *Vulcanium*, à re ipſa dictum. Plinius lib. 5. cap. 27. *In Lycia mons Chimæra, noctibus flagrans: Hephaſtium civitas, & ipſa ſæpe flagrantibus jugis.* Idem.

9 *Morbo enim tuo*] Morbo animi. ſic enim affectum, & titillationem illam poëticam appellat. *Idem.*

10 *Mandaret tibi, donec Ætnam*] Locus omnino corruptus. Pal. ſec. *nemo mandaret tibi quid donec.* Col. *nemo dabit mandaret tibi quid donec.* Col. *nemo dabit quid manducare tibi donec.* Præterea meliores omnes, *ne hunc ſolennem*: non, *& hunc.* Feliciſſima Rubenii conjectura: *morbo enim tuo daturus eras, etiamſi nemo mandaret. Quid tibi do, ne Ætnam deſcribas in tuo carmine, ne hunc ſolennem omnibus poëtis locum attingas?* Ut nempe Seneca indicet, Lucilium ſponte ſua, tanta Ætnam deſcribendi libidine teneri, ut nullo pretio inde avocari poſſit. Cicero dixiſſet, *Quid mereas?* Erf. quoque: *etiamſi nemo quid mandaret tibi donec.* Gronovius.

11 *Ne Severum quidem Cornelium*] Cui hodie opuſculum de Ætna adſeritur, quod exſtat. *Lipſius.*

12 *Sali-*

obſtant. Præterea, conditio optima eſt ultimi. Parata verba invenit, quæ aliter inſtructa novam faciem habent: nec illis manus injicit, tanquam alienis: ſunt enim publica. Juriſconſulti negant, quidquam publicum uſucapi. Aut ego te non novi, aut Ætna tibi [12] ſalivam movet. Jam cupis grande aliquid, & par prioribus ſcribere. Plus enim ſperare modeſtia tibi tua non permittit: quæ tanta in te eſt, ut videaris mihi retracturus ingenii tui vires, ſi vincendi periculum ſit. tanta tibi priorum reverentia eſt. Inter cetera, hoc habet boni ſapientia: nemo ab altero poteſt vinci, niſi dum aſcenditur. [13] dum ad ſummum perveneris, paria ſunt: non eſt incremento locus, ſtatur. Nunquid ſol magnitudini ſuæ adjicit? nunquid luna ultra quam ſolet procedit? maria non creſcunt: mundus eumdem habitum ac modum ſervat. Extollere ſe, quæ juſtam magnitudinem implevere, non poſſunt. Quicumque fuerint ſapientes, [14] pares erunt & æquales. habebit unuſquiſque ex his proprias dotes: alius erit affabilior, alius expeditior, alius promptior in eloquendo, alius facundior: illud de quo agitur, quod beatum facit, æquale erit in omnibus. An Ætna tua poſſit ſublabi, & in ſe ruere, an hoc excelſum cacumen & conſpicuum per vaſti maris ſpatia detrahat aſſidua vis ignium, neſcio: virtutem non flamma, non ruina inferius adducet. Hæc una majeſtas deprimi neſcit, nec proferri ultra, nec referri poteſt. Sic hujus, ut cæleſtium, ſtata magnitudo eſt. Ad hanc nos conemur educere. jam multum operis effectum eſt, imo ſi verum fateri volo, non multum. Nec enim bonitas eſt, peſſimis eſſe meliorem. Quis oculis glorietur, qui ſuſpicentur diem? quibus ſol per caliginem ſplendet? licet contentus interim ſit

12 *Salivam movet*] Quod fit in ſubito appetitu cibi, aut obſonii. lingua & os humeſcunt, & ſumere allubeſcunt. *Lipſius.*

13 *Dum ad ſummum perveneris*] Latinitas requirebat, *cum ad ſummum.* Gronovius.

14 *Pares erunt & æquales*] Nos in Manuduct. 3. Diſſert. 3. *Lipſius.*

15 *Lo-*

ſit effugiſſe tenebras, adhuc non fruitur bono lucis. Tunc animus noſter habebit quod gratuletur ſibi, cum emiſſus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui viſu clara proſpexerit, ſed totum diem admiſerit, & redditus cælo ſuo fuerit, cum receperit [15] locum, quem occupavit ſorte naſcendi. Surſum vocant illum initia ſua. Erit autem illic, etiam antequam hac cuſtodia exſolvatur, cum vitia disjecerit, puruſque ac levis in cogitationes divinas emicuerit. Hoc nos oportet agere, Lucili cariſſime, in hoc ire impetu toto, licet pauci ſciant, licet nemo videat. Gloria, umbra virtutis eſt: etiam invitos comitabitur. Sed quemadmodum aliquando umbra antecedit, aliquando ſequitur: ita gloria aliquando ante nos eſt, viſendamque ſe præbet; aliquando in averſo eſt, majorque quo ſerior, ubi invidia ſeceſſit. Quamdiu videbatur furere Democritus? vix recepit Socratem fama. Quamdiu Catonem civitas ignoravit? reſpuit: nec intellexit, niſi cum perdidit. Rutilii innocentia ac virtus lateret, niſi accepiſſet injuriam: dum violatur, effulſit. Nunquid non ſorti ſuæ gratias egit, & exſilium ſuum complexus eſt? De his loquor, quos illuſtravit fortuna, dum vexat: quam multorum profectus in notitiam evaſere, poſt ipſos? quam multos fama non excepit, ſed eruit? Vides Epicurum, quantopere non tantum eruditiores, ſed hæc quoque imperitorum turba miretur. Hic ignotus ipſis Athenis fuit, circa quas delituerat. Multis itaque jam annis Metrodoro ſuo ſuperſtes, in quadam epiſtola, cum amicitiam ſuam & Metrodori, grata commemoratione ceciniſſet, hoc noviſſime adjecit, Nihil ſibi & Metrodoro inter bona tanta nocuiſſe, quod ipſos illa nobilis Græcia non ignotos ſolum habuiſſet, ſed pene inauditos. Numquid ergo non poſtea, quam eſſe deſierat, inventus eſt? numquid non opinio ejus emicuit? Hoc Metrodorus

15 *Locum quem occupavit*] Nempe illum in cælo locum, ubi cum primo orbe fuit. Ex eo ſcintilla in terras deſiliit, animus noſter factus, eo rediturus. *Idem.*

16 *Para-*

rus quoque in quadam epiſtola confitetur, ſe & Epicurum non ſatis eminuiſſe: ſed poſt, ſe & Epicurum, magnum [16] paratumque nomen habituros, apud eos qui voluiſſent per eadem ire veſtigia. Nulla virtus latet: & latuiſſe, non ipſius eſt damnum. Veniet qui conditam, & ſæculi ſui malignitate compreſſam, dies publicet. Paucis natus eſt, qui populum ætatis ſuæ cogitat. Multa annorum millia, multa populorum ſupervenient: ad illa reſpice. etiam ſi omnibus tecum viventibus ſilentium livor indixerit, venient qui ſine offenſa, ſine gratia judicent. Si quod eſt pretium virtutis ex fama, nec hoc interit. Ad nos quidem nihil pertinebit poſterorum ſermo: tamen etiam non ſentientes colet, ac frequentabit. Nulli non virtus, & vivo, & mortuo, retulit gratiam: ſi modo illam bona ſecutus eſt fide, ſi ſe non exornavit & pinxit, ſed idem fuit, [17] ſive ex denuntiato videbatur, ſive imparatus ac ſubito. Nihil ſimulatio proficit. paucis imponit leviter extrinſecus inducta facies: veritas in omnem partem ſui ſemper eadem eſt. Quæ decipiunt, nihil habent ſolidi. Tenue eſt mendacium: perlucet, ſi diligenter inſpexeris.

EPIST. LXXX.

Vulgus ad ſpectaculum & ad ſtadium, ſeſe ad ſtudium & animum iviſſe. Hunc colendum, non corpus: & facile id eſſe, ſi Bona velis. Ad libertatem eundum; quod fit ſpretis calcatiſque cupidinibus. In eo veram felicitatem, non externo ſplendore eſſe.

HOdierno die non tantum meo beneficio mihi vaco, ſed ſpectaculi, quod omnes moleſtos [1] ad ſphæromachiam

16 *Paratumque nomen*] Fortaſſe, *pacatumque*: extra calumnias & detractiones. *Lipſius.*

17 *Sive ex denuntiato*] Qui mos hodieque inter magnates, præmittere & nunciare adventum. *Idem.*

EPIST. LXXX. 1 *Ad ſphæromachiam*] Libri, ut ſolet in Græcis, variant. Quidam, *ad ſpheram mathemam*: alii, *ad ſpero in athema*: meus, *aſperam in ethnam.* Sphæromachia quidem nota eſt, pilaris luſus & certamen. Nominat Papinius in Silvis: *Sphæromachias ſpectamus, & pilaris luſio admittitur.* Ipſæ enim

chiam avocavit. Nemo irrumpit, nemo cogitationem meam impedit: quæ hac ipſa fiducia procedit audacius. [2] Non crepuit ſubinde oſtium, [3] non allevabatur velum: [4] licebit uni vadere, quod magis neceſſarium eſt per ſe eunti, & ſuam ſequenti viam. Non ergo ſequor priores? facio. ſed permitto mihi & invenire aliquid, & mutare, & relinquere. Non ſervio illis, ſed aſſentior. magnum tamen verbum dixi, qui mihi ſilentium promittebam, & ſine interpellatione ſecretum: ecce ingens clamor ex ſtadio profertur, & me non excutit mihi, ſed in hujus ipſius rei [5] contentionem transfert. Cogito mecum, quam multi corpora exerceant, quam ingenia pauci: quantus ad ſpectaculum non

enim pila, *ſphara* dicitur. atque ita Sidonius lib. 5. epiſt. 17. *Sphara primus ego ſignifer fui:* & luſores, *Sphariſtas* appellat. Seneca adfirmare etiam lectionem hanc videtur ſtatim, dum ait *Spectaculum non fidele, & luſorium.* Lubricum enim, anceps: & luſus magis, quam certamen. Tamen Pincianus ille, judicii bonus, ambigit, & *ſphyromachiam* legi mallet: *calcium & talorum pugnam.* Nam & eo alludens mox Seneca: *patientiam, qua pugnos pariter & calces non unius hominis feras.* Ego memini puer Athi Hainoniæ certamen hoc ſollenne videre, quo mariti & juvenes, projecta in medium pila, pugnis calcibuſque de ea propellenda certabant, & ad talem locum (qui meta erat) provehenda. Simile apud veteres? neſcio. Equidem ſimplicem hic Sphæromachiam fuiſſe, vix perſuadeor. Cur enim ad cottidianum tale ſpectaculum, & in balneis uſurpatum, tota civitas concurreret? niſi ſi eximii aliqui ſphæriſtæ. Cur item in *ſtadio* præberetur? nam de eo ſequitur: atque is athletarum magis locus, & quæ ſubjungit, ad illos ducunt. Ἐπέχω igitur. *Lipſius.* Vide P. Fabrum lib. 1. c. 6. Agoniſt.

2 *Non crepuit ſubinde oſtium*] An in aperiendo, cum cardo vertitur? an etiam tunc moris oſtium digito vel manu percuti, ne inopinanti ſupervenires. *Lipſius.*

3 *Non allevabatur velum*] Foribus cubiculi prætenſum: de quo ego pluſcula, ad Annalem Taciti 13. Allevabatur autem ab admiſſionalibus miniſtris: quos Aimoinus lib. 2 de Geſt. Franc. cap. 5. *tenentes cortinam*, ab hoc more, appellat. *Idem.* Intelligit velum quod prætendebatur foribus, de quo Suetonius in Claudio cap. 10. & Jul. Pollux lib. 10. id velum levabatur in admiſſionibus, ut patet ex iſto loco Senecæ, & Lampridio in Alexandro. Inde apud J. C. *cauſas cognoſcere levato velo*, id eſt, palam omnibus admiſſis l. 5. C. de naufragiis. Erant & alia *vela* in cænationibus arcendi frigoris, itemque ornatus cauſa, de quibus noſter lib. 4 Quæſt. Nat. Tertullianus de habitu muliebri.

4 *Licebit uni vadere*] Quidem, *uno evadere:* plerique autem omnes, *uno*, vel *imo*. Probo vulgatum; vel, *unum*. Sententia. licebit mihi ſoli incedere, per cogitationes & ſtudia mea ire: quod expedit illi, qui ſectam non ſequitur. *Lipſius.*

5 *Contentionem transfert*] Ut contendam & conferam hoc certamen cum ſtudio meliore. An placet cum quibuſdam libris, *contemplationem*? certe mihi. *Idem.*

6 Non

non fidele & luſorium fiat concurſus, quanta ſit circa artes bonas ſolitudo: quam imbecilli animo ſint, quorum lacertos humeroſque miramur. Illud maxime revolvo mecum. ſi corpus perduci exercitatione ad hanc patientiam poteſt, qua & pugnos pariter & calces [6] non unius hominis ferat, qua [7] ſolem ardentiſſimum in ferventiſſimo pulvere ſuſtinens aliquis, & ſanguine ſuo madens diem ducat: quanto facilius animus corroborari poſſit, ut fortunæ ictus invictus excipiat, ut projectus, ut conculcatus exſurgat? Corpus enim multis eget rebus, ut valeat: animus ex ſe creſcit, ſe ipſe alit, ſe exercet. Illi multo cibo, multa potione opus eſt, [8] multo oleo, longa denique opera: tibi continget virtus ſine apparatu, ſine impenſa. Quidquid facere te poteſt bonum, tecum eſt. Quid tibi opus eſt ut ſis bonus? velle. Quid autem melius potes velle, quam eripere te huic ſervituti, quæ omnes premit, quam mancipia quoque conditionis extremæ, & in his ſordibus nata, omni modo exuere conantur? [9] Peculium ſuum, quod comparaverunt ventre fraudato, [10] pro capite numerant: [11] tu non concupiſces quanticumque ad libertatem pervenire, qui te putas in illa natum? Quid ad arcam tuam reſpicis? emi non poteſt. Itaque [12] in tabellas vanum conjicitur nomen libertatis:

6 *Non unius hominis*] Nam etſi paria fere Athletarum pugnabant, tamen aliquando mixti aut per catervas: & ut id non fuerit, ordine alii poſt alios ſupponebantur. Ita unus victor plures ſuſtinebat. *Lipſius.*

7 *Solem ardentiſſimum*] Cicero: *Pugiles inexercitati, etiamſi pugnos & plagas ferre poſſint, Solem tamen ſæpe ferre non poſſunt.* Idem.

8 *Multo oleo*] Hæc item ad athletas, quorum crebra unctio, *multi cibi*, & ſagina. *Idem.*

9 *Peculium ſuum, quod comparaverunt*, &c.] Redimere ſe ære ſuo ſervi ſolent. Vide, ſi lubet, me ad Taciti 14 Annalem. *Idem.* De hoc late Rævardus ad l. 19. de reg. jur. Briſſon. lib. 6. de Formulis.

10 *Pro capite*] Id eſt, pro libertate. Nam ſervi caput non habent. *Lipſius.*

11 *Tu non concupiſces*] Paria iſtis Epictetus Diſſert. 4. cap. 1. *Pro iſta, quæ putatur libertas, alii ſe ſuſpendunt, alii ſe præcipitant: eſt etiam cum tota urbes perierunt: & tu ob veram, ob inſidiarum expertem, ob tutam libertatem nihil capias laboris?* Vera autem hæc libertas, quam intelligunt, eſt finis Philoſophiæ, ait Simplicius: *illa nimirum, in qua à parente & auctore Deo producti ſumus, ut neque formidemus quidquam, nec doleamus, neque ulli deteriori naturæ aut rei ſerviamus.* Et huc ſpectat illud Paradoxum decretum, *Solum ſapientem liberum eſſe.* Idem.

12 *In tabellas vanum conjicitur*] Manumiſ-

tatis: quam nec qui emerunt habent, nec qui vendiderunt. Tibi des oportet iſtud bonum, à te petas. Libera te primum metu mortis: illa nobis primum jugum imponit: deinde metu paupertatis. Si vis ſcire quam nihil in illa mali ſit, compara inter ſe pauperum & divitum vultus. Sæpius pauper & fidelius ridet: nulla [13] ſolicitudo in alto eſt: etiam ſi qua incidit cura, velut nubes levis tranſit. Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt, aut gravis & ſuppurata triſtitia: & quidem gravior, quia interdum non licet palam eſſe miſeros: ſed inter ærumnas cor ipſum exedentes, neceſſe eſt agere felicem. Sæpius hoc exemplo mihi utendum eſt: nec enim ullo efficacius exprimitur hic [14] humanæ vitæ mimus, [15] qui nobis partes has, [16] quas male agamus, aſſignat. [17] Ille qui in ſcena elatus incedit, & hæc reſupinus dicit,

> [18] *En impero Argis*, [19] *regna mihi liquit Pelops*,

Qua

numiſſionis tabellas: quæ fidei cauſſa dabantur. *Lipſius.*

13 *Solicitudo in alto eſt*] In imo & profundo pectore. *Idem.*

14 *Humana vita mimus*] Auguſti morituri quæſitum, *Ecquid hunc mimum vitæ ſatis commode egiſſe videretur?* Enchiridium Epicteti, cap. 23. Vide, & in illud Simplicium. In Anthologio:

> Σκηνὴ πᾶς ὁ βίος, καὶ παίγνιον. Ἢ μάθε παίζειν,
> Τὴν σπουδὴν μεταθείς, ἢ φέρε τὰς ὀδύνας·
> *Scena eſt hæc vita, & mimus. Vel ludere diſce*
> *Seria poſtponens, vel cruciare miſer.*

Idem.

15 *Qui nobis partes has*] Teles Pythagoricus: Δεῖ ὥσπερ τὸν ἀγαθὸν ὑποκριτὴν, ὅ, τι ἂν ὁ ποιητὴς περιθῇ πρόσωπον, τοῦτο ἀγωνίζεσθαι καλῶς· οὕτω καὶ τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα ὅ, τι ἂν περιθῇ ἡ τύχη. καὶ γὰρ αὕτη, φησὶν ὁ Βίων, ὥσπερ ποιήτρια, ὅτε μὲν πρωτολόγου, ὅτε ὑστερολόγου περιτίθησι πρόσωπον, καὶ ὅτε μὲν βασιλέως, ὅτε δὲ ἀλήτου. *Oportet, ſicut bonum hiſtrionem, quamcunque perſonam poëta impoſuerit, eam decore exſequi & ſuſtinere: ſic & bonum virum, quamcunque Fortuna dederit. Nam & hæc, ait Bion, velut poëtria, aliquando primi, aliquando ultimi actoris perſonam imponit, eſt etiam cum regis, & aliàs mendici.* Laërtius etiam, in Zenone: Εἶναι γὰρ ὅμοιον τῷ ἀγαθῷ ὑποκριτῇ τὸν σοφόν. ὃς ἄν τε Θερσίτου, ἄν τε Ἀγαμέμνονος πρόσωπον ἀναλάβῃ, ἑκάτερον ὑποκρίνεται προσηκόντως· *Eſſe bono hiſtrioni ſimilem ſapientem, qui ſive Therſitæ, ſive Agamemnonis perſonam acceperit, utramque decenter exprimit & imitatur.* Idem.

16 *Quas male agamus*] Noſtra culpa, & inſcitia: non illo ſic imponente. Vellet enim bene agi, & facit ſapiens. *Idem.*

17 *Ille qui in ſcena*] Atreus, qui Pelopis filius & hæres. & quæ ſequuntur, ſunt ex Attii Atreo. *Idem.*

18 *En impero Argis*] Mei libri, *Impero Argis*, ſine illa particula. Et grandius mihi eſſet, *Imperito Argis*: ſive antique, *Imperitod.* Idem.

19 *Regna mihi liquit*] In Fabio legitur, *ſceptra mihi.* Idem.

 20 *Quino*

Quà Ponto ab Helles atque ab Ionio mari
Urgetur Iſthmos:

ſervus eſt, [20] quinque modios accipit, [21] & quinque denarios. Ille qui ſuperbus, atque impotens, & fiducia virium tumidus ait,

Quod niſi quieris Menelaë, hac dextra occides:

[22] diurnum accipit, [23] in centuriculo dormit. Idem de iſtis licet omnibus dicas, quos ſupra capita hominum, ſupraque turbam delicatos lectica ſuſpendit: omnium iſtorum perſonata felicitas eſt. Contemnes illos, ſi deſpoliaveris. [24] Equum empturus, ſolvi jubes ſtratum, detrahis veſtimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem involutum æſtimas? Mangones, quidquid eſt quod diſpliceat,

20 *Quinque modios accipit*] Dimenſum & cibarium ſervile in menſes. Et-ſi tamen in Donato ſcribitur: *Servi quaternos modios accipiebant frumenti in menſem.* Sed fieri poteſt, imo ſolet, ut honeſtiores pluſculum acciperent, ſic-ut iſti actores. Ego aliquid ſuper hac re 1 Elector. cap. de Frumentat. *Lipſ.*

21 *Et quinque denarios*] Septem denarios Lucianus videtur agnoſcere, ſuo ævo. Sed hæc talia mutant. De modo iſto lucaris (ſic appellabant) ego ad 1 Annal. Taciti. *Idem.*

22 *Diurnum accipit*] Denarium, & mercedulam. *Idem.*

33 *In cœnaculo dormit*] Ubi tenuiores & inopes. Sic actor Plautinus, qui Jovem Amphitruonem refert, jocoſe:

Ego ſum ille Amphitruo, cujus ſervus Soſia,
In ſuperiore qui habito cœnaculo,

Tamen ſcripti fere, *centuculo*, aut *centunculo*; meus, *cetulo*. Et de centunculo ſane placeat: atque id ſtratum ſervorum fuiſſe. *Idem.* Revocavi volente Lipſio & Grutero, quod ad o-ram Eraſmicæ apparuit, firmatum omnibus Pall. & Erf. *centunculo.* Id ſtratum vile ſervorum fuiſſe, diſcimus ex fragmento Catonis apud Feſtum: *Servi, ancillæ, ſi quis eorum ſub centone crepuit, quod ego non ſenſi, nullum mihi vitium facit.* Ante Frobenianam editiones, *in centuculo.* Gronovius.

24 *Equum empturus*] Horatii illud obvium:

Regibus hic mos eſt, ubi equos mercantur, apertos
Inſpiciunt.

Macrobius 1 Saturn. cap. 11. *Quemadmodum ſtultus eſt, qui empturus equum, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus & frenum: ſic eſt, qui hominem ex veſte, aut conditione, quæ modo veſtis nobis circumdata eſt, æſtimandum putat.* Apuleius, de Deo Socratis: *Neque enim in emendis equis phaleras conſideramus, & balthei polimina inſpicimus, & ornatiſſima cervicis divitias contemplamur: ſed iſtis omnibus exuviis amolitis & amotis, equum ipſum nudum, & ſolum corpus ejus & animum contuemur.* Socrates, apud Stob. Serm. 1. Οὔτε ἵππος ἀγαθὸς κρίνοιτ᾽ ἂν ὁ πολυτελῆ σκευὴν ἔχων, ἀλλ᾽ ὁ τῇ φύσει λαμπρός. οὔτε ἀνὴρ σπουδαῖος, ὁ πολύτιμον οὐσίαν κεκτημένος, ἀλλ᾽ ὁ τὴν ψυχὴν γενναῖος. *Neque equus generoſus judicetur, qui ſtratum & inſtructum ſplendidum habeat, ſed qui natura ſit talis: ita nec vir honeſtus, qui multas & æſtimabiles opes habeat, ſed qui animo ſit præſtans.* Lipſius.

25 *Fa-*

Digitized by Google

pliceat, aliquo lenocinio abſcondunt. Itaque emeritibus ornamenta ipſa ſuſpecta ſunt: ſive crus alligatum, ſive brachium adſpiceres, nudari juberes, & ipſum tibi corpus oſtendi. Vides illum Scythiæ Sarmatiæve regem, inſigni capitis decorum? ſi vis illum æſtimare, totumque ſcire qualis ſit, [25] faſciam ſolve. [26] multum mali ſub illa latet. Quid de aliis loquor? ſi perpendere te voles, ſepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipſe conſidera. Nunc qualis ſis, [27] aliis credis.

EPIST. LXXXI.

De homine ingrato exordium: tum quæſtio, An grati eſſe debeamus adverſus eum, qui ante juvit, poſt nocuit? Subtiliter & diffuſe hoc diſputat, & varie diſtinguit.

QUereris incidiſſe te in hominem ingratum. Si hoc nunc primum, age aut fortunæ, aut diligentiæ tuæ gratias. Sed nihil facere hoc loco diligentia poteſt, niſi te malignum. Nam ſi hoc periculum vitare volueris, non dabis beneficia: ita, ne apud alium pereant, apud te peribunt. Non reſpondeant potius, quam non dentur: & poſt malam ſegetem ſerendum eſt. Sæpe quidquid perierat aſſidua infelicis ſoli ſterilitate, unius anni reſtituit ubertas. Eſt tanti, ut gratum invenias, experiri & ingratos. Nemo habet tam certam in beneficiis manum, ut non ſæpe fallatur: [1] aberrent, ut aliquando hæreant. Poſt naufragium maria

25 *Faſciam ſolve*] Id eſt, diadema inſigne regni. Nam hoc, non aliud quam faſcia, aut vitta capiti circumdata. *Lipſius*.

26 *Multum mali ſub illa*] Regis cujuſpiam dictum, ad mulierculam admirantem: *O mulier, hunc pannum humi jacentem non tollat, ſi ſciat quantum mali ſub eo lateat.* Idem.

27 *Aliis credis*] Adulatoribus, & blandis hoſtibus. *Idem*.

EPIST. LXXXI. *Aberrent ut aliquando hæreant*] Recte probat Gruterus hanc lectionem contra Lectium, qui conjiciebat, *non errent*. Sed accepta tranſlatio à telis miſſilibus, præcipue igniferis, quæ tum *hæſiſſe* dicuntur, cum fixa ſunt, & quo mittuntur, comprehenderunt. Livius lib. 27. *Hæſere omnia tela haud difficili ex propinquo in tanta corpora ictu & tam conferta turba.* Tacitus 4 Hiſt. *Poſt ubi pleraque telorum turribus pinniſque mœnium irrita hærebant.* Curtius lib. 4. *ictu acerviſ-*

maria tentantur: fœneratorem [2] non fugat à foro decoctor. Cito inerti otio vita torpebit, ſi relinquendum eſt quidquid offendit. Te vero benigniorem hæc ipſa res faciat. nam cujus rei eventus incertus eſt, id, ut aliquando procedat, ſæpe tentandum eſt. Sed de iſto ſatis multa in iis libris locuti ſumus, qui de Beneficiis inſcribuntur: illud magis quærendum videtur, quod [3] non ſatis (ut exiſtimo) explicatum eſt: An is qui profuit nobis, ſi poſtea nocuit, paria fecerit, & nos debito ſolverit? Adjice ſi vis & illud: Multo plus poſtea nocuit, quam ante profuerat. Si rectam illam rigidi judicis ſententiam quæris, alterum ab altero abſolvet, & dicet: Quamvis injuria præponderet, tamen beneficiis donetur, quod ex injuria ſupereſt. Plus nocuit? ſed prius profuit. itaque habeatur & temporis ratio. Jam illa manifeſtiora ſunt quam ut admoneri debeas, quærendum eſſe, quam libenter profuerit, quam invitus nocuerit: quoniam animo & beneficia & injuriæ conſtant. Nolui beneficium dare. victus ſum aut verecundia, aut inſtantis pertinacia, aut ſpe. Eo animo quidque debetur, quo datur: nec quantum ſit, ſed à quali profectum voluntate, perpenditur. Nunc conjectura tollatur. Et illud beneficium fuit, & hoc quod modum beneficii prioris exceſſit, injuria eſt. Vir bonus utroſque calculos ſic ponit, ut [4] ſe ipſe circumſcribat: beneficio adjicit, injuriæ demit. Ille alter remiſſior judex, quem eſſe me malo, injuriæ oblivi-ſci debebit, officii meminiſſe. Hoc certe, inquit, juſtitiæ con-

quæ frumenti injecerant flammas, quæ cum in ſummo hæſiſſent. Cicero eleganter pro domo: *nonne providendum Senatui fuit, ne in hanc tantam materiam ſeditionis iſta funeſta fax adhæreſceret?* Statius lib. 10 Thebaidos: *pars ad faſtigia miſſæ Exultant hæſiſſe faces.* Non igitur erat hærendum Behotio, quod nonnulli codices *exiiſſe*, utra ſit potior lectio. *Gronovius.*

2 *Non fugat à foro decoctor*] Alii, *coactor*, referunt. *Coactor* quidem eſt, qui argentariorum aut fœneratorum reliqua, & ſummulas exigit, qui & *collectarius* dicitur: ſed aptior *decoctori* hic locus, an *coctori*? nam meus & magis fidi libri, *tortor*. Lipſius.

3 *Non ſatis, ut exiſtimo*] Attigit tamen lib. 3 de Benef. cap. 13. *Idem.*

4 *Se ipſe circumſcribat*] Decipiat ſe, & ultro fallat in hoc calculo. *Idem.*

5 Non

Digitized by Google

convenit, ſuum cuique reddere, beneficio gratiam, injuriæ talionem, aut certe malam gratiam. Verum erit iſtud, cum alius injuriam fecerit, alius beneficium dederit. nam ſi idem eſt, beneficio vis injuriæ exſtinguitur. Nam cui, etiam ſi merita non anteceſſiſſent, oportebat ignoſci, poſt beneficia lædenti plus quam venia debetur. Non pono utrique par pretium: pluris æſtimo beneficium, quam injuriam. [5] Non omnes debere ſciunt grati beneficium. Poteſt etiam imprudens, & rudis, & unus è turba, [6] utique dum prope eſt ab accepto, reddere beneficium, [7] & penſare: ignorat autem [8] quantum debeat. Uni ſapienti notum eſt, quanti res quæque taxanda ſit. Nam ille, de quo loquebar modo, ſtultus, etiam ſi bonæ voluntatis eſt, aut minus quam debet, aut tempore, aut quo non debet loco, reddit: id quod referendum eſt, effundit atque abjicit. Mira in quibuſdam rebus verborum proprietas eſt: & conſuetudo ſermonis antiqui quædam efficaciſſimis, & officia docentibus, notis ſignat. Sic certe ſolemus loqui: Ille illi gratiam retulit. Referre, eſt ultro quod debeas afferre. Non dicimus, Gratiam reddidit. Reddunt enim, & qui repoſcuntur, & qui inviti, & qui ubi libet, & qui per alium. Non dicimus, Repoſuit beneficium, aut ſolvit: nullum enim nobis placuit, quod æri alieno convenit, verbum. Referre, eſt ad eum à quo acceperis, ferre. Hæc vox ſignificat voluntariam relationem. Qui retulit, ipſe ſe appellavit. Sapiens omnia examinabit ſecum, quantum acceperit, à quo, quando, ubi, quemadmodum. Itaque negamus, quemquam ſcire gratiam referre, niſi ſapientem. non

5 *Non omnes debere ſciunt grati*] Librorum hæc ſcriptura eſt, Romanam ſuppoſiticiam non moror. Lego tamen, *grate*. Lipſius.

6 *Utique dum prope eſt*] Id eſt, in recenti beneficio, quod nondum excidit. Nam vulgus vetuſtioris obliviſcitur. *Idem*.

7 *Et penſare*] Sententia eſt. poteſt par reddere, ſed non paria facere: quia in beneficio non acceptum ſolum conſideratur, ſed animus, tempus, occaſio tua & mea. *Idem*.

8 *Quantum debeat*] Alii, *pro te debeat*: meus, *quantum præbeat*. Idem.

non magis quam beneficium dare quiſquam ſcit, niſi ſapiens: hic ſcilicet, qui magis dato gaudet, quam alius accepto. Hoc aliquis inter illâ numerat, quæ videmur inopinata omnibus dicere: παράδοξα Græci vocant: & ait, Nemo ergo ſcit præter ſapientem referre gratiam? ergo nec quod debet creditori ſuo, reponere quiſquam ſcit alius? nec cum emit aliquam rem, pretium venditori perſolvere? Sed ne nobis fiat invidia, ſcito idem dicere Epicurum. Metrodorus certe ait, Solum ſapientem referre gratiam ſcire. Deinde idem admiratur, cum dicimus, [9] Solus ſapiens ſcit amare, ſolus ſapiens amicus eſt. Atqui & amoris & amicitiæ pars eſt, referre gratiam: imo hoc magis vulgare eſt, & in plures cadit, quam vera amicitia. Deinde idem admiratur, quod dicimus fidem niſi in ſapiente non eſſe: tanquam non ipſe idem dicat. An tibi videtur fidem habere, qui referre gratiam neſcit? Deſinant itaque infamare nos, tanquam incredibilia jactantes: & ſciant apud ſapientem eſſe ipſa honeſta, apud vulgum ſimulacra rerum honeſtarum & effigies. Nemo referre gratiam ſcit, niſi ſapiens. Stultus quoque utcumque ſcit, & quemadmodum poteſt, referat: ſcientia illi potius, quam voluntas deſit. Velle non diſcitur. Sapiens inter ſe omnia comparabit. majus ejus opus, aut minus fit (quamvis idem ſit) tempore, loco, cauſſa. Sæpe enim hoc non potuere divitiæ in domum infuſæ, quod opportune dati mille denarii. Multum enim intereſt, donaveris, an ſuccurreris: ſervaverit illum tua liberalitas, an inſtruxerit. Sæpe quod datur, exiguum eſt: quod ſequitur ex eo, magnum. Quantum autem exiſtimas intereſſe, [10] utrum aliquis de arca, quod præſtaret, ſumpſerit, an

9 *Solus ſapiens ſcit amare*] Vide Manuduct. 3. Diſſert. 16. *Lipſius.*

10 *Utrum aliquis quod dederat, ſumpſerit*] Mire intricant libri: & hæc Muretiana, præter ipſos. Mitto alios, meus: *Quantum autem, exiſtimas, intereſt, utrum aliquid quod dederat, vel quod præſtarat, ſumpſerit, an beneficium.* Alludunt alii. & Eraſmi quidam codices, *utrum aliquis de rata quod præſtaret ſumpſerit.* Nos concinnamus: *exiſtimas, intereſt, utrum aliquis de arca, vel quod præſto erat, ſumpſerit, an beneficium.* Veriſſime, opinor. Quid cenſes, inquit, inter-

an beneficium acceperit, ut daret? Sed ne in eadem, quæ [11] ſatis ſcrutati ſumus, revolvamur; in hac comparatione beneficii & injuriæ, vir bonus judicabit quidem quod erit æquiſſimum: ſed beneficio favebit, in hanc erit partem proclivior. Plurimum autem momenti perſona ſolet afferre in rebus ejuſmodi. Dediſti mihi beneficium in ſervo, injuriam feciſti in patre: ſervaſti mihi filium, ſed patrem abſtuliſti. Alia deinceps, per quæ procedit omnis collatio, proſequetur: & ſi puſillum erit quod interſit, diſſimulabit. Etiam ſi multum fuerit, ſi id donari ſalva pietate ac fide poterit, remittet: id eſt, ſi ad ipſum tota pertinebit injuria. Summa rei hæc eſt. facilis erit in commutando: patietur [12] plus imputari ſibi. invitus beneficium per compenſationem injuriæ ſolvet: in hanc partem inclinabit, huc verget, ut cupiat debere gratiam, cupiat referre. Errat enim, ſi quis beneficium libentius accipit, quam reddit. Quanto hilarior eſt qui ſolvit, quam qui mutuatur; tanto debet lætior eſſe, qui ſe maximo ære alieno accepti beneficii exonerat, quam qui accipiens cum maxime obligatur. Nam in hoc quoque falluntur ingrati, quod creditori quidem, præter ſortem, extra ordinem numerant: beneficiorum autem uſum eſſe gratuitum putant. Et illa creſcunt mora: tantoque plus ſolvendum eſt, quanto tardius. Ingratus eſt, qui beneficium reddit ſine uſura. Itaque hujus

intereſſe, utrum aliquis domo & ab arca, paratam pecuniam ſumpſerit; an ut poſſet benefacere, beneficium acceperit? id eſt, ipſe mutuum ſumptum, alteri dederit? De ſententia, nec ambigo; vix de ſcriptura. *Idem.* Optimus Eraſmi; *aliquis de rata quod præſtaret ſumſerit.* Unde Lipſius, *de arca vel quod præſto erat.* Veriſſime in parte. Pro *præſtaret*, alii libri *præſtarat*, alii *præſtabat*. Et hoc poſterius retinendum. *Utrum aliquis de arca, quod præſtabat, ſumſerit.* Nam de beneficio loquitur, intermiſcens eleganter tralatum ſermonem de pecunia, quæ domo, & ex parato promitur. Utrum à ſe ſolo expenderit, & ſuis unius facultatibus in dando beneficio uſus ſit, an advocaverit alienas, & verſuram fecerit, ut amico mutuum daret. Cic. 1 ad Att. 9. *Ne dubitaris mittere, & arca noſtra confidito.* Ad Q. Fratrem, 2, 11. *nihil eſſe, quod poſthac arca noſtra fiducia conturbaret.* Plin. lib. 3. epiſt. 14. *accipiam à ſocru, cujus arca non ſecus ac meâ utor.* Gronovius.

11 *Satis ſcrutati ſumus*] Libris de Beneficiis. *Lipſius.*

12 *Plus imputari ſibi*] Plus ſibi deberi. *Idem.*

Digitized by Google

hujus quoque rei habebitur ratio, cum conſerentur accepta & expenſa. Omnia facienda ſunt, ut quam gratiſſimi ſimus. noſtrum enim in hoc bonum. quemadmodum juſtitia non eſt, ut vulgo creditur, ad alios pertinens, maxima pars ejus in ſe redit. Nemo non cum alteri prodeſt, ſibi profuit. Non eo nomine dico, quod volet adjuvare adjutus, protegere defenſus, quod bonum exemplum circuitu ad facientem revertitur: ſicut mala exempla recidunt in auctores, nec ulla miſeratio contingit his, qui patiuntur injurias, quas poſſe fieri, faciendo docuerunt: ſed quod virtutum omnium pretium in ipſis eſt. Non enim exercentur ad præmium: recte facti, feciſſe merces eſt. Gratus ſum. non ut alius mihi libentius præſtet, priori irritatus exemplo: ſed ut rem jucundiſſimam ac pulcherrimam faciam. Gratus ſum: non quia expedit, ſed quia juvat. Hoc ut ſcias ita eſſe, ſi gratum eſſe non licebit, niſi ut videat ingratus, ſi reddere beneficium non aliter quam per ſpeciem injuriæ potero; æquiſſimo animo ad honeſtum conſilium, per mediam infamiam, tendam. Nemo mihi videtur pluris æſtimare virtutem, nemo illi magis eſſe devotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conſcientiam perderet. Itaque, ut dixi, majore tuo, quam alterius bono, gratus es. Illi enim vulgaris & quotidiana res contigit, recipere quod dederat: tibi magna, & ex beatiſſimo animi ſtatu profecta, gratum fuiſſe. Nam ſi malitia miſeros facit, virtus beatos, gratum autem eſſe virtus eſt: rem uſitatam reddidiſti, inæſtimabilem conſecutus es, conſcientiam grati: quæ niſi in animum divinum, fortunatumque, non pervenit. In contrarium autem huic affectum, ſumma infelicitas urget. Nemo, ſi ingratus eſt, non miſer erit: non differo illum, ſtatim miſer eſt. Itaque ingrati eſſe vitemus, non aliena cauſſa, ſed noſtra. Minimum ex nequitia leviſſimumque ad alios redundat: quod peſſimum ex illa eſt, & ([13] ut ita dicam) ſpiſſiſ-

13 *Ut ita dicam, ſpiſſiſſimum*] Suſpicatur Pincianus *peſſiſſimum*: & ita ſane quidam libri. Tamen non mutem. At cur igitur præfatur, *ut ita dicam?*

ſpiſſiſſimum, domi remanet, & premit habentem. quemadmodum Attalus noſter dicere ſolebat, [14] Malitia ipſa maximam partem veneni ſui bibit. Illud venenum, quod ſerpentes in alienam perniciem proferunt, ſine ſua continent, non eſt huic ſimile: hoc, habentibus peſſimum eſt. Torquet ingratus ſe, & macerat: odit quæ accepit, quia redditurus eſt, & extenuat: injurias vero dilatat atque auget. Quid autem eo miſerius, cui beneficia excidunt, hærent injuriæ? At contra ſapientia exornat omne beneficium, ac ſibi ipſa commendat, & ſe aſſidua ejus commemoratione delectat. Malis una voluptas eſt, & hæc brevis, dum accipiunt beneficia: ex quibus ſapienti longum gaudium manet, ac perenne. Non enim illum accipere, ſed accepiſſe delectat: quod immortale eſt, & aſſiduum. Illa contemnit, quibus læſus eſt: nec obliviſcitur per negligentiam, ſed volens. Non vertit omnia in pejus: ſed nec quærit cui imputet caſum, & peccata hominum ad fortunam potius refert. Non calumniatur verba, nec vultus: quidquid accidit, benigne interpretando levat: nec offenſæ potius, quam beneficii meminit. Quantum poteſt, in priore ac meliore ſe memoria detinet; nec mutat animum adverſus bene meritos, niſi multum malefacta præcedant, & manifeſtum etiam conniventi diſcrimen eſt: tunc quoque in hoc duntaxat, ut talis ſit poſt majorem injuriam, qualis ante beneficium. Nam cum beneficio par eſt injuria, aliquid in animo benevolen-

cam? non quia vox inuſitata, ſed quia metaphora audacior videri poſſit. *Lipſ.*

14 *Maximam partem veneni ſui*] Pulcherrime. Ita Hierax Pythagoricus: *Injuria,* inquit, *& malitia ab auctore incipiens, in illum qui afficitur, redundat. Sed ipſum auctorem imprimis lædit, minus eum qui patitur.* Ἔπει καὶ ἀπ' αὐτῆ τὴν κίνησιν λαμβάνει, καὶ τὴν ἐπίτασιν. ἐγκεκυμονηκυῖα τοίνυν, τὸν τίκτοντα πρῶτον ἀνάπτει, καὶ πρὶν τεκεῖν ἐν ταῖς ὠδῖσι φθάνει, καὶ ὠδίνοντα λυμαίνεται, καὶ τῷ ἐν αὐτῆς ἰῷ χρώζει δυσχρωτάτῳ τῇ βαφῇ. *Quoniam ab ipſo auctore & motum, & incrementum accipit. Excitata igitur, eum qui parit primum apprehendit, & ante partum in ipſis nixibus conatibuſque adurit, & transſiens lædit, & ſuo veneno tingit, colore peſſimo.* Et ſtatim: Οὕτω καὶ τοὺς ἀδίκους, αὐτοὺς τῆς κακίας πρῶτον γεύεσθαι, πρὶν εἰς ἄλλους ἀφιέναι. *Ita quivis improbus prius malitiam ſuam ipſe bibit & deguſtat, priuſquam in alios emittat.* Dicas ex illo ſumpſiſſe noſtrum: quem etiam vide epiſt. 87. *Idem.*

volentiæ remanet. Quemadmodum reus [15] ſententiis paribus abſolvitur, & ſemper quidquid dubium eſt, humanitas inclinat in melius: ſic animus ſapientis, ubi paria maleficiis merita ſunt, deſinet quidem debere, ſed non deſinet velle debere: & [16] hoc facit, quod qui poſt tabulas novas ſolvunt. Nemo autem gratus eſſe poteſt, niſi contempſerit iſta, propter quæ vulgus inſanit. Si referre vis gratiam; & in exſilium eundum eſt, & effundendus ſanguis, & ſuſcipienda egeſtas, & ipſa innocentia ſæpe maculanda, indigniſque objicienda rumoribus. Non parvo ſibi conſtat homo gratus. Nihil carius æſtimamus, quam beneficium, quamdiu petimus: nihil vilius, cum accepimus. Quæris quid ſit, quod oblivionem acceptorum nobis faciat? cupiditas accipiendorum. cogitamus non quid impetratum, ſed quid impetrandum ſit. Abſtrahunt à recto divitiæ, honores, potentia, & cetera, quæ opinione noſtra cara ſunt, pretio ſuo vilia. Neſcimus æſtimare res: de quibus non cum fama, ſed cum rerum natura deliberandum eſt. Nihil habent iſta magnificum, quo mentes in ſe noſtras trahant, præter hoc, quod mirari illa conſuevimus. Non enim quia concupiſcenda ſunt, laudantur; ſed concupiſcuntur, quia laudata ſunt: & cum ſingulorum error publicum fecerit, ſingulorum errorem facit publicus. Sed quemadmodum illa credimus, [17] ſic & in hoc fidei populi credamus, nihil eſſe grato animo honeſtius. Omnes hoc urbes, omnes etiam

15 *Sententiis paribus*] Seneca pater Controv. 3. lib. 1. itemque prima, lib. 3. *Lipſius.*

16 *Hoc facit, quod qui poſt tabulas*] E Pinciani duobus libris hæc ſunt, & boni argutique ſenſus. Tamen meus auctior: *hoc facit, quod qui accepto quidem præſtaverat uſuram vel hujuſmodi remittit, vel tabulas novas ſolvit.* Alii aſſident: quid dicam, hæreo. A gloſſulis, aut interpolatione, hæc omnia eſſe? vix probabile eſt: Tentabam obiter: *hoc facit, quod qui accepto quod prærogaverat, uſuram vel ejus modum remittit, vel, tabulis novis, ſolvit.* Sed haud ſatis hæc ſententiæ applico. *Tabulas novas* ſcimus eſſe, cum æs alienum remittitur, & novi igitur Codices fiunt. *Idem.*

17 *Sic & in hoc fidei populi credamus*] Habes apud Gruterum varias, in his: *ſed & hoc fide populi credamus:* quod ille amplectitur merito. Plautus Pſeudolo, 1, 3. *Fac hoc, quod te rogamus, mea fide.* Hercule Furente: *At tu, ede, Theſeu, ſed tua, Theſeu, fide.* Gronov.

etiam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt: in hoc bonis maliſque conveniet. Erunt qui voluptates laudent, erunt qui labores malint: erunt qui dolorem maximum malum dicant, erunt qui ne malum quidem appellent: divitias aliquis ad ſummum bonum admittet, alius illas dicet humanæ malo vitæ repertas: nihil eſſe eo locupletius, cui quod donet fortuna non invenit. In tanta judiciorum diverſitate, referendam bene merentibus gratiam, omnes uno tibi, quod aiunt, ore affirmabunt, in hoc tam diſcors turba conſentiet, cum interim injurias pro beneficiis reddimus. Et prima cauſſa eſt, cui quis ingratus ſit, ſi ſatis gratus eſſe non potuit. Eo perductus eſt furor, ut periculoſiſſima res ſit, beneficia in aliquem magna conferre. nam quia putat turpe, non reddere; non vult eſſe, cui reddat. Tibi habe, quod accepiſti: non repeto, non exigo. profuiſſe tutum ſit. Nullum eſt odium pernicioſius, quam ex beneficii violati pudore.

Epist. LXXXII.

Contra delicias, & mollem vitam: itemque otium ignavum. ſtudiis id dedicandum eſſe: & præſertim Philoſophiæ, quæ muniat contra metus, & externa omnia mala, contra ipſam mortem. Fruſtra in hanc nos argutiis aut Sophiſmatis armari; & obiter contra facientes. Mortem per ſe indifferentem eſſe: ſed talem, aut talem, honeſtam; & contra. Iterumque contra cavillatores: Bona.

DEſii jam de te eſſe ſolicitus. Quem, inquis, deorum ſponſorem accepiſti? eum ſcilicet qui neminem fallit, animum, recti ac boni amatorem. In tuto pars tui melior eſt. poteſt fortuna tibi injuriam facere: quod ad rem magis pertinet, non timeo ne tu facias tibi. I, qua cœpiſti: & in iſto te vitæ habitu compone, placide, non molliter. Male tibi eſſe malo, quam molliter. Hoc ſic excipe, quemadmodum à populo ſolet dici, dure, aſpere, laborioſe. Audire

Digitized by Google

re ſolemus ſic quorumdam vitam laudari, quibus invidetur: Molliter vivit. [1] hoc dicunt, mollis eſt. Paullatim enim effeminatur animus, atque in ſimilitudinem otii ſui & pigritiæ, in qua jacet, ſolvitur. Quid ergo? viro non vel obrigeſcere ſatius eſt? Deinde delicati timent mortem, cui vitam ſuam fecere ſimilem. Multum intereſt inter otium, & conditivum. Quid ergo, inquis, non ſatius eſt vel ſic jacere, quam iſtis officiorum vorticibus volutari? Utraque res lethalis eſt, & contractio, & torpor. Puto, æque [2] qui in odoribus jacet, mortuus eſt, quam qui rapitur unco. Otium ſine litteris mors eſt, & hominis vivi ſepultura. Quid denique prodeſt ſeceſſiſſe, tanquam non trans maria nos ſolicitudinum cauſſæ perſequantur? Quæ latebra eſt, in quam non intret metus mortis? quæ tam munita, & in altum ſubducta vitæ quies, quam non dolor territet? Quocumque te abdideris, mala humana circumſtrepent. Multa extra ſunt, quæ circumeunt nos, quo aut fallant, aut urgeant: multa intus, quæ etiam in media ſolitudine exæſtuant. Philoſophia circumdanda eſt, [3] inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis [4] laceſſitum non traxit. In inſuperabili loco ſtat animus, qui externa deſeruit, & arce ſe ſua vindicat: infra illum omne telum cadit. Non habet, ut putamus, fortuna longas manus: neminem occupat, niſi hærentem ſibi. Itaque quantum poſſumus, ab illa

EPIST. LXXXII. 1 *Hoc dicunt, malus eſt*] Et hoc videtur exiſſe à Mureto, nam edidit Eraſmus, *mollis eſt.* Cui auctoritatem ſuam accommodavit Pal. ſec. tert. Col. At id tamen, *malus*, mihi probum videtur, exſtatque in Pal. pr. & quart. Sic Gruterus. At mihi *malus* illud nequam videtur, & ſuppoſitum ab illis, qui alterum ſatis probroſum non putabant. Nos vero ſcimus turpius nihil eſſe viris quam *mollis* dici. Epiſt. 87. *Chelidon, unus ex Cleopatræ mollibus.* Martialis: *Mollis erat, facilisque viris Pœantius heros.* Perinde eſt, ac ſi diceretur, *virum quærit.* Nec ſane ante Eraſmum editæ diſſentiunt. Ita & Erfurt. & Heinſ. *Gronovius.*

2 *Qui in odoribus jacet*] Simile hoc proverbiale, in Theognide: [illegible] Lipſius.

3 *Inexpugnabilis murus*] Dixi aliquid Manud. 3. Diſſert. 1. *Idem.*

4 *Laceſſitum non tranſit*] Meus, *non traxit*: quod eſſet, dejecit, evertit. *Idem.*

5 Sine

illa reſiliamus: quod ſola præſtabit ſui naturæque cognitio. Sciat quo iturus ſit, unde ortus: quod illi bonum, quod malum ſit: quid petat, quid devitet: quæ ſit illa ratio, quæ appetenda ac fugienda diſcernat, qua cupiditatum manſueſcit inſania, timorum ſævitia compeſcitur. Hæc quidam putant ipſos etiam [5] ſine philoſophia repreſſiſſe: ſed cum ſecuros aliquis caſus expertus eſt, exprimitur ſera confeſſio. Magna verba excidunt, cum tortor popoſcit manum, cum mors propius acceſſit. Poſſis illi dicere: Facile provocabas mala abſentia: ecce dolor, quem tolerabilem eſſe dicebas: ecce mors, quam contra multa animoſe locutus es: ſonant flagella, gladius micat:

Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.

Faciet autem illud firmum aſſidua meditatio: ſi non verba exercueris, ſed animum: ſi contra mortem te præparaveris: adverſus quam non exhortabitur, nec attollet, qui cavillationibus tibi perſuadere tentaverit, mortem malum non eſſe. Libet enim, Lucili virorum optime, ridere ineptias Græcas, quas nondum, [6] quamvis mirer, excuſſi. Zeno noſter hac collectione utitur: Nullum malum glorioſum eſt: mors autem glorioſa eſt: mors ergo non eſt malum. Profeciſti. liberatus ſum metu: poſthæc,non dubitabo porrigere cervicem. Non vis ſeverius loqui, nec morituro riſum movere? Non mehercule facile tibi dixerim, utrum ineptior fuerit, qui ſe hac interrogatione judicavit mortis metum exſtinguere: an qui hoc tanquam ad rem pertineret, conatus eſt ſolvere. Nam & ipſe interrogationem contrariam oppoſuit, ex eo natam, quod mortem inter Indifferentia ponimus, quæ ἀδιάφορα Græci vocant. Nihil, inquit indifferens glorioſum eſt: mors autem glorioſum eſt: ergo mors non indifferens. Hæc interrogatio vides ubi

5 *Sine philoſophia repreſſiſſe*] Neſcio an, *repperiſſe*, aptius; ut priora omnia complectatur. *Lipſius*.

6 *Quamvis mirer*] Imo damnas, non miraris. Legebam olim, *quamvis inert*. Nunc melius arbitror, littera addita: *quamvis mirere*. Licet mireris, & tacitus carpas, nondum abjeci. *Idem*.

7 *Ubi*

[7] ubi obrepat. mors non eſt glorioſa, ſed fortiter mori glorioſum eſt: & cum dicit, Indifferens nihil glorioſum eſt: concedo tibi ita, ut dicam, nihil glorioſum eſſe, niſi circa indifferentia: [8] tanquam indifferentia eſſe dico, id eſt, nec bona, nec mala, morbum, dolorem, paupertatem, exſilium, mortem: nihil horum per ſe glorioſum eſt, nihil tamen ſine his. Laudatur enim non paupertas, ſed is quem non ſubmittit, nec incurvat: laudatur non exſilium, [9] ſed qui hoc non doluit: laudatur non dolor, ſed ille quem nihil coëgit dolor. Nemo mortem laudat, ſed eum cui mors ante abſtulit animum, quem conturbavit. Omnia iſta per ſe non ſunt honeſta, nec glorioſa: ſed quidquid virtus ex illis adiit, tractavitque, honeſtum & glorioſum facit. Illa in medio poſita ſunt: intereſt, [10] utrum malitia illis an virtus manum admoverit. Mors enim illa, quæ in Catone glorioſa eſt, in Bruto ſtatim turpis eſt & erubeſcenda. [11] Hic eſt enim Brutus, qui cum periturus mortis moras quæreret, [12] ad exonerandum ventrem ſeceſſit, & evocatus ad mor-

7 *Ubi obrepat*] Latenter imponat. *Lipſius.*

8 *Indifferentia autem eſſe dico*] Nos fuſe Manud. 2. Diſſert. 22. *Idem.* Neſcio unde provenerit illud *autem.* Nam nec fuit in illis, quibus uſus eſt Gruterus, & omnes illius ſcripti τὸ *tanquam*, quod mox ſequitur, conjiciunt in frontem hujus membri: quibuſcum convenit Frobeniana Eraſmi editio & priores. Cum illis igitur refinge: *Tanquam indifferentia eſſe dico, id eſt, nec bona, nec mala, morbum, dolorem, paupertatem.* Particula *tanquam* Senecam uti pro veluti, exempli gratia, jam præfatus eſt olim Eraſmus. Τὸ *id eſt* cum habeant veteres editiones, & clare cuſtodiant tres Gruteri, duo autem ſub vocula *idem*, pro ſcholio additicio non habuerim. Totum etiam ſic exhibent Erf. & Heinſ. *Gronovius.*

9 *Sed qui hoc non doluit*] Meus, & quidam hic auctiores: *non doluit, quamvis eſſet*: quod & in Pinciani fuit. Lego, *quamvis eſſet.* *Lipſius.*

10 *Utrum malacia illis*] A Mureto eſt, & ſunt qui defendant. Mihi tamen certum libris credere, qui, *malitia*, ſcribunt. Opponit enim virtuti, & eſt Græcorum κακία. Idem.

11 *Hic eſt enim Brutus*] Dicimus ille Brutus, qui à Mutina in Macedoniam fugam intendit, ſed perfidia hoſpitis captus in via & proditus eſt. *Idem.*

12 *Ad exonerandum ventrem*] Senecæ hoc fide nititur: nemo alius, quos hodie legimus, impegit. De Cn. Carbone hoc ſaltem Valerius lib. 9. cap. 13. *qui tertio conſulatu ſuo, juſſu Pompeii ad ſupplicium ductus, petiit à militibus demiſſe, ut ſibi alvum levare, priuſquam exſpiraret, liceret: quo miſerrime lucis uſu diutius frueretur.* At idem de noſtro hic Bruto: *Exiguum & infelix momentum vitæ quanto dedecore emit? Nam à Furio comprehenſus, non ſolum cervicem gladio ſubtraxit, verum etiam conſtantius*

mortem, juſſuſque præbere cervicem: Præbebo, inquit, ita vivam. Quæ dementia eſt fugere, cum retro ire non poſſis? Præbebo, inquit, ita vivam. pene adjecit, vel ſub Antonio. O hominem dignum, qui vitæ dederetur! Sed, ut cœperam dicere, vides ipſam mortem nec malum eſſe, nec bonum: Cato illa honeſtiſſime uſus eſt, turpiſſime Brutus. Omnia res, quod non habuit decus, virtute addita ſumit. Cubiculum lucidum dicimus: hoc idem obſcuriſſimum eſt nocte: dies illi lucem infundit, nox eripit. Sic iſtis quæ à nobis indifferentia ac media dicuntur, divitiis, viribus, formæ, honoribus, regno: & contra, morti, exſilio, malæ valetudini, doloribus, quæque alia aut minus aut magis pertimuimus: aut malitia, aut virtus dat boni vel mali nomen. Maſſa per ſe nec calida, nec frigida eſt. in fornacem conjecta concaluit: in aquam remiſſa refrixit. Mors honeſta eſt, per illud quod honeſtum eſt: id, eſt virtus, & animus externa contemnens. Eſt & horum, Lucili, [13] quæ appellamus Media, grande diſcrimen. Non enim ſic mors indifferens eſt, quomodo utrum [14] capillos pares habeas, necne: mors inter illa eſt, quæ mala quidem non ſunt, tamen habent mali ſpeciem. Sui amor eſt, & permanendi conſervandique ſe inſita voluntas, atque aſpernatio diſſolutionis: quia videtur multa nobis bona eripere, & nos ex hac cui aſſuevimus rerum copia educere. Illa quoque res morti nos alienat, quod hæc jam novimus: illa ad quæ tranſituri ſumus, neſcimus qualia ſint, & horremus ignota. Naturalis præterea tenebrarum metus eſt, in quas adductura mors creditur. Itaque etiamſi indifferens mors, non tamen inter ea eſt quæ facile negligi poſſint: magna exercitatione durandus eſt animus, ut conſpectum ejus acceſſumque patiatur. Mors contemni debet magis, quam ſolet.

ſtantius eam præbere admonitus, ipſis his verbis juravit: Ita vivam, dabo. Lipſ.

13 *Quæ appellamus Media, grande diſcrimen*] Exſecutus ſum in Manuductione, loco dicto. *Idem.*

14 *Capillos pares*] Hoc exemplo ſollenniter Stoici utebantur, ex Laertio & Stobæo. Nihil autem intereſt ſcilicet, pares an impares habeam. *Idem.*

15 Æquo

ſolet. multa enim de illa credimus: multorum ingeniis certatum eſt, ad augendam ejus infamiam. Deſcriptus eſt carcer infernus, & perpetua nocte oppreſſa regio, in qua ingens janitor Orci,

Oſſa ſuper recubans antro ſemeſa cruento,
Æternum latrans exſangues territat umbras.

Sed etiam cum perſuaſeris iſtas fabulas eſſe, nec quidquam defunctis ſupereſſe quod timeant, ſubit alius metus. [15] Æque enim timent, ne apud inferos ſint, quam ne nuſquam. His adverſantibus, [16] quæ nobis offudit longa perſuaſio, fortiter pati mortem, quid ni glorioſum ſit, & inter maxima opera mentis humanæ? quæ nunquam ad virtutem exſurget, ſi mortem malum eſſe crediderit: exſurget, ſi putabit indifferens eſſe. Non recipit rerum natura, ut aliquis magno animo accedat ad id quod malum judicat: pigre veniet, & cunctanter: non eſt autem glorioſum, quod ab invito & tergiverſante fit. nihil facit virtus, quia neceſſe eſt. Adjice nunc, quod nihil honeſte fit, niſi cui totus animus incubuit atque affuit, cui nulla parte ſui repugnavit. Ubi autem ad malum acceditur, aut pejorum metu, aut ſpe bonorum, ad quæ pervenire tanti ſit, devorata unius mali patientia; diſſident inter ſe judicia facientis. Hinc eſt, quod jubeat propoſita perficere: illinc, quod retrahat, & ab re ſuſpecta ac periculoſa fuget. Igitur in diverſa diſtrahitur. Si hoc eſt, perit gloria. Virtus enim concordi animo decreta peragit: non timet quod facit.

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito
Qua tua te Fortuna ſinet.

Non

15 *Æque enim timent*] Eſt ſolita hyſterologia. & vult dictum: Æque timent, ne nuſquam ſint (id eſt, pereant) quam ne apud inferos. *Lipſius.*

16 *Quæ nobis infudit*] Mss. Gruteri, *offendat*, *oſtendat*, *effundit*: duo Gall. & Erfurt. *offundit*. Quod probo, inquit vir ille doctus, inde enim forte *offucia*. Ubi ei mens fuit, cum iſta ſcriberet? Quid *fucus*, *ad fuſionem*? Recte ſane: *quæ nobis offundit longa perſuaſio*: ſed dictum, ut *offundere terrorem*, *offundere tenebras*, Adde 4 obſerv. 21. Vult ergo: quæ nobis terriculamenta offert longa perſuaſio. *Gronovius.*

17 *Alio-*

Non ibis audentior, ſi mala illa eſſe credideris. Eximendum hoc è pectore eſt: [17] alioquin hæſitabit impetum moratura ſuſpicio. trudetur in id, quod invadendum eſt. Noſtri quidem videri volunt Zenonis interrogationem veram eſſe, fallacem autem alteram & falſam, quæ illi opponitur. Ego non redigo iſta ad legem Dialecticam, & ad illos artificii veternoſiſſimi nodos: totum genus iſtud exturbandum judico, quo circumſcribi ſe qui interrogatur, exiſtimat, & ad confeſſionem perductus aliud reſpondet, aliud putat. Pro veritate ſimplicius agendum eſt: contra metum fortius. Hæc ipſa quæ volvuntur ab illis, [18] ſolvere malim & expandere, ut perſuadeam, non ut imponam. In aciem educturus exercitum, pro conjugibus ac liberis mortem obiturum, quomodo exhortabitur? Do tibi Fabios, totum Reip. bellum in unam transferentes domum. Laconas tibi oſtendo, in ipſis Thermopylarum anguſtiis poſitos. nec victoriam ſperant, nec reditum. ille locus illis ſepulcrum futurus eſt. Quemadmodum exhortaris, ut totius gentis ruinam, objectis corporibus excipiant, & vita potius quam loco cedant? Dices, Quod malum eſt, glorioſum non eſt: mors glorioſa eſt: mors ergo non malum? O efficacem concionem! Quis poſt hanc dubitet ſe infeſtis ingerere mucronibus, & ſtans mori? At ille Leonidas

17 *Alioquin hæſitabit impetum moratura ſuſpicio*] Aſſentior Grutero, *hebetabit*. Lipſius. Sic forſan legendum videri, timide indicavit Eraſmus, arripuitque mox pro oraculo Dodonæo, ut video, Muretus. Verba Gruteri. At non video, quid magnopere timendum fuerit hic Eraſmo, nec Mureti culpam agnoſcô. Omnis audacia Eraſmi eſt, quod pro *aliquem* aut *aliquando* (ſic enim priores) fecit, *alioquin*. de quo nec dubitat Gruterus, & expreſſum vidit in tert. Pal. Reliqua ſic habuerunt priores edd. & τὸ *hæſitabit* in tribus eſt Pall. in duobus, quod ei vicinum, *excitabit*. At non video, inquit Gruterus, quomodo Latine ſatis dicamus, *hæſitare impetum alicujus*? ideo ſuſpicatur, *hebetabit*, & adſentitur Lipſius. At non ita poſuit Seneca, qui vocem *impetum* appoſuit participio *moratura*, non verbo *hæſitabit*. *Suſpicio impetum moratura*; hoc eſt, ipſe formidoloſus impetum & alacritatem ſuſpicione moraturus & infracturus, *hæſitabit*. Quod verbum etiam longe melius excipit, *trudetur*, quam alterum. *Gronovius*.

18 *Solvere malim & expandere*] Imo vero, *expendere*: & ita illud *volvuntur* intelligetur. Dialectici contrahunt & convolvunt, rhetores expandunt. *Lipſ.*

nidas quam fortiter illos allocutus eſt? Sic, inquit, commilitones prandete, tanquam apud inferos cœnaturi. Non in ore crevit cibus, non hæſit in faucibus, non elapſus eſt manibus: alacres illi & ad prandium promiſerunt, & ad cœnam. Quid [19] dux ille Romanus, qui ad occupandum locum milites miſſos, cum per ingentem hoſtium exercitum ituri eſſent, ſic allocutus eſt? Ire commilitones illo neceſſe eſt, unde redire non eſt neceſſe. Vides quam ſimplex & imperioſa virtus ſit. Quem mortalium circumſcriptiones veſtræ fortiorem facere, quem erectiorem poſſunt? Frangunt animum. qui nunquam minus contrahendus eſt, & in minuta ac ſpinoſa cogendus, quam cum aliquid [20] grande componitur. Non trecentis, ſed omnibus mortalibus mortis timor detrahi debet.. quomodo illos docebis malum non eſſe? quomodo opiniones totius ævi, quibus protinus infantia imbuitur, evinces? quod auxilium invenies? Quid dices imbecillitati humanæ? quid dices quo inflammati in media pericula irruant? qua oratione hunc timendi conſenſum, quibus ingenii viribus obnixam contra te perſuaſionem humani generis avertes? verba mihi captioſa componis, & interrogatiunculas nectis. Magnis telis magna portenta feriuntur. Serpentem illam in Africa ſævam, & Romanis legionibus bello ipſo terribiliorem, fruſtra ſagittis fundiſque petierunt. [21] Ne pilo quidem vulnerabilis erat, cum ingens magnitudo pro vaſtitate corporis ſolida, ferrum, & quidquid humanæ torſerant manus, rejiceret. [22] molaribus

19 *Dux ille Romanus*] Q. Cæditius, opinor. qui cccc milites duxit in montem, imo in mortem, per medios hoſtium cuneos. Agellius, & Florus in primo bello Punico, etſi alius aliter virum appellat. *Lipſius.*

20 *Grande componitur*] Meus, *component*. Idem.

21 *Ne Pythen quidem*] Meus, & quidam, *Nephitio:* ex quo ingenioſe P. Faber, *ne Pythio:* quaſi dicat, nec Apollo ille, qui Pythonem occidit, hanc læſerit. Sed profecto audacius & elatius hoc ſit: ac plane Eraſmo aſſentior, *ne pilo quidem*. Creſcit enim oratio, Non ſagittæ, non funda lapides, non pili vehementior jactus potuit, ſed tormenta denique occiderunt. *Idem.*

22 *Molaribus demum fracta*] Quos balliſtæ intorquebant. Valerium vide lib. 1. Oroſium, Agellium, Plinium. *Idem.*

EPIST.

Digitized by Google

bus demum fracta ſaxis eſt. Et adverſus mortem tu tam minuta jacularis? ſubula leonem excipis? Acuta ſunt iſta quæ dicis. Nihil eſt acutius ariſta. quædam inutilia & inefficacia ipſa ſubtilitas reddit.

EPIST. LXXXIII.

Vivendum, ut coram Deo inſpectore & arbitro. Adjungit de ſua tunc vita, temperantia, vigilantia. Iterum (ut priore epiſtola) contra μικρολόγους, & qui minutis ſermonibus aut cavillis Sapientiam enervant. Docet ab ipſo Zenone, contra Ebrietatem differente. Atqui fortius clariuſque agendum: & exemplum præbet, & vitium illud damnat. Bona.

SIngulos dies tibi meos, & quidem totos, indicari jubes. Bene de me judicas, ſi nihil eſſe in illis putas, quod abſcondam. Sic certe vivendum eſt, tanquam in conſpectu vivamus: ſic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſſit: & poteſt. Quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum? [1] nihil Deo cluſum eſt. Intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis intervenit. Sic, intervenit, dico? [2] tanquam aliquando diſcedat. Faciam ergo quod jubes, & quid agam, & quo ordine, libenter tibi ſcribam. obſervabo me protinus: & quod eſt utiliſſimum, diem meum recognoſcam. Hoc nos peſſimos facit, quod nemo vitam reſpicit. Quid facturi ſimus, cogitamus,

EPIST. LXXXIII. 1 *Nihil Deo cluſum eſt*] Efficax & pium dogma! quod Epictetus aliquoties inculcat. ut lib. 2. Diſſert. cap. 8. *Dei ſtatua aut ſimulacro præſente, non auſis tale aliquid facere, qualia facis: ipſo autem Deo intrinſecus præſente, & omnia inſpiciente & audiente, non verecundaris hæc cogitare, hæc agere, ô ignare naturæ tuæ, & Diis infeſte?* Iterum lib. 1. cap. 14. cum præmiſiſſet Deum omnia intueri, omnibus adeſſe, magis quam Solem: *tamen*, inquit, *etiam cuſtodem cuique noſtrum addidit & Genium curatorem. Cum igitur fores obduxeris, & tenebras intus feceris, ne ſuccurrat dicere, Solus ſum: non enim es: ſed Deus intus eſt, & Genius noſter intus eſt. quibus quid opus illato lumine, ut videant quid faciatis?* ille autem Genius, eſt habitans in nobis Deus, ut Seneca hic ſentit: etſi de adſiſtente etiam capias vere. *Lipſius.*

2 *Tanquam aliquando diſcedat*] Atqui non diſcedit: & dictum ſic excuſat. pro hoc ſenſu, melius interrogatione efferri. *Idem.*

Digitized by Google

tamus, & id raro: quid fecerimus, non cogitamus. atqui conſilium futuri ex præterito venit. Hodiernus dies ſolidus eſt. nemo ex illo quidquam mihi eripuit: totus inter ſtratum lectionemque diviſus eſt. Minimum exercitationi corporis datum: & hoc nomine ago gratias ſenectuti. non magno mihi conſtat: cum me movi, laſſus ſum. Hic autem exercitationis, etiam fortiſſimis, finis eſt. [3] Progymnaſtas meos quæris? unus mihi ſufficit [4] Earinus, puer (ut ſcis) amabilis: ſed mutabitur. Jam aliquem teneriorem quæro. Hic quidem ait, nos eamdem criſim habere, quia utrique [5] dentes cadant: ſed jam vix illum aſſequor currentem, & intra pauciſſimos dies non potero. vide quid exercitatio quotidiana proficiat. Cito magnum intervallum fit, inter duos itinere diverſo euntes. eodem tempore ille aſcendit, ego deſcendo: nec ignoras, quanto ex his velocius alterum fiat. Mentitus ſum. jam enim ætas noſtra non deſcendit, ſed cadit. Quomodo tamen hodiernum certamen nobis ceſſerit, quæris? quod raro curſoribus evenit, [6] hieran fecimus. Ab hac fatigatione magis, quam exercitatione, in frigidam deſcendi. hoc apud me vocatur parum calda. Ille tantus [7] Pſychrolutes, qui Kalendis Ja-

nuariis

3 *Progymnaſtas meos*] Habebant privatim iſtos, velut *Præexercitores*, qui docebant & ducebant. *Lipſius.*

4 *Earinus puer*] Quaſi vernus & floridus: & tali nomine deliciæ etiam Domitiani. Tamen meus & plures ſcripti, *Farius*, quaſi à Faro & Ægypto puer, unde lepidi & amœni. *Idem.*

5 *Dentes cadunt*] Supra, epiſt. 12. *Idem.*

6 *Hieran fecimus*] Admota adhuc magis lux his verbis, quam illata. Fallor, aut unus Polybii locus eſt, qui faciat, cum ſcribit lib. 1. de Pœnis & Romanis, *dius illos in Sicilia decertaſſe, neque malis victos, ut Fabius ait, deſtitiſſe: ſed tandem*, inquit, *οἱ δ᾽ ὡς ἂν ἀπαθεῖς καὶ ἀήττητοί τινες ἄνδρες ἱερὰν ἐποιήσαντο στέφανον. velut indefeſſi & invicti viri atque athletæ, ſacram coronam fecere.* Plane, quod hic noſter dicit: eos paria feciſſe in certamine, & utrumque coronam demeruiſſe, neque cepiſſe. Credo enim moris fuiſſe, ut in victoria ambigua, & cum pares in meta: Deo corona ſacraretur, ideoque proverbium. *ἱερὰν ποιῆσαι* nempe *τὸν στέφανον*. Quod noſter dixit, *ἱερὰν*, ad *coronam* adſpectans. Ita arbitror. alii ad *lineam ſacram* referunt, quæ (ut aiunt) in medio ſtadio; vel in luſu calculorum. Aiunt, parum probant, aut huc aptant. Adde tamen, ſi lubet, notata mihi epiſt. 49. *Idem.*

7 *Pſychrolutes*] Hoc ſe nomine ſupra decorat, & jactat, epiſt. 53. Idem de ſe Horatius 1. epiſt. 15.

—— *gelida cum perluit unda*
Per medium frigus. Idem.

8 *In*

nuariis [8] in Euripum ſaltabam, [9] qui anno novo, quemadmodum legere, ſcribere, dicere aliquid, ſic [10] auſpicabar in Virginem deſilire, primum [11] ad Tiberim tranſtuli caſtra deinde [12] ad hoc ſolium, quod cum fortiſſimus ſum, & omnia bona fide fiunt, ſol temperat. [13] non multum mihi ad balneum ſupereſt. [14] Panis deinde ſiccus, & [15] ſine menſa prandium: poſt quod non ſunt lavandæ manus. Dormio minimum conſuetudinem meam noſti: breviſſimo ſomno utor, & [16] quaſi interjungo. Satis eſt mihi, vigilare deſiiſſe. aliquando dormiſſe me ſcio, aliquando ſuſpicor. Ecce Circenſium obſtrepit clamor: ſubita aliqua & univerſa voce feriuntur aures meæ, nec cogitationem meam excutiunt, nec interrumpunt quidem. Fremitum patientiſſime fero: multæ voces, & in unum confuſæ, pro fluctu mihi ſunt, aut vento ſilvam verberante, & ceteris ſine intellectu ſonantibus. Quid ergo eſt? nunc cui animum adjecerim, dicam. Supereſt ex heſterno mihi cogitatio, quid ſibi voluerint prudentiſſimi viri, qui rerum maximarum pro-

8 *In Euripum ſaltabam*] Qui hortis & prætoriis, ex more erant. Foſſæ, & incilia cum aquis. *Lipſius.*

9 *Qui anno novo*] Moris, ut Kalendis Januarii quiſque artes ſuas aut opificia delibaret, auſpicii cauſſa. Ita ego, inquit, tunc ſollenniter in frigidam deſiliebam. De more, videſis quæ ſcripſi ad Annalem Taciti 4. in verba, *Druſum auſpicandi gratia tribunal ingreſſum.* Idem.

10 *Auſpicabar in Virginem deſilire*] Hanc ſignati nominat, quia frigida cumprimis: & ideo appetita Pſychrolutis. Martialis:

Virgine vix ſola lotus abire domum.

Alibi, *crudam Virginem* dicit. *Idem.* Aquam quæ Romæ influeret omnium fere frigidiſſimam, *virginem* appellatam, probatur ex Frontino lib. 1. de Aquæduct. *Virgo appellata eſt, quod quærentibus aquam militibus, puella virguncula venas quaſdam monſtravit, quas ſecuti qui foderunt, ingentem aqua modum invenerunt.* de eadem alia multa Plinius lib. 31. cap. 3. Marlianus lib. 5. cap 5. Urbis Romæ topograph. Fabricius in Roma &c.

11 *Ad Tiberim*] Qui mitior Virgine, & egelidior. *Lipſius.*

12 *Ad hoc ſolium*] Quo domi nunc utor, aqua à Sole, ſi non ab igne, temperata. *Idem.*

13 *Non multum mihi ad balneum*] Quo gloriatur in omnem vitam ſe abſtinuiſſe, epiſt. 108. *Idem.*

14 *Panis deinde ſiccus*] Sine obſonio. *Idem.*

15 *Sine menſa prandium*] Quod ſtans, & de manu ſumebat. *Idem.*

16 *Quaſi interjungo*] Ita meliores libri, & eſt honeſta traductio ab aurigis. Vide de Tranquill. cap. 15. Alii tamen, *intervigilo*, legunt & tuentur: faciant, in re coimus. *Idem.*

17 *Si*

probationes leviſſimas & perplexas fecerunt: quæ ut ſint veræ, mendacio tamen ſimiles ſunt. Vult nos ab ebrietate deterrere Zeno, vir maximus, hujus ſectæ fortiſſimæ ac ſanctiſſimæ conditor. Audi ergo quemadmodum colligat, virum bonum non futurum ebrium. Ebrio ſecretum ſermonem nemo committit: viro autem bono committit: ergo vir bonus ebrius non erit. Quemadmodum oppoſita interrogatione ſimili derideatur, attende. Satis enim eſt, unam ponere ex multis. Dormienti nemo ſecretum ſermonem committit: viro bono autem committit: ergo vir bonus non dormit. Quo uno modo poteſt, Poſidonius Zenonis noſtri cauſſam agit: ſed ne ſic quidem, ut exiſtimo, agi poteſt. Ait enim; ebrium duobus modis dici: altero, cum aliquis vino gravis eſt, & impos ſui: altero, [17] ſi ſolet ebrius fieri, & huic obnoxius vitio eſt. Nunc à Zenone dici, qui ſoleat fieri ebrius, non qui ſit. Huic autem neminem commiſſurum arcana, quæ per vinum eloqui poſſit. quod eſt falſum. Prima enim illa interrogatio complectitur eum qui eſt ebrius, non eum qui futurus eſt. Plurimum enim intereſſe concedes inter ebrium & ebrioſum. poteſt & qui ebrius eſt, tunc primum eſſe, nec habere hoc vitium: & qui ebrioſus eſt, ſæpe extra ebrietatem eſſe. Itaque id intelligo, quod ſignificari verbo iſto ſolet: præſertim cum ab homine diligentiam profeſſo ponatur, & verba examinante. Adjice nunc, quod ſi hoc intellexit Zeno, & nos intelligere voluit, ambiguitate verbi quæſivit locum fraudi: quod faciendum non eſt, ubi veritas quæritur. Sed ſane hoc ſenſerit: quod ſequitur, falſum eſt, ei qui ſoleat ebrius fieri, non committi ſermonem ſecretum. Cogita enim quam multis militibus, non ſemper ſobriis, & imperator, & tribunus, & centurio, tacenda mandaverit. De illa C. Cæſaris cæde, illius dico qui ſuperato Pompeio rempublicam tenuit, tam creditum eſt Tullio Cimbro,

quam

17 *Si ſolet ebrius fieri*] Ita ſi Græce μεθύειν dixit, in utrumque ea vox valet. At vix Latinis: & μεθυστικός, ſive qui ſolet & gaudet, *ebrioſus* dicitur. *Idem.*

18 Et

Digitized by Google

quam C. Caſſio. Caſſius tota vita aquam bibit: Tullius Cimber & nimius erat in vino, [18] & ſcordalus. In hanc rem jocatus eſt ipſe: Ego, inquit, [19] quemquam feram, qui vinum ferre non poſſum? Sibi quiſque nunc nominet eos, quibus ſcit, & vinum male credi, & ſermonem bene. Unum tamen exemplum, quod occurrit mihi, referam, ne intercidat. Inſtruenda eſt enim vita exemplis illuſtribus. non ſemper confugiamus ad vetera. [20] L. Piſo, urbis cuſtos, ebrius, [21] ex quo ſemel factus eſt, fuit. majorem partem noctis in convivio exigebat: uſque in horam ſextam fere dormiebat: hoc erat ejus matutinum. Officium tamen ſuum, quo tutela urbis continebatur, diligentiſſime adminiſtravit. Huic & divus Auguſtus dedit ſecreta mandata, cum illum [22] præponeret Thraciæ, quam perdomuit: & Tiberius proficiſcens in Campaniam, cum multa in urbe & ſuſpecta relinquere & inviſa. [23] Puto quia illi bene ceſſerat Piſonis ebrietas, poſtea [24] Coſſum fecit urbis præfectum, virum gravem, moderatum, ſed merſum vino, & madentem: adeo, ut ex ſenatu aliquando, in quem è convivio venerat, oppreſſus inexcitabili ſomno, tolleretur. Huic tamen Tiberius multa ſua manu ſcripſit, quæ committenda ne miniſtris quidem ſuis judicabat. Nullum Coſſo aut privatum ſecretum, aut publicum elapſum eſt. Itaque declamationes iſtas de medio removeamus. Non eſt animus in ſua poteſtate, ebrietate devinctus. Quemadmodum

18 *Et ſcordalus*] Dixi epiſt. 56. *Lipſ.*

19 *Quemquam feram*] Supra me dominum. nempe Cæſarem. *Idem.*

20 *L. Piſo urbis cuſtos*] De quo Tacitus 6 Annalium, atque ego ibi: Suetonius Tiberii cap. 42. *Idem.*

21 *Ex quo ſemel factus eſt*] Ita ſcripti meliores. ſi recte; ſenſum puto, Poſt unam illam ebrietatem, quæ Præfectum urbis fecit, placuit ſemper eſſe ebrium. Vel etiam, Cum ſemel in die ebrius, ſemper erat, non deſiſtebat. *Idem.*

22 *Præponeret Thraciæ*] Hæc in Tacito, & meo Commentario. *Idem.*

23 *Puto quia bene*] Sejungenda à prioribus, ut diſtinxi. non enim Coſſum præfecit iens in Campaniam Tiberius, ſed quinquennio circiter poſt; quod ex Annalibus, & morte Piſonis, clarum. *Idem.*

24 *Coſſum fecit*] Coſſum Cornelium Cn. F. Lentulum, qui Conſul ſub Auguſto anno 752. an filium ejus, qui ſub Tiberio Conſul 778. *Idem.*

dum muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne quod in imo jacet, in ſummam partem vis caloris ejectat: ſic vino exæſtuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne ſecretum quidem: quod ſuum alienumque eſt, pariter effundunt. Sed quamvis hoc ſoleat accidere, ita & illud ſolet, ut cum his quos ſcimus libentius bibere, [25] de rebus neceſſariis deliberemus. Falſum eſt ergo hoc, quod patrocinii loco ponitur, ei qui ſoleat ebrius fieri, [26] non dari tacitum. Quanto ſatius eſt, aperte accuſare ebrietatem, & vitia ejus exponere? quæ etiam tolerabilis homo vitaverit, nedum perfectus ac ſapiens. cui ſatis eſt ſitim exſtinguere: qui etiam ſi quando orta eſt hilaritas, aliena cauſſa producta longius, tamen citra ebrietatem reſiſtit. Nam de illo videbimus, [27] an ſapientis animus nimio vino turbetur, & faciat ebriis ſolita. Interim ſi hoc colligere vis, virum bonum non debere ebrium fieri, cur ſyllogiſmis agis? dic quam turpe ſit plus ſibi ingerere quam capiat, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram: quam multa ebrii faciant, quibus ſobrii erubeſcant: nihil aliud eſſe ebrietatem, quam voluntariam [28] inſaniam. Extende in plures dies illum ebrii habitum: nunquid de furore dubitabis? nunc quoque non eſt minor, ſed brevior. Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum cariſſimum ſibi ac fideliſſimum inter epulas transfodit: & intellecto facinore, mori voluit, [29] certe meruit. Omne vitium ebrietas &

25 *De rebus neceſſariis deliberemus*] Imo conſilia tunc non liberiora tantum, ſed meliora, in quibuſdam præſertim ingeniis. de quo Plutarchum lege Quæſt. Conviv. 7. c. ult. *Lipſius.*

26 *Non dari tacitum*] Senſus, non mandari aut credi ſecretum. Sed phraſis inſolentior. an forte, *non nudari tacitum*? *Idem.*

27 *An ſapientis animus*] Stoïcum enim dogma eſt, Non fieri ebrium. Vide Manud. 3. Diſſert. 18. *Idem.*

28 *Inſaniam*] Ita Pythagoras aiebat, *τὴν μέθην μανίας εἶναι μελέτην. Ebrietatem inſaniæ eſſe meditationem.* Idem.

29 *Certe debuit*] Aſſumptum eſt è vetere mea conjectura. nam libri fere, *delivit*, aut *diruit*, quidam, *decuit*. In quibuſdam, & *eruit*: ex quo bene etiam Gruterus, *meruit*. Idem.

30 *Mor-*

Digitized by Google

tas & incendit, & detegit: obſtantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi, quam bona voluntate, prohibitis abſtinent. Ubi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit. tunc libidinoſus ne cubiculum quidem exſpectat, ſed cupiditatibus ſuis quantum petierint, ſine dilatione permittit: tunc impudicus [30] morbum confitetur ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet. Creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſævo, malignitas livido: omne vitium [31] laxatur & prodit. Adjice illam ignorationem ſui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: ſtomachi tormenta, cum efferveſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit. Tunc tamen utcumque tolerabile eſt, dum illi vis ſua eſt: quid cum ſomno vitiatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta eſt? Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes, bellicoſaſque, hoſtibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit: hæc contumaciſſimos, & jugum recuſantes, in alienum egit arbitrium: hæc invictos acie mero domuit. Alexandrum, cujus modo feci mentionem, tot itinera, tot prælia, tot hiemes, per quas, victa temporum locorumque difficultate, tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt: intemperantia bibendi, & ille [32] Herculaneus ac fatalis ſcyphus

30 *Morbum profitetur ac publicat*] Cum in omnibus mss. & vet. edd. ſit, *confitetur*, non video quare illud mordicus teneamus. *Gronovius.*

31 *Detegitur & prodit*] In meo, *detexitur*, in aliis *taxatur*: ex quo fecetim, *laxatur*: ſcilicet remoto omni verecundiæ repagulo aut fræno. *Lipſ.*

32 *Herculaneus ſcyphus*] Ita Plutarchus, in Alexandro: *quoſdam tradere, quod ſcypho Herculis epoto, ſtatim in morbum incidiſſet.* Quis autem ille? In Athenæi XI leges, *Bœotios primum magnos quoſdam argenteos ſcyphos feciſſe, quos Herculaneos vocant, quia Hercules illo Bœotius ſit uſus.* Idem ſcriptor in XII. oſtendit, ſcyphum eum libatorium fuiſſe, & in extrema menſa uſurpatum. Nam *Herculem epulandi cupidiſſimum fuiſſe: ideoque apud homines, ejus exemplo, morem obtinuiſſe, ut libantes nihil in calice vini relinquant.* Adde ex Niceta Choniate, de Camatero Logotheta. *magnum edentem & bibentem fuiſ-*

ſe,

phus condidit. Quæ gloria eſt, capere multum? Cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno ac vomitantes recuſaverint, cum ſuperſtes toti convivio fueris, cum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit; vinceris à dolio. M. Antonium, magnum virum & ingenii nobilis, quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana trajecit, quam ebrietas, [33] nec minor vino Cleopatræ amor? Hæc illum res hoſtem reipublicæ, hæc hoſtibus ſuis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cum [34] capita principum civitatis cœnanti referrentur, cum inter apparatiſſimas epulas luxuſque regales ora ac manus proſcriptorum recognoſceret, cum vino gravis, ſitiret tamen ſanguinem. [35] Intolerabile erat, quod ebrius faciebat, etiam ſi ſobrius faceret: quanto intolerabilius, quod hæc in ipſa ebrietate faciebat? Fere vinolentiam crudelitas ſequitur. [36] Violatur enim exaſperatûrque ſanitas

ſe, ſuperaſſe illos, in quorum manibus amphora, ut calices, verſabantur, καὶ τὸ σκύφος εἶχον αὐτὸ ὑπὸ δεῖπνον τὸ Ἡράκλειον· *& habebant ſemper poſt cœnam illum ſcyphum Herculaneum.* Lipſius.

33 *Nec minor vino Cleopatra*] Putarem, *vini*. Idem.

34 *Capita principum*] In proſcriptione. nominatim Ciceronis. *Idem.*

35 *Intolerabile erat, quod*] Concinnavi olim: *Intolerabile erat, quod ebrius fieret: quanto intolerabilius.* Et libri ſcripti ſane huc ducunt. Sententia eſt, Turpe erat illum Triumvirum & reip. curatorem palam ebrium fieri: quid talia facere? At quidam libri quia habent, *quod ebrius faceret* (ut meus:) poſſis legere, *ebrium jaceret*. Idem.

36 *Violatur enim exaſperaturque*] Libri, *vilatur, villatur*, meus, *vellatur*. ex quo Pincianus *belluatur*, ingenioſe faciebat. Ego ſuſpicor, *fellatur*, amareſcit & bileſcit, à felle. quod novitium nobis verbum; ſed & alia in Seneca. An &, *biliatur*, à bile mavis? *Idem.* Vett. edd. *vallatur*. Mss. *villatur, vilatur, vellatur, bullatur*. Unde Pincianus *belluatur*. Lipſius *fellatur*, aut *biliatur*. Cogitavi aliquando an hæc varietas orta ſit ex *livatur*, quomodo ſcriptum erat pro *libatur*. Varro lib. 2. de R. R. 2. *ne toto die curſantes inter ſe teneri, delibent aliquid membrorum.* Columella l. 2, 2. *ne bos extremo juga truncum delibet, ramumque deplantet.* Unde Diis libatur, ejus pars aliqua, & quidem non magna interit, effunditur, deminuitur. Inde *libare* pro violare, carpere, partem aliquam alicui detrahere. Lucretius de apibus *floriferis in ſaltibus omnia libant.* Mss. quidam *limant*. ſolenni confuſione literarum, ut alibi *arborum* pro *armorum*: itaque non probem limam docti viri, qui alios vellet doctos viros Lucretii verba ſubtilius limaſſe. Vel ob inſignem noſtri locum epiſtola ſequente, ubi eandem ſimilitudinem exſequitur, & collectanea more apum facta *libamenta* appellat. Cicero lib. 5. Tuſcul. *quoniam te nulla vincula impediunt certæ diſciplinæ, libaſque ex omnibus, quodcumque te maxime ſpecie veritatis movet.* Apud Ennium dubitatum eſt,

Flos

ſanitas mentis. Quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radii ſolis offenſionem: ita ebrietates continuæ efferant animos. Nam cum ſæpe apud ſe non ſint, [37] conſuetudo inſaniæ durat, ac vitia, vino concepta, etiam ſine illo valent. Dic ergo, quare ſapiens non debeat ebrius fieri. Deformitatem rei & importunitatem oſtende rebus, non verbis: quod facillimum eſt. Proba iſtas, quæ voluptates vocantur, ubi tranſcenderint modum, pœnas eſſe. Nam ſi illud argumentaberis, [38] ſapientem multo vino inebriari, & retinere rectum tenorem, etiam ſi temulentus ſit: licet colligas, nec veneno poto moriturum, [39] nec ſopore ſumpto dormiturum, nec elleboro accepto quidquid in viſceribus hærebit, [40] ejecturum dejecturumque. Sed ſi tentantur pedes, lingua non conſtat: quid eſt, quare illum exiſtimes in parte ſobrium eſſe, in parte ebrium?

EPIST.

Flos delibatus populi, an *inlibatus*, rectius legeretur: & huc quidem inclinabam olim: nunc auſcultandum cenſeo vett. cod. Ciceronis & Gellii, qui *delibatus*. Eſt enim ubi *delibatum* dicitur, quod ab alio ſumitur & propagatur ſine illius læſione, ut lumen à lumine accenditur. Sic Cicero lib. 1. de Divin. *Divinatio referenda eſt ad naturam deorum, à qua hauſtos animos & delibatos habemus.* Et de ſenectute: *Pythagoram nunquam dubitaſſe, quin ex univerſa mente divina delibatos animos haberemus.* Sic vocat *florem delibatum populi*, in quo ſit velut flos, id eſt, omne egregium, omnis laus populi in breve atque in unam perſonam collecta: qui ex toto populo delibaverit florem, & adſumſerit ex omnibus, quod in ſingulis optimum eſſet, eoque ſeſe excoluerit. Poſſet tamen & legi, *vexatur.* Ut epiſt. 88. *qui timet quidem; ſed varius & minus, non caret malitia, ſed levior vexatur.* Juvenalis: *mentem vexare mariti.* Gronovius.

37 *Conſuetudine inſaniæ durata*] Liber meus & quidam, *conſuetudo.* Lego: *Nam cum ſæpe apud ſe non ſint, conſuetudo inſaniæ durat, ac vitia vino concepta etiam ſ. i. valent.* Vera ejus mens, & lectio. Sæpe per ebrietatem à ſe abeunt: & ut redeant, manet conſuetudo inſaniendi, ac vini vitia ſine vino. *Lipſius.*

38 *Sapientem multo vino*] Vide Paradoxum iſtud, in Manuduct. 3. Diſſert. 18. *Idem.*

39 *Nec ſopore ſumpto*] Ita vocat ſoporiferum medicamentum: ut Æmilius Probus in Dione, & noſter 5 de Benefic. *Idem.*

40 *Ejecturum dejecturumque*] Si vox altera non ſupereſt (nec puto) accipe, *ejecturum* ſuperne, *dejecturum* inferne. Vis utraque helleboro. *Idem.*

EPIST.

EPIST. LXXXIV.

Stilum lectionemque alternanda eſſe. Lecta autem, in ſuccum unum vertenda, & noſtra facienda. Denique adhortatio ad Sapientiam. Bona & utilia monita.

ITinera iſta quæ ſegnitiam mihi excutiunt, & valetudini meæ prodeſſe judico, & ſtudiis. Quare valetudinem adjuvent, vides: cum pigrum me, & negligentem corporis, litterarum amor faciat,[1] aliena opera exerceor. Studiis quare proſint, indicabo. [2] A lectionibus non receſſi. Sunt autem, ut exiſtimo, neceſſariæ. primum, ne ſim me uno contentus: deinde, ut cum ab aliis quæſita cognovero, tum & de inventis judicem, & cogitem de inveniendis. Alit lectio ingenium: & ſtudio fatigatum, non ſine ſtudio tamen, reficit. Nec ſcribere tantum, nec tantum legere debemus. altera res contriſtabit, & vires exhauriet: de ſtilo dico: altera ſolvet ac diluet. Invicem [3] hoc illo commutandum eſt, & alterum altero temperandum: ut quidquid lectione collectum eſt, ſtilus redigat in corpus. [4] Apes (ut aiunt) debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quidquid attulere diſponunt, ac per favos digerunt: &, ut Virgilius noſter ait,

—— liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.

De illis non ſatis conſtat, utrum ſuccum ex floribus ducant,

qui

EPIST. LXXXIV. 1 *Aliena opera*] Equorum qui in eſſedo vehunt, aut ſervorum in ſella. *Lipſius.*

2 *A lectionibus receſſi*] Imo cum quibuſdam libris, *non receſſi*: & ſequentia docent. Sequela etiam ſermonis & illatio poſtulat. Quare proſint ſtudiis? quia geſtatio legere non impedit, vel certe legentem audire. Itaque meus & aliquot ſcripti, *a lectoribus* habent: & ſtatim, *neceſſarii.* Idem.

3 *Hoc illo commutandum*] V. C. *hoc & illo commeandum eſt*, & videtur vox eſſe propior & accommodatior ſenſui, quam illud vulgatum: ut indicet ſtudioſum uti hac parte veluti quodam commeatu. *Commeatus* autem facultas eſt abeundi ad præſcriptum diem reverſuro. Simili metaphora dixit Epiſt. 54. *a mala valetudine ſibi datum longum commeatum.* Juretus.

4 *Apes, ut aiunt*] Hæc omnia transſcripſit Macrobius 1 Saturn. initio. *Lipſius.*

5 Mel

qui protinus mel ſit: an quæ collegerunt, in hunc ſaporem mixtura quadam, & proprietate ſpiritus ſui, mutent. Quibuſdam enim placet, non faciendi mellis ſcientiam eſſe illis, ſed colligendi. Ajunt inveniri apud Indos [5] mel in arundinum foliis, quod aut ros illius cæli, [6] aut ipſius arundinis humor dulcis & pinguior gignat. In noſtris quoque herbis vim eamdem, ſed minus manifeſtam & notabilem poni: quam perſequatur & contrahat animal huic rei genitum. Quidam exiſtimant, conditura & diſpoſitione in hanc qualitatem verti, quæ ex tenerrimis virentium florentiumque decerpſerint: non ſine quodam, ut ita dicam, fermento: quo in unum diverſa coaleſcunt. Sed ne aliud, quam de quo agitur, abducar, nos quoque has apes debemus imitari, & quæcumque ex diverſa lectione congeſſimus, ſeparare. melius enim diſtincta ſervantur. Deinde adhibita ingenii noſtri cura & facultate, in unum ſaporem varia illa libamenta confundere: ut etiam ſi apparuerit unde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe, quam unde ſumptum eſt, appareat. quod in corpore noſtro videmus, ſine ulla opera noſtra, facere naturam. Alimenta quæ accepimus, quamdiu in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt: at cum ex eo quod erant, mutata ſunt, tunc demum in vires & in ſanguinem tranſeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, præſtemus: ut quæcumque hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint. Concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Aſſentiamur illis fideliter, & noſtra faciamus, ut unum quiddam fiat ex multis: ſicut unus numerus fit ex ſingulis, cum minores ſummas & diſſidentes computatio

una

5 *Mel in arundinum foliis*] Strabo lib. 15. Εἴρηκε δὲ καὶ περὶ τῶν καλάμων ὅτι ποιοῦσι μέλι, μελισσῶν μὴ οὐσῶν· *Dicitur quod & ex arundinibus mel faciant, cum apes non habeant.* Intelligunt noſtrum iſtud *ſaccharum*, Arabica voce dictum. *Lipſius.*

6 *Aut ipſius arundinis humor*] Illa veritas eſt. Lucanus 3. *Idem.*

Quique bibunt tenera dulces ab arundine ſuccos.

Nec coctura etiam ignota iis fuit, ex Statio:

Et quas percoquit Ebuſia cannas. Idem.

7. Si

una comprehendit. Hoc faciat animus noſter. omnia quibus eſt adjutus, abſcondat: ipſum tantum oſtendat, quod effecit. Etiamſi alicujus in te comparebit ſimilitudo, quem admiratio tibi altius fixerit: ſimilem eſſe te volo quomodo filium, non quomodo imaginem. Imago, res mortua eſt. Quid ergo? non intelligetur cujus imiteris orationem? cujus argumentationem? cujus ſententias? Puto aliquando ne intelligi quidem poſſe, [7] ſi magni viri. nec enim omnibus, quæ ex quoque velut exemplaria traxit, formam ſuam impreſſit, ut in unitatem illam competant. Non vides quam multorum vocibus chorus conſtet? unus tamen ex omnibus ſonus redditur. aliqua illic acuta eſt, aliqua gravis, aliqua media. accedunt viris feminæ, interponuntur tibiæ: ſingulorum illic latent voces, omnium apparent. De

7 *Si magni viri, nec enim omnibus quæ*] Turbant libri, & variant. Alii, *nec enim ex omnibus quæ ex quo velut exemplaria ſtruxit, formam:* meus, *nec enim ex omnibus quæ heco vel ex quo.* Ego faciebam: *nec enim omnibus, quæ velut exemplaria ſtruxit, ex æquo formam ſuam impreſſit*, trajectione aliqua vocum. De ſententia, vix ambigo eam eſſe. Ille magnus vir, inquit, cui ſimilem te velis, non ubique ſui ſimilis, nec eadem ſemper ſtili forma. Itaque ne poſſis quidem æqualiter referre inæqualem. *Lipſius.* Certe turbant libri & variant. Lipſius, *omnibus quæ velut exemplaria ſtruxit ex æquo formam.* De ſententia vix ait ſe ambigere: Quam tamen præcedentia repudiant. Nam τὰ *ne intelligi* referuntur ad ſuperius, *cujus imiteris orationem.* Itaque nec illud ſignificant, quod vult Lipſius, nec omnino boni ſunt ſenſus. Cur potius plebeii ſcriptoris imitatio deprehendatur quam magni viri? Immo quo hic legitur attentius, eo melius ejus veſtigia in alienis agnoſcuntur. Mss.& veteres edd. *quæ ex quo velut exemplaria ſtruxit.* Deinde duo Pall. & quidam Gall. *in veritatem illam.* Videtur ſcribendum eſſe: *Puto aliquando ne intelligi quidem poſſe imaginem viri: nec enim omnibus, quæ ex ſuo velut exemplaria ſtruxit, formam ſui impreſſit, ut in veritatem illam competant.* Reſpondet ad propoſitam quæſtionem repetendo ſimilitudinem, qua fuerat uſus: imitatorem auctori debere eſſe ſimilem ut patri filium, non ut faciei imaginem. Miraris velle me, ne nimis appareat, cujus orationem exprimas: cum ne imagines quidem omnes exprimant tam perfecte, ut ſtatim, cujus ſint agnoſcatur: & tamen nondum eouſque progredi te velim, ut velut imago exprimas. *Struxiſſe ex ſuo exemplaria* dicit eum, qui ſe pluribus imaginibus exprimendum præbuit. *Veritatem* autem eo magis probo, quod ſolet hæc vox *imagini* diverſa poni: quod obſervabamus ad Statium. Rubenium advertit, quod Pincianus tradit exemplaria quædam habere, *ſi magni viri ingenium.* Suſpicatur ex vet. ſcriptura, *incenium*, fluxiſſe monſtra illa, *nec enim* & *Ennii*, & *nicenu* vel *niceuii*, quod habet Heinſiana membrana. Forte igitur non incommode legi poſſe putabat: *Puto aliquando ne intelligi quidem poſſe,*

De choro dico, [8] quem veteres philoſophi noverant. [9] In commiſſionibus noſtris plus cantorum eſt, quam in theatris olim ſpectatorum fuit. [10] cum omnes vias ordo canentium implevit, [11] & cavea æneatoribus cincta eſt, & ex pulpito omne tibiarum genus organorumque conſonuit, fit concentus ex diſſonis. Talem animum eſſe noſtrum volo, ut multæ in illo artes, multa præcepta ſint, multarum ætatum exempla, ſed in unum conſpirata. Quomodo, inquis, hoc effici poterit? aſſidua intentione: ſi nihil egerimus, niſi ratione ſuadente. hanc ſi audire volueris, dicet tibi: Relinque iſta jamdudum, ad quæ diſcurritur. relinque divitias, aut periculum poſſidentium, aut onus. relinque corporis atque animi voluptates: molliunt & enervant. relinque ambitum: tumida res eſt, vana, ventoſa. nullum habet terminum. tam ſolicita eſt ne quem ante ſe videat, quam ne poſt alium. laborat invidia, & quidem duplici. Vides autem quam miſer ſit, ſi is, cui invidetur, & invidet? Intueris illas potentium domos, illa tumultuoſa, rixa ſalutantium, limina? multum habent contumeliarum,

poſſe, ſi magni viri ingenium omnibus, quæ ex quoque velut exemplari (vel ex *quo voluit exemplari*) *traxit, formam ſuam impreſſit, ut in unitatem illa competunt.* Gronovius.

8 *Quem veteres philoſophi*] Quid philoſophis cum choro? Mihi aut vox inſititia eſt, aut mutanda potius in *philodi*. Nam Græcis φιλῳδοὶ, *cantus amantes.* Lipſius.

9 *In commiſſionibus noſtris*] Omnino ſic legendum: atque ita meus & meliores. Commiſſiones ludorum dici, ſatis notum eſt: & ſequentia Senecæ palam de ludis. At vidi qui pertinaciter *comeſſationes* retinent: quo argumento? quia in veterum conviviis, inquiunt, cantores, & tibicines, & citharistæ. Aliud nos doceant. Illud oportebat, tanto numero, quanto ſpectatores in theatris fuiſſe. Id autem qui poteſt? & quæ cænatio ſit capax? Sequentia etiam refutant. *Idem.*

10 *Cum omnes vias*] Theatrorum. nam viæ inter cuneos, & præcinctiones. Ubique igitur (nota) ibi cantores diſpoſiti. Viæ autem quomodo ſint in tricliniis? *Idem.*

11 *Et cavea æneatoribus cincta eſt*] En, & hîc theatrum. Tubicines autem ſollenniter in ludis, ad committendos, & finiendos. Vide me Saturn. 2. cap. 19. *Idem.* Nimirum in omnibus ludis etiam ſcenicis, ſignum erat commiſſionis *tuba*. æneatoreſque hi tubicines. ideo Apuleius *tubam terminalem* appellat, quia primitias & ludicra certaminis finiret terminaretque. Virgil.

At tuba commiſſos medio canit aggere ludos.

Vide ea de re plura apud Lipſium lib. 2 Saturn. cap. 9.

12 Et

rum, ut intres: plus, cum intraveris. Præteri iſtos gradus divitum, & [12] magno aggeſtu ſuſpenſa veſtibula. [13] non in prærupto tantum iſtic ſtabis, ſed in lubrico. Huc potius te ad ſapientiam dirige, tranquilliſſimaſque res, & ſimul ampliſſimas, pete. Quæcumque videntur eminere in rebus humanis, quamvis puſilla ſint, & comparatione humillimorum exſtent, per difficiles tamen & arduos tramites adeuntur. Confragoſa in faſtigium dignitatis via eſt. At ſi conſcendere hunc verticem libet, cui ſe fortuna ſubmiſit: omnia quidem ſub te, quæ pro excelſiſſimis habentur, adſpicies, ſed tamen venies ad ſumma per planum.

EPIST. LXXXV.

Sophiſmata improbat, & à ſeriis ſtudiis ea arcet. Exempla quædam dat, ſed ad utilia traducit: & contra Peripateticos, Sapientem vacare affectibus debere. Deinde, Beatam vitam ſibi ſufficere: unam & æqualem eſſe, ſeu longam, ſeu brevem. Non etiam imminui ab externis, etſi mala, aut damna incurrant: & Sapientem omnibus bene uti. Bona, ſapiens Epiſtola.

PEpercceram tibi, & quidquid nodoſi adhuc ſupererat, præterieram: contentus quaſi guſtum tibi dare eorum, quæ à noſtris dicuntur, ut probetur virtus ad explendam beatam

12 *Magno aggeſtu ſuſpenſa veſtibula*] Spoliorum aggeſtu, quæ affigi poſtibus ſolent, interpretatur Lipſius. Ego de ipſa ſtructura ſanius intelligam. Ut Epiſt. 41. *Si quis ſpecus ſaxis penitus exeſis montem ſuſpenderit.* Epiſt. 190. *Philoſophia hac cum tanto habitantium periculo imminentia tecta ſuſpendit.* Plinius lib. 12. epiſt. 17. *tranſitu interjacente, qui ſuſpenſus & tabulatus conceptum vaporem ſalubri temperamento huc illucque digerit & miniſtrat.* Plinius alter 16, 36. de arundine: *in reliquo vero orbe & eam in cameras ſuſpendunt.* Noſter lib. 6, 1. Natur. Quæſt. *Quemadmodum in urbibus magnis, nunc hæc domus, nunc illa ſuſpenditur, ita in hoc orbe terrarum nunc hæc pars facit vitium, nunc illa.* Nam & ſtructuræ arte & tibicinibus ſuſpenduntur ædificia. *Gronovius.* Veſtibulum locus inter fores ædium & viam, Aulo Gellio lib. 16. c. 5. Macrob. lib. 6 Saturn. cap. 8. idque pars domus l. 1. Cod. de cuſtod. reor. l. 19. §. de veſtibulo. ff. comm. divid. Fornerius ad l. 245. de verb. ſignif.

13 *Non in prærupto tantum*] Et alte ſtabis, ut cadere poſſis; & parum firmiter, ut labi. *Lipſius.*

Digitized by Google

beatam vitam ſola ſatis efficax. Jubes me, quidquid eſt interrogationum aut noſtrarum, aut [1] ad traductionem noſtram excogitatarum, comprehendere: quod ſi facere voluero, non erit epiſtola, ſed liber. Illud toties teſtor, hoc me argumentorum genere non delectari. pudet in aciem deſcendere pro diis hominibuſque ſuſceptam, [2] ſubula armatum. Qui prudens eſt, & temperans eſt: qui temperans eſt, & conſtans: qui conſtans eſt, & imperturbatus eſt: qui imperturbatus eſt, ſine triſtitia eſt: qui ſine triſtitia eſt, beatus eſt: ergo prudens, beatus eſt, & prudentia ad beatam vitam ſatis eſt. Huic collectioni hoc modo Peripateticorum quidam reſpondent, ut imperturbatum, & conſtantem, & ſine triſtitia, ſic interpretentur, tanquam imperturbatus dicatur, qui raro perturbatur & modice, non qui nunquam. Item ſine triſtitia eum dici aiunt, qui non eſt obnoxius triſtitiæ, nec frequens, nimiuſve in hoc vitio. Illud enim humanam naturam negare, alicujus animum immunem eſſe triſtitia: ſapientem non vinci mœrore, ceterum tangi: & cetera in hunc modum ſectæ ſuæ reſpondentia. [3] Non hi tollunt affectus, ſed temperant: quantulum autem ſapienti damus, ſi imbecillimis fortior eſt, & mœſtiſſimis lætior, & effrænatiſſimis moderatior, & humillimis major? Quid ſi miretur [4] velocitatem ſuam Ladas, ad claudos debileſque reſpiciens?

Illa vel intacta ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec curſu teneras læſiſſet ariſtas,

Vel

EPIST. LXXXV. 1 *Aut ad traductionem noſtram*] *Traductionis* nomine hic intelligit aliorum philoſophorum ſententias quæ refellebant Stoïcorum dogma cum calumnia & contemptu: nam *traducere* hoc aliquando denotat. Eo ſpectant verba ipſius Senecæ inf. hac eadem Epiſt. *Noſtrorum hæc* (ait) *interrogatio eſt. Adverſus hanc ſic reſpondere conantur, falſam nos rem & controverſam pro confeſſa judicare.* Alio loco dicit infamatos Stoïcos, ut Epiſt. 81. *Deſinant itaque* (ait) *infamare nos tanquam incredibilia jactantes.* Juretus.

2 *Subula armatum*] Tenui & ſubtili iſto argutiarum telo. Sic ſupra, epiſt. 82. *Subula leonem excipit.* Lipſius.

3 *Non hi tollunt affectus*] Adde de Ira 1. cap. 7. & 8. *Idem.*

4 *Velocitatem ſuam Ladas*] Primus reſtitui, cum ſcriberetur *laudans*. Ladas autem celebratæ in adagium uſque velocitatis curſor. *Idem.*

Vel mare per medium, fluctu ſuſpenſa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingueret æquore plantas.

Hæc eſt pernicitas per ſe æſtimata, non quæ tardiſſimorum collatione laudatur. Quid ſi ſanum voces, leviter febricitantem? non eſt bona valetudo, mediocritas morbi. Sic, inquit, ſapiens imperturbatus dicitur, [5] quomodo apyrina dicuntur, non quibus nulla ineſt duritia granorum, ſed quibus minor. Falſum eſt. Non enim diminutionem malorum in bono viro intelligo, ſed vacationem. nulla debent eſſe, non parva. Nam ſi ulla ſint, creſcent, & interim impedient. Quomodo oculos major & perfecta ſuffuſio excæcat, ſic modica turbat. Si das aliquos affectus ſapienti, impar illis erit ratio, & velut torrente quodam auferetur: præſertim cum illi non unum, ſed univerſum affectuum cœtum relinquis, cum quo colluctetur. Plus poteſt quamvis mediocrium turba, quam poſſet unius magni violentia. Habet pecuniæ cupiditatem, ſed modicam: habet ambitionem, ſed non concitatam: habet iracundiam, ſed placabilem: habet inconſtantiam, ſed minus vagam ac mobilem: habet libidinem, non inſaniam. Melius cum illo ageretur, qui unum vitium integrum haberet, quam cum eo qui leviora quidem, ſed omnia. Deinde nihil intereſt, quam magnus ſit affectus: quantuſcumque eſt, parere neſcit, conſilium non accipit. Quemadmodum rationi nullum animal

5 *Quomodo apyrina dicuntur*] Hæc ipſa ſunt in vetere ſcriptore Telete, apud Stob. Serm. 106. ubi diſputat hanc ipſam materiam, περὶ ἀπαθείας, *de Imperturbatione. Viſne igitur*, inquit, *ut quemadmodum malum Punicum ἀπύρηνον dicimus, & homines ἀτραχήλους καὶ ἀπλεύρους, (ſine collo, aut latere): ita etiam indolentes, ac intrepidos? Nam ibi ſignificamus ἄπλευρον, non ſimpliciter ſine coſtis aut lateribus, ſed brevibus iis aut pravis: ſicut & amentem dicimus & exſenſum, non qui plane iis caret, ſed qui talem mentem & ſenſus habet. An potius iſta credi ridiculum eſt? ſed quemadmodum innocens & impeccans dicitur, qui ab omni noxa & peccato purus eſt; ſic & indolens, & intrepidus, dicendus eſt, qui extra dolorem metumque omnino ſit.* Addeſis plura. Sed pro Seneca, vides uſitatum *Apyrinorum* exemplum hic fuiſſe. Sunt autem *Apyrina*, vel *Apyrena* (utrumque Græcis) *Punica, quibus lignoſus nucleus abeſt, & candidior natura, & blandiores ſunt acini:* ut Plinius, lib. 13. cap. 19. & nominat iterum lib. 23. c. 6. Quo ſimilitudo igitur pertineat, clarum: non nullos habere affectus, ſed rariores & mitiores, ſicut Punica illa nucleos. *Lipſius.*

6 *Qua*

Digitized by Google

animal obtemperat, non ferum, non domeſticum & mite: natura enim illorum eſt ſurda ſuadenti: ſic non ſequuntur, non audiunt affectus, quantulicumque ſint. Tigres, leoneſque nunquam feritatem exuunt, aliquando ſubmittunt: & cum minime exſpectaveris, exaſperatur torvitas mitigata. Nunquam bona fide vitia manſueſcunt. Deinde ſi ratio proficit, ne incipient quidem affectus. ſi invita ratione cœperint, invita perſeverabunt. Facilius eſt enim, initia illorum prohibere, quam impetum regere. Falſa eſt itaque iſta mediocritas & inutilis, eodemque loco habenda, quo, ſi quis diceret, modice inſaniendum, modice ægrotandum. Sola virtus habet, non recipiunt animi mala, temperamentum: facilius ſuſtuleris illa, quam rexeris. Nunquid dubium eſt, quin vitia mentis humanæ inveterata, & dura, [6] quæ morbos vocamus, immoderata ſint: ut avaritia, ut crudelitas, ut impotentia, ut impietas? ergo immoderati ſunt & affectus: ab his enim ad illa tranſitur. Deinde ſi das aliquid juris triſtitiæ, timori, cupiditati, ceteriſque motibus pravis, non erunt in noſtra poteſtate. Quare? quia extra nos ſunt, quibus irritantur. Itaque creſcunt, prout magnas habuerint minoreſve cauſſas, quibus concitentur. major erit timor, ſi plus, quo exterreatur, aut propius adſpexerit: acrior cupiditas, quo illam amplioris rei ſpes evocaverit. Si in noſtra poteſtate non eſt, an ſint affectus; ne illud quidem eſt, quanti ſint: ſi ipſis permiſiſti incipere, cum cauſſis ſuis creſcent, tantique erunt, quanti fient. Adjice nunc, quod iſta, quantumvis exigua ſint, in majus excedunt. nunquam pernicioſa ſervant modum. Quamvis levia initia morborum, ſerpunt: & ægra corpora, minima interdum mergit acceſſio. Illud vero cujus dementiæ eſt credere, quarum rerum extra noſtrum arbitrium poſita principia ſunt, earum noſtri eſſe arbitrii terminos? Quomodo ad id finiendum ſatis valeo, ad quod prohibendum parum

6 *Quæ morbos vocamus*] Supra, epiſt. 25. *Lipſius.*

parum valui? cum facilius ſit excludere, quam admiſſa comprimere. Quidam ita diſtinxerunt, ut dicerent: Temperans ac prudens poſitione quidem mentis, & habitu tranquillus eſt, eventu non eſt. nam quantum ad habitum mentis ſuæ, non perturbatur, nec contriſtatur, nec timet: ſed multæ extrinſecus cauſſæ incidunt, quæ illi perturbationem afferant. Tale eſt quod volunt dicere: Iracundum quidem illum non eſſe, iraſci tamen aliquando: & timidum quidem non eſſe, timere tamen aliquando: id eſt, vitio timoris carere, affectu non carere. Quod ſi recipitur, uſu frequenti timor tranſit in vitium: & ira in animum admiſſa, habitum illum ira carentis animi retexit. Præterea, ſi non contemnit venientes extrinſecus cauſſas, & aliquid timet; cum fortiter eundum erit adverſus tela, ignes, pro patria, legibus, libertate; cunctanter exibit, & animo recedente. Non cadit autem in ſapientem hæc diverſitas mentis. Illud præterea judico obſervandum, ne duo quæ ſeparatim probanda ſunt, miſceamus. Per ſe enim colligitur, unum bonum eſſe quod honeſtum: per ſe rurſus, ad vitam beatam ſatis eſſe virtutem. Si unum bonum eſt, quod honeſtum, omnes concedunt ad beate vivendum ſufficere virtutem: econtrario non remittetur, ſi beatum ſola virtus facit, unum bonum eſſe quod honeſtum eſt. Xenocrates & Speuſippus [7] putant beatum vel ſola virtute fieri poſſe: non tamen unum bonum eſſe quod honeſtum eſt. Epicurus quoque judicat, cum virtutem habeat, beatum eſſe, ſed ipſam virtutem non ſatis eſſe ad beatam vitam: quia beatum efficiat voluptas, quæ ex virtute eſt, non ipſa virtus. Inepta diſtinctio. Idem enim negat, unquam virtutem eſſe ſine voluptate. ita ſi ei juncta ſemper eſt, atque inſeparabilis, & ſola, ſatis eſt: habet enim ſecum voluptatem, ſine qua non eſt, etiam cum ſola eſt. Illud autem abſurdum eſt, quod dicitur beatum quidem futurum vel ſola virtute; non futu-

7 *Putant beatum vel ſola virtute*] Non tamen beatiſſimum: & in eo à Stoa diſſident, ut mox obſerves. *Lipſius.*

8 *In*

Digitized by Google

futurum autem perfecte beatum: quod quemadmodum fieri poſſit, non reperio. Beata enim vita bonum in ſe perfectum habet, inexſuperabile: quod ſi eſt, perfecte beata eſt. Si deorum vita nihil habet majus aut melius: beata autem vita divina eſt: nihil habet, in quod amplius poſſit attolli. Præterea, ſi beata vita nullius eſt indigens, omnis beata vita perfecta eſt, eademque eſt & beata, & beatiſſima. Nunquid dubitas, quin beata vita ſummum bonum ſit? ergo ſi ſummum bonum habet, ſumme beata eſt. Quemadmodum ſummum, adjectionem non recipit; (quid enim ſupra ſummum erit?) ita ne beata quidem vita, quæ ſine ſummo bono non eſt. Quod ſi aliquem magis beatum induxeris, & multo magis innumerabilia diſcrimina ſummi boni facies: cum ſummum bonum intelligam, quod ſupra ſe gradum non habet. Si eſt aliquis minus beatus quam alius, ſequitur, ut hic alterius vitam beatioris magis concupiſcat, quam ſuam. beatus autem nihil ſuæ præfert. Utrumlibet ex his incredibile eſt: aut aliquid beato reſtare, quod eſſe quam quod eſt malit: aut id illum non malle, quod illo melius eſt. Utique enim quo prudentior eſt, hoc magis ſe ad id quod eſt optimum, extendet, & id omni modo conſequi cupiet. Quomodo autem beatus eſt, qui cupere etiamnum poteſt, imo qui debet? Dicam quid ſit, ex quo veniat hic error. Neſciunt beatam vitam unam eſſe. in optimo illam ſtatu ponit qualitas ſua, non magnitudo. Itaque [8] in æquo eſt longa & brevis, diffuſa & anguſtior; in multa loca, multaſque partes diſtributa, & in unum coacta. Qui illam numero æſtimat, & menſura, & partibus, jam illi quod habet eximium, eripit. Quid autem eſt in beata vita eximium? quod plena eſt. Finis, ut puta, edendi bibendique ſatietas eſt: hic plus edit, ille minus: quid refert? uterque jam ſatur eſt. hic plus bibit, ille minus: quid refert? uterque non ſitit. Hic pluribus annis vixit, hic

8 *In æquo eſt longa & brevis*] In Manud. 3. Diſſert. 3. *Lipſius.*

 9 *Fal-*

hic paucioribus: nihil intereſt ſi tam illum multi anni beatum fecerunt, quam hunc pauci. Ille quem tu minus beatum vocas, non eſt beatus: non poteſt nomen imminui. Qui fortis eſt, ſine timore eſt: qui ſine timore eſt, ſine triſtitia eſt: qui ſine triſtitia eſt, beatus eſt. Noſtrorum hæc interrogatio eſt. Adverſus hanc ſic reſpondere conantur, [9] falſam nos rem, & controverſioſam pro confeſſa vindicare, eum qui fortis eſt, ſine timore eſſe. Quid ergo? inquit. fortis imminentia mala non timebit? iſtud dementis alienatique, non fortis eſt. Ille vero, inquit, moderatiſſime timet, ſed in totum extra metum non eſt. Qui hæc dicunt, rurſus in idem revolvuntur, ut illis virtutum loco ſint minora vitia. Nam qui timet quidem, ſed rarius & minus, non caret malitia, ſed leviore vexatur. At enim dementem puto, qui mala imminentia non extimeſcit. Verum eſt quod dicit, ſi mala ſunt: ſed ſi ſcit mala illa non eſſe, & unam tantum turpitudinem malum judicat; debebit ſecure pericula adſpicere, & aliis timenda contemnere. aut ſi ſtulti & amentis eſt, mala non timere: quo quis prudentior eſt, hoc timebit magis. Ut vobis, inquit, videtur, præbebit ſe periculis fortis. Minime. non timebit illa, ſed vitabit: cautio illum decet, timor non decet. Quid ergo? inquis. mortem, vincula, ignes, alia tela fortunæ non timebit? Non: ſcit enim illa non eſſe mala, ſed videri: omnia iſta humanæ vitæ formidines putat. Deſcribe captivitatem, verbera, catenas, egeſtatem, & membrorum lacerationes, vel per morbum, vel per injuriam: & quidquid aliud attuleris, inter lymphaticos metus numerat. Iſta timidis timenda ſunt. An id exiſtimas malum, ad quod aliquando noſtra ſponte veniendum eſt? Quæris, quid ſit malum? Cedere

9 *Falſam nos rem & controverſam pro confeſſa inducere*] Lege cum manuſcriptis: *& controverſioſam pro confeſſa vindicare.* Diſpiciant eruditi, inquit Gruterus, an vox *controverſioſa* recipi poſſit. Quidni? cum ſit Livii lib. 3. extremo: *quem enim hoc privata rei judicem feciſſe, ut ſibi controverſioſam adjudicaret rem.* Gronovius.

dere his quæ mala vocantur, & illis libertatem ſuam dedere, pro qua cuncta patienda ſunt. Perit libertas, niſi illa contemnimus, quæ nobis jugum imponunt. Non dubitarent quid conveniret forti viro, ſi ſcirent quid eſſet fortitudo. Non eſt enim inconſulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitio: ſcientia eſt diſtinguendi quid ſit malum, & quid non ſit. Diligentiſſima in tutela ſui fortitudo eſt, & eadem patientiſſima eorum, quibus falſa ſpecies malorum eſt. Quid ergo, ſi ferrum intentatur cervicibus viri fortis, ſi pars ſubinde alia atque alia ſuffoditur, ſi viſcera ſua in ſinu ſuo vidit, ſi ex intervallo, [10] quo magis tormenta ſentiat, repetitur, [11] & per adſiccata viſcera recens dimittitur ſanguis, non timere iſtum tu dices, non dolere? Iſte vero dolet: ſenſum enim hominis nulla exuit virtus: ſed non timet. invictus ex alto dolores ſuos ſpectat. Quæris, quis tunc animus illi ſit? Qui ægrum amicum adhortantibus. Quod malum eſt, nocet: quod nocet, deteriorem facit: dolor & paupertas deteriorem non faciunt: ergo mala non ſunt. Falſum eſt, inquit, quod proponitur: non enim ſi quid nocet, etiam deteriorem facit. Tempeſtas & procella nocet gubernatori, non tamen illum deteriorem facit. Quidam Stoici ita adverſus hoc reſpondent: Deteriorem fieri gubernatorem tempeſtate ac procella, quia non poſſit id quod propoſuit efficere, nec tenere curſum ſuum: deteriorem illum in arte ſua non fieri, in opere fieri. Quibus Peripateticus: Ergo, inquit, & ſapientem deteriorem faciet paupertas & dolor, & quidquid aliud tale fuerit: virtutem enim illi non eripiet, ſed opera ejus impediet. Hoc recte diceretur, niſi diſſimilis eſſet gubernatoris

10 *Quo magis tormenta ſentiat, repetitur*] Eſt Arenæ verbum, & in re gladiatoria ſolenne, *repete*: id eſt, ingemina ictus, atque itera. Pincianus, *referitur*: non audio. *Lipſius.*

11 *Et per ſiccata viſcera*] Heinſ. & Erſ. accedunt codicibus, qui *adſiccata*. Sed τὸ *viſcera* non placet, præſertim quum proxime habeatur: *viſcera ſua in ſinu ſuo vidit*. Lege: *per adſiccata vulnera recedens demittitur ſanguis.* Statii quoque *ſiccare vulnera lymphis*. *Adſiccata vulnera*, quæ deſierunt ſtillare. *Gronovius.*

natoris conditio, & ſapientis. Huic enim propoſitum eſt in vita agenda, non utique quod tentat, efficere, ſed omnia recte facere: gubernatori propoſitum eſt, utique navem in portum perducere. Artes miniſtræ ſunt: præſtare debent, quod promittunt: ſapientia domina rectrixque eſt. Artes ſerviunt vitæ, ſapientia imperat. Ego aliter reſpondendum judico, nec artem gubernatoris deteriorem ulla tempeſtate fieri, nec ipſam adminiſtrationem artis. Gubernator tibi non felicitatem promiſit, ſed utilem operam, & navis regendæ ſcientiam. hæc eo magis apparet, quo illi magis aliqua fortuita vis obſtitit. Qui hoc potuit dicere, [12] Neptune, nunquam hanc navem, niſi rectam. arti ſatisfecit. tempeſtas non opus gubernatoris impedit, ſed ſucceſſum. Quid ergo? inquis. non nocet gubernatori ea res quæ illum tenere portum vetat? quæ conatus ejus irritos efficit? quæ aut refert illum, aut detinet, & exarmat? Non tanquam gubernatori, ſed tanquam naviganti nocet. Alioquin gubernatoris artem adeo non impedit, ut oſtendat. tranquillo enim, ut aiunt, quilibet gubernator eſt. Navigio iſta obſunt, non rectori ejus, qua rector eſt. Duas perſonas habet gubernator: alteram communem cum omnibus qui eandem conſcenderunt navem, qua ipſe quoque vector eſt: alteram propriam, qua gubernator eſt. tempeſtas tanquam vectori nocet, non tanquam gubernatori. Deinde gubernatoris ars alienum bonum eſt, ad eos quos vehit, pertinet: quomodo medici ars ad eos, quos curat: ſapientia commune bonum eſt, & eorum cum quibus vivit, & proprium ipſius. Itaque gubernatori fortaſſe nocetur, cujus miniſterium aliis promiſſum tempeſtate impeditur: ſapienti non nocetur à paupertate, non à dolore, non ab

12 *Neptune numquam hanc navem*] Hoc ipſum in Telete, eodem argumento: Καλῶς τὸ τ κυβερνήτου. Ἀλλ' οὖν γε ὦ Πόσειδον ὀρθὴν. οὕτω καὶ ἀνὴρ ἀγαθὸς εἴποι πρὸς τὴν τύχην. Ἀλλ' οὖν γε ἄνδρα καὶ οὐ βλᾶκα. *Pulchre hoc à gubernatore, Neptune tamen rectam. Ita & vir bonus compellat Fortunam. At virum tamen, non peponem.* Adde Senecam Conſol. ad Marc. cap. 6. *Lipſius.*

13 *Tre-*

ab aliis tempeſtatibus vitæ. Non enim prohibentur opera ejus omnia, ſed tantum ad alios pertinentia: ipſe ſemper in actu eſt, non in effectu. tunc maximus, cum illi fortuna ſe oppoſuit: tunc ipſius ſapientiæ negotium agit, quam diximus & alienum bonum eſſe, & ſuum. Præterea, ne aliis quidem tunc prodeſſe prohibetur, cum illum aliquæ neceſſitates premunt. Propter paupertatem [13] prohibetur docere, quemadmodum tractanda reſpublica ſit: at illud docet, quemadmodum tractanda ſit paupertas; per totam vitam opus ejus extenditur. Ita nulla fortuna, nulla res, actus ſapientis excludit. Ita enim ipſum agit, quo alia agere prohibetur. Ad utroſque caſus aptus eſt: bonorum rector, & malorum victor. Sic, inquam, ſe exercuit, ut virtutem tam in ſecundis quam in adverſis exhibeat: nec materiam ejus, ſed ipſam intueatur. Itaque nec paupertas illum, nec dolor, nec quidquam aliud quod imperitos avertit & præcipites agit, prohibet. Tu illum premi putas malis? utitur. Non ex ebore tantum Phidias ſciebat facere ſimulacra, faciebat ex ære: ſi marmor illi, ſi adhuc viliorem materiam obtuliſſes, feciſſet quale ex illa fieri optimum poſſet. Sic ſapiens virtutem, ſi licebit, in divitiis explicabit; ſi minus, in paupertate: ſi poterit, in patria; ſi minus, in exſilio: ſi poterit, imperator; ſi minus, miles: ſi poterit, integer; ſi minus, debilis. quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet. Certi ſunt domitores ferarum, qui ſæviſſima animalia & [14] ad occurſum exterrentia hominem,

13 *Prohibetur docere*] Factis nempe & uſu: quia ex cenſu ad rempublicam admittebantur. Non prohibetur ſcriptis: ut Zeno, Chryſippus, alii. *Idem.*

14 *Ad occurſum exterrentia hominem, docent pati jugum*] Recte ad ſenſum Muretus: quid ita tamen libri omnes, *expaventia?* Legam: *ad occurſum expaventi ea homine:* aut certe, *expavefacientia*, ſit legendum. *Idem.* Libri fere, *expaventia:* ſed tamen unus Gallicus & quidam antiquitus impreſſi, *expavefacientia:* quam veram lectionem dudum notavit Opſopœus, & de conjectura Lipſius. Sed præterea duo Pall. *hominum.* duo, *ſub jugum.* alii duo, *cogunt pati ſub jugum:* unus, *cogunt pati jugum.* Unde ſuſpicor τὸ *pati* eſſe à manu aliena, ſcribendum autem: *qui ſæviſſima animalia & ad occurſum expavefacientia hominum cogunt ſub jugum.* Gronovius.

nem, docent pati jugum: nec aſperitatem excuſſiſſe contenti, [15] uſque in contubernium mitigant. Leonibus magiſter manum inſertat, [16] oſculatur tigrim ſuus cuſtos, elephantem minimus Æthiops jubet [17] ſubſidere in genua, & [18] ambulare per funem. Sic ſapiens eſt artifex domandi mala. Dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exſilium, & [19] ubicumque horrenda, cum ad hunc pervenere, manſueta ſunt.

EPIST. LXXXVI.

De villa Africani; ædificio & balneo, nec polito, nec lauto. Contra luxum ſui ævi. In extremo, de oleis ſerendis, occaſione villæ.

IN ipſa Scipionis Africani villa jacens hæc tibi ſcribo, [1] adoratis manibus ejus & arca, quam ſepulcrum [2] eſſe tanti viri ſuſpicor. animum quidem ejus in cælum, ex quo

15 *Uſque in contubernium*] Ut una degant, ac verſentur. *Lipſius.*

16 *Oſculatur tigrim*] Hæc talia in ludis publice tunc exhibita, & obſervata. *Idem.*

17 *Subſidere in genua*] Ad rectorem illum cervice accipiendum. *Idem.*

18 *Ambulare per funem*] Suetonius Galbæ, cap. 6. atque ibi Scholiaſtæ: nos in epiſtola ſuper Elephantis. *Idem.*

19 *Ubicumque horrenda*] Quidam libri, *quæcumque*: fuerit, *cuicumque.* Idem.

EPIST. LXXXVI. 1 *Adoratis manibus ejus & ara*] Ara, quæ DIIS MANIBUS ex more poni ſolet, & millenæ aliquot hodie exſtant. Tamen meus & quidam, *arca.* quod valde amplector, non tam quia cineres ſive urnas in *arcis* aut loculis lapideis conditos etiam ſciam; quam quod mos gentis Corneliæ tale hic poſcat. De eo Plinius lib. 7. *In gente Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus. idque voluiſſe, veritum talionem, eruto C. Marii cadavere.* Atquin ex ea Scipio, ergo in arca cadaver conditum. *Idem.* Ræwardus lib. 2. cap. 4. Varior. vult *arcam* hic deſignare *loculum lapideum*, ſupra terram poſitum, quo corpus perpetuæ ſepulturæ tradendum plerumque recondebatur. Eo ſane ſenſu accepit arcam lapideam Caius l. 7. ff. de relinq. & ſumpt. funer. *Adverſus eos qui in alterius arcam lapideam, in qua adhuc mortuus non erat conditus, mortuum intulit,* &c.

2 *Eſſe tanti viri ſuſpicor*] Cur ſuſpicaris tantum? quia ambigebatur, & potuit Cenotaphium modo eſſe. Certe alterum aut hic, aut juxta Romam fuit, ubi item oſtendebatur ſepulchrum. Livius 38. *Africanum alii Romæ, alii Literni, & mortuum, & ſepultum, tradunt. Utrobique monumenta oſtenduntur, & ſtatuæ.* De ſtatua, nihil hic Seneca, & oportet tranſlatam fuiſſe. Communior autem fama de Linterno fuit: pro qua Strabo & Valerius. *Lipſius.*

3 *Ant*

quo erat, rediſſe perſuadeo mihi: non quia magnos exercitus duxit, (hos enim & Cambyſes furioſus, ac furore feliciter uſus habuit) ſed ob egregiam moderationem pietatemque, magis in illo admirabilem, cum reliquit patriam, quam cum defendit. Aut Scipio Romæ deeſſe debebat, [3] aut Romæ libertas. Nihil, inquit, volo derogare legibus, nihil inſtitutis. æquum inter omnes cives jus ſit: utere ſine me beneficio meo, patria. cauſſa tibi libertatis fui, [4] ero & argumentum. Exeo, ſi plus quam tibi expedit, crevi. Quid ni ego admirer hanc magnitudinem animi, qua in exſilium voluntarium ſeceſſit, & civitatem exoneravit? Eo perducta res erat, ut aut libertas Scipioni, aut Scipio libertati faceret injuriam. neutrum fas erat. Itaque dedit locum legibus, & ſe [5] Liternum recepit, tam ſuum exſilium reip. imputaturus, quam Hannibalis. Vidi villam ſtructam lapide quadrato, murum circumdatum ſilvæ, turres quoque in propugnaculum villæ utrimque ſubrectas. Ciſternam ædificiis ac viridibus ſubditam, quæ ſufficere in uſum vel exercitus poſſet. Balneolum anguſtum, tenebricoſum ex conſuetudine antiqua. non videbatur majoribus noſtris caldum, niſi obſcurum. Magna ergo me voluptas ſubit, contemplantem mores Scipionis ac noſtros. In hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet,

3 *Aut Romæ libertas*] Ita Muretus, ſua non Senecæ mente. Nam libri plerique omnes, *aut Roma in libertate*: quidam, *aut Roma libertati*. quomodo & Otho Friſingenſis legit & transſcripſit lib. 2. cap. 40. Vetera nempe hæc menda ſunt: ego emaculem, *aut Romana libertati*. Aut deſerere Romam Scipio debebat, aut premere ejus (Scipione indignum) libertatem. Quid ita? quia præſens gravis libertati erat, ob opes & gratiam: & ipſe magni animi facta jam ediderat ſupra eam: Livium, Valerium, atque alios vide. Huc faciunt omnino ſequentia. Siquis tamen, cum Othone, *Roma libertati*, volet: ſenſus eſto, Parum tuita Roma libertatem eſſet, illo præſente. *Idem*. Sic ille liber Mureti: at libri veteres: *Roma in libertate*. Ergo Gruterus, *Roma libertati*, quod uno apice minus in uno codice exſtitit. Lipſius, *Romana libertati*. Utrumque non male, ſed plurium librorum ſcripturæ convenientius: *Aut Scipio Romæ deeſſe debuit, aut Romani libertati*. Gronovius.

4 *Ero & argumentum*] Docebo, quam nil niſi æquale & civile poſſis ferre. *Lipſius*.

5 *Liternum recepit*] Quod alias *Linternum*: fuitque juxta Cumas, procul à Baiis octavo lapide. *Idem*.

6 *Tre-*

debet, quod tantum ſemel capta eſt, abluebat corpus laboribus ruſticis feſſum: exercebat enim opere ſe, terramque (ut mos fuit priſcis) ipſe ſubigebat. Sub hoc ille tecto tam ſordido ſtetit, hoc illum pavimentum tam vile ſuſtinuit. At nunc quis eſt, qui ſic lavari ſuſtineat? pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & [6] pretioſis orbibus refulſerunt; niſi [7] Alexandrina marmora [8] Numidicis [9] cruſtis diſtincta ſunt; niſi illis undique operoſa & [10] in picturæ modum variata circumlitio prætexitur; [11] niſi vitro abſconditur camera; [12] niſi Thaſius lapis, quondam rarum in aliquo ſpectaculum templo, piſcinas noſtras circumdedit; in quas [13] multa ſudatione [14] corpora exinanita demittimus; niſi

6 *Pretioſis orbibus*] Nam cruſtas aut ſegmenta marmorum varie figurabant, in orbem, in ovum, in quadram, in quadratam. Ita & Juvenalis *Lacedæmonium orbem* dixit. *Lipſius.*

7 *Alexandrina marmora*] Plura ſane Alexandria & Ægypto advehebantur, *Lucullæum* nigricans, *Ophites* maculans, *Porphyrites* punicans, & hæc ipſa iterum diſtincta: an autem unum aliquod proprie *Alexandrinum* dictum fuerit, ignoro. *Idem.*

8 *Numidicis cruſtis*] Atquin Iſidorus negat *cruſtis aptum.* Nam ita ait: *Numidicum marmor Numidia mittit, ad cutem ſuccum dimittit croco ſimilem, unde & nomen accepit, non cruſtis, ſed in maſſa & liminum uſu aptum.* Ubi quod eſt, *ad cutem*, lege *cotem:* & vult cote attritum, talem ſuccum crocinum emittere. At de *cruſtis*, large fallitur: Plinium vide lib. 35. cap. 1. diſertim contra aſſerentem. Male autem eumdem legit ac transſcripſit lib. 36. c. 6. ubi iſta: *Numidicum marmor non in columnis tantum cruſtiſve, ſed in maſſa ac viliſſimo liminum uſu.* niſi quis emendat (& velim) in Iſidoro: *non cruſtis modo, ſed.* Idem.

9 *Cruſtis diſtincta ſunt*] Sidonius 2. epiſt. 2. negat in ſuo balneolo hæc eſſe. *Non illic Paros, Caryſtos, Phryges, Numida, rupium variatarum poſuere cruſtas.* Varii igitur generis coloriſque cruſtæ parietes diſtinguebant. Adde Plinium, ſodes, 35. cap. 1. & videbis Neroniano ævo hoc tale inventum. *Idem.*

10 *In picturæ modum*] Muſivum opus intellegit, quo ſolent ambire quadras aut orbes, & velut marginare. Ideo addit, *circumlitionem prætexi.* Vera autem etiam pictura in Muſivis, id eſt variæ rerum formæ. *Idem.*

11 *Niſi vitro abſconditur camera*] Plinius 36. *Pulſa ex humo pavimenta in cameras tranſire, è vitro: novitium & hoc inventum.* Statius in ipſo Etruſci balneo:

Effulgent cameræ vario faſtigia vitro.

Reperio &, loco marmoris, vitrum in Bibliothecæ parietibus, apud Boëtium: in domus ipſius, apud Vopiſcum in Firmo. *Idem.*

12 *Niſi Thaſius lapis*] Meminit hujus loci Mercurialis lib. 3. cap. 14. art. gymnaſt. quem videat curioſus lector, ut norit, quomodo in piſcinis, quæ in frigidario thermarum ædificatæ erant, nataretur.

13 *Multa ſudatione exinanita*] Nam poſt ſiccum balneum, ſive Laconicum, quidam in piſcinas, frigidamque deſcendebant. Martialis 6. de Balneo Tuccæ:

Ritus

Digitized by Google

niſi aquam [15] argentea epiſtomia fuderunt. Et adhuc plebeias fiſtulas loquor: quid cum ad balnea libertinorum pervenero? quantum ſtatuarum, quantum columnarum eſt nihil ſuſtinentium, ſed in ornamentum poſitarum, [16] impenſæ cauſſa? quantum [17] aquarum per gradus cum fragore labentium? Eo deliciarum pervenimus, ut [18] niſi gemmas calcare nolimus. In hoc balneo Scipionis minimæ ſunt, rimæ magis quam feneſtræ, muro lapideo exſectæ, ut ſine injuria munimenti, lumen admitterent. At nunc [19] blattaria vocant balnea, ſi qua non ita aptata ſunt, ut [20] totius diei ſolem feneſtris ampliſſimis recipiant; niſi & lavantur ſimul [21] & colorantur; niſi ex ſolio agros & maria proſpiciunt. Itaque quæ concurſum & admirationem habue-

Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine Martiave mergi.

Quomodo autem ibi Virgine, aut Martia? ita, ibi: quia ex Aquæductibus, conceſſu Principum, derivabant. Frontinus dicit, & palam Statius pluſculis verſibus in Balneo Etruſci. *Lipſius.*

14 *Corpora exinanita*] Sic epiſt. 108. *Decoquere corpora, & ſudoribus exinanire.* Tamen meliores libri, *exſaniata*; & alii alludunt: ego etiam adſertum olim ivi Elect. 1. cap. 16. *Idem.*

15 *Argentea epiſtomia*] Proba vox, & obturacula ſignificat, ori vaſorum aut labrorum (ut hic) indita; quibus verſis, liquorem emittant. Libri tamen *epithomica*, aut *epitomia* fere habent: unde Jac. Cujacio placitum, *epitonia* reponere, quæ vox *verticilla* ſignificat; proprie quibus aliquid intenditur, ut chordæ aut fides. Sed de *argento*, etiam Statius in Balneo Etruſci,

Nil ibi plebeium, nuſquam Temeſæa notabis
Æra. ſed argento felix propellitur unda,
Argentoque cadit, labriſque nitentibus inſtat. Idem.

16 *Impenſa cauſſa*] Non in uſum, ſed ut opes oſtentent. Plinius hoc appellat, *lautitiæ cauſſa* 36. cap. 6. *Columnis utebantur* (antiqui) *nec lautitiæ cauſſa ſed quia firmius aliter ſtatui non poterant.* Idem.

17 *Aquarum per gradus*] E labris aut receptaculis, in ſolia inferiora & ſubjecta. *Idem.*

18 *Niſi gemmas calcare*] Tale Statius in Tiburtino Manlii: *Calcabam nec opinus opes.* Plinius 23. cap. 12. oſtendit vulgo etiam *ſtrata argento balnea mulierum* fuiſſe: imo paſſim pavimenta aurata. Seneca de Ira 3. c. 35. *Qui nolunt domi niſi auro pretioſa calcare.* Et epiſtola 16. *Non tantum habere, ſed calcare divitias.* Idem.

19 *Blattaria vocant*] Satis commode quidem. nam id genus lucem fugit, & *tenebroſis balneis gaudet, innaſciturque.* Idem Plinius. *Idem.*

20 *Totius diei ſolem*] Laudat & Lucianus in Balneis τὸ διαυγὲς, *bene luminoſum*: & Martialis, de illo Tuccæ:

Lux ipſa eſt ibi longior, dieſque
Nullo tardior à loco recedit.

Statius, in Etruſci: *Multus ubique dies.* Plinius lib. 1. epiſt. 3. *Balneum plurimus ſol implet, & circumit.* Idem.

21 *Et colorantur*] Solent ſub dio inſolari, poſt unctionem: hic licet & libet in ipſo balneo, ſic aprico. *Idem.*

22 *Cum*

habuerant [22] cum dedicarentur, hæc in antiquorum numerum rejiciuntur, cum aliquid novi luxuria commenta eſt, quo ipſa ſe obrueret. At olim & pauca erant balnea, nec ullo cultu exornata. Cur enim ornaretur [23] res quadrantaria, & in uſum, non oblectamentum, reperta? [24] Non ſuffundebatur aqua, nec recens ſemper [25] velut ex calido fonte currebat, in quam perlucida ſordes deponerent. Sed, dii boni, quam juvabat illa balnea intrare obſcura, & [26] gregali tectorio inducta, quæ ſcires Catonem tibi ædilem, aut Fabium Maximum, aut ex Corneliis aliquem manu ſua temperaſſe? Nam hoc quoque nobiliſſimi [27] ædiles fungebantur officio, intrandi ea loca quæ populum receptabant, exigendique munditias, & utilem ac ſalubrem temperaturam: non hanc, quæ [28] nuper inventa eſt,

22 *Cum dedicarentur*] De publicis balneis accipe. atque ea ſollenniter ſolent uſibus populi dedicari. *Lipſius.*

23 *Res quadrantaria*] Notum eſt, quadrantem mercedulam balneatoris fuiſſe. *Idem.* Vide Alciatum lib. 2. cap. 12. Parerg. Had. Junium cent. 1. adag. 13. 77. Mercurial. lib. 1. c. 10. de arte gymnaſt. Hotomanum lib. de re nummaria cap. de diviſ. aſſis, &c.

24 *Non ſuffundebatur aqua*] A ſervo miniſtro? imo opinor etiam tunc habuiſſe, qui ſubſervirent. An potius è vaſis illis labriſque, non manabat calida aſſidue aqua? nam ſequitur: *Lipſius.*

25 *Velut ex calido fonte*] Quod ad *Dracones*, aut *Milliaria*, in quibus calefiebat aqua, liceat referre, aut ad labra exceptoria, & per epiſtomia, de quibus dictum, effundentia. De Milliariis, vide Quæſt. Nat. 3. c. 24. *Idem.*

26 *Gregali tectorio*] Si rectum eſt, vulgare tectorium è calce explico, non marmore aut cruſtis. Sed meus & alii, *gratali tectorio*; quidam *gretali*: ex quo aliquis, *cretali*. Idem.

27 *Ædiles fungebantur*] Quorum erat loca inſpicere & curare valetudini apta, aut uſibus cottidianis. ut munda ea aptaque eſſent. Sic popinas, ganeas, balneas, & hæc talia tuebantur: quæ Seneca alibi dicit, *loca Ædilem metuentia.* De quibus ego ad Taciti Annal. 2. in fine. Proprie autem de Balneis, noto & in Plutarcho 3. Quæſt. Nat. cap. 10. *Ignis ex olea*, inquit, *inimicus eſt balneis, & tabulata ac fornices ſubditus labefactat. Ideo periti Ædiles non permittunt Balnearum redemptoribus lignis oleaginis uti, ſicut nec lolium conjicere in ignem aut herbas, quod horum vapor gravedines capitis ac vertigines concinnat.* Idem.

28 *Nuper inventa eſt, ſimilis incendio*] De qua & Plutarchus Quæſt. conviv. 8. cap. 9. *Olim*, inquit, *temperies balneorum erat, & remiſſio, adeo ut rex Alexander febricitans jaceret in balneo, & Gallorum conjuges pultis ollas in balnea inferentes, una cum liberis veſcerentur, ibi lavantibus.* Νῦν δὲ λυττῶσιν ἔοικε τὰ βαλανεῖα, ὑλακτοῦσι, καὶ σπαράττουσι. ὁ δὲ ἑλκόμενος ἀὴρ ἐν αὐτοῖς, ὑγροῦ μίγμα καὶ πυρὸς γεγονὼς, οὐδὲν ἐᾷ τοῦ σώματος ἡσυχίαν ἄγειν, ἀλλὰ πᾶσαν ἄτομον κλονεῖ καὶ ταράσσει. καὶ μεθίστησιν ἐξ ἕδρας, ἄχρις οὗ κατασβέσωμεν αὐτοὺς πεπυρωμένους καὶ ζέοντας· *Nunc autem rabidorum, & latrantium, & ſeſe lacerantium, balnea ima-*

Digitized by Google

eſt, ſimilis incendio. adeo quidem ut convictum in aliquo ſcelere ſervum, vivum lavari oporteat. Nihil mihi videtur jam intereſſe, ardeat balneum, an caleat. Quantæ nunc aliqui ruſticitatis damnant Scipionem, quod non in caldarium ſuum [29] latis ſpecularibus diem admiſerat? quod non in multa luce decoquebatur, & exſpectabat, ut in balneo concoqueret? O hominem calamitoſum! neſcit vivere! [30] Non ſaccata aqua lavabatur, ſed ſæpe turbida, & cum plueret vehementius, pene lutulenta. Nec multum ejus intererat, an ſic lavaretur: veniebat enim, ut ſudorem illic ablueret, non ut unguentum. Quas nunc quorumdam futuras voces credis? Non invideo Scipioni: vere in exſilio vixit, qui ſic lavabatur. Imo ſi ſcias, non quotidie lavabatur. Nam, ut aiunt qui priſcos mores urbis tradiderunt, brachia & crura quotidie abluebant, quæ ſcilicet ſordes opere collegerant: ceterum toti [31] nundinis lavabantur. Hoc loco dicet aliquis, [32] liquet mihi immundiſſimos fuiſſe. Quid putas illos oluiſſe? militiam, laborem, virum. Poſtquam munda balnea inventa ſunt, [33] ſpurciores ſunt. Deſcripturus infamem & nimiis notabilem deliciis Horatius Flaccus, quid ait?

PA-

imaginem prabent. Aër vero in iis, mixtus ex humido & igneo, nihil permittit in corpore quieſcere, ſed omnem particulam ejus, & velut atomon, movet ac perturbat, & ſede ſua exagitat, donec reſtinguamus iſtos ita incenſos & ferventes: aqua nempe frigida, & à loco abductos. Puto autem hæc ad Laconica pertinere, ubi cibos decoquebant, & corpus exinanibant: quæ non ſemel tangit noſter. *Lipſius.*

29 *Latis ſpecularibus*] Ita aſſolent, contra ventos objicere ſpecularia (vicem hodie vitrearum) & illos excludere, lucem admittere. Martialis:

Hibernis objecta Notis ſpecularia puros
Admittunt ſoles, & ſine fece diem.
Idem.

30 *Non pacata aqua*] Scripti, *non ſaccata aqua.* & diſcimus igitur, à delicatis aquam etiam, ne turbida interveniret, exceptam ſacco aut centunculo in canalibus eſſe. *Idem.*

31 *Nundinis lavabantur*] Cum in urbem venirent. *Idem.*

32 *Liquet immundiſſimos fuiſſe*] Mss. omnes, inquit Gruterus, interjiciunt pronomen, *liquet mihi immundiſſimos.* Et ſic mavult Seneca. Epiſt. 50. *Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi.* Epiſt. 99. *Liquet enim mihi te loquutum mecum.* Et paſſim. Editiones quoque veteres: *mihi liquet.* Gronovius.

33 *Spurciores ſunt*] Meus & quidam, *puriores ſunt.* quod ſi interrogatione efferς, cur diſpliceat? *Lipſius.*

34 *Pa-*

Digitized by Google

[34] *Paſtillos Ruſillus olet.* ——

Dares nunc Rufillum, perinde eſſet, ac ſi hircum oleret, & Gorgonii loco eſſet, quem idem Horatius Rufillo oppoſuit. Parum eſt ſumere unguentum, ni bis die terque renovetur, ne evaneſcat in corpore. Quid, quod iidem odore tamquam ſuo gloriantur? Hæc ſi tibi nimium triſtia videbuntur, villæ imputabis: in quæ [35] didici ab Ægialo diligentiſſimo patreſamiliæ (is enim nunc hujus agri poſſeſſor eſt) quamvis vetus arbuſtum poſſe transferri. Hoc nobis ſenibus diſcere neceſſarium eſt, quorum nemo non olivetum alteri ponit. [36] Quod vidi illum arborum trimum aut qua-

34 *Paſtillos Ruſillus*] Paſtilli ſunt Græcorum, Φάρμακα οἷς ἀναρπάζουσι τοὺς ἱδρῶτας, πικρὰ τῇ φύσει καὶ στυπτικά: *Medicamenta, quibus ſudores tollunt, amara & aſtringentia.* Plutarchus Quæſtion. Conuival. 1. cap. 6. Utebantur hircoſi. *Lipſius.*

35 *Didici ab Ægialo*] Quem & Plinius memorat inter vineæ nobiles cultores, lib. 14. cap. 4. *Magna fama & Vetuleno Ægialo, perinde libertino, fuit in Campania rure Linternino, majorque etiam favore hominum, quoniam ipſum Africani colebat exſilium.* Vides poſſeſſorem villæ hujus Scipionis fuiſſe. *Idem.*

36 *Quod vidi, hoc dico: illud arboretum*] A Lipſii conjectura hanc accepit lectionem Muretus, adeo ſecuro utroque, ut nec hic, unde ſumſerit, nec ille in notis, olim ita ab ſe conjectum, meminiſſe operæ pretium putaverit. Merito tamen ait Gruterus, facilius hæc ſe legere quam intelligere. Quid enim, quæſo, *arboretum trimum aut quadrimum fructus deponere?* ſi putavit ferre fructus, quid miri? Nec ſic loquuntur veteres, nec id convenit ſententiæ Senecæ, qui de arbuſto transſplantando ſcribit. Certum mihi, ipſum vitium non tetigiſſe virum ſummum, & quod ſanum erat, vitiaſſe. Omnes libri, *arborum.* Sed quod inſuper habuit Lipſius, in quinque Pall. & Heinſ. ms. deſunt, *hoc dico:* deſunt etiam Eraſmicæ primæ editioni: nam quod ſic tamen legiſſe Eraſmum ait Gruterus, poſteriorem videtur deſignare; non illam Frobenianam anni quintidecimi prioris ſeculi. Illa igitur duo verba me auctore fidenter expunge: tum unam literam muta, hoc modo: *Quod vidi illum arborum trimum aut quadrimum faſtidienti fructus autumno deponere.* Præceſſit: *quorum nemo non olivetum alteri ponit.* Sic igitur intellige: *quod* olivetum *arborum trimarum aut quadrimarum vidi illum Ægialum* iterum pangere, transferre & *deponere, faſtidiendi fructus autumno.* Poſt quæ cum interjecto Virgiliano verſu ab inſtituta re paululum averſus fuiſſet, habes inferius: *Ad olivetum revertor, quod vidi duobus modis depoſitum.* Nam ſic quoque legendum eſt, non *diſpoſitum:* cum de plantandi ponendique, non ordinandi, ratione agatur. Virgilius, 2 Georg. *plantas tenero abſcindens de corpore matrum Depoſuit ſulcis.* Columella, 3, 4. *vinea, quæ vel vere vel autumno tempeſtive deponitur.* Ibidem, cap. 18. *Stirps, antequam deponatur.* Mox: *Malleolus qui deponitur.* & ſæpius. Agnoſcis autem illic, perinde ut hic, τὸ *quod vidi* referri ad *olivetum. Trimum* & *quadrimum* ſunt ex illis, quæ veteres contracte pronunciare malebant: ut *amphorum, liberum, oppidum ſeſter-*

Digitized by Google

quadrimum faſtidiendi fructus autumno deponere. te quoque proteget illa, quæ

Tarda venit, ſeris factura nepotibus umbram;

ut ait Virgilius noſter: qui non quid veriſſime, ſed quid decentiſſime diceretur, adſpexit; nec agricolas docere voluit, ſed legentes delectare. Nam (ut omnia alia tranſcam) hoc quod hodie mihi neceſſe fuit reprehendere, adſcribam:

Vere fabis ſatio eſt, tunc te quoque medica putres
Accipiunt ſulci, & milio venit annua cura.

An uno tempore iſta ponenda ſint: & [17] an utriuſque verna ſit ſatio, hinc æſtimes licet. Junius menſis eſt quo tibi ſcribo, jam proclivus in Julium. Eodem die vidi fabam metentes, milium ſerentes. Ad olivetum revertor, quod vidi duobus modis diſpoſitum: Magnarum arborum truncos circumciſis ramis, & ad unum redactis pedem, [18] cum ſcapo ſuo tranſtulit, amputatis radicibus, relicta tantum capite ipſo, ex quo illæ pependerant. [19] Hoc fimo tinctum in

ſeſtertium nummum. Intellige autem trimas & quadrimas, ex quo ſemel à ſeminario tranſlatæ ſunt: nam quæ taleis deſectis ex arbore & depoſitis inſtitutæ ſunt, excultæ quinquennio demum habiles tranſlationi ſunt, teſte Columella, 5, 6. Ubi habes de ulmis, & cap. 9. de oleis, ex ſeminario in aliud, vel ex ſeminario in arbuſtum transferendis: ut & apud Plinium lib. 17. cap. 11. Addit Seneca ipſum etiam arbuſtum poſſe transferri. *Faſtidiendi* omnes mss. Plinius 17, 24. de oleis: *Id riguis magis evenit, etiamſi non cecidere, faſtidiendis.* Gronovius.

37 *An utriuſque verna ſit ſatio*] Calumniatur, an reprehendit, neſcio: illud vereor. Nam milium quidem & Junio ſeritur, ut hic noſter: ſed quid vetat, & vere ſeri, ut Virgilius? Imo Plinius inter ea habet, quæ *trina tempeſtate anni* ſeruntur, Æſtate, Hieme Vere. Vide lib. 18. cap. 7. *Lipſius.*

38 *Cum ſcapo ſuo tranſtulit*] Priſci libri, *cum rapo ſuo*, aut *rapto*, aut ut meus, *rapto*. Cujacius probat *rapum*, & ita appellari ipſum caput, quia ea ſit forma. Mihi, *ſcapo*, placebat. *Idem.*

39 *Hoc fimo tinctum*] Etſi ſileant manuſcripti, vix tamen dubito, quin ſcribendum ſit, *tactum*. Ut reſtituimus etiam apud Palladium: *Fimo bubulo ima planta tangenda eſt.* Plinius lib. 19, 10. *Sunt, qui ſanguineis virgis tangant ea, quæ nolunt his obnoxia eſſe.* Lib. 20, 1. *Tradunt, hoc ſucco tactu radicibus vitium, non attingi uvas ab avibus.* Lib. 28, 4. *Si ſuperior palpebra ſaliva tangatur.* Seneca lib. 3 Nat. Quæſt. 7. *Quomodo poteſt ergo imber ſuggerere amnibus vires qui ſummam humum tangit?* Ovidius, 4 Faſtorum:

Junxerunt elementa patres, aptumque putarunt
Ignibus & ſparſa tangere corpus aqua.

Ita legimus ex quatuor mss. vulgo *tingere*. Rem, de qua hic Seneca, illuſtrat Columella, 5, 6. de ulmariis, *radices oblitas fimo bubulo ſcrobiculis deponi, & diligenter circumculcari.* Plinius, 17, 11.

in ſcrobem demiſit: deinde terram non aggeſſit t
ſed calcavit & preſſit. Negat quidquam eſſe [40] hac
ſpiſſatione efficacius. videlicet frigus excludit & v
minus præterea movetur: & ab hoc naſcentes radice
ire patitur, ac ſolum apprehendere, quas neceſſe eſt
adhuc, & precario hærentes, levis quoque revella
tatio. parum autem arboris, [41] antequam obruat
ex omni enim materia quæ nudata eſt, ut ait, exeu
ces novæ. Non plures autem ſuper terram eminer
truncus, quam tres aut quatuor pedes: ſtatim enim
veſtietur: nec magna pars, quemadmodum in oliv
teribus, arida & retorrida erit. Alter ponendi mo
fuit. Ramos fortes, nec corticis duri, quales eſſe
rum arborum ſolent, eodem genere depoſuit. H
tardius ſurgunt: ſed cum tamquam à planta proc
nihil habent in ſe aut horridum, aut triſte. Illu
nunc vidi, vitem ex arbuſto ſuo annoſam transferri
capillamenta quoque (ſi fieri poteſt) colligenda ſun
de liberalius ſternenda vitis, ut etiam ex corpore ra
Et vidi non tantum menſe Februario poſitas, ſe
Martio exacto tenent & complexæ ſunt non ſuas
omnes autem iſtas arbores, quæ (ut ita dicam) [42]
ſcapiæ ſunt, ait aqua adjuvandas ciſternina: quæ ſi
habemus pluviam in noſtra poteſtate. Plura te do
cogito: ne quemadmodum Ægialus noſter [43] me
verſarium paravit, ſic ego parem te mihi.

E

17, 11. *plagam quoque à trunco oblini ſimo.* Agnoſcis etiam in verbis Columellæ, quam dicit Seneca *ſpiſſationem.* Apage *piſationem* Mureti. Plinius eodem verbo utitur dicto loco: *ſicuti terram circa radices feſtucato ſpiſſandam.* Cato dixerat: *deinde calcato pedibus bene, deinde feſtucis vectibusque calcato quam optime poteris.* Tarviſina quoque & Veneta: *ſpiſſatione.* Gronovius.

40 *Hac, ut ait, ſpiſſatione*] Ita aliquot ſcripti: Muretus tamen & adſe-
clæ, *piſatione:* quaſi *pinſat*
miror. Non enim ἀναλέγα
pinſere. Vulgata quid clariu

41 *Antequam obruat, ra*
nus correxit, cum antea *r*
tur: placet vel invitis libris

42 *Grandiſcapiæ ſunt*]
bo. μακρόχαυλοι & vel hin
bes, de *ſcapo. Idem.*

43 *Me ſibi adverſarium*]
induſtriæ, & vel ſuperare
Idem.

Epist. LXXXVII.

Frugalitas Senecæ, & externorum contemptus: admonitio ad alios, ut ſic velint, faciantque. Diſſertatiunculæ deinde, quibus approbat Fortuita in bonis non eſſe: dumtaxat Commoda dici poſſe.

NAufragium antequam navem aſcenderem, feci: quomodo acciderit, non adjicio, [1] ne & hoc putes inter Stoica paradoxa ponendum: quorum [2] nullum eſſe falſum, nec tam mirabile quam prima facie videtur, cum volueris approbabo, imo etiam ſi nolueris. Interim hoc me iter docuit, quam multa haberemus ſupervacua, & quam facile judicio poſſemus deponere, quæ ſi quando neceſſitas abſtulit, non ſentimus ablata. Cum pauciſſimis ſervis, quos unum capere vehiculum potuit, ſine ullis rebus, niſi quæ corpore noſtro continebantur, [3] ego & Maximus meus biduum jam beatiſſimum agimus. Culcita in terra jacet, ego in culcita. Ex duabus penulis, altera ſtragulum, altera opertorium facta eſt. De prandio nihil detrahi potuit. [4] paratum fuit non magis hora, [5] nuſquam ſine caricis, nuſquam ſine pugillaribus. Illæ, ſi panem habeo, pro pulmentario ſunt:

Epist. LXXXVII. 1 *Ne & hoc putes*] Fallor, aut aſſerendo legendum: *ut & hoc.* Nam ita nude poſitum, Paradoxum eſt: ſi explicaret, deſinat. *Lipſius.*

2 *Nullum eſſe falſum*] Sunt enim, ut Cleanthes aiebat, παράδοξα μὲν, οὐ μὴν παράλογα: *præter opinionem, non præter verum.* Epictetus, 4. Diſſert. 1. Vide me in Manud. 3. Diſſert. 2. *Idem.*

3 *Ego & Maximus meus*] Eſt ille Cæſonius Maximus, inter intimos & fidos ejus amicos: de quo Tacitus, & Martialis. Notavi ad Taciti Annalem 15 in fine, & locum hunc ibi adde. *Idem.*

4 *Paratum fuit non magis hora*] Meus, & quidam, *parentium fuit.* Hæreo in his vocibus, & tota clauſula. quid eſt, *non magis hora?* Imo nullo parato opus, ſi panis tantum & caricæ. Muretus ait legi alibi, *paratum ſine magis hira.* unde eruit, *ſine magiro:* quod Græce eſſet ſine coquo. Neſcio. nihil tale in noſtris libris. *Idem.*

5 *Nuſquam ſine caricis*] Meus nunc & ſtatim, *numquam.* De *Caricis* autem (ex ficus aridæ ſunt, à *Caria*, unde frequentes; ut *Caunea*, à Cauno:) de Caricis, inquam, certum hæc talia, ficus, paſſulas, palmulas in prandium ſive guſtum olim fuiſſe. Ita Auguſtus ad Tiberium: *Nos in eſſedo palmulas guſtavimus.* Idem.

ſunt: [6] ſi non, pro pane. [7] quotidie mihi annum
faciunt, quem ego fauſtum & felicem reddo bonis
tionibus, & animi magnitudine: qui numquam ma
quam ubi aliena ſepoſuit: & fecit ſibi pacem, nihil
do: fecit ſibi divitias, nihil concupiſcendo. Veh
in quod impoſitus ſum, ruſticum eſt. [8] Mulæ vi
ambulando teſtantur, mulio [9] excalceatus non propt
tem. Vix à me obtineo, ut hoc vehiculum velim
meum. Durat adhuc perverſa recti verecundia. qu
aliquem comitatum lautiorem incidimus, invitus er
quod argumentum eſt, iſta, quæ probo, quæ laudo,
dum habere certam fidem & immobilem. Qui ſord
hiculo erubeſcit, pretioſo gloriatur. Parum adhuc

6 *Si non, pro pane*] Plinius 15. c. 19. *Ficus panis ſimul & obſonii vicem ſiccata implent. utpote cum Cato, cibaria ruris operariis juſta lege ſanciens, minui jubeat, per fici maturitatem.* Lipſius.

7 *Cottidie mihi annum novum*] Hæc enim dulcia anno novo, quaſi omen, dare & mittere invicem ſolebant, talis futuri anni. Ovidius 1 Faſtor.

Quid vult palma ſibi, rugoſaque carica, dixi,
Et data ſub niveo condita mella cado?
Omen, ait, cauſſa eſt: ut res ſapor ille ſequatur,
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.

Et *caricas* igitur, & *cariotas* ſive palmulas (*palmas* poëta dicit) tunc ſolent datare. Martialis:

Aurea porrigitur Jani cariota kalendis.

Idem.

8 *Mulæ vivere ſe ambulando teſtantur*] Mularum mulorumque in vehiculis uſus, etiam heroïcis temporibus apud Homerum. In pretio erant. Plautus:

Ego faxim muli pretio qui ſuperant equos,
Sint viliores Gallicis canteriis.

Et præſertim *mulæ Galaticæ*, ex Plutarchi περὶ φιλοπλουτίας. Per viam etiam illarum creber uſus. Auſonius:

Cornipedes rapiant impoſita p
la.

Nunc ait noſter, macras ſe h
quas motus indicaret viver
divitum morem, quibus in
ſaginata, unius omnes coloris
epiſtola ſtatim, & Conſol
cap. 11. *Idem.* Non om
intelligere. Perinde eſt, qua
vix viva: niſi ambularent
deres vivere: ita macie ſu
Et reſpicit illo, quod maci
mines *male vivos* & *vix v*
bant. Lucretius: *Vivere m*
macie. Ovidius, ut eſt in
bris: *macie quæ male viva ſu*
primus obſervavit Salmaſiu

9 *Excalceatus non propte*
Sed egeſtatem. *Lipſius.*

10 *Nondum habere certa*
immobilem] Quatuor Pall.
netaque editiones cum F
margine: *certam fidem.* ho
dum mihi à me ipſo eſſe pl
ſa, nondum apud me in
iiſſe. Et verius eſt vel ob i
ties uſurpat *bona fide:* cuju
aliquanta collegit P. Faber
meſtr. 24. neque aliter v
Veneta ante Eraſmum &
margo. *Gronovius.*

nondum audeo frugalitatem palam ferre, etiam nunc curo opiniones viatorum. Contra totius generis humani opiniones mittenda vox erat: Inſanitis, erratis, ſtupetis ad ſupervacua, neminem æſtimatis ſuo. Cum ad patrimonium ventum eſt, diligentiſſimi computatores, ſic rationem ponitis ſingulorum, quibus aut pecuniam credituri eſtis, aut beneficia: (nam hæc quoque jam expenſa fertis.) [11] late poſſidet, ſed multum debet: habet domum formoſam, ſed alienis nummis paratam: familiam nemo cito ſpecioſiorem producet, ſed nominibus non reſpondet. Si creditoribus ſolverit, nihil illi ſupererit. Idem in reliquis quoque facere debebatis, excutere quantum proprii quiſque habeat. Divitem illum putas, quia aurea ſupellex etiam in via eum ſequitur, quia in omnibus provinciis arat, quia [12] magnus kalendarii liber volvitur, quia tantum ſuburbani agri poſſidet, quantum invidioſe in deſertis Apuliæ poſſideret: cum omnia dixeris, pauper eſt. quare? quia debet. quantum? inquis. omnia: niſi forte judices intereſſe, utrum aliquis ab homine, an à fortuna mutuum ſumpſerit. Quid ad rem pertinent mulæ ſaginatæ, unius omnes coloris? Quid iſta vehicula cælata?

—— inſtrati oſtro alipedes, pictiſque tapetis.
Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.
Tecti auro, fulvum mandunt ſub dentibus aurum.

Iſta nec dominum meliorem poſſunt facere, nec mulam. M. Cato Cenſorius ([13] quem tam reip. hercule profuit naſci

11 *Late poſſidet*] De his & ſeqq. Briſſonius lib. 6. de Form. Nomina etiam facturum Atticum, quærere ſolitum *quoto anno, & quantum in ſolo*, Cicero ex quorundam ſententia Epiſt. 9. lib. 9. ad Atticum ſcribit.

12 *Magnus kalendarii liber volvitur*] Id eſt, fænebris pecuniæ liber. nam kalendis uſuræ cedebant, & petebantur. Itaque nomina, & pecunia, per kalendas, in tali codice ſcribebantur. de quo Martialis:

Superba denſis arca palleat nummis,
Centum explicentur paginæ kalendarum.

Sæpe noſter, & Juriſconſulti. *Lipſius.*

13 *Quem tam reip. hercule profuit naſci*] Mire vexatus locus. Veneta & Tarviſ. *quem tam neceſſarium R. P. fuit naſci.* Eraſmus: *quem tam neceſſarium Romano populo hercule profuit naſci.* Muretus: *quem tam Romano populo hercle profuit naſci.* Gruterus & Opſopœus: *quem tam è Republica fuit naſci.* Sed vera lectio eſt, quam è ſuis notavit Pincianus,

naſci quam Scipionem: alter enim cum hoſtibus noſtris bellum, alter cum moribus geſſit) [14] canterio vehebatur, & [15] hippoperis quidem impoſitis, ut ſecum utilia portaret. O quam cuperem illi nunc occurrere [16] aliquem ex his troſſulis in [17] via divitibus, [18] curſores & Numidas, & multum ante ſe pulveris agentem! Hic ſine dubio cultior comitatiorque quam M. Cato videretur: hic, inter illos apparatus delicatos qui cummaxime dubitat, [19] utrum ſe ad gladium locet, an ad cultrum. O quantum erat ſæculi decus, imperatorem triumphalem, cenſorium (& quod ſuper omnia hæc eſt) Catonem, uno caballo eſſe contentum, & ne toto quidem! Partem enim ſarcinæ, ab utroque latere dependentes, occupabant. Ita non omnibus [20] obeſis mannis, & [21] aſturconibus, & tollutariis præferres unicum illum equum, ab ipſo Catone defrictum? Video non futurum finem in iſta materia ullum, niſi quem mihi ipſe fecero. Hic itaque conticeſcam, quantum ad iſta: quæ ſine dubio talia divinavit futura, qualia nunc ſunt, qui primus appellavit

cianus, & adfirmant tres Pall. cum aliquot Gall. & nos in Heinſi. nis & Erfurtenſibus membranis invenimus: *quem tam reipublicæ fuit naſci.* Jam diximus phraſin hanc Senecæ eſſe: *Fuit naſci:* pro, fuit operæ pretium naſci, interfuit aut ex uſu fuit naſci: & de eo latius alibi. *Gronovius.*

14 *Canterio*] Equo ſecto. *Lipſius.*

15 *Hippoperis quidem*] Horatius manticam appellat:

—— nunc mihi curto Ire licet mulo.
Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos. Idem.

16 *Aliquem ex his troſſulis*] Supra, epiſt. 76. *Idem.* Arguit hic eorum ambitionem, quibus non ſatis erat in urbe & conſpectu populi oſtentare opes, niſi inſuper peregrinantes, omnium eas etiam ingererent oculis, & huc facit quod præceſſit: *Divitem illum putas, quia aurea ſupellex etiam in via eum ſequitur.*

17 *In via divitibus*] Qui & in via divitias ſuas explicant. tales videri volunt. *Lipſius.*

18 *Curſores & Numidas*] Epiſt. 123. *Omnes jam ſic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, agmen curſorum antecedat.* Vide. *Idem.*

19 *Utrum ſe ad gladium locet*] Iſte quidem dives apparet, ſed ære alieno obrutus deliberat, utrum auctoret ſe & faciat gladiatorem, an beſtiarium. Mos peſſimi ævi, ut honeſte nati arenæ operas locarent, grandi pretio. Itaque iſte deſperabundus hoc agitat. Gladius, gladiatorum eſt; culter, venatorum. Vide me Saturn. 2. cap. 3. *Idem.*

20 *Obeſis mannis*] Buricis, ſive burdonibus, parvis equis. Gallica vetus vox eſt. *Idem.*

21 *Aſturconibus*] Martialis:

Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus Aſtur equus.
Idem.

lavit impedimenta. Nunc volo pauciſſimas adhuc interrogationes noſtrorum tibi reddere, ad virtutem pertinentes, quam ſatisfacere vitæ beatæ contendimus. Quod bonum eſt, bonos facit: nam & in arte muſica quod bonum eſt, facit muſicum. fortuita bonum non faciunt: ergo non ſunt bona. Adverſus hoc ſic reſpondent Peripatetici, ut quod primum proponimus, falſum eſſe dicant. Ab eo, inquiunt, quod eſt bonum, non utique fiunt boni. In muſica eſt aliquod bonum, tanquam tibia, aut chorda, aut organum aliquod aptatum ad uſus canendi: nihil tamen horum facit muſicum. Hic reſpondebimus. Non intelligitis, quomodo poſuerimus, quod bonum eſt muſico. Non enim id dicimus, quod inſtruit muſicum, ſed quod facit: tu ad ſupellectilem artis, non ad artem venis. Si quid autem in ipſa arte muſica bonum eſt, id utique muſicum faciet. Etiamnum facere id planius volo. Bonum in arte muſica duobus modis dicitur: altero, quo effectus muſici adjuvatur: altero, quo ars. Ad effectum pertinent inſtrumenta, tibiæ, & organa, & chordæ: ad artem ipſam non pertinent. Eſt enim artifex etiam ſine iſtis: uti forſitan non poteſt arte. Hoc non eſt æque duplex in homine. idem enim bonum & hominis, & vitæ. Quod contemptiſſimo cuique contingere ac turpiſſimo poteſt, bonum non eſt: opes autem & lenoni, & laniſtæ contingunt: ergo non ſunt bona. Falſum eſt, inquiunt, quod proponitur. Nam & in grammatica, & in arte medendi, aut gubernandi, videmus bona humillimis quibuſque contingere. Sed iſtæ artes non ſunt magnitudinem animi profeſſæ, non conſurgunt in altum, nec fortuita faſtidiunt. Virtus extollit hominem, & ſupra cara mortalibus collocat: nec ea quæ bona, nec ea quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expaveſcit. Chelidon, unus ex [22] Cleopatræ mollibus, patri-

22 *Ex Cleopatræ mollibus*] Sunt effœminati, eunuchi, id genus. Livius 33. *Proſequentibus mollibus viris, qui joci cauſſa convivio interfuerant.* Paullo poſt eoſdem *ſemiviros*, & *obſcœnos* vocat. Nonius Marcellus: *Multas vete-*

 tes.

patrimonium grande poſſedit. [23] Nuper Natalis, tam improbæ linguæ quam impuræ, [24] in cujus ore feminæ purgabantur, & multorum heres fuit, & multos habuit heredes. Quid ergo? utrum illum pecunia purum effecit, an ipſe pecuniam impuravit? quæ ſic in quoſdam homines, quomodo denarius in cloacam cadit. Virtus ſuper iſta conſiſtit, [25] ſuo ære cenſetur: nihil ex iſtis [26] quolibet incurrentibus bonum judicat. Medicina, & gubernatio, non interdicit [27] ſibi ac ſuis admirationem talium rerum. Qui non eſt vir bonus, poteſt nihilominus medicus eſſe: poteſt gubernator, poteſt grammaticus, tam mehercules quam coquus. Cui contigit habere non quælibet, hunc non quemlibet dixeris. Qualia quiſque habet, talis eſt. Fiſcus tanti eſt, quantum habet: imo [28] in acceſſionem ejus venit quod habet. Quis pleno ſacculo ullum pretium ponit, niſi quod pecuniæ in eo conditæ numerus efficit? Idem evenit magnorum dominis patrimoniorum: acceſſiones illorum & appendices ſunt. Quare ergo ſapiens magnus eſt? quia magnum animum habet. Verum eſt ergo, quod contemptiſſimo cuique contingit, bonum non eſſe. Itaque indolentiam nunquam bonam dicam. habet illam cicada, habet pulex.

res molles appellari voluerunt, quasi μαλακάς. Lucilius: *Inſanum vocant* (puto, *Infamem*) *quem maltam ac fœminam dici videt.* Etiam *mollities*, ipſa illa θηλεῖα νόσος. Lipſius.

23 *Nuper Natalis*] Non ille Antonius Natalis, qui in Piſoniana conjuratione, Senecam ipſum accuſavit (in Taciti 15 Annali): Nam ait, *nuper* fuiſſe: ergo jam obierat. Quis ſcit, an pater hujus? *Idem.*

24 *In cujus ore fœminæ*] Fuit quod ille Scaurus, Ligur. De Benefic. 4. c. 31. *Idem.*

25 *Suo ære cenſetur*] Proprio, non adventicio bono. *Idem.*

26 *Quomodo libet incurrentibus*] Magis probo, *quolibet*: quod ſcripti quidam. *Idem.*

27 *Sibi ac ſuis admirationem talium rerum*] In Pal. tert. fuiſſe *adminiſtrationem* obſervat Gruterus. Sed neutra vox hic habet locum. Scribe: *non interdicit ſibi ac ſuis admixtionem talium rerum.* Virtus non permiſcet ſibi nec in ſuo ære cenſet illa quolibet incurrentia: medicina permiſcet. Solenni mutatione τῶν X & A, de qua alibi ſcriptum fuit, *admiationem*: inde fecerunt vulgatum, cum deberent *admixtionem.* Varro de re ruſt. 1, 9. *cum in hac ſpecies non minus ſint multa quam in illa communi, propter admixtiones.* Gronovius.

28 *In acceſſionem ejus venit*] Intellige. ipſe fiſcus, ſive ſportula pecuniaria, accedit pecuniæ. Nihil eſt, ſine ea. *Lipſius.*

29 Qua

Digitized by Google

pulex. Ne quietem quidem, & moleſtia vacare, bonum dicam. quod eſt otioſius verme? Quæris, quæ res ſapientem faciat? [29] quæ Deum. Des oportet illi aliquid divinum, aliquid cæleſte, magnificum. Non in omnes bonum cadit, nec quemlibet poſſeſſorem patitur. Vide,

Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet,
Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina. nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua tura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum. ——

Iſta in regiones deſcripta ſunt, ut neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos commercium, ſi invicem alius ab alio aliquid peteret. Summum illud bonum, & ipſum ſuam habet ſedem: non naſcitur ubi ebur, nec ubi ferrum. Quis ſit ſummi boni locus, quæris? animus. hic niſi purus ac ſanctus eſt, Deum non capit. Bonum ex malo non fit: fiunt autem ex avaritia divitiæ: ergo non ſunt bonum. Non eſt, inquit, verum, bonum ex malo non naſci. Ex ſacrilegio enim & furto pecunia naſcitur. itaque malum quidem eſt ſacrilegium & furtum: ſed ideo, quia plura mala facit, quam bona. Dat enim lucrum, ſed cum metu, ſollicitudine, tormentis & corporis & animi. Quiſquis hoc dicit, neceſſe eſt recipiat, ſacrilegium ſicut malum ſit, quia multa mala facit, ita bonum quoque ex aliqua parte eſſe, quia aliquid boni facit: quo quid fieri portentoſius poteſt? [30] Quamquam ſacrilegium, furtum, & adulterium inter bona haberi, prorſus perſuaſimus. Quam multi furto non erubeſcunt, quam multi adulterio gloriantur? nam [31] ſacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur. Adjice

29 *Quæ Deum*] Perfecta ratio: quæ pars in nobis eſt Communis illius Rationis, id eſt Dei. Tamen in meo, & quibuſdam: *quæ ceteri:* in uno, *quæ Deum ceteri.* Quid hoc ſit, non pervado. *Lipſius.*

30 *Quamquam ſacrilegium*] Gruteri eſt emendatio, & certa. *Idem.*

31 *Sacrilegia minuta*] Tale quiſpiam: *Parvos fures in compedibus, magnos in purpura ſpectari.* Idem.

Adjice nunc, quod ſacrilegium, ſi omnino ex aliqua parte bonum eſt, etiam honeſtum erit, & recte factum vocabitur: noſtra enim actio eſt: quod nullius mortalium cogitatio recipit. ergo bona naſci ex malo non poſſunt. Nam ſi, ut dicitis, ob hoc unum, ſacrilegium malum eſt, quia multum mali adfert: ſi remiſeris illi ſupplicia, ſi ſecuritatem ſpoponderis, ex toto bonum erit. Atqui maximum ſcelerum ſupplicium, in ipſis eſt. Erras, inquam, ſi illa ad carnificem aut ad carcerem differs. ſtatim puniuntur cum facta ſunt, imo dum fiunt. Non naſcitur itaque ex malo bonum, non magis quam ficus ex olea. ad ſemen nata reſpondent: bona degenerare non poſſunt. Quemadmodum ex turpi honeſtum non naſcitur, ita ne ex malo quidem bonum: nam idem eſt honeſtum & bonum. Quidam ex noſtris adverſus hoc ſic reſpondent: putemus pecuniam bonum eſſe undecumque ſumptam, non tamen ideo ex ſacrilegio pecunia eſt, etiamſi ex ſacrilego ſumitur. Hoc ſic intellige. In eadem urna & aurum eſt, & vipera. Si aurum ex urna ſuſtuleris, quia illic & vipera eſt, non ideo mihi urna aurum dat, quia viperam habet, ſed aurum dat, cum & viperam habeat. Eodem modo ex ſacrilegio lucrum fit: non qua turpe & ſceleratum eſt ſacrilegium, ſed qua lucrum habet. quemadmodum in illa urna vipera malum eſt, non aurum quod cum vipera jacet: ſic in ſacrilegio malum eſt ſcelus, non lucrum. Quibus opponitur: Diſſimillima utriuſque rei conditio eſt. Illic aurum poſſum ſine vipera tollere: hic lucrum ſine ſacrilegio facere non poſſum. lucrum iſtud non eſt appoſitum ſceleri, ſed immixtum. Quod dum conſequi volumus, in multa mala incidimus, id bonum non eſt: dum divitias conſequi volumus, in multa mala incidimus: ergo divitiæ bonum non ſunt. Duas, inquit, ſignificationes habet propoſitio veſtra. unam, dum divitias conſequi volumus, in multa nos mala incidere: in multa autem mala incidimus, & dum virtutem conſequi volumus. Aliquis, dum navigat ſtudii cauſſa,

nau-

Digitized by

naufragium fecit: aliquis captus eſt. Altera ſignificatio talis eſt. Per quod in mala incidimus, id bonum non eſt. Huic propoſitioni non erit conſequens, per divitias nos, aut per voluptates in mala incidere: aut ſi per divitias in multa mala incidimus, non tantum bonum divitiæ non ſunt, ſed malum ſunt. Vos autem illas dicitis tantum, bonum non eſſe. Præterea, inquit, conceditis divitias habere aliquid uſus: [32] inter commoda illas numeratis. Atqui eadem ratione ne commodum quidem erunt: per illas enim multa nobis incommoda eveniunt. His quidam hoc reſpondent: Erratis, qui incommoda divitiis imputatis. Illæ neminem lædunt. aut ſua cuique nocet ſtultitia, aut aliena nequitia: ſic, quemadmodum gladius, qui neminem occidit, occidentis telum eſt. Non ideo divitiæ tibi nocent, ſi propter divitias tibi nocetur. Poſidonius (ut ego exiſtimo) melius: qui ait divitias eſſe cauſſam malorum, non quia ipſæ faciant aliquid, ſed quia [33] facturos irritant. Alia eſt enim cauſſa efficiens, quæ protinus neceſſe eſt noceat: alia præcedens. hanc præcedentem cauſſam divitiæ habent. Inflant animos, ſuperbiam pariunt, invidiam contrahunt, & uſque eo mentem alienant, ut fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet. Bona autem omni carere culpa decet. pura ſunt, non corrumpunt animos, non ſolicitant: extollunt quidem & dilatant, ſed ſine tumore. Quæ bona ſunt, fiduciam faciunt: divitiæ audaciam. Quæ bona ſunt, magnitudinem animi dant: divitiæ inſolentiam. Nihil autem aliud eſt inſolentia, quam ſpecies magnitudinis falſa. Iſto modo, inquis, etiam malum ſunt divitiæ, non tantum bonum

32 *Inter commoda illas*] Stoïcorum εὔχρηστα. Vide Manud. 2. Diſſ. 22. *Lipſ.*

33 *Facturos irritant*] Pro tota hac re pulchra, & ſimilia, in Sophoclis Antigona, de Argento:

Τὸ δ' ἐκδιδάσκει καὶ παραλλάσσει φρένας
Χρηστὰς πρὸς αἰσχρὰ πράγματ' ἵστασθαι
βροτῶν,
Πανουργίας δ' ἔδειξεν ἀνθρώποις ἔχειν,
Καὶ παντὸς ἔργου δυσσέβειαν εἰδέναι·

Hoc illud eſt, quod mutat & mentes docet
Ad fœda rerum & prava ſe convertere:
Fraudes doloſque ſuggerit mortalibus,
Et improbos, ſimulque & impios, facit.
Idem.

EPIST.

num non ſunt. Eſſent malum, ſi per ſe nocerent, ſi haberent efficientem cauſſam: nunc præcedentem & quidem non irritantem tantum animos, ſed attra Speciem enim boni oſtendunt veriſimilem, ac credibilem. Habet virtus quoque præcedentem ad invidiam: multis enim propter ſapientiam, mu pter juſtitiam invidetur: ſed nec ex ſe hanc cauſſar nec veriſimilem. Contra enim veriſimilior illa ſp minum animis objicitur à virtute, quæ illos rem & admirationem vocet. Poſidonius ſic inte dum ait: Quæ neque magnitudinem animo da fiduciam, nec ſecuritatem, non ſunt bona: div tem, & bona valetudo, & ſimilia his, nihil ho ciunt: ergo non ſunt bona. Hanc interrogation gis etiamnum hoc modo intendit. Quæ neque tudinem animo dant, nec fiduciam, nec ſecur contra autem inſolentiam, timorem, arrogantiam mala ſunt: à fortuitis autem in hæc impellimur non ſunt bona. Hac, inquit, ratione ne commo dem iſta erunt. Alia eſt commodorum conditio, norum. Commodum eſt, quod plus uſus habet, moleſtiæ: bonum, ſincerum eſſe debet, & ab parte innoxium. Non eſt id bonum, quod plus p ſed quod tantum prodeſt. Propterea commodum animalia pertinet, & ad imperfectos homines, & tos. Itaque poteſt ei eſſe incommodum mixtum: ſe modum dicitur, à majore ſua parte æſtimatum. ad unum ſapientem pertinet, inviolatum eſſe oportet num animum habe. unus tibi nodus, ſed Hercul reſtat. Ex malis bonum non fit: ex multis paup bus divitiæ fiunt: ergo divitiæ bonum non ſunt. interrogationem noſtri non agnoſcunt. Peripatetici gunt illam, & ſolvunt. Ait autem Poſidonius, h phiſma per omnes dialecticorum ſcholas jactatum, Antipatro refelli. Paupertas non per poſitionem, ſ

Digitized by Google

detractionem dicitur, vel (ut antiqui dixerunt) per orbationem: Græci dicunt κτ̔ ςέρησιν. non quod habeat, dicitur, ſed quod non habeat. Itaque ex multis inanibus nihil impleri poteſt: divitias multæ res faciunt, non multæ inopiæ. Aliter quam debes, paupertatem intelligis. Paupertas eſt, non quæ pauca poſſidet, ſed quæ multa non poſſidet. Ita non ab eo dicitur quod habet, ſed ab eo quod ei deeſt. Facilius quod volo exprimerem, ſi Latinum verbum eſſet, quo ἀνυπαρξία ſignificatur. Hanc paupertati Antipater aſſignat. Ego non video quid aliud ſit paupertas, quam parvi poſſeſſio. De iſto videbimus, ſi quandò valde vacabit, quæ ſit divitiarum, quæ paupertatis ſubſtantia: ſed tunc quoque conſiderabimus, nunquid ſatius ſit paupertatem permulcere, divitiis demere ſupercilium, quam litigare de verbis, quaſi jam de rebus judicatum ſit. Putemus nos ad concionem vocatos. Lex de abolendis divitiis fertur: his interrogationibus ſuaſuri aut diſſuaſuri ſumus? his effecturi, ut populus Romanus paupertatem, fundamentum & cauſſam imperii ſui, requirat ac laudet? divitias autem ſuas timeat? ut cogitet has ſe apud victos reperiſſe? Hinc ambitum, & largitiones, & tumultus, in urbem ſanctiſſimam temperantiſſimamque irrupiſſe? nimis luxurioſe oſtentari gentium ſpolia? quod unus populus eripuerit omnibus, facilius uni ab omnibus eripi poſſe? Hæc ſatius eſt ſuadere, & expugnare affectus, non circumſcribere. Si poſſumus, fortius loquamur: ſi minus, apertius.

EPIST. LXXXVIII.

Liberalia ſtudia in bonis non eſſe, nec ad Virtutem per ſe ducere. Singillatim hoc docet, in Grammatica, Muſica, Geometria, Aſtronomia. Et ſi tamen non ducunt, conducunt: id eſt, juvant & præparant. Tum diviſio alia Artium, in Vulgares, Ludicras, Pueriles, Liberales: & in iſtis, ſolam Philoſophiam eſſe, quæ vere liberum facit. Sola etiam de Bonis Maliſque indagat,

dagat, ſola noſcit. Sola igitur colenda, aut præcipue eſt: & oſtendit, quam inutilia aut ſuperflua Philologi ſectentur, quidam etiam Philoſophi. O bona hic, ô aurea! Legite juvenes, ſeneſque.

[1] DE liberalibus ſtudiis quid ſentiam, ſcire deſideras. [2] Nullum ſuſpicio, nullum in bonis numero, [3] quod ad æs exit. Meritoria artificia ſunt, hactenus utilia, ſi præparant ingenium, non detinent. Tamdiu enim iſtis immorandum eſt, quamdiu nihil animus agere majus poteſt. rudimenta ſunt noſtra, non opera. Quare liberalia ſtudia dicta ſint vides, quia homine libero digna ſunt. Ceterum [4] unum ſtudium vere liberale eſt, quod liberum facit, hoc ſapientiæ, ſublime, forte, magnanimum: cetera puſilla & puerilia ſunt. An tu quidquam in iſtis eſſe credis boni, quorum profeſſores turpiſſimos omnium ac flagitioſiſſimos cernis? Non diſcere debemus iſta, ſed didiciſſe. Quidam illud de liberalibus ſtudiis quærendum judicaverunt, an virum bonum facerent. Ne promittunt quidem, nec hujus rei ſcientiam affectant. Grammaticus circa curam ſermonis verſatur, & ſi latius evagari vult, circa hiſtorias. Jam ut longiſſime fines ſuos proferat, circa carmina. Quid horum ad virtutem viam ſternit? Syllabarum enarratio, & verborum diligentia, & fabularum memoria, & verſuum lex

EPIST. LXXXVIII. 1 *De liberalibus ſtudiis*] In pleriſque priſcis ſcorſim, quaſi liber, ſcribitur, inſcribiturque: *L. Annæi Senecæ liber de ſeptem artibus liberalibus.* Ita & in meo, locaturque poſt epiſtolas, & libellum De remediis fortuitorum. Mihi tamen Epiſtola videtur: & plures tales longæ ſunt, an longiores. *Lipſius.*

2 *Nullum ſuſpicio*] Ut Stoicus loquitur. nam & Zeno (quod objectum a multis) *τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν ἄχρηστον ἀποφαίνει, ἐν ἀρχῇ τῆς πολιτείας· liberalem doctrinam inutilem declarat, initio ſua Republica.* Hæc talia, uti temperanda, & dextre capienda ſint, dixi 1 Manud. Diſſert. 1. & 2. *Idem.*

3 *Quod ad æs exit*] Scripti, *ad es exit;* quidam, *adhæſit.* Haud valde à vulgato, id eſt vero abeunt: & miror viros doctos ſic damnare. Equidem vel teneo editum, *ad æs exit;* vel reſcribo, *ad æs it.* Ait, Non numero inter bona, artes quæ mercedulam aut pecuniam quæruat. Et vero ſequentia verba nonne palam *Meritoria artificia* appellant? Nam Muretus *Militaria*, cum legi voluit, aliud profecto egit. *Idem.*

4 *Unum ſtudium vere liberale*] Idem ad Helviam, cap. 16. *Idem.*

5 *Homo-*

Digitized by Google

lex ac modificatio? Quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, libidinem frænat? Ad geometriam tranſeamus, & ad muſicam. nihil apud illas invenies, quod vetet timere, vetet cupere: quæ quiſquis ignorat, alia fruſtra ſcit. Videndum utrum doceant iſti virtutem, an non. ſi non docent, nec tradunt quidem: ſi docent, philoſophi ſunt. Vis ſcire, quam non ad docendam virtutem conſederint? adſpice quam diſſimilia inter ſe omnium ſtudia ſint. atqui ſimilitudo eſſet idem docentium. Niſi forte tibi [5] Homerum philoſophum fuiſſe perſuadent, cum, his ipſis quibus colligunt, negent. Nam [6] modo Stoicum illum faciunt, virtutem ſolam probantem, & voluptates refugientem, & ab honeſto [7] ne immortalitatis quidem pretio recedentem: modo Epicureum, [8] laudantem ſtatum quietæ civitatis, & inter convivia cantuſque vitam exigentis: modo Peripateticum, [9] bonorum tria genera inducentem: modo Academicum, [10] incerta omnia dicentem. Appa-

5 *Homerum philoſophum perſuadent*] Certe mihi, ſi quiſquam fuit. Vide Manud. 1. Diſſert. 7. *Lipſius.*

6 *Modo Stoicum*] Et ſunt in eo, quæ huc ducant. Sed de iſtis ſequentibuſque, videſis Plutarchum libro de Homero, per partes & ſectas, ut hic Seneca, exſequentem. *Idem.*

7 *Ne immortalitatis*] Quam Calypſo pollicebatur. *Idem.*

8 *Laudantem ſtatum quietæ civitatis*] Duplex talis locus. prior initio Iliad. Iota, ubi Ulyſſes in Alcinoi gratiam, laudat Phæacum dapſilem illam vitam: quos verſus Plutarchus, & ex eo Muretus, huc conducunt. Alter eſt Iliad. Sigma, in deſcriptione clypei Achillis: qui magis ſane ad Senecæ iſta facit. *Erant*, inquit, *in eo duæ civitates pulchræ factæ:*

—— ἐν τῇ μέν ῥα γάμοι τ' ἔσαν, εἰλαπίναι τε,
Νύμφας δ' ἐκ θαλάμων, δαΐδων ὑπολαμπομενάων,
Ἠγίνεον ἀνὰ ἄστυ, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει·

Inque una connubia, item convivia agebant,
E thalamis ſponſæ, facibus præeuntibus, ibant,
Atque frequens Hymenæus erat, voceſque faventes.

Tum de choreis addit, cantu & cithara, & judiciis: quæque ad *ſtatum* ſpectant, ut noſter, *quietæ civitatis.* Nam altera civitas, in turbis & bello. *Idem.*

9 *Bonorum tria genera*] Simul omnia, de Mercurio, complexus, Iliad. ω.

— οἷος δὴ σὺ δέμας καὶ εἶδος ἀγητός,
Πέπνυσαί τε νόον, μακάρων δ' ἔξ ἐσσι τοκήων·

Qualis corpore tu pulcher, pulcher quoque forma: (beata,
Atque animo prudens, & natus ſtirpe

Dat corporis formam, animi bona, & nobilitatem. *Idem.*

10 *Incerta omnia dicentem*] Ideo Pyrrhonii ſibi vindicabant, & ducem ſuæ ſectæ præſcribebant: Laërtius in Pyrrhone. *Idem.*

11 *Ante-*

Apparet nihil horum eſſe in illo, cui omnia inſunt: iſta enim inter ſe diſſident. Demus illis, Homerum philoſophum fuiſſe. nempe ſapiens factus eſt, [11] antequam carmina ulla cognoſceret: ergo illa diſcamus, quæ Homerum fecere ſapientem. Hoc quidem me quærere, utrum [12] major ætate fuerit Homerus an Heſiodus, non magis ad rem pertinet, quam ſcire an minor Hecuba fuerit, quam Helena; & quare [13] tam male tulerit ætatem. Quid, inquam, annos [14] Patrocli & Achillis inquirere, ad rem exiſtimas pertinere? Quæris, [15] Ulyſſes ubi erraverit, potius, quam efficias, ne nos ſemper erremus? Non vacat audire, utrum inter Italiam & Siciliam jactatus ſit, ad [16] extra notum nobis orbem: neque enim potuit in tam anguſto error eſſe tam longus. Tempeſtates animi nos quotidie jactant, & nequitia in omnia Ulyſſis mala impellit. non deeſt forma quæ ſolicitet oculos, non hoſtis: hinc monſtra effera, & humano cruore gaudentia: hinc inſidioſa blandimenta aurium: hinc naufragia, & tot varietates malorum. Hoc me doce, quomodo patriam amem, quomodo uxorem, quomodo patrem, quomodo ad hæc tam honeſta [17] vel naufragus

11 *Antequam carmina ulla cognoſceret*] Hæc aſſertio (bona tua pace Seneca) temeraria aut improba mihi viſa. Quidni ſtatim à puero carmina cognoviſſe potuit, nec ſapiens eſſe? Probabilius, fuiſſe talem, antequam talia, id eſt carmina illa divina ſcriberet: idque aſſentimur. Ergo pro *cognoſceret*, ego quidem vellem, *conderet*. Lipſius.

12 *Major ætate Homerus*] Aſſerit Plutarchus, Conſolat. ad Apollonium, atque alii contra. Varro, quaſi arbiter, putat *non eſſe dubium, quin aliquo tempore eodem vixerint*, apud Agellium 3. cap. 11. Idem Agellius in Chronologia: *De Homero & Heſiodo inter omnes fere ſcriptores conſtat, ætatem eos egiſſe vel iiſdem fere temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem.* Videſis Velleium, & noſtras ibi Notas. *Idem.*

13 *Tam male tulerit*] Ut ſenior videretur, quam eſſet. *Idem.*

14 *Patrocli & Achillis*] Politianus in Miſcellaneis, cap. 45. *Idem.*

15 *Ulixes ubi erraverit*] Similis correptio illa Bionis, apud Stobæum Serm. 8. *Βίων ἔλεγε τοὺς γραμματικοὺς ζητοῦντας περὶ Ὀδυσσέως πλάνης, μὴ ἐξετάζειν τὴν ἰδίαν. μηδὲ συνορᾶν, ὅτι καὶ ἐν αὐτῷ τούτῳ πλανῶνται, πονοῦντες περὶ τὰ μηδὲν χρήσιμα. Bion aiebat, Grammaticos de errore Ulyſſis quærentes, ſuum non inquirere: nec animadvertere, quod in hoc ipſo errarent, in vanis & inutilibus illa laborantes.* Idem.

16 *Extra notum nobis orbem*] Id eſt, ultra columnas Herculis, in mari exteriore. Vide in Agellio lib. 14. cap. 6. *Idem.*

17 *Vel naufragus navigem*] Magis probem, *naufragiis*: quod ſcripti quidam. *Idem.*

18 *An*

fragus navigem. Quid inquiris, an Penelopa impudica fuerit, [18] an verba ſæculo ſuo dederit, an Ulyſſem illum eſſe quem videbat, antequam ſciret, ſuſpicata ſit? Doce me, quid ſit pudicitia, & quantum in ea bonum: in corpore, [19] an in animo poſita ſit. Ad muſicum tranſeo. Doces me, quomodo inter ſe acutæ ac graves voces conſonent, quomodo nervorum diſparem reddentium ſonum fiat concordia. Fac potius, quomodo animus ſecum meus conſonet, nec conſilia mea diſcrepent. Monſtras mihi, qui ſint [20] modi flebiles. monſtra potius, quomodo inter adverſa non emittam flebilem vocem. Metiri me geometres docet latiſundia. potius doceat, quomodo metiar quantum homini ſit ſatis. Numerare docet me arithmetica, & [21] avaritiæ commodare digitos. potius doceat, nihil ad rem pertinere iſtas computationes. non eſſe feliciorem, cujus patrimonium [22] tabularios laſſat: imo quam ſupervacua poſſideat: qui infeliciſſimus futurus eſt, ſi quantum habeat, per ſe computare cogatur. Quid mihi prodeſt, ſcire agellum in partes dividere, ſi neſcio cum fratre dividere? Quid prodeſt [23] colligere ſubtiliter pedes jugeri, & comprehendere etiam ſi quid decempedam effugit, ſi triſtem me facit vicinus potens, & aliquid ex meo abradens? Doces me, quomodo nihil perdam ex finibus meis? at ego diſcere volo, quomodo totos hilaris amittam. Paterno agro, inquit, &

18 *An verba ſæculo ſuo*] Bis idem quærit. Itaque Gruterus volebat, *An Penelope pudica*. Ego in prioribus non mutem, ſed hic litterulam: *ac verba*. & ſic connectam. *Lipſius*.

19 *An in animo poſita*] In ipſo animo: eſt enim virtus, ideoque *nec oppreſſo corpore amittitur*, ut Auguſt. egregie diſputat de Civit. Dei 1. cap. 17. & 18. Vis aliena pudicitiam non excutit, etſi pudorem incutit. *Idem*.

20 *Modi flebiles*] Lydii. *Idem*.

21 *Avaritiæ commodare digitos*] Nam digitis ipſis numerabant, & numeros exprimebant. *Idem*.

22 *Tabularios laſſat*] Tabulæ erant accepti & expenſi, vectigalium & opum. Qui præerant, *tabularii* dicti. Legas in Gloſſis etiam, Ἀριθμητὴς, *Tabularius*: id eſt *Numerator* vel *Calculator*, quia in tabulis exercent. *Idem*.

23 *Colligere pedes jugeri*, &c.] Regionum in partes diviſionem decempedis & perticis pedibuſque jugeri collectis factam præterea ex Cicerone Philipp. 4. & Acad. 4. Propertio Eleg. 2. lib. 4. colligitur. Briſſonius lib. 6 de Formulis.

& avito expellor. Quid? ante avum tuum quis iſtum agrum tenuit? Cujus, non dico hominis, ſed populi fuerit expedire potes? Non dominus iſto, ſed colonus intraſti. Cujus colonus es? [24] ſi bene tecum agitur, heredis. Negant juriſconſulti quidquam uſucapi, quod publicum eſt: publicum eſt hoc quod tenes, quod tuum dicis; publicum eſt, & quidem generis humani. O egregiam artem! ſcis rotunda metiri: in quadratum redigis quamcumque acceperis formam. intervalla ſiderum dicis: nihil eſt quod in menſuram tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animum. dic quam magnus ſit, dic quam puſillus ſit. Scis quæ recta ſit linea: quid tibi prodeſt, ſi, quid in vita rectum ſit, ignoras? Venio nunc ad illum qui cæleſtium notitia gloriatur,

Frigida Saturni quo ſeſe ſtella receptet,
Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbes.

Hoc ſcire quid proderit? ut ſolicitus ſim, cum Saturnus & Mars ex contrario ſtabunt, aut cum Mercurius veſpertinum faciet occaſum vidente Saturno? Potius hoc diſcam, ubicumque ſunt iſta, propitia eſſe, non poſſe mutari. Agit illa continuus ordo fatorum, & inevitabilis curſus: per ſtatas vices remeant. Effectus rerum omnium [25] aut movent, aut notant. Sed ſive quidquid evenit faciunt, [26] quid immutabilis rei notitia proficiet? ſive ſignificant, quid refert providere, quod effugere non poſſis? Scias iſta, neſcias, fient.

Si vero ſolem ad rapidum ſtellaſque ſequentes
Ordine reſpicias, numquam te craſtina fallet
Hora, nec inſidiis noctis capiere ſerena.

Satis

24 *Si bene tecum agitur*] Id eſt, ut felix ſis & ex voto res ſuccedat, prolis tuæ; aut ſi non habes, externi heredis. Quid ſi nec heredis? nam potes inteſtatus mori, poteſt tyrannus eripere & fiſco applicare. *Idem.*

25 *Aut movent, aut notant*] Nos de eo in Phyſiol. 2. Diſſert. 13. *Idem.*

26 *Quid immutabilis rei*] Belle in Anthologia:

Εἰ μὲν ἦν μαθεῖν, ἃ δεῖ παθεῖν,
Καὶ μὴ παθεῖν· καλὸν ἦν τὸ μαθεῖν·
Εἰ δὲ δεῖ παθεῖν, ἃ δεῖ ἦν μαθεῖν,
Τί δεῖ μαθεῖν; χρὴ γὰρ παθεῖν.

Scire ſi licet, quæ debes ſubire,
Et non ſubire: pulchrum ſit ſcire.
Sed ſi ſubire oportet, quæ licet ſcire,
Quorſum ſcire? nam debes ſubire. Idem.

27 Non

Digitized by Google

Satis abundeque proviſum eſt, ut ab inſidiis tutus eſſem. Numquid me craſtina non fallit hora? fallit enim, quod neſcienti evenit. Ego, quid futurum ſit, neſcio: quid fieri poſſit, ſcio. Ex hoc nihil deſperabo: totum exſpecto. Si quid remittitur, boni conſulo. Fallit me hora, ſi parcit: ſed ne ſic quidem fallit. Nam quemadmodum ſcio omnia accidere poſſe, ſic ſcio & non utique caſura. Utique ſecunda exſpecto: malis paratus ſum. In illo feras me neceſſe eſt [27] non per præſcriptum euntem. Non enim adducor, ut in numerum liberalium artium pictores recipiam, non magis, quam ſtatuarios, aut marmorarios, aut ceteros luxuriæ miniſtros. Æque luctatores, & totam [28] oleo ac luto conſtantem ſcientiam expello ex his ſtudiis liberalibus: aut & unguentarios recipiam, & cocos, & ceteros voluptatibus noſtris ingenia accommodantes ſua. Quid enim, oro te, liberale habent iſti [29] jejuni vomitores, quorum corpora in ſagina, animi in macie & veterno ſunt? An liberale ſtudium iſtud eſſe juventuti noſtræ credimus, quam majores noſtri [30] rectam exercuerunt, haſtilia jacere, ſudem torquere, equum agitare, arma tractare? Nihil liberos ſuos docebant, quod diſcendum eſſet jacentibus. Sed nec hæ nec illæ docent, aluntve virtutem. Quid enim prodeſt equum regere, & curſum ejus fræno temperare, affectibus effrænatiſſimis abſtrahi? Quid prodeſt multos vincere luctatione vel cæſtu, ab iracundia vinci? Quid ergo? nihil liberalia nobis conferunt ſtudia? Ad alia multum, ad virtutem nihil. Nam & hæ viles ex profeſſo artes, quæ ma-

nu

27 *Non per præſcriptum euntem*] Non numerantem artes liberales, ut vulgus. *Lipſius.*

28 *Oleo ac luto*] Ceromate, & haphe. ſupra epiſt. 57. initio. Athleticam intellegit. *Idem.*

29 *Jejuni vomitores*] De quibus epiſt. 122. vide. *Idem.*

30 *Rectam exercuerunt*] Meus, *rectum exercuerunt haſtile jacere:* atque ita legendum. Rectum haſtile ideo; quia ſequitur *ſudem torquere.* In ludis exercitiis, gladio ſe parabant, & ideo ventilabant: haſtile autem, miſſile telum erat in rectum. Tamen ſiquis tueri, *rectam*, velit: poſſit è ſequentibus, *Nihil liberos ſuos docebant, quod diſcendum eſſet jacentibus.* Opponat *rectu*, *jacentes.* Idem.

31 *Ani-*

nu conſtant, ad inſtrumenta vitæ plurimum conferunt, tamen ad virtutem non pertinent. Quare ergo liberalibus ſtudiis filios erudimus? Non quia virtutem dare poſſunt, ſed quia [31] animum ad accipiendam virtutem præparant. Quemadmodum prima illa, ut antiqui vocabant, litteratura, per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales artes, ſed mox præcipiendis locum parat: ſic liberales artes non perducunt animum ad virtutem, ſed expediunt. Quattuor ait eſſe Poſidonius artium genera. Sunt vulgares & ſordidæ, ſunt ludicræ, ſunt pueriles, ſunt liberales. Vulgares opificum, quæ manu conſtant, & ad inſtruendam vitam occupatæ ſunt: in quibus nulla decoris, nulla honeſti ſimulatio eſt. [32] Ludicræ ſunt, quæ ad voluptatem oculorum atque aurium tendunt. His annumeres licet machinatores, [33] qui pegmata per ſe ſurgentia excogitant, & tabulata tacite in ſublime creſcentia, & alias ex inopinato varietates, aut dehiſcentibus quæ cohærebant, aut his quæ diſtabant, ſua ſponte coëuntibus, aut his quæ eminebant, paulatim in ſe reſidentibus. His imperitorum feriuntur oculi, omnia ſubita (quia cauſſas non novere) mirantium. Pueriles ſunt, & aliquid habentes liberalibus ſimile, hæ artes quas ἐγκυκλίους Græci, noſtri liberales vocant. Solæ autem liberales ſunt, imo (ut dicam verius) liberæ, quibus curæ virtus eſt. Quemadmodum, inquit, eſt animi aliqua pars philoſophiæ naturalis, eſt aliqua moralis, eſt aliqua rationalis, ſic & hæc quoque liberalium artium turba

31 *Animum ad accipiendam virtutem præparant*] Philo, de congreſſu quær. erudit. gratia: Ὥσπερ ἐν οἰκίαις αὔλειοι πρόκεινται κλισιάδων, ἐν δὲ πόλεσι τὰ προάστεια, δι' ὧν εἴσω βαδίζειν ἔξεστιν. οὕτως καὶ ἀρετῆς πρόκειται τὰ ἐγκύκλια. Ταύτης γὰρ ὁδός ἐστιν εἰς ἐκείνην φέρουσα. *Ut in ædibus veſtibula ſunt ante fores, in oppidis pro-urbia, per quæ in ipſa itur: ſic virtuti præjacent liberales artes. Hæc enim via eſt, quæ fert ad illam.* Lipſius.

32 *Ludicra ſunt quæ ad voluptatem*] Qui dicantur artem facere ludicram, pete ex Briſſonio lib. 1. de verbor. ſignif.

33 *Qui pegmata per ſe ſurgentia*] Affatim de iis, nos libello de Amphitheatro, c.22. *Lipſius.* De iis egregia Scaliger notis ad Manilium, & Marcilius ad lib. 1. Martialis. ita antiqui appellabant machinas quaſdam è ligno, quibus uſus in theatris & arenis, & hæc ornatus cauſa ſæpe tecta auro vel argento.

34 A ſolo

Digitized by Google

turbà locum ſibi in philoſophia vindicat. Cum ventum eſt ad naturales quæſtiones, geometriæ teſtimonio ſtatur. Ergo ejus quam adjuvat, pars eſt? multa adjuvant nos, nec ideo partes noſtræ ſunt: imo ſi partes eſſent, non adjuvarent. Cibus adjutorium corporis, nec tamen pars eſt. Aliquid nobis præſtat geometriæ miniſterium. Sic philoſophiæ neceſſaria eſt, quomodo ipſi faber: ſed nec hic geometriæ pars eſt, nec illa philoſophiæ. Præterea, utraque fines ſuos habet. ſapiens enim cauſſas naturalium & quærit & novit, quorum numeros menſuraſque geometres perſequitur & ſupputat. Qua ratione conſtent cæleſtia, quæ illis ſit vis, quæve natura, ſapiens ſcit: curſus & recurſus & obſervationes, per quas deſcendunt & allevantur, ac ſpeciem interdum ſtantium præbent, cum cæleſtibus ſtare non liceat, colligit mathematicus. Quæ cauſſa in ſpeculo imagines exprimat, ſcit ſapiens: illud tibi geometer poteſt dicere, quantum abeſſe debeat corpus ab imagine, & qualis forma ſpeculi, quales imagines reddat. Magnum eſſe ſolem philoſophus probabit: quantus ſit, mathematicus, qui uſu quodam & exercitatione procedit: ſed ut procedat, impetranda illi quædam principia ſunt. Non eſt autem ars ſui juris, cui precarium fundamentum eſt. Philoſophia nil ab alio petit, totum opus [34] à ſolo excitat. Mathematica (ut ita dicam) ſuperficiaria eſt, in alieno ædificat, aliena accipit principia, quorum beneficio ad ulteriora perveniat: ſi per ſe iret ad verum, ſi totius mundi naturam poſſet comprehendere, dicerem multum collaturam mentibus noſtris quæ tractatu cæleſtium creſcunt, trahuntque aliquid ex illo. Una re conſummatur animus, ſcientia bonorum ac malorum immutabili, quæ ſoli philoſophiæ competit. Nulla autem ars alia de bonis ac malis quærit. [35] Singulas habet circumire virtutes. Fortitudo contemptrix timendorum eſt:

34 *A ſolo excitat*] Ab ipſis fundamentis. *Lipſius.*

35 *Singulas habet circumire*] Muretus, *lubet*, ſubſtituit: Pythœus *havet*; ego vellem, *habeo*, ſi mutas: vel, *habe.* Idem.

eſt: terribilia, & ſub jugum libertatem noſtram mittentia, deſpicit, provocat, frangit: nunquid ergo hanc liberalia ſtudia corroborant? Fides ſanctiſſimum humani pectoris bonum eſt, nulla neceſſitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Ure, inquit, cæde, occide, non prodam: ſed quo magis ſecreta quæret dolor, hoc illa altius condam. numquid liberalia ſtudia hos animos facere poſſunt? Temperantia voluptatibus imperat: alias odit atque abigit, alias diſpenſat, & ad ſanum modum redigit, nec unquam ad illas propter ipſas venit. Scit optimum eſſe modum cupitorum, non quantum velis, ſed quantum debeas, ſumere. Humanitas vetat ſuperbum eſſe adverſus ſocios, vetat avarum: verbis, rebus, affectibus comem ſe, facilemque omnibus præſtat: nullum alienum malum putat, bonum autem ſuum id maxime, quod alicui bono futurum eſt, amat. numquid liberalia ſtudia hos mores præcipiunt? non magis quam ſimplicitatem, quam modeſtiam ac moderationem, non magis quam frugalitatem, ac parſimoniam: non magis quam clementiam, quæ alieno ſanguini tanquam ſuo parcit, & ſcit homini non eſſe homine prodige utendum. Cum dicatis, inquit, ſine liberalibus ſtudiis ad virtutem non perveniri, quemadmodum negatis illa nil conferre virtuti? quia nec ſine cibo ad virtutem pervenitur, cibus tamen ad virtutem non pertinet. Ligna nihil navi conferunt, quamvis non fiat navis ſine lignis. Non eſt, inquam, cur aliquid putes ejus adjutorio fieri, ſine quo non poteſt fieri. Poteſt quidem etiam illud dici, ſine liberalibus ſtudiis veniri ad ſapientiam poſſe: quamvis enim virtus diſcenda ſit, tamen non per hæc diſcitur. Quid eſt autem, quare exiſtimem, non futurum ſapientem eum qui litteras neſcit: cum ſapientia non ſit in litteris? Res tradit, non verba: & neſcio an [16] certior memoria

16 *Certior memoria ſit*] Ideo Druides (apud Cæſarem 6 Gallicor.) *ſua non putabant ſua litteris mandare. quod nollent eos, qui diſcunt, litteris confiſos, minus memoriæ ſtudere.* Lipſius.

37 Quam

moria ſit, quæ nullum extra ſe ſubſidium habet. Magna & ſpatioſa res eſt, ſapientia: vacuo illi loco opus eſt: de divinis humaniſque diſcendum eſt: de præteritis, de futuris, de caducis, de æternis, de tempore: de quo uno vide [37] quam multa quærantur. Primum, an per ſe ſit aliquid: deinde, an aliquid ante tempus ſit: ſi tempus cum mundo cœpit, an & ante mundum, quia fuerit aliquid, fuerit & tempus. Innumerabiles [38] quæſtiones ſunt de animo tantum: unde ſit, qualis ſit, quando eſſe incipiat, quamdiu ſit: an aliunde alio tranſeat, & domicilium mutet, ad alias animalium formas, aliaſque conjectus: an non amplius quam ſemel ſerviat; & emiſſus [39] vagetur in toto: utrum corpus ſit, an non ſit: quid ſit facturus, cum per nos aliquid facere deſierit: quomodo libertate ſua uſurus, cum ex hac effugerit cavea: an obliviſcatur priorum, & illic noſſe ſe incipiat, [40] poſtquam de corpore abductus in ſublime ſeceſſit. Quamcumque partem rerum humanarum divinarumque comprehenderis, ingenti copia quærendorum ac diſcendorum fatigaberis. Hæc tam multa, tam magna, ut habere poſſint liberum hoſpitium, ſupervacua ex animo tollenda ſunt. Non dabit ſe in has anguſtias virtus. laxum ſpatium res magna deſiderat. expellantur omnia: totum pectus illi vacet. At enim delectat artium notitia multarum. Tantum itaque ex illis retineamus, quantum eſt neceſſarium. [41] An tu exiſtimas reprehendendum, qui ſupervacua uſu ſibi comparat, & pretioſarum rerum pompam in domo explicat? non putas eum, qui occupatus eſt in ſupervacua litterarum ſupellectile? Plus ſcire velle quam ſit ſatis, intemperantiæ genus eſt. Quid, quod iſta liberalium

37 *Quam multa quærantur*] Explicata hæc à nobis, cum ſequentibus, Phyſiol. 2. Diſſert. ultima. *Lipſius.*

38 *Quæſtiones ſunt de animo*] Totus & hic locus ordine pertractatus Phyſiol. 3. Diſſert. 8. & deinceps. *Idem.*

39 *Vagetur in toto*] Τῷ ὅλῳ in Mundo. *Idem.*

40 *Poſtquam de corpore*] Eſt Mureti. nam libri, *an de corpore*; vel, *unde.* Lego; *cum de corpore*. Idem.

41 *An tu exiſtimas*] Hæc & ſequentia nimis velim Philologi noſtri attendant, & admittant. *Idem.*

lium artium conſectatio moleſtos, verboſos, intempeſtivos, ſibi placentes facit, & ideo non diſcentes neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt? [42] Quattuor millia librorum Didymus grammaticus ſcripſit: [43] miſer, ſi tam multa ſupervacua legiſſet. In his libris de patria Homeri quæritur, in his de Æneæ [44] matre vera: in his [45] libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit: in his [46] an Sappho publica fuerit: & alia, quæ erant dediſcenda, ſi ſcires. I nunc, & longam eſſe vitam nega. Sed ad noſtros quoque cum perveneris, oſtendam multa ſecuribus recidenda. Magno impendio temporúm, magna alienarum aurium moleſtia, laudatio hæc conſtat: O hominem litteratum! Simus hoc titulo ruſticiore contenti: O virum bonum! Itane eſt? annales evolvam omnium gentium, & quis primus carmina ſcripſerit, quæram: quantum temporis inter Orphea interſit & Homerum, cum faſtos non habeam, computabo: & Ariſtarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoſcam: & ætatem in ſyllabis conteram. Itane in geometriæ pulvere hærebo? Adeo mihi præceptum illud ſalutare excidit: Tempori parce? [47] Hæc ſciam, ut quid igno-

42 *Quatuor millia librorum*] Suidas notat, *tria millia & quingentos* ſcripſiſſe. Dictus fuit ab aſſiduitate & perpeſſione laboris χαλκέντερος· *ferreis viſceribus*: vixitque Ciceronis & Auguſti ævo. *Lipſius.*

43 *Miſer, ſi tam multa*] Haud male alii libri, *miſererer, ſi.* Idem.

44 *Matre verà*] Nam opinione mater Venus erat. *Idem.*

45 *Libidinoſior Anacreon*] Superfluens quæſtio, & vere grammatica. Utrumque autem in eo eximie comparet. *Idem.*

46 *An Sappho publica*] Vidi qui vellet, *Sappho pudica*; alium qui, *Sappho Sibylla*; ego (ſiquid mutandum) vellem, *pullaria*. Scitum, quid ei objectum. ſed, *publica*, ſi tenetur, explica, an & vulgo ſe vulgaverit. *Idem.*

47 *Hæc ſciam, ut quid ignorem*] Veteres, *& quid*. Senſum non elicio: non quidem aptum, aut ſalutarem. Fortaſſe: *Hæc ſciam, quæ ignorem?* Id eſſet, Illa extra me ſciam: ipſe quis ſim, neſciam? vel etiam: *& quid ſi ignorem? Idem.* Sic Muretus, cum veteres libri haberent: *Hæc ſciam? & quid ignorem?* Unde Eraſmus, *& quid ſi*: Stephanus, *& quid ſim*. Lipſius, *quæ ignorem?* Atqui nihil poteſt melius dari veteri lectione, hoc ſenſu: hæc ſcilicet neceſſe eſt me diſcere! & quid igitur poſſum ignorare? omnia ſcire hominem eſt τῶν ἀδυνάτων. ſunt igitur quædam quæ neſcire licet. Ex talibus vel maxime iſta duco: quæ ſi ſcire me oportet, neſcio profecto, quid tandem ſit, quod mihi liceat neſcire. *Gronov.*

48 *Tota*

ignorem? Appion Grammaticus qui ſub C. Cæſare [48] tota circumlatus eſt Græcia, & [49] in nomen Homeri ab omnibus civitatibus adoptatus, aiebat: Homerum utraque materia conſummata, & Odyſſea, & Iliade, principium adjeciſſe operi ſuo, quo bellum Troianum complexus eſt. Hujus rei argumentum afferebat, quod [50] duas litteras in primo verſu poſuiſſet ex induſtria librorum ſuorum numerum continentes. Talia ſciat oportet, qui multa vult ſcire. Non vis cogitare, quantum temporis tibi auferat mala valetudo, quantum occupatio publica, quantum occupatio privata, quantum occupatio quotidiana, quantum ſomnus. metire ætatem tuam: tam multa non capit. De liberalibus ſtudiis loquor: philoſophi quantum habent ſupervacui? quantum ab uſu recedentis? Ipſi quoque ad ſyllabarum diſtinctiones, & conjunctionum ac præpoſitionum proprietates deſcenderunt, & invidere grammaticis, invidere geometris. Quidquid in illorum artibus ſupervacuum erat, tranſtulere in ſuam. Sic effectum eſt, ut diligentius ſcirent loqui, quam vivere. Audi, quantum mali faciat nimia ſubtilitas, & quam infeſta veritati ſit. [51] Protagoras ait, de omni re in utramque partem diſputari poſſe, ex æquo. & de hac ipſa, an omnis res in utramque partem diſputabilis ſit. Nauſiphanes ait, ex his quæ videntur eſſe, nihil magis eſſe, quam non eſſe. Parmenides ait, ex his quæ videntur, [52] nihil eſſe in univerſum. Zenon Eleates omnia

48 *Tota circumlatus eſt Græcia*] Quaſi manibus geſtatus, & ut publica quædam pompa. Tamen, *circulatus*, in meo libro optimo legitur: & probem. Agyrta fuit & circulator. Eſt qui πλειστονίκης vulgo agnominabatur, ut in Clemente, Euſebio, Agellio legas, quaſi *multi-victor*: ſive, ut in Suida, Ἀπίων ὁ πλειστονίκης, filius ſcilicet Pliſtonicæ: Didymi, de quo ante, diſcipulus, & agnominatus item ab aſſiduitate μόχθος, *labor*; à Tiberio jocoſe & vere, *cymbalum mundi*. Lipſius.

49 *In nomen Homeri*] Cognominatus paſſim alter Homerus. *Idem.*

50 *Duas litteras*] Scilicet M. & H. in voce μῆνιν quæ ſignant 48. Quid alius nugator (in Plutarcho, Quæſt. Conviv. 9. cap. 3.) qui totidem ſyllabas in primo verſu Iliados, & illo Odyſſeæ notabat? idem, in utroque poſtremo. Nam ſeptemdecim ſyllabæ ſunt initio utriuſque operis, ſedecim in fine. *Idem.*

51 *Protagoras ait*] Hæc omnia, pertractavi 2 Manud. Diſſert. 4. *Idem.*

52 *Nihil eſſe in univerſum*] Docui ibi ſcribendum, *Ex his quæ videntur,*

unum

Digitized by Google

omnia negotia de negotio dejecit: ait nihil eſſe. Circa eadem fere [53] Pyrrhonii verſantur, & Megarici, [54] & Eretrici, & Academici, qui novam induxerunt ſcientiam, nihil ſcire. Hæc omnia in illum ſupervacuum ſtudiorum liberalium gregem conjice. Illi mihi non profuturam ſcientiam tradunt, hi ſpem omnis ſcientiæ eripiunt: ſatius eſt ſupervacua ſcire, quam nihil. Illi non præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum: hi oculos mihi effodiunt. Si Protagoræ credo, nihil in rerum natura eſt, niſi dubium: ſi Nauſiphani, hoc unum certum eſt, nihil eſſe certi: ſi Parmenidi, nihil eſt præter unum: [55] ſi Zenoni, ne unum quidem. Quid ergo nos ſumus? quid iſta quæ nos circumſtant, alunt, ſuſtinent? Tota rerum natura umbra eſt, aut inanis, aut fallax. Non facile dixerim, utrum magis iraſcar illis, qui nos nihil ſcire voluerunt: an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil ſcire.

EPIST. LXXXIX.

Philoſophiæ & Sapientiæ diſcrimen: & illius diviſio varia; partiumque iterum diviſio, & deſcriptio. Monitum deinde, hæc & talia ad mores atque animum referenda: & obiter in male divites invehitur, luxumque ſimul & avaritiam caſtigat.

REm utilem deſideras, & ad ſapientiam properanti utique neceſſariam, dividi philoſophiam, & ingens corpus

unum eſſe univerſum, vel ſi vis, *univerſa*, inquit Lipſius. Ita ſenſiſſe Parmenidem ſane conſtat: ſed ita ſcripſiſſe Senecam negant libri veteres. Scribe: *nihil eſſe niſi univerſum*. Perinde ut mox habes: *ſi Parmenidi, nihil eſt præter unum*. Senſerat autem τὸ πᾶν ἓν εἶναι. quod propemodum ipſe docet Seneca epiſt. 95. *Omne hoc quod vides, quo divina atque humana concluſa ſunt, unum eſt*. Sed hic calumniatur Parmenidem Seneca, quaſi dixerit, μηδὲν ἢ τὸ πᾶν εἶναι. Quod & fecit Colotes apud Plutarchum: *ταῦτα συκοφαντεῖ ἐκ τῆς φωνῆς ὁ Κολώτης, καὶ τοῦ ῥήματος διώκων, οὐ τοῦ πράγματος, τὸ λόγον, ἄντικρυς φησι πάντα ἀναιρεῖν τῷ ἓν ὂν ὑποτίθεσθαι τὸν Παρμενίδην*. Ut videas verba hunc ſenſum recipere. *Gronovius*.

53 *Pyrrhonii verſantur*] De Pyrrhoniis Philoſophis in omnibus hæſitantibus, nihilque revera eſſe aſſerentibus, vide Hadr. Junium Centur. 6 Adag. 59.

54 *Et Eretrici*] Olim emendavimus: & ſic dicti à patria Menedemi, ſectæ auctoris. De non ſcientia, idem fere Pyrrhoni cenſebant. *Lipſius*.

55 *Si Zenoni*] Cognomento, Eleati. *Idem*.

EPIST.

Digitized by Google

pus ejus in membra diſponi. Facilius enim per partes in cognitionem totius adducimur. Utinam quemadmodum univerſi mundi facies in conſpectum venit, ita philoſophia tota nobis poſſet occurrere, ſimillimum mundo ſpectaculum! Profecto enim omnes mortales in admirationem ſui raperet, relictis his quæ nunc magna, magnorum ignorantia, credimus. Sed quia contingere hoc non poteſt, [1] ſic erit à nobis adſpicienda, quemadmodum mundi ſecreta cernuntur. Sapientis quidem animus totam molem ejus amplectitur, nec minus illam velociter obit, quam cælum acies noſtra: nobis autem, quibus perrumpenda caligo eſt, & quorum viſus in proximo deficit, ſingula quæque oſtendi facilius poſſunt, univerſi nondum capacibus. Faciam ergo quod exigis, & philoſophiam in partes, non in fruſta, dividam. Dividi enim illam, non concidi, utile eſt. nam comprehendere, quemadmodum maxima, ita minima, difficile eſt. Deſcribitur in tribus populus, in centurias exercitus. Quidquid in majus crevit, facilius agnoſcitur, ſi diſceſſit in partes: quas (ut dixi) innumerabiles eſſe, & parvas, non oportet. Idem enim vitii habet nimia, quod nulla diviſio: ſimile confuſo eſt, quidquid uſque in pulverem ſectum eſt. Primum itaque, ſicut videtur, tibi dicam, [2] inter ſapientiam & philoſophiam quid interſit. Sapientia perfectum bonum eſt mentis humanæ: philoſophia ſapientiæ amor eſt & affectatio. Hæc oſtendit, quo illa pervenit. Philoſophia unde dicta ſit, apparet: ipſo enim nomine fatetur. Quidam ſapientiam ita finierunt, ut dicerent eam [3] divinorum & humanorum ſcientiam. Quidam ita: Sapien-

EPIST. LXXXIX. 1 *Sic erit à nobis adſpicienda*] Mirum quid ita libri in vocula nota turbent. Nam alii, *abſcienda*, *adſcienda*; meus, *abſcidenda*. Lipſius.

2 *Inter ſapientiam &*] Nos in Manud. 2. Diſſert. 7. *Idem*.

3 *Divinorum*] Hieronymus in Iſaiæ cap. 5. *Inter ſapientiam & prudentiam hoc dicunt intereſſe Stoïci, quod illa ſit rerum divinarum & humanarum notitia, iſta autem tantum mortalium.* Nota de Stoïcis, nam Platonici aliter diſtinguunt, & illam in contemplatione, hanc in actione ponunt. *Idem*.

4 *Deſ-*

Digitized by Google

Sapientia eſt, noſſe divina & humana, & horum cauſſas. Supervacua mihi videtur hæc adjectio, quia cauſſæ divinorum humanorumque partes ſunt. Philoſophiam quoque fuerunt qui aliter atque aliter definirent. alii, ſtudium illam virtutis eſſe dixerunt; alii, ſtudium corrigendæ mentis. A quibuſdam dicta eſt, appetitio rectæ rationis. Illud quaſi conſtet, aliquid inter philoſophiam & ſapientiam intereſſe. Neque enim fieri poteſt, ut idem ſit quod affectatur, & quod affectat. Quomodo multum inter avaritiam & pecuniam intereſt, cum illa cupiat, hæc concupiſcatur: ſic inter philoſophiam & ſapientiam. Hæc enim illius effectus, & præmium eſt: illa venit, ad hanc itur. Sapientia eſt, quam Græci σοφίαν vocant. Hoc verbo quoque Romani utebantur, ſicut Philoſophia nunc quoque utuntur. Quod & togatæ tibi antiquæ probabunt, & inſcriptus [4] Doſſenni monumento titulus:

Hoſpes reſiſte, & ſophiam Doſſenni lege.

Quidam ex noſtris, quamvis philoſophia ſtudium virtutis eſſet, & hæc peteretur, illa peteret, tamen non putaverunt illas diſtrahi poſſe. Nam nec philoſophia ſine virtute eſt, nec ſine philoſophia virtus eſt. Philoſophia ſtudium virtutis eſt, ſed per ipſam virtutem: nec virtus autem eſſe ſine ſtudio ſui poteſt, nec virtutis ſtudium ſine ipſa. Non enim quemadmodum in his qui aliquid ex diſtanti loco ferire conantur, alibi eſt qui petit, alibi quod petitur: nec quemadmodum itinera quæ ad urbes perducunt, extra ipſas ſunt. ad virtutem venitur per ipſam. Cohærent ergo inter ſe philoſophia, virtuſque. [5] Philoſophiæ tres partes eſſe dixerunt & maximi & plurimi auctores: Moralem, Naturalem, & Rationalem. Prima componit animum, ſecunda rerum naturam ſcrutatur, tertia proprietates verborum exigit, & ſtructu-

4 *Doſſenni monumento*] Fuit Fabius Doſſennus Atellanarum ſcriptor, cujus mentio & verſus in Plinii 14.c.13. Item Horatio:

Quantus ſit Doſſennus edacibus in paraſitis. Lipſius.

5 *Philoſophiæ tres partes*] Explicavi Manud.2. Diſſert.5. *Idem.*

6 *Adje-*

ſtructuram, & argumentationes, ne pro vero falſa ſurrepant. Ceterum inventi ſunt, & qui in pauciora philoſophiam, & qui in plura diducerent. Quidam ex Peripateticis quartam partem [6] adjecerunt, Civilem: quia quamdam propriam exercitationem deſideret, & circa aliam materiam occupata ſit. Quidam adjecerunt his partem, quam Græci *οἰκονομικὴν* vocant, adminiſtrandæ rei familiaris ſcientiam. Quidam & de generibus vitæ locum ſeparaverunt. Nihil autem horum in illa parte morali non reperitur. Epicurei duas partes philoſophiæ putaverunt eſſe, Naturalem, atque Moralem: [7] Rationalem removerunt. Deinde cum ipſis rebus cogerentur ambigua ſecernere, falſa ſub ſpecie veri latentia coarguere, ipſi quoque locum, quem [8] De judicio & regula appellant, alio nomine rationalem induxerunt: ſed eum acceſſionem eſſe naturalis partis exiſtimant. Cyrenaici naturalia cum rationalibus ſuſtulerunt, & contenti fuerunt moralibus: ſed hi quoque qui removent, aliter inducunt. In quinque enim partes moralia dividunt: ut una ſit de fugiendis & expetendis, altera de affectibus, tertia de actionibus, quarta de cauſſis, quinta de argumentis. Cauſſæ rerum ex naturali parte ſunt, argumenta ex rationali, actiones ex morali. [9] Ariſto Chius non tantum ſupervacuas eſſe dixit naturalem & rationalem, [10] ſed etiam contrarias: moralem quoque, quam ſolam reliquerat, circum-

---

6 *Adjecerunt, Civilem*] Politicam. *Lipſius.*

7 *Rationalem removerunt*] Laërtius: Τὴν διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκιμάζουσι· *Dialecticam, ut ſuperfluam, removerunt.* Idem.

8 *De judicio & regula*] Dividunt ipſi philoſophiam in tres partes, τὸ κανονικὸν, καὶ φυσικὸν, καὶ ἠθικόν· *Canonicam* (ſive *Regularem*) *Phyſicam, Ethicam. Regularem dicunt, quæ introductiones ad opus continet: tractaturque de ea in libro unico, qui Canon ſive Regula inſcribitur.* Sed ea pars, quia judicium format ac præparat, appellarunt etiam περὶ κριτηρίου, καὶ ἀρχῆς, καὶ στοιχειωτικόν· *De Judicatorio, & Principio, & Elementarem.* Iſta Laërtius in Epicuro: & ex his Senecæ mens clara. *Idem.*

9 *Ariſto Chius*] Zenonis auditor. de cujus hoc ſenſu Laërtius: Τόν τε φυσικὸν τόπον καὶ τὸν λογικὸν ἀνῄρει, λέγων τὸν μὲν εἶναι ὑπὲρ ἡμᾶς, τὸν δ' οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· *Phyſicum & Logicum ſuſtulit, dicens illum eſſe ſuper nos, hunc nihil ad nos.* Idem.

10 *Sed etiam contrarias*] Impedire Sapientiam, adverſari virtuti. *Idem.*

11 Qui

cumcidit. Nam eum locum [11] qui monitiones continet, ſuſtulit, & pædagogi eſſe dixit, non philoſophi: tanquam aliud ſit ſapiens, quam humani generis pædagogus. Ergo cum tripertita ſit philoſophia, moralem ejus partem primum incipiamus diſponere. Quam in tria rurſus dividi placuit: ut [12] prima eſſet inſpectio ſuum cuique diſtribuens, & [13] æſtimans quanto quidque dignum ſit, maxime utilis. quid enim eſt tam neceſſarium, quam pretia rebus imponere? Secunda [14] de impetu: tertia [15] de actionibus. Primum enim eſt, ut quanti quidque ſit, judices: ſecundum, ut impetum ad illa capias ordinatum temperatumque: tertium, ut inter impetum tuum, actionemque conveniat, ut in omnibus iſtis tibi ipſi conſentias. Quidquid ex his tribus defuerit, turbat & cetera. Quid enim prodeſt, intus æſtimata habere omnia, ſi ſis impetu nimius? Quid prodeſt impetus repreſſiſſe, & habere cupiditates in tua poteſtate, ſi in ipſa rerum actione tempora ignores, nec ſcias quando quidque, & ubi, & quemadmodum agi debeat? Aliud eſt enim, dignitates & pretia rerum noſſe: aliud articulos; aliud impetus refrænare, & ad agenda ire, non ruere. Tunc ergo vita ſibi concors eſt, ubi actio non deſtituit impetum. Impetus ex dignitate rei cujuſque concipitur, perinde remiſſus acriorve, prout illa digna eſt peti. Naturalis pars philoſophiæ in duo ſcinditur: Corporalia, & Incorporalia. Utraque dividuntur in ſuos, ut ita dicam, gradus. Corporum locus in hos primum, [16] in ea quæ faciunt, & quæ ex his gignuntur: gignuntur autem elemen-

11 *Qui monitiones continet*] *Τὴν παραινετικὴν*, de qua in epiſtola 94. atque ibidem Ariſtonis hæc contemptio. *Lipſius.*

12 *Prima eſſet inſpectio*] Hæc diviſio tenuis aut ſterilis eſt, præ illa quæ in Laërtio ponitur, ex mente & uſu plurium Stoïcorum. Vide. *Idem.*

13 *Æſtimans quanto quidque*] Eſt igitur pars, quæ in Laertio dicitur, *περὶ τῆς πρώτης ἀξίας*: *de prima æſtimatione.* Idem.

14 *De impetu*] In eodem, *περὶ ὁρμῆς*. Idem.

15 *De actionibus*] Et ipſe agnoſcit, *περὶ πράξεων*. Idem.

16 *In ea quæ faciunt*] Duo prima principia, Deum & Materiam. Et ſi alterum illorum patitur, Dei reſpectu: ſed agit tamen, compoſitorum. *Idem.*

17 *Ipſe*

Digitized by Google

elementa. [17] Ipſe elementi locus, ut quidam putant, ſimplex eſt: ut quidam, in materiam, & [18] cauſſam omnia moventem, & elementa dividitur. Supereſt ut rationalem partem philoſophiæ dividamus. Omnis oratio aut continua eſt, aut inter reſpondentem & interrogantem diſciſſa. Hanc διαλεκτικὴν, illam ῥητορικὴν placuit vocari. hæc, verba curat, & ſenſus, & ordinem. διαλεκτικὴ in duas partes dividitur: [19] in verba, & ſignificationes: id eſt, in res quæ dicuntur, & vocabula quibus dicuntur. [20] Ingens deinde ſequitur utriuſque diviſio. Itaque hoc loco finem faciam:

—— Et ſumma ſequar faſtigia rerum.

Alioqui ſi voluero facere partium partes, quæſtionum liber fiet. [21] Hæc, Lucili virorum optime, quo minus legas non deterreo: dummodo quidquid legeris, ad mores ſtatim referas. Illos compeſce, marcentia in te excita, ſoluta conſtringe, contumacia doma, cupiditates tuas publicaſque, quantum potes, vexa: & iſtis dicentibus, Quouſque eadem? reſponde, Ego debeo dicere, Quouſque eadem peccabitis? Remedia ante vultis, quam vitia deſinere. ego vero eo magis dicam, & quia recuſatis, perſeverabo. Tunc incipit medicina proficere, ubi in corpore alienato dolorem tactus expreſſit. Dicam etiam invitis profutura. Aliquando aliqua ad vos non blanda vox veniet: & quia verum ſinguli audire non vultis, publice audite. Quouſque fines poſſeſſionum propagabitis? ager uni domino, qui populum

17 *Ipſe elementi locus*] Non ſatis hæc capio. ut quid enim jam Elementa cum Principiis confundit? Niſi ſi Elementum aliter à quibuſdam capi vult, & ut ipſa Principia contineat, atque etiam Elementa. Hoc apparet. *Lipſius.*

18 *Cauſſam omnia moventem*] Ipſum Deum, ſive (ut Stoici ſæpe) ejus Rationem. *Idem.*

19 *In verba, & ſignificationes*] In Laërtii Zenone: *Τὴν διαλεκτικὴν διαιρεῖσθαι εἴς τε τὸν περὶ τῶν σημαινομένων, καὶ τὸν τῆς φωνῆς τόπον. Dialecticam dividi in totum Quæ ſignificantur, & Vocis locum.* Idem.

20 *Ingens deinde ſequitur*] Videnda in ipſo Laërtio, ibidem. *Idem.*

21 *Hæc, Lucili virorum optime*] Meũs aliique ſcripti hic ordiuntur novam epiſtolam: neque abs re videatur. *Idem.*

22. Ne

Digitized by Google

lum cepit, anguſtus eſt. Quouſque arationes veſtras porrigeris, [22] ne provinciarum quidem ſatione contenti circumſcribere prædiorum modum? Illuſtrium fluminum per privatum decurſus, & amnes magni, magnarumque gentium termini, uſque ad oſtium à fonte, veſtri ſunt. Hoc quoque parum eſt, niſi latifundiis veſtris maria cinxiſtis: niſi trans Hadriam, & Ionium, Ægæumque, veſter villicus regnet: niſi inſulæ, ducum domicilia magnorum, inter viliſſima rerum numerentur. Quam vultis, late poſſidete: ſit fundus, quod aliquando imperium vocabatur: facite veſtrum quidquid poteſtis, [23] dum plus ſit alieni. Nunc vobiſcum loquor, quorum æque ſpatioſe luxuria, quam illorum avaritia diffunditur. Vobis dico; Quouſque nullus erit lacus, cui non villarum veſtrarum faſtigia immineant? nullum flumen, cujus non ripas ædificia veſtra prætexant? Ubicumque ſcatebunt aquarum calentium venæ, ibi nova diverſoria luxuriæ excitabuntur. Ubicumque in aliquem ſinum littus curvabitur, vos protinus fundamenta jacietis, [24] nec contenti ſolo, niſi quod manu feceritis, [25] maria agetis introrſus. Omnibus licet locis tecta veſtra ſplendeant, alicubi impoſita montibus, in vaſtum terrarum mariſque proſpectum, alicubi ex plano in altitudinem montium educta: cum multa ædificaveritis, cum ingentia; tamen & ſingula corpora eſtis, & parvula. Quid proſunt multa cubicula? in uno jacetis. [26] Non eſt veſtrum, ubicumque non eſtis. Ad vos deinde tranſeo, quorum profunda & inſatiabilis gula, hinc maria ſcrutatur,

22 *Ne provinciarum quidem*] En vix credenda latifundia, & his ſequentibuſque lucem, aut fidem etiam, mutuare ex 3 de Benef. cap. 8. item ep. 64. & noſtris Admirandis lib. 2. cap. 15. *Lipſius.*

23 *Dum plus ſit alieni*] Omnia appetite, non omnia habebitis: & plus ſemper erit, quod alii poſſideant. *Idem.*

24 *Nec contenti ſolo*] Nam aggeres & moles in ipſo mari ſtruebant, iiſque ſuperſtruebant. *Idem.*

25 *Maria agetis introrſus*] A terra repelletis, verſus ſuum oceanum. Horatius:

Contracta piſces æquora ſentiunt,
Jactis in altum molibus. Idem.

26 *Non eſt veſtrum*] Uſu videlicet. quorſum autem, ſine uſu? *Idem.*

27 *Niſi*

Digitized by Google

tatur, hinc terras. Alia hamis, alia laqueis, alia retium variis generibus cum magno labore perſequitur: nullis animalibus, [27] niſi ex faſtidio, pax eſt. Quantulum enim ex iſtis epulis, quæ per tot comparatis manus, feſſo voluptatibus ore libatis? quantulum ex iſta fera, periculoſe capta, dominus crudus ac nauſeans guſtat? quantulum ex tot conchyliis, tam longe advectis, per iſtum ſtomachum inexplebilem labitur? [28] infelices etiam, quod non intelligitis, vos majorem famem habere, quam ventrem. Hæc aliis dic: ut dum dicis, audias ipſe. Scribe, [29] ut dum ſcribis, legas; omnia ad mores, & ad ſedandam rabiem affectuum referens. Stude, non ut plus aliquid ſcias, ſed ut melius.

EPIST. XC.

Philoſophiæ laus. ea vitam formavit, conſortia & imperia inſtituit, leges & jura dedit. An etiam artes vitæ utiles, ut fabricam, marmorariam, metallariam, veſtiariam, aliaſque. Negat ipſe, contra Poſidonium, & inferiora hæc majeſtate illius eſſe; & multa horum ſupervacua. Non corporis, ſed animi negotium illa gerit, & geſſit. Rudi etiam ſæculo, an fuere Sapientes? Non, ſed Sapientibus ſimiles, beneficio non Doctrinæ, ſed Naturæ. Multa in his bona, & ſcientiæ aut vitæ fructuoſa.

QUis dubitare, mi Lucili, poteſt, quin Deorum immortalium munus ſit, quod vivimus: [1] philoſophiæ, quod

27 *Niſi ex faſtidio*] Quæ jam ediſſe non libet. obſoleta ea gula eſt. *Lipſ.*

28 *Infelices etiam quod non intelligitis*] Ante Eraſmum aberat negandi particula. Sed nec in ullo mss. iſta lectio. Tres Pall. cum membranis quas contuli: *Infelices eſſe quod intelligitis.* Scribe: *Infelices ecquid intelligitis, vos majorem famem habere; quam ventrem.* Gronovius.

29 *Ut, dum ſcripſeris, legas*] Hoc nullo ſenſu dicitur: nam, *dum ſcripſeris*, Latine eſt, modo ſcripſeris, vel dummodo ſcripſeris. Fuit igitur corrigendum ex mss. omnibus: *ut, dum ſcribis, legas.* Idem.

EPIST. XC. 1 *Philoſophiæ quod bene*] Ariſtotelis illud aſſidet: *Qui docuiſſent nos, magis venerabiles debere eſſe iis qui genuiſſent.* ἀπὸ μὲν γὰρ τὸ ζῆν, ἀπὸ δὲ τὸ εὖ-

quod bene vivimus? Itaque tanto plus nos debere huic, quam diis, quanto majus beneficium eſt bona vita, quam vita? Pro certo deberetur, niſi ipſam Dii philoſophiam tribuiſſent: cujus ſcientiam nulli dederunt, facultatem omnibus. Nam ſi hanc quoque bonum vulgare feciſſent, & prudentes naſceremur; ſapientia quod in ſe optimum habet perdidiſſet; inter fortuita eſſet. Nunc enim hoc in illa pretioſum atque magnificum eſt, quod non obvenit, quod illam ſibi quiſque debet, quod non ab alio petitur. Quid haberes, quod in philoſophia ſuſpiceres, [2] ſi beneficiaria res eſſet? Hujus opus unum eſt, de divinis humaniſque verum invenire: ab hac nunquam recedit juſtitia, pietas, religio, & omnis alius comitatus virtutum conſertarum, & inter ſe cohærentium. Hæc docuit colere divina, humana diligere, & penes Deos imperium eſſe, & inter homines conſortium: quod aliquamdiu inviolatum manſit, antequam ſocietatem avaritia diſtraxit, & paupertatis cauſſa etiam his, quos fecit locupletiſſimos, fuit. Deſierunt enim omnia poſſidere, dum volunt propria. Sed primi mortalium, quique ex his geniti, naturam incorrupti ſequebantur, eamdem habebant & ducem, & legem, commiſſi melioris arbitrio. Naturæ eſt enim, potioribus deteriora ſubmittere. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. Non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine ac toris ceteros mares vicit: [3] elephantorum gregem excelſiſſimus ducit: inter homines, pro ſummo eſt optimus. Animo itaque rector eligebatur. ideoque ſumma felicitas erat gentium: in quibus non poterat potentior eſſe, niſi melior. Tantum enim quantum vult poteſt, qui ſe, niſi quod debet, non putat poſſe.

τοῦ καλῶς ζῆν [illegible] *illos enim vivendi tantum, hos bene vivendi auctores eſſe.* Lipſius.

2 *Si beneficiaria res*] Beneficii alieni, quæque tribui poſſet. *Idem.*

3 *Elephantorum gregem excelſiſſimus ducit*] Dixi in membranis à me conſpectum, *excellentiſſimus*, & valde ſe mihi probare. Crediderim quoque ſpreviſſe potius id inventum in mss. viros doctos, quam non inveniſſe. *Gronovius.*

4 Quam

poſſe. Illo ergo ſæculo, quod aureum perhibent, penes ſapientes fuiſſe regnum Poſidonius judicat. Hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur: ſuadebant, diſſuadebantque, & utilia atque inutilia monſtrabant. Horum prudentia, ne quid deeſſet ſuis, providebat; fortitudo arcebat pericula; beneficentia augebat ornabatque ſubjectos. Officium erat imperare, non regnum. Nemo quantum poſſet adverſus eos experiebatur, per quos cœperat poſſe. Nec erat cuiquam aut animus in injuriam, aut cauſſa: cum bene imperanti bene pareretur, nihilque rex majus minari male parentibus poſſet, [4] quam ut abiret è regno. Sed poſtquam, ſurrepentibus vitiis, in tyrannidem regna verſa ſunt: opus eſſe cœpit legibus, quas & ipſas inter initia tulere ſapientes. Solon, qui Athenas æquo jure fundavit, inter ſeptem ævi ſapientia notos. Lycurgum ſi eadem ætas tuliſſet, ſacro illi numero acceſſiſſet octavus. [5] Zaleuci leges Charondæque laudantur. hi non in foro, nec in conſultorum atrio, ſed in Pythagoræ tacito illo ſanctoque ſeceſſu didicerunt jura, quæ florenti tunc Siciliæ, & per Italiam Græciæ ponerent. Hactenus Poſidonio aſſentior: artes quidem à philoſophia inventas, quibus in quotidiano uſu vita utitur, non conceſſerim, nec illam fabricæ aſſertam gloriam. Illa, inquit, ſparſos [6] & aut cavis tectos, aut aliqua rupe ſuffoſſa, aut exeſæ arboris trunco, [7] docuit tecta moliri. Ego vero philoſophiam judico, non magis excogitaſſe has

4 *Quam ut abiret è regno*] Mss. *abirent*. Sed placeret magis: *quam abire ſe regno*. Gronovius.

5 *Zaleuci leges Charondæque*] De iſtis aliquid Manuduct. 1. Diſſert. 5. *Lipſius*.

6 *Et caſulis tectos*] Eraſmi divinatio eſt: at ſcripti, *è caucaſis lectos*, aut *cauſalis*. Et hercle vix melius eſt edere: niſi quod *caſa* non primo ſtatim factæ, ſed poſt rupes & antra ingenio repertæ ſunt. Hunc gradum Lucretius facit, lib. 5.

Sed nemora, atque cavos montes, ſilvaſque colebant,
Et frutices inter condebant ſqualida membra.

De cultioribus jam autem narrat,

Inde caſas poſtquam, ac pelles, ignemque pararunt,
Et mulier conjuncta viro conceſſit in unum.

Fortaſſe in Seneca igitur, *& aut cavis tectos*. Idem.

7 *Docuit tecta moliri*] Cicero ad Philoſophiam: *Tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde conjugiis junxiſti*. Idem.

has machinationes tectorum ſupra tecta ſurgentium, [8] & urbes prementium, quam vivaria piſcium in hoc clauſa, ut tempeſtatum pericula non adiret gula, & quamvis acerrime pelago ſæviente, haberet luxuria portus ſuos, in quibus diſtinctos piſcium greges ſaginaret. Quid ais? Philoſophia docuit homines habere clavem & ſeram? & quid aliud erat, avaritiæ ſignum dare? Philoſophia hæc, cum tanto habitantium periculo, imminentia tecta ſuſpendit? Parum enim erat fortuitis tegi, & ſine arte & difficultate naturale ſibi invenire aliquod receptaculum. Mihi crede, felix illud ſæculum ante architectonas fuit. Iſta nata ſunt, jam naſcente luxuria; in quadratum tigna decidere, & ſerra per deſignata currente, certa manu trabem ſcindere.

Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum.

Non enim tecta [9] cœnationi, epulum recepturæ, parabantur: nec in hunc uſum pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, [10] vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro gravia penderent. [11] Furcæ utrimque ſuſpenſæ fulciebant caſam: ſpiſſatis ramalibus, ac fronde congeſta, & in proclive diſpoſita, decurſus imbribus quamvis magnis erat. Sub his tectis habitavere ſecuri. Culmus liberos texit: ſub marmore atque auro ſervitus habitat. In illo quoque diſſentio à Poſidonio, quod ferramenta fabrilia excogitata à ſapientibus viris judicat. Iſto enim modo dicat, licet, ſapientes, per quos

Tunc laqueis captare feras, & fallere viſco

In-

8 *Et urbes prementium*] In iiſdem membranis: *& urbium urbes prementium.* Sic & quinque mss. Gruteri: quod certe damnari temere non debebat, apponit ille. Eraſmus quoque & priores editiones utramque vocem habent, licet tranſpoſitas. Vide an fuerit: *has machinationes tectorum ſupra tecta ſurgentium, & turrium turres prementium.* Gronovius.

9 *Cœnationi epulum*] Magnum & amplum convivium. Nec diſpliceat ſcribi, *populum.* Ita Seneca epiſt. 105. *capacem populi cœnationem dixit.* Lipſius.

10 *Vicis intrementibus*] Juvenalis, Sat. 3.

—— modo longa coruſcat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plauſtra vehunt. nutant alte, populoque minantur. Idem.

11 *Furcæ utrimque ſuſpenſæ*] Forte, *ſuſpenſam.* Idem.

12 *Et*

Inventum, & magnos canibus circumdare ſaltus.

Omnia enim iſta ſagacitas hominum, non ſapientia invenit. In hoc quoque diſſentio, ſapientes fuiſſe, qui ferri metalla & æris invenerunt: cum incendio ſilvarum aduſta tellus, in ſummo venas jacentes liquefacta fudiſſet. Iſta tales inveniunt, quales colunt. Ne illa quidem tam ſubtilis quæſtio mihi videtur, quam Poſidonio: Utrum malleus in uſu eſſe prius, an forcipes cœperint. Utraque invenit aliquis exercitati ingenii, acuti, non magni, nec elati, & quidquid aliud corpore incurvato, & animo humum ſpectante, quærendum eſt. Sapiens facilis victu fuit. quid ni? cum hoc quoque ſæculo eſſe quam expeditiſſimus cupiat? Quomodo, oro te, convenit, ut Diogenem mireris, [12] & Dædalum? Uter ex his ſapiens tibi videtur? qui ſerram commentus eſt? an ille, qui cum vidiſſet puerum cava manu bibentem aquam, fregit protinus exemptum è perula calicem, hac objurgatione ſui: Quam diu homo ſtultus ſupervacuas ſarcinulas habui? qui ſe complicuit in dolio, & in eo cubitavit? Hodie utrum tandem ſapientiorem putas, qui invenit quemadmodum in immenſam altitudinem [13] crocum latentibus fiſtulis exprimat; qui [14] Euripos ſubito aquarum impetu implet, aut ſiccat; [15] verſatilia cœnationum laquearia ita coagmentat, ut ſubinde alia facies atque alia ſuccedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur? an eum, qui &

12 *Et Dædalum*] Plinius lib. 7. cap. 57. Alii *Talo* tribuunt, qui Dædali ex ſorore nepos, ut Diodorus 4 Bibliothecæ. *Lipſius.*

13 *Crocum latentibus fiſtulis*] Quod in theatris fiebat ad ſparſionem. Nos de Amphitheatro, cap. 16. *Idem.*

14 *Euripos ſubito*] Id quoque in ſpectaculis & circo. nam ibi impletis iis foſſis, per occultos canales ex Aquæductibus, totam arenam inundabant, ad Naumachiam aut talia. *Idem.*

15 *Verſatilia cœnationum laquearia*] De quibus Suetonii Nerone, cap. 31. Fuere & *triclinia verſatilia*, ad jocum, & homines floribus ac roſis involvendos: apud Lampridium in Eligabalo. *Idem.* Sic appellare videtur *cœnationes* illas rotundas, quæ *vice mundi*, ut ait Suetonius in Nerone, circumagerentur. meminit & Lampridius in Heliogabalo: *Oppreſſit in tricliniis verſatilibus paraſitos ſuos violis & floribus, ſic ut animam aliqui efflaverint cum eripi ad ſummum non poſſent.* Vide Fulv. Urſinum in append. P. Ciacconii de Triclinio.

qui & aliis & ſibi hoc monſtrat, quam nihil nobis natura durum ac difficile imperaverit? Poſſe nos habitare ſine marmorario fabro, poſſe nos veſtitos eſſe ſine commercio Serum, poſſe nos habere uſibus noſtris neceſſaria, ſi contenti fuerimus his, quæ [16] terra poſuit in ſummo? Quem ſi audire humanum genus voluerit, tam ſupervacuum ſciet ſibi coquum eſſe, [17] quam militem. Illi ſapientes fuerunt, aut certe ſapientibus ſimiles, quibus expedita erat tutela corporis. Simplici cura conſtant neceſſaria: in delicias laboratur. Non deſiderabis artifices, ſi ſequere naturam. illa noluit eſſe deſtrictos: ad quæcumque nos cogebat, inſtruxit. Frigus intolerabile eſt corpori nudo. Quid ergo? numquid non pelles ferarum, & aliorum animalium, à frigore ſatis abundeque defendere queunt? non corticibus arborum pleræque gentes tegunt corpora? [18] non avium plumæ in uſum veſtis conſeruntur? non hodieque magna Scytharum pars, [19] tergis vulpium induitur [20] ac murium, quæ tactu mollia, & impenetrabilia ventis ſunt? Opus eſt tamen

16 *Terra poſuit in ſummo*] Non in imo, ut metalla. In ſummo ſunt herbæ, fruges, ſtirpes. *Lipſius.*

17 *Quam militem*] Nam bella è talibus, ex auro, inquam, & luxu. *Idem.*

18 *Non avium plumæ*] Nam & ex olim in uſu agreſtibus, aut ſilvicolis. ut de Philoctete Attius, apud Ciceronem:

Configo tardus celeres, ſtans volatiles,
Pro veſte pinnis membra textis contegens.

Sunt & novi orbis Indi, qui plumatili veſte hac utuntur. *Idem.*

19 *Tergis vulpium ac murium*] Quod de Germanis Tacitus: *Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligentius, ulteriores exquiſitius.* Iſidorus: *Maſtruca, veſtis Germanica ex pelliculis ferarum.* De Scythis, Juſtinus: *Lanæ iis uſus ignotus: pellibus tantum ferinis aut marinis veſtiuntur.* De marinis, haud temere mutem: nam & in Tacito eſt de *pellibus belluarum, quas exterior Oceanus gignit.* Tamen alii, *murinis*: quod eſſet hic pro Seneca, de *muribus.* Quod idem ex Eginharto, in vita Caroli Magni: *Ex pellibus lutrinis vel murinis* (ita ſcriptus liber) *thorace confecto, humeros ac pectus hieme muniebat.* Sunt autem iſti mures Scythici, *Martium & Hermelinarum* nomine hodie noti. Ceterum & in Homero, Agamemnon — ἑέσσατο δέρμα λέοντος· *texit ſe pelle leonis,* itemque Dolon, & Neſtor. Appollonii etiam Scholiaſtes notat:

Σύνηθες τοῖς ἥρωσι τὸ δερματοφορεῖν·
Sollenne heroïbus, pelles geſtare. Idem.

20 *Ac murium*] Mures antiqui intellexerunt non tantum domeſticas illas beſtiolas penori infeſtas; ſed ſilveſtres fetaſque beſtias minoris formæ, pelle commendabiles, quo in genere ſunt martes & hermelini. de iis plura vide apud Turneb. lib. 15. cap. 23. Adverſ.

men calorem ſolis æſtivi umbra craſſiore propellere. Quid ergo? non vetuſtas [21] multa abdidit loca, quæ vel injuria temporis, vel alio quolibet caſu excavata in ſpecum receſſerunt? Quid ergo? non quamlibet virgeam cratem texuerunt manu, & vili obleverunt luto, deinde ſtipula aliiſque ſilveſtribus operuere faſtigium, & pluviis per devexa labentibus hiemem tranſiere ſecuri? Quid ergo? non in defoſſo latent Syrticæ gentes? quibus propter nimios ſolis ardores, nullum tegmentum ſatis repellendis caloribus ſolidum eſt, niſi ipſa arens humus. [22] Non fuit tam inimica natura, ut cum omnibus aliis animalibus facilem actum vitæ daret, humo ſolus non poſſet ſine tot artibus vivere. Nihil horum ab illa nobis imperatum eſt, nihil ægre quærendum, ut poſſit vita produci. Ad parata nati ſumus: nos omnia nobis difficilia facilium faſtidio fecimus. Tecta tegumentaque, & fomenta corporum, & cibi, & quæ nunc ingens negotium facta ſunt, obvia erant, & gratuita, & opera levi parabilia: modus enim omnium, prout poſtulabat neceſſitas, erat: nos iſta pretioſa, nos mira, nos magnis multiſque conquirenda artibus fecimus. Sufficit ad id natura, quod poſcit. A natura luxuria deſcivit, quæ quotidie ſeipſam incitat, & tot ſæculis creſcit, & ingenio adjuvat vitia. Primo ſupervacua cœpit concupiſcere, inde contraria, noviſſime corpori animum addixit, & illius deſervire libidini juſſit. Omnes iſtæ artes, quibus aut [23] excitatur civitas, aut ſtrepit, corporis negotium gerunt: cui omnia olim tanquam ſervo præſtabantur, nunc tanquam domino parantur. Itaque hinc textorum, hinc fabrorum officinæ ſunt, hinc odores coquentium, hinc molles corporis motus docentium, molleſque cantus & infractos. [24] Receſſit enim

21 *Multa abdidit loca*] Cur vetuſtas *abdat*? aliquis ſuſpicetur, *addidit*: ſed tolero. *Lipſius.*

22 *Non fuit tam inimica natura*] Lego, *iniqua*. Solere hæc duo vocabula confundi etiam in Livio notavimus. *Gronovius.*

23 *Excitatur civitas*] In aliis, *exercitatur*: quod præferam. *Lipſius.*

enim ille naturalis modus, deſideria ope neceſſaria finiens: jam ruſticitatis & miſeriæ eſt, velle quantum ſat eſt. Incredibile eſt, mi Lucili, quam facile etiam magnos viros dulcedo orationis abducat à vero. Ecce Poſidonius, ut mea fert opinio, unus ex iis qui plurimum philoſophiæ contulerunt, dum vult deſcribere primum, quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli ſolutoque ducantur: deinde quemadmodum tela ſuſpenſis ponderibus rectum ſtamen extendat, quemadmodum ſubtemen inſertum, quod duritiam utrimque comprimentis tramæ remolliat, ſpatha coire cogantur & jungi: textrini quoque artem à ſapientibus dixit inventam, oblitus poſtea repertum hoc ſubtilius genus, in quo

Tela jugo juncta eſt, ſtamen ſecernit arundo.
Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis,
[24] *Quod lato feriunt inſecti pectine dentes.*

Quid ſi contigiſſet illi videre has noſtri temporis telas, quibus [25] veſtis nihil celatura conficitur, in qua non dico nullum corpori auxilium, ſed nullum pudori eſt? Tranſit deinde ad agricolas, nec minus facunde deſcribit proſciſſum aratro ſolum, [26] & iteratum, quo ſolutior terra facilius pateat radicibus: tum ſparſa ſemina, & collectas manu herbas, ne quid fortuitum & agreſte ſuccreſcat, quod necet ſegetem. Hoc quoque opus ait eſſe ſapientium: tanquam non nunc quoque plurima cultores agrorum nova inveniant, per quæ fertilitas augeatur. Deinde non eſt contentus

24 *Quod lato feriunt*] Ovidiani verſus ſunt è 6 Metamorph. certamine Palladis cum Arachne: etſi paullo aliter ibi leguntur, & medium unum Seneca omiſit. At cur hic libri ſcripti conſenſu, *Quod lato pariunt?* Gruterus acute putat, *paviunt*, fuiſſe: quod antiquis percutere eſt. Sed antiquis: Ovidius vix eſt ut uſurparit. Unde ergo libri turbant? levi ſæpe & ridicula cauſſa: ac fuerit in archetypo aliquo, *fariunt*. inde hoc, *pariunt*, diffuſum. *Lipſ.*

25 *Veſtis nihil celatura*] Serica, bombycina, & id genus pellucida: Adi de Benef. 7. cap. 9. & Conſol. ad Helv. cap. 15. *Idem.*

26 *Et iteratum*] Eſt à Pinciano, etſi libri, *inter arattum.* Sed bene bonus Cenſor. eſt enim agriculturæ vox; & in Columella *Arationem iteratio ſequitur, ut vervactum reſolvatur in pulverem.* Imo & *Tertiatio* ſæpe. *Idem.*

27 Quin

tus his artibus, ſed in piſtrinum ſapientem ſubmittit. Narrat enim, quemadmodum, rerum naturam imitatus, panem cœpit facere. Receptas, inquit, in os fruges, concurrens inter ſe duritia dentium frangit, & quidquid excidit, ad eoſdem dentes lingua refertur: tunc vero ſalivæ miſcetur, ut facilius per fauces lubricas tranſeat. Cum pervenit in ventrem, aqualiculi fervore concoquitur, tunc demum corpori accedit. Hoc aliquis ſecutus exemplar, lapidem aſperum aſpero impoſuit, ad ſimilitudinem dentium, quorum pars immobilis motum alterius exſpectat: deinde utriuſque attritu grana franguntur, & ſæpius regeruntur, donec ad minutiam frequenter trita redigantur. Tunc farinam aqua ſparſit, & aſſidua tractatione perdomuit, finxitque panem: quem primo cinis calidus, & fervens teſta percoxit: deinde furni paulatim reperti, & alia genera, quorum fervor ſerviret arbitrio. Non multum abſuit, [27] quin ſutrinum quoque inventum à ſapientibus diceret. Omnia iſta ratio quidem, ſed non recta ratio commenta eſt. Hominis enim, non ſapientis inventa ſunt: tam mehercules quam navigia, quibus amnes, quibuſque maria tranſimus, aptatis ad excipiendum ventorum impetum velis, & additis à tergo gubernaculis, quæ huc atque illuc curſum navigii torqueant: & exemplum à piſcibus tractum eſt, qui cauda reguntur, & levi ejus in utrumque momento velocitatem ſuam flectunt. Omnia hæc quidem, inquit, ſapiens invenit: ſed minora, quam ut ipſe tractaret, ſordidioribus miniſtris dedit. Imo non ab aliis excogitata iſta ſunt, quam à quibus hodieque curantur. Quædam noſtra demum prodiſſe memoria ſcimus: ut [28] ſpeculariorum uſum,

27 *Quin ſutrinum quoque*] Quippini. nam & Stoïcorum ſapiens, bonus ſutor eſt: Manuduct. 3. Diſſert. 17. *Lipſius.*

28 *Speculariorum uſum*] Specularia, quadræ ſive orbes fęneſtris inſerti, ad lucem immittendam, ventos excludendos: vicem & uſum hodie vitreorum. Dicta à lapide Speculari: cui hoc nomen à natura tralucente. Creber olim in Hiſpania, Cypro, Cappadocia, Africa: nunc ſitne in notitia, neſcio, vix in uſu. At olim frequenti. neque enim Cænationes ſolum aut

uſum, perlucente teſta, clarum tranſmittentium lumen: ut [29] ſuſpenſuras balneorum, & impreſſos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima ſimul & ſumma foveret æqualiter. Quid loquar marmora, quibus templa, quibus domus fulgent? Quid [30] lapideas moles in rotundum ac leve formatas, quibus porticus [31] & capacia populorum tecta ſuſcipimus? Quid [32] verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus

cubicula eo illuſtrabant, ſed Balnea (ſupra, in epiſt. 86.) ſed totas Porticus, in Plinii epiſt. 17. lib. 2. Item Pomaria & Hortos (tanta copia erat) contra cæli injurias ſic claudebant. ex Martiali palam, lib. 8. epigr. 14. & 68. Adde noſtrum de Provid. c. 4. *Lipſius.*

29 *Suſpenſuras balneorum*] Eadem voce & ſenſu Palladius, opinor. lib. 1. cap. 40. *ſuſpenſuras cellarum* in balneis dixit: id eſt, *locum ab humore ſuſpenſum*, ut idem loquitur, & *ne algor refrigeraret.* Nam antea ſimpliciter balneas ſolo inſtruebant: poſtea repertum, ſuſpendi, & à terra paullum allevari, ob cauſſam dictam, & ut calor diutius perſeveraret. Ita Vitruvius lib. 5. cap. 10. *Suſpenſuras caldariorum* facit: ut *tegulis ſeſquipedalibus ſolum ſternatur, & ſupra laterculis beſſalibus pilæ ſtruantur, atque ea habeant altitudinem pedum duorum.* Vides ſuſpenſionem: an à Sergio Orata primum repertam? Ita enim Plinius lib. 9. c. 54. *Sergius Orata primus invenit penſiles balneas.* Nominat eaſdem, & idem hoc ævi indicat. lib. 26. cap. 3. ubi de Aſclepiade medico: *Tum primum*, inquit, *penſilium balnearum uſu ad infinitum blandiente.* Quando primum? Aſclepiade medicante, qui Cn. Pompeii, & Mithridatis regis, temporibus vixit: ergo Sergii Oratæ, ait circa, qui L. Craſſi oratoris. Ita quod Seneca ait *ſua memoria prodiſſe*, laxius paullo capiendum eſt; ſicut & de Notis, quæ Ciceronis ævo innotuerunt. An aliquis putet, alias ſuſpenſuras intelligi? nempe ſuper hypocauſta & camerationes ſuppoſitas, ubi ignis, & ſuperiora per tubos calefacta? Pæne hoc cenſeam, & novitii id fuiſſe inventi: de quo ſcripſi in epiſt. 75. Centuriæ 3. ad Belgas, amico meo Balthazari Robiano. Porro quod vir & medicus doctiſſimus, *Penſiles Balneas* interpretatur ipſe labra à laquearibus ſuſpenſa. & levi motu huc illuc agitanda: neſcio, & hæreo, donec teſtimonio ab antiquitate impellar. *Idem.*

30 *Lapideas moles*] Columnas. *Idem.*

31 *Et capacia populorum tecta ſuſcipimus*] Vir eruditiſſimus jubet reſcribi, *ſuſpicimus.* Sed & ejuſdem verbi vim non aſſecutus Gruterus lib. 6 de Benef. cap. 15. *Quantum nobis præſtat, qui labentem domum ſuſcipit?* Pro quo fecerant contra vett. libri *fulcit*: ſed ille, quid hæc vox ſignificet, notum ait eſſe illi, qui non neſciat, quid proprie *ſuſcipere liberos.* At multum hæc differunt, & opportuniora ſunt. ex quibus conſtat, *ſuſcipere*, eſſe idem quod ſuſpendere, ſuffulcire. Plinius lib. 10. epiſt. 48. *nam fultura & ſubſtructiones quibus ſubinde ſuſcipitur, non tam firma mihi, quam ſumtuoſa videntur.* Statius Tiburtino Vopiſci: *quæ graminea ſuſcepta crepidine fumant Balnea.* Palladius Auguſto tit. 9. *quo facto, latera puteorum ſtructura ſuſcipiat.* Gronovius.

32 *Verborum notas*] De quibus exſecutus ſum in epiſt. 27. Centuriæ 1. ad Belgas. *Lipſius.*

nus ſequitur? Viliſſimorum mancipiorum iſta commenta ſunt: ſapientia altius ſedet, nec manus edocet; animorum magiſtra eſt. Vis ſcire, quid illa eruerit, quidve effecerit? Non indecoros corporis motus, nec varios per tubam ac tibiam cantus, quibus exceptus ſpiritus, aut [33] in exitu, aut [34] in tranſitu, formatur in vocem: non arma, nec muros, nec bella: utilia molitur, paci ſavet, & genus humanum ad concordiam vocat. Non eſt, inquam, inſtrumentorum ad uſus neceſſarios opifex. quid illi tam parvula aſſignas? artificem vides vitæ. Alias quidem artes ſub dominio habet. nam cui vita, illi vitæ quoque ornamenta ſerviunt: ceterum ad beatum ſtatum tendit, illo ducit, illo vias aperit. Quæ ſint mala, quæ videantur, oſtendit: vanitatem exuit mentibus, dat magnitudinem ſolidam: inflatam vero, & ex inani ſpecioſam reprimit: nec ignorari ſinit, inter magna quid interſit & tumida: [35] totius naturæ notitiam, ac ſuæ tradit. Quid ſint dii, qualeſque, declarat: quid inferi, quid [36] lares & genii. Quid [37] in ſecundam numinum formam animæ perpetuæ, [38] ſibi conſiſtant, quid agant, quid poſſint, quid velint. [39] Hæc ejus initiamenta ſunt, per quæ non municipale ſacrum, ſed ingens omnium deorum templum mundus iſte reſeratur: cujus vera ſimulacra, veraſque facies cernendas mentibus protulit. nam ad ſpectacula tam magna hebes viſus eſt. ad initia deinde rerum redit, & æternam [40] rationem toti inditam, & [41] vim omnium

33 *In exitu*] Sicut in tuba. *Lipſius.*

34 *In tranſitu*] In foratili tibia. *Idem.*

35 *Totus natura ac ſua*] Alludit ad finem, Vivere ſecundum naturam univerſi, & ſuam: de quo ego Manud. 7. aliquot Diſſertationibus. *Idem.*

36 *Lares & genii*] Diſtincta hæc, & quomodo, vide Phyſiol. 1. Diſſert. 18. *Idem.*

37 *In ſecundam numinum*] Proximo à diis loco, & dignitate. Nam & pars Deorum ſunt. *Idem.*

38 *Ubi conſiſtant*] Circa imum ætherem, & cælum Lunæ. Nos in Phyſiol. Diſſert. 14. *Idem.*

39 *Hac ejus initiamenta*] Dixi aliquid Phyſiol. 2. Diſſert. 6. *Idem.*

40 *Rationem toti inditam*] Incorporalem illam Rationem, de qua Phyſiol. 1. Diſſert. 7. *Toti* autem, id eſt Mundo. Nam Stoïcus ſermo diſparat hoc ab *Univerſo.* Nos quoque in Phyſiol. 2. Diſſert. 5. *Idem.*

41 *Vim omnium ſeminum*] De qua vide Phyſiol. 3. Diſſert. 4. *Idem.*

42 *In*

omnium ſeminum ſingula proprie figurantem. Tum de animo cœpit inquirere, unde eſſet, ubi, quamdiu, [42] in quot membra diviſus. Deinde à corporalibus ſe ad incorporalia tranſtulit, veritatemque & argumenta ejus excuſſit: poſt hæc, quemadmodum diſcernerentur [43] vitæ ac necis ambigua: in utraque enim falſa veris immixta ſunt. Non abduxit, inquam, ſe, ut Poſidonio videtur, ab iſtis artibus ſapiens, ſed ad illas omnino non venit. Nihil enim dignum inventu judicaſſet, quod non erat dignum perpetuo uſu judicaturus. ponenda non ſumeret. [44] Anacharſis, inquit, invenit rotam figuli, cujus circuitu vaſa formantur. Dein quia [45] apud Homerum invenitur figuli rota, mavult videri verſus falſos eſſe, quam fabulam. Ego nec Anacharſin hujus rei fuiſſe auctorem contendo: & ſi fuit, ſapiens quidem hoc invenit, ſed non tanquam ſapiens: ſicut multa ſapientes faciunt, qua homines ſunt, non qua ſapientes. Puta velociſſimum eſſe ſapientem: curſu omnes anteibit, qua velox eſt, non qua ſapiens. Cuperem Poſidonio aliquem vitrarium oſtendere, qui [46] ſpiritu vitrum in habitus plurimos format, qui vix diligentia manuum effingerentur. Hæc inventa ſunt, poſtquam ſapientem invenire deſivimus.

42 *In quot membra*] Ita partes appellat: quæ Stoicis octo ſunt. Vide Phyſiol. 3. Diſſert. 17. *Lipſius.*

43 *Vitæ ac necis ambigua*] Nam vita videtur nobis, quod mors eſt: & contra. Nam animus hic incluſus, velut carcere aut ſepulchro potius continetur: vivit & viget liber illic, & inter ſtellas. *Idem.*

44 *Anacharſis rotam*] Laërtius: Εὗρε δὲ εἰς τὸν βίον ἄγκυράν τε, καὶ κεραμικὸν τροχὸν, ὥς τινες. *Repperit* (Anacharſis) *ad vitæ uſum & Anchoram, & Rotam figuli, ut quidam volunt.* Addit, *ut quidam*: & oſtendit dubitatum. Strabo certe Euphorum etiam reprehendit, qui id dixerit: Πῶς γὰρ, inquit, ὃν οἶδεν Ὅμηρος πρεσβύτερος ὤν· *Quomodo enim? quam Homerus novit, qui eſt antiquior.* Sed elevatur aut repellitur hoc argumentum à Poſidonio, in Senecæ mox verbis. *Idem.*

45 *Apud Homerum invenitur*] Palam Iliad. Σ. ſub finem, his verſibus:

— ὡς ὅτε τις τροχὸν ἄρμενον ἐν παλάμῃσιν
Ἑζόμενος κεραμεὺς πειρήσεται, αἴ κε θέῃσιν·
Sicut cum figulus tractare rotam meditatur.
Et ſpecimen capit, an celeri ſat turbine currat.

Poſidonius viderit, qui optimos & decentiſſimæ imaginis verſus amolitur. *Idem.*

46 *Spiritu vitrum*] Eadem hodie formatura eſt, & miranda. *Idem.*

47 *Quem-*

mus. Democritus, inquit, inveniſſe dicitur fornicem, ut lapidum curvatura paulatim inclinatorum medio ſaxo alligaretur. Hoc dicam falſum eſſe. Neceſſe eſt enim ante Democritum, & pontes, & portas fuiſſe, quarum fere ſumma curvantur. Excidit porro vobis, eumdem Democritum inveniſſe, [47] quemadmodum ebur molliretur, quemadmodum decoctus calculus in ſmaragdum converteretur, qua hodieque coctura inventi [48] lapides coctiles colorantur. Illa ſapiens licet invenerit, non qua ſapiens erat, invenit. multa enim facit, quæ ab imprudentiſſimis aut æque fieri videmus, aut peritius, aut exercitatius. Quid ſapiens inveſtigaverit, quid in lucem protraxerit, quæris? Primum rerum naturam, quam non ut cetera animalia oculis ſecutus eſt, tardis ad divina. Deinde vitæ legem, quam [49] ad univerſa direxit: nec noſſe tantum, ſed ſequi docuit deos, & accidentia non aliter excipere, quam imperata. Vetuit parere opinionibus falſis, & quanti quidque eſſet, vera æſtimatione perpendit: damnavit [50] mixtas pœnitentiæ voluptates. Et bona ſemper placitura laudavit, & palam fecit, feliciſſimum eſſe, cui [51] felicitate opus non eſt: potentiſſimum eſſe, qui ſe habet in poteſtate. Non de ea philoſophia loquor, quæ [52] civem extra patriam poſuit, [53] extra mundum

47 *Quemadmodum ebur poliretur*] Non opinor Democritum repperiſſe. unde enim Homerus adhiberet in ornamentis ebur? ut in equi phaleris. Iliad. δ. verſ. 141. Et Odyſſeæ τ. in Somni portis, *πριστὸν ἐλέφαντα*, *ſectum ebur* agnoſcit. Sane ſcripti hic fere libri, *moliretur*, vel, *molliretur*: quod verius igitur puto, etiam è ſequentium ſimilitudine. *Idem*. Optime libri ſcripti & veteres editiones, *molliretur*. Plutarchus, *οἱ αὐτέρποι ἡ κακία. ὡς γὰρ ὁ χρόνος τὸ ἐστίον περιεῖ τίτλον καὶ ὄξει διάβροχον γενόμενον, καὶ τὸν ἐλέφαντα τῷ ζύθῳ μαλακὸν γενόμενον καὶ χαλῶντα κάμπτουσι καὶ διασχηματίζουσιν, ἄλλως δ᾽ οὐ δύνανται*. Gronovius.

48 *Lapides coctiles*] Scripti plerique, *lapides ad hoc utiles*. Lipſius.

49 *Ad univerſa direxit*] Nec male, *univerſi*. Intellegit autem finem illum, Naturam ſequi. *Idem*.

50 *Mixtas pœnitentiæ voluptates*] Malim, *pœnitentia*. Ut apud Livium lib. 8. *ſeveritatem miſcendam comitate*. Gronovius.

51 *Felicitate opus non eſt*] Nempe illa externa, & vulgi. *Lipſius*.

52 *Civem extra patriam*] Nam Epicurus à republica ſuos removet, & ſibi vivere quemque jubet. ſocietatem ſolvit. *Idem*.

53 *Extra mundum deos*] De Benef. lib. 4. cap. 19. *Idem*.

54 *Sed*

dum deos, quæ virtutem donavit voluptati: [54] Sed illa; quæ nullum bonum putat, niſi quod honeſtum eſt; quæ nec hominis, nec fortunæ muneribus deleniri poteſt; cujus hoc pretium eſt, non poſſe pretio capi. Hanc philoſophiam fuiſſe illo rudi ſæculo, quo adhuc artificia deerant, & ipſo uſu diſcebant utilia, non credo: [55] ſicut ante fortunata tempora, cum in medio jacerent beneficia naturæ promiſcue utenda, antequam avaritia atque luxuria diſſociavere mortales, & ad rapinam ex conſortio diſcurrere, non erant illi ſapientes viri, etiam ſi faciebant facienda ſapientibus. Statum quidem generis humani, non alium quiſquam ſuſpexerit magis; nec ſi cui permittat Deus terrena formare, & dare gentibus mores, aliud probaverit, quam quod apud illos fuiſſe memoratur, apud quos

—— nulli ſubigebant arva coloni,
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant, ipſaque tellus
Omnia liberius, nullo poſcente, ferebat.

Quid hominum illo genere felicius? In commune rerum natura fruebantur: ſufficiebat illa, ut parens, in tutelam omnium: hæc erat publicarum opum ſecura poſſeſſio. Quid ni ego illud locupletiſſimum mortalium genus dixerim, in quo pauperem invenire non poſſes? Irrupit in res optime poſitas avaritia: & dum ſeducere aliquid cupit, atque in ſuum vertere, omnia fecit aliena, & in anguſtum ex immenſo redacta, paupertatem intulit, & multa concupiſcendo, omnia amiſit. [56] Licet itaque velit nunc concurrere & reparare quod perdidit; licet agros agris adjiciat, vicinum

54 *Sed de illa*] Stoïca. *Lipſius.*

55 *Sicut ante fortunata*] Libri ſcripti, *ſicut autem.* Et certe, *ante*, non placet: nam de illis ipſis fortunatis temporibus loquitur. Fortaſſe, tranſpoſita litterula, *ſicut vatum fortunato tempore.* Nam poëtæ hæc tempora nobis deformant. Sin autem, legito: *Sicut ante, fortunato tempore.* Idem.

56 *Licet itaque velit nunc concurrere & reparare*] Fortaſſe, *convertere.* Idem. Incommodum hic illud *concurrere*: quod tamen plerique habent codices. Duo Pall. *occurrere*, meliori utique ſenſu: margo unius, *congerere.* Lipſius: fortaſſe, *convertere.* Optimum forte, *conquirere*, niſi mavis, quod dictum eſt, *occurrere.* Gronovius.

57 *Pretio*

vicinum vel [57] pretio pellat æris, vel injuria; licet in provinciarum ſpatium rura dilatet, & poſſeſſionem vocet per ſuam longam peregrinationem: nulla nos finium propagatio eo reducet, unde diſceſſimus. Cum omnia fecerimus, multum habebimus: univerſum habebamus. Terra ipſa fertilior erat illaborata, & in uſus populorum non diripientium larga. Quidquid natura protulerat, id non minus inveniſſe, quam inventum monſtrare alteri, voluptas erat: nec aut ulli ſuperare poterat: aut deeſſe. inter concordes dividebatur. Nondum valentior impoſuerat infirmiori manum, nondum avarus abſcondendo [58] quod ſibi jaceret, alium neceſſariis quoque excluſerat: par erat alterius, ac ſui, cura. Arma ceſſabant, incrüentæque humano ſanguine manus, odium omne in feras verterant. Illi, quos aliquod nemus denſum à ſole protexerat, qui adverſus ſævitiam hiemis, aut imbris, vili receptaculo tuti ſub fronde vivebant, placidas tranſigebant ſine ſuſpirio noctes. Sollicitudo nos in noſtra purpura verſat, & acerrimis excitat ſtimulis; at quam [58] mollem ſomnum illis dura tellus dabat. Non impendebant cælata laquearia: ſed in aperto jacentes ſidera ſuperlabebantur, & inſigne ſpectaculum noctium; mundus in præceps agebatur. ſilentio tantum opus ducens. tam interdiu illis, quam noctu, patebat proſpectus hujus pulcherrimæ domus: libebat intueri ſigna, ex media cæli parte vergentia, rurſus ex occulto alia ſurgentia. Quid ni juvaret vagari inter tum late ſparſa miracula? At vos ad omnem [60] tectorum pavetis ſonum, & inter picturas veſtras ſi quid increpuit, fugitis attoniti. Non habebant

57 *Tretio pellat æris*] Muretus fecit, *pellat agris*. Scripti, *eris* legendum, *eis*, vel, *terris*. Lipſius.

58 *Quod ſibi jaceret*] Sine uſu, & fructu: abditum, aut ſepoſitum. *Idem.*

59 *Mollem ſomnum illis*] Meus & quit Lipſius, & quidam voce præmiſſa: *aquam mollem*. Liceat, *ad aquam.* Multa ſane liceant, ſed haud dubie verum eſt, quod ex uno Pal. propinavit Gruterus & nos in caſcis membranis legimus: *at quam mollem ſomnum illis dura tellus dabat!* Hippolyto: *certior ſomnus premit, Secura duro membra verſantem toro.* Gronovius.

60 *Tectorum pavetis ſonum*] Ruinæ metu. *Lipſius.*

bebant [61] domos inſtar urbium. Spiritus ac liber inter aperta flatus, & levis umbra rupis aut arboris, & perlucidi fontes, rivique non opere, nec fiſtula, nec ullo coacto itinere obſolefacti, ſed ſponte currentes, & prata ſine arte formoſa, inter hæc agreſte domicilium, ruſtica politum manu. Hæc erat ſecundum naturam domus, in qua libebat habitare, nec ipſam, nec pro ipſa timentem: nunc magna pars noſtri metus, tecta ſunt. Sed quamvis egregia illis vita fuerit, & carens fraude, [62] non fuere ſapientes, quando hoc jam in opere maximo nomen eſt. Non tamen negaverim fuiſſe alti ſpiritus viros, & ut ita dicam, [63] à diis recentes. neque enim dubium eſt, quin meliora mundus nondum effetus ediderit. Quemadmodum autem omnibus indoles fortior fuit, & ad labores paratior: ita non erant ingenia omnibus conſummata. Non enim dat natura virtutem: ars eſt, bonum fieri. Illi quidem non aurum, nec argentum, nec perlucidos lapides ima terrarum fæce quærebant, [64] parcebantque adhuc etiam mutis animalibus: tantum aberat, ut homo hominem non iratus, non timens, tantum ſpectaturus occideret. Nondum veſtis illis erat picta, nondum texebatur aurum: adhuc non eruebatur. Quid ergo? ignorantia rerum, innocentes erant. multum autem intereſt, utrum peccare aliquis nolit, an neſciat. Deerat illis juſtitia, deerat prudentia, deerat temperantia ac fortitudo. Omnibus his virtutibus habebat ſimilia quædam rudis vita: virtus non contingit animo, niſi inſtituto & edocto, & ad

61 *Domos inſtar urbium*] Docui in Admirandis, Romæ ſic fuiſſe. *Lipſius.*

62 *Non fuere ſapientes*] Vide Manuduct. 2. Diſſert. 5. *Idem.*

63 *A diis recentes*] Ab illis conditos factoſque, nulla adhuc propagine. *Idem.*

64 *Parcebantque adhuc etiam mutis animalibus*] Id eſt piſcibus, à quibus prima cædes cœpit, & in opſonium illi verſi, inquit Lipſius. Miror. An etiam piſces intelliget epiſt. 92? *Excedit ex hoc animalium numero pulcherrimo ac diis ſecundo, mutis aggregetur animal pabulo latum.* Et centum aliis locis, ubi Seneca & probiſſimi quique veterum *muta* pro brutis dicunt. Neque hic ſecus *muta*, non pro piſcibus, beſtiarum vocalium, ſed pro ceteris animalibus hominum reſpectu dicuntur, ut ex antitheto ſatis apparet. *Gronovius.*

Digitized by Google

& ad ſummum aſſidua exercitatione perducto. Ad hoc quidem, ſed ſine hoc naſcimur: & in optimis quoque antequam erudias, virtutis materia, non virtus eſt.

EPIST. XCI.

Lugdunenſis coloniæ incendium triſte, & ſubitum: ea injectione, cogitandum de inopinatis, & quæ homini poſſunt accidere. Ponit ante oculos incerta & fluxa hæc rerum; maxima & firmiſſima minui, mutari, ſubduci, terræmotu, aquis, flammis. Omnia mortalia morte damnata eſſe. Ergo nec iſtam homini, nec infamiam timenda.

[1] LIberalis noſter nunc triſtis eſt, nuntiato incendio, quo Lugdunenſis colonia exuſta eſt. Movere hic caſus quemlibet poſſet, nedum hominem patriæ ſuæ amantiſſimum. Quæ res efficit, ut firmitatem animi ſui quærat, quam videlicet ad ea quæ timeri poſſe putabat, exercuit: hoc vero tam inopinatum malum, & pene inauditum, non miror ſi ſine metu fuit, cum eſſet ſine exemplo. multas enim civitates incendium vexavit, nullam abſtulit. Nam etiam ubi hoſtili manu in tecta ignis immiſſus eſt, multis locis deficit: & quamvis ſubinde excitetur, raro tamen ſic cuncta depaſcitur, ut nihil ferro relinquat. Terrarum quoque vix umquam tam gravis & pernicioſus fuit motus, ut tota oppida everteret. Nunquam denique [2] tam infeſtum ulli exarſit incendium, ut nihil alteri ſupereſſet incendio. Tot pulcherrima opera, quæ ſingula illuſtrare urbes ſingulas poſſent, una nox ſtravit; & in tanta pace, quantum ne bello quidem timeri poteſt, accidit. Quis hoc credat, ubique armis quieſcentibus, cum toto orbe terrarum diffuſa ſecuritas ſit, [3] Lugdunum quod oſtendebatur in

EPIST. XCI. 1 *Liberalis noſter*] Videtur ille *Æbutius Liberalis*, cui de Beneficiis inſcripſit. *Lipſius.*

2 *Tam infeſtum ulli*] Mallem vel, uſpiam, vel ullum. Idem.

3 *Lugdunum quod oſtendebatur in Gallia*] De naturali civitatum interitu memorabilia multa vide apud Fabrum lib.

in Gallia, quæri? Omnibus fortuna, quos publice afflixit, quod paſſuri erant, timere permiſit: nulla res magna non aliquod habuit ruinæ ſuæ ſpatium: [4] in hac, una nox fuit inter urbem maximam, & nullam. Denique diutius illam tibi periſſe, quam periit, narro. Hæc omnia Liberalis noſtri affectum inclinant, [5] adverſus ſua firmum & erectum. nec ſine cauſſa concuſſus eſt. Inexſpectata plus aggravant: novitas adjicit calamitatibus pondus: nec quiſquam mortalium non magis, [6] quod etiam miratus eſt, doluit. Ideo nihil nobis improviſum eſſe debet. in omnia præmittendus eſt animus: cogitandumque, non quidquid ſolet, ſed quidquid poteſt fieri. Quid enim eſt, quod non fortuna cum voluit, & florentiſſimo detrahat? quod non eo magis aggrediatur & quatiat, quo ſpecioſius fulget? Quid illi arduum, quidve difficile eſt? non una via ſemper, ne tota quidem incurrit. Modo noſtras in nos manus advocat, modo ſuis contenta viribus, invenit pericula ſine auctore. Nullum tempus exceptum eſt: in ipſis voluptatibus cauſſæ doloris oriuntur. Bellum in media pace conſurgit; & auxilia ſecuritatis in metum tranſeunt: ex amico inimicus, hoſtis ex ſocio. In ſubitas tempeſtates, hiberniſque majores, agitur æſtiva tranquillitas. Sine hoſte patimur hoſtilia: & cladis cauſſas, ſi alia deficiunt, nimia ſibi felicitas invenit. Invadit temperatiſſimos morbus, validiſſimos phthiſis, innocentiſſimos pœna, ſecretiſſimos tumultus. Eligit aliquid novi caſus, per quod velut oblitis vires

lib. 1 Semeſtr. cap. 9. Confer ad hunc locum Lipſium ad lib. 16 Annal. Taciti.

4 *In hac una nox fuit inter urbem maximam & nullam*] Sic quidem unus apud Gruterum, ex quo videtur recepiſſe Lipſius; at a nobis collatus & ceteri tum ſcripti tum editi, *interfuit*: quod non debuit contra plures mutari. Epiſt. 101. *Ubi ſtabilita mens ſcit nihil intereſſe inter diem & ſeculum.* Marcus Controv. 7. *Hoc unum inter nos intereſt, quod tu etiam à piratis cibum accepiſti.* Controv. 8. *Quantum inter illam & me intereſt? ille abdicationem virtute delevit, ego merui.* Gronovius.

5 *Adverſus ſua firmum*] Putarem, *ſueta*: ex ſequentibus. *Lipſius.*

6 *Quod etiam miratus eſt*] Ut inopinatum & inſolitum: Unde hoc? Quomodo? Quis putaſſet? *Idem.*

7 Qui

vires ſuas ingerat. Quidquid longa ſeries, multis laboribus, multa Deum indulgentia ſtruxit, id unus dies ſpargit ac diſſipat. Longam moram dedit malis properantibus, [7] qui diem dixit; [8] hora, momentumque temporis, evertendis imperiis ſuffecere. Eſſet aliquod imbecillitatis noſtræ ſolatium, rerumque noſtrarum, ſi tam tarde perirent cuncta, quam fiunt: [9] nunc incrementa lente exeunt, feſtinatur in damnum. Nihil privatim, nihil publice ſtabile eſt: tam hominum, quam urbium, fata volvuntur. Inter placidiſſima terror exſiſtit, nihilque extra tumultuantibus cauſſis, mala, unde minime exſpectabantur, erumpunt. Quæ domeſticis bellis ſteterunt regna, quæ externis, impellente nullo ruunt. Quota quæque felicitatem civitas pertulit? Cogitanda ergo ſunt omnia, & animus adverſus ea quæ poſſunt evenire, firmandus. Exſilia, tormenta, bella, morbos, naufragia meditare. poteſt te patriæ, [10] poteſt patriam tibi caſus eripere: poteſt te in ſolitudinem abjicere, poteſt hoc ipſum in quo turba ſuffocatur, fieri ſolitudo. Tota ante oculos ſortis humanæ conditio ponatur: nec quantum frequenter evenit, ſed quantum plurimum poteſt evenire, præſumamus animo, ſi nolumus opprimi, nec ullis inuſitatis velut novis obſtupefieri. In plenum cogitanda fortuna eſt: Quoties Aſiæ, quoties Achaiæ urbes uno tremore ceciderunt? quot oppida in Syria? quot in Macedonia devorata ſunt? Cyprum quoties vaſtavit hæc clades? quoties in ſe Paphus corruit? Frequenter nobis nun-

7 *Qui diem dixit*] Is fuit Euripides, & eo noſter videtur adſpicere. Nam verſus ejus eſt:

Ὁ δ᾽ ὄλβος οὐ βέβαιος, ἀλλ᾽ ἐφήμερος.

Felicitas non firma, ſed dialis eſt.

De quo Demetrius Phalereus cenſebat, *melius habiturum, ſi non diem, ſed momentum dixiſſet.* Eſt ipſa correctio, quæ hic in Seneca: & illa Demetrii apud Plutarchum legitur, Conſol. ad Apollonium. *Lipſius.*

8 *Horam, momentumque*] Legerim cum Grutero: *hora momentumque ev. imp. ſuffecere.* Idem.

9 *Nunc incrementa lente*] Tacitus in Agricola: *Natura infirmitatis humanæ, tardiora ſunt remedia, quam mala. Et ut corpora lente augeſcunt, cito exſtinguuntur: ſic ingenia facilius oppreſſeris, quam revocaveris.* Idem.

10 *Poteſt patriam tibi*] Ut Lugduni incendio factum. *Idem.*

nuntiati ſunt totarum urbium interitus: & nos, inter quos frequenter iſta nuntiantur, quota pars omnium ſumus? Conſurgamus itaque adverſus fortuita: & quidquid inciderit, ſciamus non eſſe tam magnum, quam rumore jactetur. Civitas arſit opulenta, ornamentumque provinciarum, quibus [11] & inſerta erat, & excepta, uni tamen impoſita, & huic non altiſſimo monti. Omnium iſtarum civitatum, quas nunc magnificas ac nobiles audis, veſtigia quoque tempus eradet. Non vides, quemadmodum in Achaia clariſſimarum urbium jam fundamenta conſumpta ſint, nec quidquam exſtet, ex quo appareat illas ſaltem fuiſſe? Non tantum manufacta labuntur, non tantum humana arte atque induſtria poſita vertit dies: juga montium diffluunt, totæ deſedere regiones. Operta ſunt fluctibus, quæ procul à conſpectu maris ſtabant: vaſtavit ignis colles, per quos elucebat: eroſit & quondam altiſſimos vertices, ſolatia navigantium ac ſpeculas; [12] ad humilem arenam deduxit. Ipſius naturæ opera vexantur: & ideo æquo animo ferre debemus urbium excidia. Caſura omnia exſtant: omnibus exitus manet: ſive interna vi flatuque [13] præcluſa violenti pondus, ſub quo tenentur, excuſſerint; ſive torrentium [14] in abdito vis obſtantia effregerit; ſive flammarum violentia compaginem ſoli ruperit; ſive vetuſtas, à qua nihil tutum eſt, expugnaverit minutatim; ſive gravitas cæli egeſſerit populos, & ſitus deſerta corruperit. Enumerare omnes fatorum vias, longum eſt. hoc unum ſcio: omnia mortalium opera, mortalitate damnata ſunt: inter peritura vivimus. Hæc ego atque ejuſmodi ſolatia admoveo Liberali

11 *Et inſerta erat, & excepta*] Loco inſerta, & poſitu; excepta conditione, & colonia Romana facta. *Lipſius.*

12 *Ad humilem arenam deduxit*] Meus & plures ſcripti: *ad humile deduxit*, ſpreta media voce. *Idem.*

13 *Præcluſa violenti pondus*] Muretus ex iſtis fecerat, *præcluſi venti.* Ego putem: *interna vis, flatuſque præcluſi, violente pondus. Idem.*

14 *In abdito vis obſtantia*] Scripti, *in abdito vaſtorum obſtantia.* Sed ſane vox *vis*, aut ſimilis requiritur: niſi placet repeti & intelligi è linea priore. *Idem.*

15 *Tima-*

berali noſtro, incredibili quodam patriæ ſuæ amore flagranti: quæ fortaſſe conſumpta eſt, ut in melius excitaretur. Sæpe majori fortunæ locum fecit injuria: multa ceciderunt, ut altius ſurgerent, & in majus. [15] Timagenes felicitati urbis inimicus aiebat, Romæ ſibi incendia ob hoc unum dolori eſſe, quod ſciret meliora reſurrectura, quam arſiſſent. [16] In hac quoque urbe veriſimile eſt certaturos omnes eſſe, ut majora certioraque, quam amiſere, reſtituantur. [17] Sint utinam diuturna, & melioribus auſpiciis in ævum longius condita! Nam huic coloniæ ab origine ſua [18] centeſimus annus eſt, ætas ne homini quidem extrema. A Planco deducta in hanc frequentiam, loci opportunitate, convaluit: quæ tamen graviſſimos caſus intra ſpatium humanæ pertulit ſenectutis. Itaque formetur animus ad intellectum, patientiamque ſortis ſuæ, & ſciat nihil inauſum eſſe fortunæ. Adverſus imperia illam idem habere juris, quod adverſus imperantes: adverſus urbes idem poſſe, quod adverſus homines. Nihil horum indignandum eſt. in eum intravimus mundum, in quo his legibus vivitur. Placet? pare. non placet? quacumque vis, exi. Indignare, ſi quid in te iniqui proprie conſtitutum eſt: ſed ſi hæc imos ſummoſque neceſſitas alligat, in gratiam cum fato revertere, à quo omnia reſolvuntur. Non eſt quod nos

15 *Timagenes*] Nicolao Fabro accepta refertur hæc emendatio. & intellegit illum Auguſti inimicum occultum & obtrectatorem, præſenti ſtatui infenſum: hominem liberæ linguæ, quamquam ſervus, imo captivus antea fuiſſet. Vide Senecam patrem, lib. 10. Controv. 5. & noſtra lib. 3 de Ira, c. 23. *Lipſius.*

16 *In hac quoque urbe*] Verum vaticinium. nam ita ſurrexit, & ſtatim, ut vix novem annis à clade floruerit, & Galbæ imperio pro Vitellio ſteterit, *pertinaci pro Nerone fide*, ait Tacitus. Contendit etiam cum Viennenſi colonia, & æmulationes exercuit, affectus felicium. Hæc ex Taciti 1 Hiſtor. Quod autem pro Nerone, non mirum. nam is *cladem Lugdunenſem* (ait idem Tacitus) *quadragies ſeſtertio ſolatus erat*: centum millibus Philippæorum. *Idem.*

17 *Sint utinam diuturna*] Sunt, Seneca: & durat floretque ea urbs hodie, inter Galliæ primas. *Idem.*

18 *Centeſimus annus eſt*] Ergo ſolatium illud à Nerone tardiuſcule adhibitum, anno urbis 818. Lugdunum autem condita à Munatio Planco, anno 711. Oportuit arſiſſe, 811. aut paullo poſt potius, ne Senecam exacte computaſſe cenſeamus. *Idem.*

nos tumulis metiaris, & his [19] monumentis, quæ viam diſparia prætexunt: æquat omnes cinis. impares naſcimur, pares morimur. Idem de urbibus, quod de urbium incolis dico: tam Ardea capta, quam Roma eſt. Conditor ille juris humani, non natalibus nos, nec nominum claritate diſtinxit, niſi dum ſumus. Ubi vero ad finem mortalium ventum eſt: Diſcede, inquit, ambitio: omnium quæ terram premunt, [20] ſiremps lex eſto. Ad omnia patienda pares ſumus: nemo altero fragilior eſt, nemo in craſtinum ſui certior. Alexander Macedonum rex diſcere Geometriam infelix cœperat, ſciturus quam puſilla terra eſſet, ex qua minimum occupaverat. Ita dico, infelix, ob hoc, quod intelligere debebat falſum ſe gerere cognomen. quis enim eſſe magnus in puſillo poteſt? Erant illa quæ tradebantur, ſubtilia, & diligenti intentione diſcenda: non quæ percipere poſſet veſanus homo, & trans Oceanum cogitationes ſuas mittens. Facilia, inquit, me doce. Cui præceptor: Iſta, inquit, omnibus eadem ſunt, æque difficilia. Hoc puta rerum naturam dicere: Iſta de quibus quereris, omnibus eadem ſunt: nulli dari faciliora poſſunt: ſed quiſquis volet, ſibi ipſi illa reddet faciliora. Quomodo? Æquanimitate. Et doleas oportet, & ſitias, & eſurias, & ſeneſcas, & ſi tibi longior contigerit inter homines mora, & ægrotes; & perdas aliquid, & pereas. Non eſt tamen quod iſtis, quæ te circumſtrepunt, credas: nihil horum malum eſt, nihil intolerabile, aut durum. Ex conſenſu iſtis metus eſt. ſic mortem times, quomodo famam; quid autem ſtultius homine,

19 *Monumentis quæ viam*] Nam utrimque ad viarum publicarum limites monumenta fere ſtatuta: quæ tranſeuntes mortis admonerent. Sed ea magna, parva, modica, ornatu & titulis (ut fortuna cujuſque) diverſa: at mors una omnibus, quidquid domus illæ diſpares; quidquid natales, opes, vita diſſident. *Lipſius.*

20 *Siremps lex eſto*] Eximia correctio ab illo Jac. Cujacio eſt. Spectat ad legum formulam, in quibus perſcribi ſolet, de tali aut tali re, ſimile jus eſſe. Priſcum eſt verbum: & notavi 1 Antiquar. Lection. cap. 1. *Idem.* Una eſt de ſolemnibus populi Romani; valetque *ſimilis* aut *eadem.* meminit Feſtus, quem vide & ibidem Scaligerum, Briſſonium lib. 2. de Formulis, Stephanum lib. 2. c. 10. Prood.

21 *Sure*

ne, verba metuente? Eleganter Demetrius noſter ſolet dicere, eodem loco ſibi eſſe voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. Quid enim, inquit, mea refert, [21] ſurſum iſti an deorſum ſonent? Quanta dementia eſt vereri, ne infameris ab infamibus? Quemadmodum famam extimuiſtis ſine cauſſa: ſic & illa, quæ nunquam timeretis, niſi fama juſſiſſet. Num quid detrimenti faceret vir bonus, iniquis rumoribus aſperſus? nec morti quidem hoc apud nos noceat. [22] & hæc malam molitionem habet. Nemo eorum qui illam accuſant, expertus eſt. interim temeritas eſt, damnare quod neſcias. At illud ſcis, quam multis utilis ſit, quam multos liberet tormentis, egeſtate, querelis, ſuppliciis, tædio. Non ſumus in ullius poteſtate, cum mors in noſtra poteſtate ſit.

EPIST. XCII.

Rationem in homine dominari, & huc omnia referri, & in ea perfecta Beatam vitam eſſe. Externa leve, aut nullum, pondus habere. Utique voluptatem non facere momentum, irrationalium bonum. Et poſſe tamen ſumi externa, quæ ſecundum Naturam ſunt; ſed judicio: & hoc tunc in iis Bonum eſſe, bene eligi. Nihilominus & ſine iis, ſola Virtute beatum, imo Beatiſſimum aliquem eſſe. Accedere hæc poſſe; non tamen augere addita,

21 *Surſum iſti an deorſum*] Alludit ad famam quæ deprimit, & quæ attollit. *Lipſius.*

22 *Et hac malam molitionem habet*] Pincianus, *malam amolitionem*. Gruterus fatetur ſe non eſſe medicum ad hoc cadaver. Lipſius, *mali mollitionem* vel *amolitionem*: etſi aliud fuiſſe videri pronuntiet. Ne dubites quin fuerit: *malam opinionem*. hoc eſt, quos ante dixerat, iniquos rumores. Ep. 79. *numquid non opinio ejus emicuit?* Epiſt. 102. *Claritas autem iſta bonorum virorum ſecunda opinio eſt.* Epiſt. 113. *Et tunc, ſi ſapis, mala opinio bene parta delectat.* Epiſt. 115. *qui lucro innocentiam, ſalutem, opinionem bonam mutant.* Epiſt. 116. *Naturale eſt opinionibus hominum tangi & adverſis contriſtari: quare non permittas mihi hunc tam honeſtum malæ opinionis metum?* Epiſt. 123. *nec dubitaveris bonam vitam quam opinionem bonam malle.* Marcus Controv. 24. *Voluiſti opinionem ſordium illuſtri facto effugere.* Controv. 34. *Verum Athenienſium corrumpitur opinio: Miſericordiæ ſemper cenſi ſumus.* Gronovius.

ta, nec minuere detracta Beatitatem. in quam nec Tempus aliquid poteſt. Deo aſſimilemur, ad illum eamus.

PUto, inter me teque convenit, externa corpori acquiri, corpus in honorem animi coli, [1] in animo eſſe partes miniſtras, per quas movemur alimurque, propter [2] ipſum principale nobis datas. In hoc principali eſt aliquid irrationale, eſt & rationale. Illud huic ſervit: hoc unum eſt, quod alio non refertur, ſed omnia ad ſe perfert. Nam illa quoque divina ratio omnibus præpoſita eſt, ipſa ſub nullo eſt: & hæc autem noſtra eadem eſt, quia ex illa eſt. Si de hoc inter nos convenit, ſequitur ut de illo quoque conveniat, in hoc uno poſitam eſſe beatam vitam, ut in nobis ratio perfecta ſit. Hæc enim ſola non ſubmittit animum, ſtat contra fortunam: [3] in quolibet rerum habitu ſervata, ſervat. Id autem unum bonum eſt, quod nunquam defringitur. Is, inquam, beatus, quem nulla res minorem facit: tenet ſumma, & ne ulli quidem, niſi ſibi, innixus. Nam qui aliquo auxilio ſuſtinetur, poteſt cadere. Si aliter eſt, incipient in nobis multum valere non noſtra. Quis autem vult conſtare fortuna, aut quis ſe prudens ob aliena miratur? Quid eſt beata vita? ſecuritas & perpetua tranquillitas. Hanc dabit animi magnitudo, dabit conſtantia bene judicati tenax. Ad hoc quomodo pervenitur? ſi veritas tota perſpecta eſt, ſi ſervatus eſt in rebus agendis ordo, modus, decor, & innoxia voluntas, aut benigna, intenta rationi, nec unquam ab illa recedens, amabilis ſimul, mirabiliſque. Denique, ut breviter tibi formulam ſcribam, talis animus

EPIST. XCII. 1 *In animo eſſe partes miniſtras*] Hæc explico 3. Phyſiol. Diſſert. 17. *Lipſius.*

2 *Ipſum principale*] De quo ibidem, Diſſert. 18. itemque de ſequentibus. Vide. *Idem.*

3 *In quolibet rerum habitu ſervata, ſervat*] Si tu eam ſervas integram, nec ſubmittis, ipſa te ſervat. Sed libri pleríque, *ſervitus ſervat*: & quidam, *ſe virtus*, quod germanum puto. *Idem.* Mss. omnes: *ſervitus ſerviat*, vel *ſervitus ſervit*, uti tres Pall. & meus. Margini unius adſcriptum alias legi, *ſe virtus ſervat.* quod germanum putat Lipſius. Scribe: *in quolibet rerum habitu ſe rectam ſervat.* Hoc eſt, & integram & neſciam flecti, Vett. edd. *ſervatus ſervat.* Gronovius.

4 *Sive*

animus ſapientis eſſe viri debet, qualis Deum deceat. Quid poteſt deſiderare is, cui omnia honeſta contingunt? Nam ſi poſſunt aliquid non honeſta conferre ad optimum ſtatum, in iis erit beata vita, [4] ſine quibus non eſt. Et quid ſtultius, turpiuſve, quam bonum rationalis animi ex irrationalibus nectere? Quidam tamen augeri ſummum bonum judicant, quia parum plenum ſit, fortuitis repugnantibus. Antipater quoque, [5] inter magnos ſectæ hujus auctores, aliquid ſe tribuere dicit externis, ſed exiguum admodum. Vides autem quale ſit, die non eſſe contentum, niſi aliquis igniculus alluxerit. Quod poteſt in hac claritate ſolis habere ſcintilla momentum? Si non es ſola honeſtate contentus, neceſſe eſt aut [6] quietem adjici velis, quam heſychiam vocant Græci, aut voluptatem. Horum alterum utcumque recipi poteſt: vacat enim animus moleſtia, liber ad inſpectum univerſi, nihilque illum avocat à contemplatione naturæ: alterum illud, voluptas, bonum pecoris eſt. Adjicimus rationali irrationale, honeſto inhoneſtum. [7] Magnam vitam facit titillatio corporis? quid ergo dubitatis dicere, bene eſſe homini, ſi palato bene eſt? Et hunc tu, non dico inter viros numeras, ſed inter homines, cujus ſummum bonum ſaporibus, ac coloribus, ac ſonis conſtat? Excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo, ac diis ſecundo; mutis aggregetur [8] animal pabulo lætum. Irrationalis pars animi [9] duas habet partes: alteram animoſam,

4 *Sine quibus non eſt*] Quæ niſi abſint, non eſt beata. Inveni tamen in membrana. *cum quibus non eſt.* Æque bono ſenſu. Quibus jungi nequit, nempe inhoneſtis. *Gronovius.*

5 *Inter magnos ſectæ*] De iſto Antipatro ego in Manuduct. 1. Diſſert. 2. *Lipſius.*

6 *Quietem adjici*] Quam interpretatur ἡσυχίαν· etſi libri ignorabiles fere ibi litteras habent: nec male εὐθυμίαν legas, quæ ipſa Democriti ſententia fuit: & finem hanc ſtatuebat. *Idem.*

7 *Magnam vitam*] Ante editi, *magno:* quod præ iſto placet, aut *magni.* Sententia eſt, non ideo magni habendam vitam, ſi in voluptate externa eſt. *Idem.*

8 *Animal pabulo natum*] Recepi ex omnibus mss. *pabulo lætum.* Eſt enim *lætum* hic idem quod contentum, ut *lætus parvo.* Horatio: *Et lætum equino ſanguine Concanum.* Gronovius.

9 *Duas habet partes*] De quibus nos in loco proxime dicto. *Lipſius.*

ſam, ambitioſam, impotentem, poſitam in affectionibus: alteram humilem, languidam, voluptatibus deditam. Illam effrænatam, meliorem tamen, certe fortiorem ac digniorem viro, [10] reliquerunt: hanc neceſſariam beatæ vitæ putaverunt, enervem & abjectam. Huic rationem ſervire juſſerunt, & fecerunt animalis generoſiſſimi bonum, demiſſum & ignobile. Præterea mixtum, portentoſumque, & [11] ex diverſis animalium congruentibus membris. nam, ut ait Virgilius noſter, in Scylla,

Prima hominis facies & pulcro pectore virgo
Pube tenus, poſtrema immani corpore piſtrix,
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.

Huic tamen Scyllæ fera animalia juncta ſunt, horrenda, velocia: at iſti ſapientiam ex quibuſnam compoſuere portentis? Prima hominis pars, eſt ipſa virtus: huic committitur futilis caro, & fluida, & receptandis tantum cibis habilis, ut ait Poſidonius. Virtus illa divina in lubricum deſinit, & ſuperioribus ejus partibus venerandis atque cæleſtibus, animal iners ac marcidum attexitur. [12] Illa utcumque alta quies, nihil quidem ipſa animo præſtabat, ſed impedimenta removebat: voluptas ultro diſſolvit, & omne robur emollit. Quæ invenietur tam diſcors inter ſe junctura corporum? Fortiſſimæ rei inertiſſima adſtruitur, ſeveriſſimæ parum ſeria, ſanctiſſimæ intemperans uſque ad inceſta. Quid ergo? inquit: ſi virtutem nihil impeditura ſit bona valetudo, & quies, & dolorum vacatio; non petes illa? Quid ni petam? non quia bona ſunt, ſed quia ſecundum natu-

10 *Reliquerunt*] Qui? nempe Epicurei: & de iis loquitur. Illi, inquit, relicto τῷ θυμοειδεῖ, ſolum ἐπιθυμητικὸν ſunt ſecuti. *Lipſius.*

11 *Ex diverſis animalium congruentibus*] Sane hoc mirum portentoſumque, diverſa animalium membra tamen congruere. Mss. *omnes animalis.* Editt. antiquæ, *animalibus.* ita eſſet, ex membris, quæ congruunt diverſis animalibus. Cogitabam aliquando: *ex diverſis ſui diſcongruentibus membris.* Ut *diſconvenire* & *diſſociabilis.* Aut: *ex diverſo animali congruentibus.* id eſt, ei, quod homini diverſum vel oppoſitum eſt, nempe muto & irrationali. *Gronovius.*

12 *Illa utcumque alta quies*] Tranquillitas, & Heſychia. *Lipſius.*

13 *Ind*-

naturam ſunt, & quia bono à me [13] judicio ſumuntur. Quod erit in illis tunc bonum? hoc unum, bene eligi. Nam cum veſtem qualem decet ſumo, cum ambulo ut oportet, cum cœno quemadmodum debeo: non cœna, aut ambulatio, aut veſtis bona ſunt, [14] ſed meum in his propoſitum, ſervantis in quaque re ratione convenientem modum. Etiam nunc adjiciam: Mundæ veſtis electio appetenda eſt homini. natura enim homo mundum & elegans animal eſt. Itaque non eſt bonum per ſe munda veſtis, ſed mundæ veſtis electio: quia non in re bonum eſt, ſed in electione: qua actiones noſtræ honeſtæ ſunt, non ipſa quæ aguntur. Quod de veſte dixi, idem de corpore me exiſtima dicere. nam hoc quoque natura, ut quamdam veſtem, animo circumdedit: velamentum ejus eſt. Quis autem unquam veſtimenta [15] æſtimavit arcula? Nec bonum, nec malum vagina gladium facit. Ergo de corpore quoque idem tibi reſpondeo: ſumpturum quidem me, ſi detur electio, & ſanitatem & vires: bonum autem futurum, judicium de illis meum, non ipſa. Eſt quidem, inquit, ſapiens beatus: [16] ſummum tamen illud bonum non aſſequitur, niſi illi & naturalia inſtrumenta reſpondeant. Ita miſer quidem eſſe, qui virtutem habet, non poteſt; beatiſſimus autem non eſt, qui naturalibus bonis deſtituitur, ut valetudine, & membrorum integritate.

13 *Judicio ſumuntur*] Hoc Stoïcum. in Adiaphoris, ſive Mediis, *eligere* & *ſumere* quæ ſunt ſecundum naturam. Ipſa bona non ſunt, ſed judicium tale bonum. Nos in Manuduct. lib. 2. Diſſert. 23. *Lipſius.*

14 *Sed meum in his propoſitum ſervandi*] Quinque Pall. & nobis collatus cum edit. Eraſmi & antiquioribus Tarviſina & Veneta, *ſervantis*. Et reſtituatur. Perinde enim habet, ut lib. 5 de Benef. 15. *Quod hanc tantum noſtram murmurationem putes pro peſſimo pravoque numerantium.* Cicero 15 Famil. 13. *me conſulem tuum ſtudium adoleſcentis perſpexiſſe.* Philip. 2. *tuum hominis ſimplicis pectus vidimus.* Horatius, 1 Sat. 3. *quum mea nemo Scripta legat vulgo recitare timentis.* Livius lib. 37, *quod cum Romani procul abeſſent, vim tuam præſentis exercitusque tui experiri noluerint.* Gronovius.

15 *Æſtimavit arcula*] In quibus reconduntur, & aſſervantur. Vide de Tranquill. cap. 1. *Lipſius.*

16 *Summum tamen illud bonum*] Eſt hæc nota & capitalis controverſia inter Stoïcos & Academicos (quibus Peripatetici conſentiunt) à virtute beatitatem eſſe, ſed non plenam & ſummam. Ad hanc, externa etiam requiri. *Idem.*

17 *Com-*

gritate. Quod incredibilius videtur, id concedis, aliquem in maximis & continuis doloribus non eſſe miſerum, eſſe etiam beatum: quod levius eſt, negas, beatiſſimum eſſe. Atqui ſi poteſt virtus efficere, ne miſer aliquis ſit, facilius efficiet, ut beatiſſimus ſit. minus enim intervalli à beato ad beatiſſimum reſtat, quam à miſero ad beatum. An quæ res tantum valet, ut ereptum calamitatibus inter beatos locet: non poteſt adjicere quod ſupereſt, ut beatiſſimum faciat? in ſummo deficit clivo? [17] Commoda ſunt in vita, & incommoda: utraque extra nos. Si non eſt miſer vir bonus, quamvis omnibus prematur incommodis: quomodo non beatiſſimus, & ſi aliquibus commodis deficitur? Nam quemadmodum incommodorum onere uſque ad miſerum non deprimitur, ſic commodorum inopia non deducitur à beatiſſimo: ſed tam ſine commodis beatiſſimus eſt, quam non eſt ſub incommodis miſer. Aut poteſt illi eripi bonum ſuum, ſi poteſt minui. Paulo ante dicebam, igniculum nihil conferre lumini ſolis: claritate enim ejus, quidquid ſine eo lucet, abſconditur. Sed quædam, inquit, ſoli quoque obſtant. At ſolis vis & lux integra eſt, etiam inter oppoſita: & quamvis aliquid interjaceat, quod nos prohibeat ejus adſpectu, in opere eſt, curſu ſuo fertur. Quoties inter nubila luxit, non eſt ſereno minor, nec tardior quidem: quoniam multum intereſt, utrum aliquid obſtet tantum, an impediat. Eodem modo virtuti oppoſita nihil detrahunt. non eſt minor, ſed minus fulget: nobis forſitan non æque apparet ac nitet; ſibi eadem eſt, & more ſolis obſcuri, in occulto vim ſuam exercet. Hoc itaque adverſus virtutem poſſunt calamitates, & damna, & injuriæ, quod adverſus ſolem poteſt nebula. Invenitur qui dicat, ſapientem corpore parum proſpero uſum, nec miſerum eſſe, nec beatum. Hic quoque fallitur. exæquat enim fortuita virtutibus, & tantumdem tribuit honeſtis, & quantum honeſtate carentibus.

17 *Commoda & incommoda*] Nos in Manud. 2. Diſſert. 23. *Lipſius.*

18 Non

tibus. Quid autem fœdius, quid indignius, quam comparare veneranda contemptis? Veneranda enim ſunt, fides, juſtitia, pietas, fortitudo, prudentia: è contrario vilia ſunt, quæ ſæpe contingunt pleniora viliſſimis, crus ſolidum, & lacertus, & dentes, & horum ſanitas, firmitaſque. Deinde ſi ſapiens cui corpus moleſtum eſt, nec miſer habebitur, nec beatus, ſed in medio relinquetur: vita quoque ejus nec appetenda erit, nec fugienda. Quid autem tam abſurdum, quam ſapientis vitam appetendam non eſſe? aut quid tam extra fidem, quam eſſe aliquam vitam nec appetendam, nec fugiendam? Deinde, ſi damna corporis miſerum non faciunt, beatum eſſe patiuntur. Nam quibus potentia non eſt in pejorem transferendi ſtatum, nec interpellandi quidem optimum. Frigidum, inquit, aliquid, & calidum novimus: inter utrumque tepidum eſt. Sic aliquis beatus eſt, aliquis miſer: aliquis nec miſer, nec beatus. Volo hanc contra nos poſitam imaginem excutere. Si tepido illi plus frigidi ingeſſero, fiet frigidum: ſi plus calidi affudero, fiet noviſſime calidum. At huic, nec miſero, nec beato, quantumcumque ad miſerias adjecero, miſer non erit, quemadmodum dicitis: ergo imago iſta diſſimilis eſt. Deinde trado tibi hominem, nec miſerum, nec beatum. huic adjicio cæcitatem, non fit miſer: adjicio debilitatem, non fit miſer: adjicio dolores continuos & graves, non fit miſer. Quem tam multa mala in miſeram vitam non transferunt, nec ex beata quidem educunt. Si non poteſt, ut dicitis, ſapiens ex beato in miſerum decidere, non poteſt in non beatum. quare enim qui labi cœpit, alicubi ſubſiſtat? quæ res non patitur illum ad imum devolvi, retinet in ſummo. Quidni non poſſit beata vita reſcindi? nec remitti quidem poteſt: & ideo virtus ad illam per ſe ipſa ſatis eſt. Quid ergo? inquit. ſapiens [18] non eſt beatior, qui diutius vixerit, quem nullus avocavit dolor: quam ille qui cum mala

18 *Non eſt beatior, qui diutius*] Item in Manud. 3. Diſſert. 3. *Lipſius.*

19 *In*

mala fortuna ſemper luctatus eſt? Reſponde mihi: Numquid & melior eſt, & honeſtior? ſi hæc non ſunt, nec beatior quidem eſt. Rectius vivat, oportet, ut beatius vivat: ſi rectius non poteſt, ne beatius quidem. Non intenditur virtus: ergo ne beata quidem vita, quæ ex virtute eſt. Virtus enim tantum bonum eſt, ut iſtas acceſſiones minutas non ſentiat, brevitatem ævi, & dolorem, & corporum varias offenſiones. Nam voluptas non eſt digna, ad quam reſpiciat. Quid eſt in virtute præcipuum? futuro non indigere, nec dies ſuos computare, in quantolibet tempore bona æterna conſummare. Incredibilia nobis hæc videntur, & ſupra humanam naturam excurrentia. majeſtatem enim ejus in noſtra imbecillitate metimur, & vitiis noſtris nomen virtutis imponimus. Quid porro, non æque incredibile videtur, aliquem in ſummis cruciatibus poſitum, dicere, Beatus ſum? atqui hæc vox in ipſa officina voluptatis eſt audita. [20] Beatiſſimum, inquit, hunc & ultimum diem ago, Epicurus: cum illum hinc urinæ difficultas torqueret, hinc inſanabilis exulcerati dolor ventris. Quare ergo incredibilia ſunt iſta apud eos, qui virtutem colunt, cum apud eos quoque reperiantur, apud quos voluptas imperat? Hi quoque degeneres & humillimæ mentis aiunt, in ſummis doloribus, in ſummis calamitatibus, ſapientem nec miſerum futurum, nec beatum. Atqui hoc quoque incredibile eſt,

19 *In quanto libet tempore bona æterna conſummat*] Sic Pal. pr. ac Col. bene. Eraſmi editio *conſumat*. Sic Gruterus. Tacuit ergo trium ſcripturam, quæ vereor ne fuerit eadem, quam deprehendimus in membranis nobis collatis: *in quantolibet tempore æterna conſummare.* Quam convenientiſſimam puto & optimi ſenſus: nempe in quantolibet tempore ad æternitatem pervenire, vel certe illa, quæ æterna ſunt, nempe vera & unica bona, perficere ac maturare: ad quod in aliis temporis intervalla requiruntur. *Bona* non erat in ſcripto, & abeſſe commode videtur. Nec diſcerpenda hæc verba à præcedenti membro. Cogitabam etiam aliquando, an *externa* ſcribendum eſſet, propter verba, quæ extant in ſequenti epiſtola: *Quemadmodum in minore corporis habitu poteſt homo eſſe perfectus: ſic & in minore temporis modo poteſt eſſe vita perfecta. Ætas inter externa eſt.* Gronovius.

20 *Beatiſſimum, inquit, hunc*] Verba hæc Epicuri ſupra notavi, epiſt. 66. *Lipſius.*

21 *Stans*

Digitized by Google

le eſt, imo incredibilius. Non video enim, quomodo non in infimum agatur, è faſtigio ſuo dejecta virtus. Aut beatum præſtare debet: aut, ſi ab hoc depulſa eſt, non prohibebit fieri miſerum. [21] Stans non poteſt vinci. aut vincatur oportet, aut vincat. Diis, inquit, immortalibus ſolis & virtus & beata vita contingit: nobis umbra quædam illorum bonorum & ſimilitudo. accedimus ad illa, non pervenimus. Ratio vero, diis hominibuſque communis: hæc in illis conſummata eſt, in nobis conſummabilis. Sed ad deſperationem nos vitia noſtra perducunt. Nam ille alter ſecundus, ut aliquis parum conſtans ad cuſtodienda optima, cujus judicium labat etiamnum & incertum eſt, deſiderat [22] oculorum atque aurium ſenſum, bonam valetudinem, & non fœdum adſpectum corporis, & habitu manentem ſuo, ætatis præterea longius ſpatium. [23] Per hanc poteſt non

21 *Stans non poteſt vinci*] Meus liber, *non poteſt* [illegible]*itti.* ex quo fecerim: *Conſtans non poteſt remitti.* Lipſius.

22 *Oculorum atque aurium ſenſum, bonàm valetudinem*] Quinque Gruteri & meus: *oculorum atque aurium caterorumque ſenſuum bonam valetudinem.* Profecto bene & metonymia eleganti, ſive *oculos* & *aures* pro viſu & auditu, ſive *ſenſus ceteros* pro inſtrumentis ceterorum ſenſuum, poſitos dicas. *Gronovius.*

23 *Per hanc poteſt non pœnitenda*] Obſcura hæc omnia, aut mutila fatetur Lipſius, nec ſe ſubvenire. Muretus pro illis, *ille agit carens*, ex aliquo vetere libro ſubſtituit: *illum agit harens.* Quod confirmant membranæ nobis viſæ, in quibus, *illum agit arrens.* In iiſdem paulo ante: *ut in perfecto.* Utrumque probatum & aliquibus apud Gruterum. Hactenus juvant membranæ. Priſcæ editiones: *illum agit arens.* Solet paſſim diſtinguere Seneca virum *perfectum à tolerabili*: illum, quem & ſapientem & bonum vocat, qui ad ſummum gradum virtutis ac vitæ beatæ pervenit, hic eſt, quem hic vocat *ſecundum*, qui multum profecit, nec dum tamen apicem conſequutus eſt. Epiſt. 16. *beatam vitam perfecta ſapientia efficit, tolerabilem etiam inchoata.* Epiſt. 57. *Non de me nunc tecum loquor, qui multum ab homine tolerabili, nedum à perfecto abſum.* Epiſt. 83. *Quæ etiam tolerabilis homo vitaverit, nedum perfectus ac ſapiens.* Ad hoc ſignatum verbum alludens videtur hic ſcripſiſſe auctor: *Per hunc: poteſt non pœnitenda agitare. At imperfecto viro huic malitia vis quadam ineſt: qua animum habet mobilem: ad prava illum agit harens malitia, & ea agitatio abeſt à bono.* ſive perfecto, cui adeſt conſtans, & perpetua voluntas. *Per hunc*, inquit. pone eum aliquo loco, ſed non primo, tolerabilem puta. *Imperfectum*, ut hic, vocat epiſt. 94. *Deinde iſtud quod dicis, perfecti viri eſt ac ſummam conſecuti felicitatis humanæ. Ad hoc autem tarde pervenitur: interim etiam imperfecto, ſed proficienti, demonſtranda eſt in rebus agendis via.* Gronovius.

24 *Ille*

non pœnitenda agitare, ut in imperfecto viro. Huic malitiæ vis quædam ineſt, qua animum habet mobilem ad prava: [24] ille agit carens malitia, & ea agitatio abeſt à bono. Non eſt adhuc bonus, ſed in bonum fingitur: cuicumque autem deeſt aliquid ad bonum, malus eſt.

Sed ſi cui virtus animuſque in corpore præſens;

hic deos æquat, illo tendit, originis ſuæ memor. Nemo improbe eo conatur adſcendere, unde deſcenderat. Quid eſt autem, cur non exiſtimes in eo divini aliquid exiſtere, qui Dei pars eſt? totum hoc quo continemur, & [25] unum eſt, & Deus: & ſocii ejus ſumus, & membra. Capax eſt noſter animus: perfertur illo, ſi vitia non deprimant. Quemadmodum corporum noſtrorum habitus erigitur, & ſpectat in cælum; ita animus, cui, inquantum vult, licet porrigi, in hoc à natura rerum formatus eſt, ut paria diis velit, & ſic utatur ſuis viribus, ac ſe in ſpatium ſuum extendat. Nam ſi aliena vi ad ſumma niteretur, magnus erat labor, ire in cælum: redit. cum hoc iter nactus eſt, vadit audacter, & contemptor omnium, nec ad pecuniam reſpicit: aurum argentumque, illis in quibus jacuere tenebris digniſſima, non ad hunc æſtimat ſplendorem, quo imperitorum verberant oculos. [26] Scit erui è cœno, ex quo illa ſecrevit cupiditas noſtra & effodit. Scit, inquam, alibi poſitas eſſe divitias, quam quo congeruntur: animum impleri debere, non arcam. Hunc imponere dominio omnium rerum licet hunc in poſſeſſionem rerum naturæ inducere, [27] ut ſuorum. Oriens Occidenſque terminus fiat, deorumque

24 *Ille agit carens*] Muretus ex veteri aliquo: *illum agit hærens.* Lipſius.

25 *Unum eſt, & Deus*] Nam & mundus Stoïcis Deus dicitur: de quo 1 Phyſiol. Diſſert. 8. ubi ipſa hæc examinamus. *Idem.*

26 *Scit erui è cæno*] Belliſſime hæc ita emendavi: Gruterus noſter, è veſtigiis priſcæ ſcripturæ, & recepi in contextum. *Idem.* Conjecturam Gruteri recepit Lipſius. Veteres libri: *& averterunt à cælo: ſed ad vertero cælo: ſed à vertero cælo.* Egregie Rubenius: *non ab hoc æſtimat ſplendore, quo imperitiorum verberant oculos, ſed à veteri cæno, ex quo illa ſecrevit cupiditas noſtra & effodit.* Nec diſplicet *imperitiores,* quod in meo, Pal. ſec. & Col. exſtabat. *Gronovius.*

27 *Ut ſuorum. Oriens*] Scripti, *ut ſua*

que ritu cuncta poſſideat; cum opibus ſuis divites superne deſpiciat: quorum nemo tam lætus eſt ſuo, quam triſtis alieno. Cum ſe in hanc ſublimitatem tulit, corporis quoque, velut oneris neceſſarii, non amator, ſed procurator eſt: nec ſe illi cui impoſitus eſt, ſubjicit. Nemo liber eſt, qui corpori ſervit. nam ut alios dominos, quos nimia pro illo ſolicitudo invenit, tranſeas, ipſius moroſum imperium delicatumque eſt. Ab hoc, modo æquo animo exit, [28] modo magno proſilit: nec, quis deinde reliquiis ejus futurus ſit exitus, quærit. Sed ut ex barba capillos detonſos negligimus: ita ille divinus animus egreſſurus hominem, quo receptaculum ſuum conferatur, ignis illud exurat, an feræ diſtrahant, an terra contegat, non magis ad ſe judicat pertinere, [29] quam ſecundas ad editum infantem. Utrum projectum aves differant, an conſumatur

—— *canibus data præda marinis,*

quid ad illum? Qui tunc quoque, cum inter homines eſt, nullas minas timet: ullaſne timebit poſt mortem minas [30] eorum, quibus uſque ad mortem timeri parum eſt? [31] Non conterret, inquit, me, nec uncus, nec projecti ad contumeliam cadaveris laceratio, fœda viſuris. Neminem de ſupremo officio rogo: nulli reliquias meas commendo. ne quis inſepultus eſſet, [32] rerum natura proſpexit. Quem ſævi-

ſua Orientis Occidentiſque: probe, ſi porro legas, *terminus finiat.* Vulgata tamen diſtinctione ego expediveram. *Lipſius.*

28. *Modo magno proſilit*] Cum ſponte ſcilicet exit, morte ſumpta. *Idem.*

29 *Quam ſecundas*] Membranas, quibus infans in utero involvitur, editumque in lucem ſequuntur: unde Secundæ. Græcis à ſimili cauſſa, τὰ ὕστερα. Idem.

30 *Eorum quibus uſque ad*] Tyrannorum, qui in cadavera ſæviunt. *Idem.*

31 *Non conteret, inquit, me, nec uncus*] Malim, *non conterret.* Neque unci eſt conterere, ſed trahere. *Idem.*

Eorum quibus juſta fieri poterant, cadavera ſolemni pompa capulo ad rogum efferebantur; aliorum vero quibus lege juſta fieri erat prohibitum, quod improbi ac nefarii judicarentur, unco trahebantur: quique trahebant, *Hamotrahones* dicebantur, auctore Feſto. eo iterum reſpexit noſter lib. & cap. 3. de Ira: *& cadavera quoque trahens uncus,* &c. Rævardus cap. 22. lib. ad leg. XII Tab.

32 *Rerum natura proſpexit*] His paria Lucanus, lib. 7. in Cæſarem, qui inſepultos cives in Pharſalia reliquit:

Nil agis hac ira. tabeſne cadavera ſolvat,

ſævitia projecerit, dies condet. Diſerte Mæcenas ait:

Nec tumulum curo. ſepelit natura relictos.

[33] alte cinctum putes dixiſſe. habuit enim ingenium & grande & virile, niſi [34] illud ſecum diſcinxiſſet.

Epist. XCIII.

De morte Philoſophi Metronactis, qui juvenis obiit. Parum id refert: & vita non ſpatio, ſed actu metienda eſt. Omnis bona ea, longa: denique nihil hic longum.

IN epiſtola, qua de morte [1] Metronactis philoſophi querebaris, tanquam & potuiſſet diutiùs vivere, & debuiſſet, æquitatem tuam deſideravi: quæ tibi in omni perſona, in omni negotio ſupereſt; in una re deeſt, in qua omnibus. Multos inveni æquos adverſus homines: adverſus deos neminem. Objurgamus quotidie fatum: Quare ille in medio curſu raptus eſt? quare ille non rapitur? quare ſenectutem & ſibi & aliis gravem extendit? Utrum, obſecro te, æquius judicas, te naturæ, an tibi parere naturam? quid autem intereſt quam cito exeas, unde utique exeundum eſt? Non ut diu vivamus, curandum eſt: ſed ut ſatis. nam ut diu vivas, fato opus eſt: ut ſatis, animo. [2] Longa eſt vita, ſi plena eſt. impletur autem, cum animus ſibi

An rogus, haud refert. placido Natura receptat
Cuncta ſinu. Lipſius.

33 *Alte cinctum*] Induſtrium, gnavum, fortem. nam talis fere eorum cinctus. At Mæcenas inter molliculos & remiſſos, & in publico etiam diſcinctus. Adde epiſt. 114. *Idem.* Vide Turneb. lib. 15. c. 23. Adverſ.

34 *Illud ipſe diſcinxiſſet*] Libri, *illud ſecum diſcinxiſſet*: quod eſſet, una cum veſte & corpore ingenium diſſolviſſet. At meus, & quidam: *ſecundis cinſiſſet*. Itaque legas etiam cum Grutero, *ſecunda diſcinxiſſent*. Res nimis proſperæ & fluentes, fluxum illum & mollem reddiderunt. *Lipſius.*

Epist. XCIII. 1 *Metronactis*] Qui Neapoli docuit, & obiit, ut diſcas ex Epiſt. 76. *Idem.*

2 *Longa eſt vita, ſi*] In hanc ſententiam Plutarchus, Conſol. ad Apollonium: Οὐχ ὁ μακρότατος βίος ἄριστος, ἀλλ' ὁ σπουδαιότατος. *Non longiſſima vita optima, ſed honeſtiſſima.* Et addit: *Neque enim qui plurimum cithara cecinit, aut oravit, aut in navi gubernavit, ſed qui bene, commendatur. Bonum autem non eſt in temporis diuturnitate ſitum, ſed in virtute & decora proportione.* Iterumque mox: Μέτρον γὰρ τοῦ βίου τὸ καλόν, οὐ τὸ χρόνου μῆκος. *Menſura enim vitæ,*

ſibi bonum ſuum reddidit, & ad ſe poteſtatem ſui tranſtulit. Quid illum octoginta anni juvant, per inertiam exacti? [3] non vixit iſte, ſed in vita moratus eſt: nec ſero mortuus eſt, ſed diu. Octoginta annis vixit. Intereſt, mortem ejus ex quo die numeres. At ille obiit viridis: ſed officia boni civis, boni amici, boni filii exſecutus eſt: in nulla parte ceſſavit. licet ejus ætas imperfecta ſit, vita perfecta eſt. Octoginta annis vixit. Imo octoginta annis fuit: niſi forte ſic vixiſſe eum dicis, quomodo dicuntur arbores vivere. Obſecro te, mi Lucili, hoc agamus; ut quemadmodum [4] pretioſa rerum, ſic vita noſtra non pateat multum, ſed multum pendat. Actu illam metiamur, non tempore. Vis ſcire, quid inter hunc interſit vegetum contemptoremque fortunæ, functum omnibus vitæ humanæ ſtipendiis, atque in ſummum bonum ejus evectum, & illum cui multi anni tranſmiſſi ſunt? alter poſt mortem quoque eſt, alter ante mortem periit. Laudemus itaque, & in numero felicium reponamus eum, cui quantulumcumque temporis contigit, bene collocatum eſt. Vidit enim veram lucem, non fuit unus è multis. [5] & vivit, & vixit, & viguit. Aliquando ſereno uſus eſt: aliquando, ut ſolet, validi ſideris fulgor per nubila emicuit. Quid quæris, quamdiu vixerit? vixit ad poſteros uſque: tranſiliit, & ſe in memoriam dedit. Nec ideo mihi plures annos accedere recuſaverim: nihil tamen ad beatam vitam defuiſſe dicam, ſi ſpatium ejus inciditur. Non enim ad eum diem me aptavi, quem ultimum mihi ſpes avida promiſerat: ſed nullum non tamquam ultimum adſpexi. Quid me interrogas, quando natus ſim? an inter juniores adhuc cenſear? habeo meum. Quem-

vita, bonum; non autem temporis diuturnitas eſt. Lipſius.

3 *Non vixit iſte, ſed*] Similis gnome Simonidis, *qui interrogatus, Quantum temporis vixiſſet? Tempus haud multum, inquiit, annos vero complures.* Quaſi in temporis rationem non veniat, niſi vita bene acta. *Idem.*

4 *Pretioſa rerum*] Gemmæ & lapides, quæ in brevitate pretium habent. *Idem.*

5 *Et vivit*] Nunc in cælo: at male hæ voces à vulgatis exſulant. *Idem.*

Quemadmodum in minore corporis habitu, poteſt homo eſſe perfectus: ſic & in minore temporis modo, poteſt eſſe vita perfecta. Ætas inter externa eſt. Quamdiu ſim, alienum eſt: quamdiu vir bonus ſim, meum eſt. Hoc à me exige, ne velut per tenebras ævum ignobile emetiar: ut agam vitam, non ut prætervehar. Quæris quod ſit ampliſſimum vitæ ſpatium? uſque ad ſapientiam vivere. Qui ad illam pervenit, attigit non longiſſimum finem, ſed maximum. ille vero glorietur audacter, & diis agat gratias: interque eos, ſibi & rerum naturæ imputet, quod fuit. Merito enim imputabit: meliorem illi vitam reddidit, quam acceperat. Exemplar boni viri poſuit: qualis quantuſque eſſet oſtendit: ſi quid adjeciſſet, fuiſſet ſimile præterito. Et tamen quouſque vivimus? omnium rerum cognitione fruiti ſumus. [6] Scimus à quibus principalis natura ſe attollat, quemadmodum ordinet mundum, per quas vices annum revocet, quemadmodum omnia quæ uſquam erant, eluſerit, & ſeipſam ſui finem fecerit. Scimus, ſidera impetu ſuo vadere: præter terram nihil ſtare, cetera continua velocitate decurrere. Scimus quemadmodum ſolem luna prætereat: quare tardior velociorem poſt ſe relinquat: quomodo lumen accipiat, aut perdat: quæ cauſſa inducat noctem, quæ reducat diem. Illuc eundum eſt, ubi iſta propius adſpicias. nec hac ſpe, inquit ſapiens ille, fortius exeo, quod patere mihi ad deos meos iter judico. Merui quidem admitti, & jam inter illos fui: animumque illo meum miſi, & ad me illi ſuum miſerunt. Sed tolli me de medio puta, & poſt mortem nihil ex homine reſtare: æque magnum animum habeo, etiam ſi nuſquam tranſiturus excedo. Non tam multis vixit annis, quam potuit. Et paucorum

6 *Scimus à quibus principalis natura*] Principalem naturam accipio, Naturam rerum: quæ attollitur & ſurgit à Deo & Materia. Nec male etiam cum Eraſmo, *Scimus ad quid:* aut mea divinatiuncula, *Scimus quibus:* quod utrumque eodem it, & hominum deorumque cauſſa Mundum, ut Stoïci volunt, factum. Incidebat etiam, *Scimus à quibus principiis natura:* nec male. *Lipſius.*

corum verſuum liber eſt, & quidem laudandus, atque utilis: [7] annales Tamuſii ſcis [8] quam non decori ſint,[9] & quid vocentur. æque eſt vita quorumdam longa, & quod Tamuſii ſequitur annales. Numquid feliciorem judicas eum, qui ſummo die muneris, quam eum qui medio occiditur? numquid aliquem eſſe tam ſtulte cupidum vitæ putas, ut jugulari [10] in ſpoliario, quam in arena malit? Non majore ſpatio alter alterum præcedimus. mors per omnes it: qui occidit, conſequitur occiſum. Minimum eſt, de quo ſolicitiſſime agitur. Quid autem ad rem pertinet, quamdiu vites, quod evitare non poſſis?

EPIST. XCIV.

Diſſertatio, utrum Dogmatica, an Parænetica pars philoſophiæ utilior? & an altera ſine altera ſufficiat? Ariſto priorem præfert, & ſolam admittit: ejuſque hic argumenta: alii & alteram adjungunt, ac magnos ejus uſus oſtendunt. & Seneca diducit eleganter, argute, fructuoſe. Lege, & oblectare.

[1] EAm partem philoſophiæ, quæ dat propria cuique perſonæ præcepta, nec in univerſum componit hominem,

7 *Annales Tamuſii*] In Suetonii Julio, cap. 9. Hiſtoria Tamuſii Gemini memoratur: nec vero diſtat, eſſe iſtum. *Lipſius.*

8 *Quam non decori ſint, & quid vocentur*] Alii libri, *non dederoſi*; alii, non *dedecoroſi*; quidam, *decoroſi*. Verbi aliquid non obvii, nec mihi occurrit. An forte *deſideroſi*, optabiles, aut boni? *Idem.* Quicquid varient nonnulli codices, major certe numerus, *quam non decoroſi ſint.* Idque pro vero teneam. Neque enim durius *decoroſus* quam *ſceleroſus* apud Lucretium. At quod ſequitur, cave mutes cum Eraſmo & Grutero. Epiſt. 95. *Æſtimemus ſingula fama remota, & quæramus quid ſint, non quid vocentur.* Epiſt. 111. *Quid vocentur Latine ſophiſmata, quæſiſti à me.* Lib. 3 de Benef. 21. *ſi modo tantum eſt, ut hoc vocari potuerit.* Quintilianus lib. 3. cap. 3. *Cum hoc negamus, non neceſſe eſt dicere, quid id vocetur: quia totum crimen inficiamur.* Tarv. & Ven. *quam non dedero: & ſi fuit: & qui vocentur.* M. Seneca Suaſor. ult. *ſubinde interrogavit, quis ille vocaretur, qui in imo recumberet.* Gronovius.

9 *Et quid vocentur*] Nempe quod illi Catulliani *Annales Voluſi, cacata charta.* Lipſius.

10 *In ſpoliario*] Pars Arenæ ſive Amphitheatri fuit, in qua indui, exui ſolent, & læſi ac deinceps inutiles occidi. Ego 1 Saturn. c. 18. *Idem.* Quid *ſpoliarium* pete ex Briſſonio lib. 17. de verb. ſign.

EPIST. XCIV. 1 *Eam partem*

philo-

minem, ſed marito ſuadet, quomodo ſe gerat adverſus uxorem: patri, quomodo educet liberos: domino, quomodo ſervos regat: quidam ſolam receperunt, ceteras quaſi extra noſtram utilitatem vagantes reliquerunt: tamquam quis poſſit de parte ſuadere, niſi qui ſummam prius totius vitæ complexus eſt. Sed [2] Ariſto Stoicus econtrario hanc partem levem exiſtimat, & quæ non deſcendat in pectus uſque: [3] at illam non habentem præcepta, plurimum ait proficere; ipſaque decreta philoſophiæ, conſtitutionem eſſe ſummi boni; quam qui bene intellexit & didicit, quid in quaque re faciendum ſit, ſibi ipſe præcepit. Quemadmodum qui jaculari diſcit, deſtinatum locum captat, & manum format ad dirigenda quæ mittit: cum hanc vim ex diſciplina & exercitatione percepit, quocumque vult, illa utitur. didicit enim non hoc aut illud ferire, ſed quodcumque voluerit. ſic qui ſe ad totam vitam inſtruxit, non deſiderat particulatim admoneri, doctus in totum: non quomodo cum uxore aut cum filio viveret, ſed quomodo bene viveret. in hoc eſt, & quomodo cum uxore ac liberis vivat. Cleanthes utilem quidem judicat & hanc partem, ſed imbecillem niſi ab univerſo fluit, niſi decreta ipſa philoſophiæ & capita cognovit. In duas ergo quæſtiones locus iſte dividitur. Utrum utilis, an inutilis ſit: & an ſolus virum bonum poſſit efficere, id eſt, utrum ſupervacuus ſit, an omnes faciat ſupervacuos. Qui hanc partem videri volunt ſupervacuam, hoc aiunt: Si quid oculis oppoſitum moratur aciem, removendum eſt: illo quidem non abjecto operam perdidit, qui præcepit: Sic ambulabis, illo manum porriges. Eodem modo, ubi aliqua res obcæcat animum, & ad officiorum diſpiciendum ordinem impedit, nihil agit, qui

philoſophiæ] Παραινετικὴν, ſive *præceptivam*. Infra, epiſt. 95. initio. *Lipſius.*

2 *Ariſto Stoïcus*] Qui idem *Chius* cognomento, ſupra epiſt. 89. & ejus ibi hæc ſententia: *Ariſto Chius moralem ſcientiam circumcidit, & eum locum qui monitiones continet, ſuſtulit.* Idem.

3 *At illam non habentem*] Δογματικὴν, ſive *decretoriam*. Idem.

4 Ib

qui præcipit: Sic vives cum patre, ſic cum uxore. Nihil enim proficient præcepta, quamdiu menti error obfuſus eſt: ſi ille diſcutitur, apparebit quid cuique debeatur officio. Alioquin doces illum, quid ſano faciendum ſit, non ſanum efficis. Pauperi, ut agat divitem, monſtras: hoc quomodo manente paupertate fieri poteſt? Oſtendis eſurienti, quid tamquam ſatur faciat: fixam potius medullis famem detrahe. Idem tibi de omnibus vitiis dico, ipſa removenda ſunt; non præcipiendum, quod fieri illis manentibus non poteſt. Niſi opiniones falſas, quibus laboramus, expuleris: nec avarus, quomodo utendum pecunia ſit, exaudiet; nec timidus, quomodo pericula contemnat. Efficias oportet, ut ſciat pecuniam nec bonum, nec malum eſſe: oſtendas illi miſerrimos divites. Efficias, ut quicquid publice expavimus, ſciat non eſſe tam timendum, quam fama circumfert, nec dolere quoque, nec mori. Sæpe in morte, quam pati lex eſt, magnum eſſe ſolatium, quod ad neminem redit: in dolore pro remedio futuram obſtinationem animi, qui levius facit ſibi, quidquid contumaciter paſſus eſt. Optimam doloris eſſe naturam, quod non poteſt nec qui extenditur, magnus eſſe; nec qui eſt magnus, extendi. Omnia fortiter accipienda, quæ nobis mundi neceſſitas imperat. His decretis cum illum in conſpectum ſuæ conditionis adduxeris, & cognoverit beatam vitam eſſe, non quæ ſecundum voluptatem eſt, ſed ſecundum naturam: cum virtutem unicum bonum hominis adamaverit, turpitudinem ſolum malum fugerit, reliqua omnia, divitias, honores, bonam valetudinem, vires, imperia, ſcierit eſſe mediam partem, nec bonis annumerandam, nec malis: monitorem non deſiderabit ad ſingula, qui dicat: Sic incede, ſic cœna: hoc viro, hoc feminæ, hoc marito, hoc cælibi convenit. Iſta enim qui diligentiſſime monent, ipſi facere non poſſunt. Hæc pædagogus puero, hæc avia nepoti præcipit: & iraſcendum non eſſe, magiſter iracundiſſimus

Digitized by Google

diſputat. Si ludum litterarium intraveris, ſcies iſta quæ ingenti ſupercilio philoſophi jactant, [4] in puerili eſſe præſcripto. Utrum manifeſta demum, an dubia præcipies? non deſiderant manifeſta monitores: præcipienti dubia, non creditur: ſupervacuum eſt ergo præcipere. Id adeo ſic diſce. Si id mones quod obſcurum eſt & ambiguum, probationibus adjuvandum erit: ſi probaturus es, illa per quæ probas, plus valent, ſatiſque per ſe ſunt. Sic amico utere, ſic cive, ſic ſocio. quare? quia juſtum eſt. Omnia iſta mihi locus de juſtitia tradit. Illic invenio æquitatem per ſe expetendam, nec metu nos ad illam cogi, nec mercede conduci: non eſſe juſtum, cui quidquam in hac virtute placet, præter ipſam. Hæc cum perſuaſi mihi, & perbibi, quid iſta præcepta proficiunt, quæ eruditum docent? Præcepta dare ſcienti, ſupervacuum eſt: neſcienti, parum. Audire enim debet, non tantum quid ſibi præcipiatur, ſed etiam quare. Utrum, inquam, veras opiniones habenti de bonis maliſque, ſunt neceſſaria, an non habenti? qui non habet, nihil à te adjuvabitur: aures ejus contraria monitionibus tuis fama poſſedit. qui habet exactum judicium de fugiendis petendiſque, ſcit quid ſibi faciendum ſit, etiam te tacente. tota ergo pars iſta philoſophiæ ſubmoveri poteſt. Duo ſunt, propter quæ delinquimus: Aut ineſt animo pravis opinionibus malitia contracta: aut etiam ſi non eſt falſis occupatus, ad falſa proclivis eſt, & cito ſpecie, quo non oportet trahente, corrumpitur. Itaque debemus [5] aut percurare mentem ægram, & vitiis liberare, aut vacantem quidem, ſed ad pejora pronam,

4 *In puerili eſſe præſcripto*] In gnomis & ſententiis, quæ deſcribendæ & ediſcendæ proponuntur. Ita infra: *Pueri ad præſcriptum diſcunt, digiti illorum tenentur.* Præſcriptum ergo, exemplar. *Lipſius.*

5 *Aut percurare mentem ægram*] Sic recte codices: neque opus refingi *curare*, aut dubitari, an non *procurare*, quod Eraſmus & quidam habuere, ſit præponendum. Liv. lib. 21. *Paucorum inde dierum quiete ſumta, & vixdum ſatis percurato vulnere.* Curtius lib. 7. *nondum percurato vulnere acrius obſidioni inſtitit.* Noſter, Nat. Qu. 3, 1. *quædam inveterata & deſperata à medicis vitia percurant.* Sic noſter, *perprimere*, epiſt. 98. *percenari*, epiſt. 95. *Gronovius.*

6 *Inter*

nam, præoccupare. Utrumque decreta philoſophiæ faciunt, ergo tale præcipiendi genus nihil agit. Præterea, ſi præcepta ſingulis damus, incomprehenſibile opus eſt. Alia enim dare debemus feneranti, alia colenti agrum, alia negotianti, alia regum amicitias ſequenti, alia pares, alia inferiores amaturo. In matrimonio præcipias, quomodo vivat cum uxore aliquis quam virginem duxit, quomodo cum ea quæ alicujus ante matrimonium experta eſt, quemadmodum cum locuplete, quemadmodum cum indotata. An non putas aliquid eſſe diſcriminis inter ſterilem, & fœcundam; inter provectiorem, & puellam; inter matrem, & novercam? Omnes ſpecies complecti non poſſumus: atqui ſingulæ propria exigunt. Leges autem philoſophiæ breves ſunt, & omnia alligant. Adjice nunc, quod ſapientis præcepta finita eſſe debent, & certa: ſi qua finiri non poſſunt, extra ſapientiam ſunt: ſapientia rerum terminos novit. Ergo iſta pars præceptiva ſubmovenda eſt: quia quod paucis promittit, præſtare omnibus non poteſt: ſapientia autem omnes tenet. [6] Inter inſaniam publicam, & hanc quæ medicis traditur, nihil intereſt: niſi quod hæc morbo laborat, illa opinionibus falſis. Altera cauſſas furoris traxit ex valetudine, altera animi mala valetudo eſt. Si quis furioſo præcepta det, quomodo loqui debeat, quomodo procedere, quomodo in publico ſe gerere, quomodo in privato; erit ipſo, quem monebis, inſanior. bilis nigra curanda eſt, & ipſa furoris cauſſa removenda. Idem in hoc alio animi furore faciendum eſt. ipſe diſcuti debet: alioquin [7] abibunt in vanum monentium verba. Hæc ab Ariſtone

6 *Inter inſaniam publicam*] Qua populi genteſque laborant, præter Sapientem. Vide illud Paradoxum, *Omnes ſtultos inſanire*. Lipſius.

7 *Abibunt in vanum monentium verba*] Collatus mihi: *abibunt in manu loquentium verba*. Conſulant alios, quibus copia eſt: nam ſi plures hanc ſcripturam confirmaverint, auſim hic aliquid Senecæ agnoſcere. *Abire in manu*, eſt interire ſtatim, inter ipſum opus, in re præſenti. Ut epiſt. 71. *conſilium ſub manu, quod aiunt, ſub manu naſcatur*. Lucretius lib. 4.

Fit quoque ut interdum non ſuppeditetur imago
Ejuſdem generis, ſed femina quæ fuit ante,

ſtone dicuntur. Cui reſpondebimus ad ſingula. Primum adverſus illud quod ait, ſi quid obſtat oculo, & impedit viſum, debere removeri. Fateor, huic non eſſe opus præceptis ad videndum, ſed remedio quo purgetur acies, & offícientem ſibi moram effugiat. Natura enim videmus: cui uſum ſui reddit, qui removet obſtantia. Quid autem cuique debeatur officio, natura non docet. Deinde cujus curata ſuffuſio eſt, is non protinus cum viſum recepit, aliis quoque poteſt reddere: malitia liberatus, & liberat. Non eſt opus exhortatione, nec conſilio quidem: ut colorum proprietates oculus intelligat. à nigro album, etiam nullo monente, diſtinguet. multis contra præceptis eget animus, ut videat quid agendum ſit in vita. Quamquam oculos quoque ægros medicus non tantum curat, ſed etiam monet. Non eſt, inquit, quod protinus imbecillam aciem committas improbo lumini: à tenebris primo ad umbroſa procede, deinde plus aude, & paulatim claram lucem pati aſſueſce. Non eſt quod poſt cibum ſtudeas, non eſt quod [8] plenis oculis ac tumentibus imperes. Afflatum & vim frigoris in os occurrentis evita: alia ejuſmodi, quæ non minus quam medicamenta proficiunt. Adjicit remediis medicina conſilium. Error, inquit, eſt cauſſa peccandi: hunc nobis præcepta non detrahunt, non expugnant opiniones de bonis ac malis falſas. Concedo, per ſe efficacia præcepta non eſſe ad evertendam pravam animi perſuaſionem: ſed non ideo, ne aliis quidem adjecta, proficiunt. Primum memoriam renovant: deinde quæ in univerſo confuſius videbantur, in partes diviſa diligentius conſiderantur.

In manibus vir tum factus videatur adeſſe.

Silius lib. 7.

Non cum Flaminio tibi res, nec fervida Gracchi

In manibus conſulta.

Hoc eſt, præſentia conſulta. Idem lib. 12.

——*ſtat campus & arma,*

Et Mars in manibus.

Livius lib. 4. *Cum tantum belli in manibus eſſet.* Gronovius.

8 *Plenis oculis ac tumentibus*] Sic in Suetonii Tiberio, cap. 7. *Contentis ac tumentibus oculis proſequi.* quod fit ubi figimus oculos, atque ipſos velut intendimus, & ſpiritu implemus. Fit in amore, fit in diutino intuitu. *Lipſius.*

9 Sen

rantur. At tu iſto modo licet & conſolationes dicas ſupervacuas, & exhortationes: atqui non ſunt ſupervacuæ: ergo ne monitiones quidem. Stultum eſt, inquit, præcipere ægro, quid facere tamquam ſanus debeat: cum reſtituenda ſanitas ſit, ſine qua irrita ſunt præcepta. Quid quod habent ægri ſanique quædam communia, de quibus admonendi ſunt? tamquam, ne avide cibos appetant, ut laſſitudinem vitent. Habent quædam præcepta communia pauper & dives. Sana, inquit, avaritiam, & nihil habebis, quod admoneas aut pauperem, aut divitem, ſi cupiditas utriuſque conſidet. Quid quod aliud eſt, non concupiſcere pecuniam? aliud, uti pecunia ſcire? cujus avari modum ignorant, etiam non avari uſum. Tolle, inquit, errores: ſupervacua præcepta ſunt. Falſum eſt. puta enim avaritiam relaxatam: puta adſtrictam eſſe luxuriam, temeritati frænos injectos, ignaviæ ſubditum calcar: etiam remotis vitiis, quid & quemadmodum debeamus facere, diſcendum eſt. Nihil, inquit, efficient monitiones, admotæ gravibus vitiis. Ne medicina quidem morbos inſanabiles vincit: tamen adhibetur aliis in remedium, aliis in levamentum. Ne ipſa quidem univerſæ philoſophiæ vis, licet tota in hoc vires ſuas advocet, duram jam & veterem animis extrahet peſtem: ſed non ideo nihil ſanat, quia non omnia. Quid prodeſt, inquit, aperta monſtrare? Plurimum. interdum enim ſcimus, nec attendimus. Non docet admonitio, ſed advertit, ſed excitat, ſed memoriam continet, nec patitur elabi. Pleraque ante oculos poſita tranſimus: admonere, genus adhortandi eſt: ſæpe animus etiam aperta diſſimulat: ingerenda eſt itaque illi notitia rerum notiſſimarum. Illa hoc loco in Vatinium Calvi repetenda ſententia eſt: Factum ambitum, ſcitis: & hoc vos ſcire, omnes ſciunt. Scis amicitias ſancte colendas eſſe: ſed non facis.[9] Scis improbum eſſe, qui

9 *Scis improbum qui ab uxore*, &c.] Idem poſtea Antonius prodidit, cujus particulam B. Auguſtinus lib. 2. de Adult. conjug. ad Pollentiam ex Cod. Gregoriano refert. Sic enim Lactantius lib. 6. cap. 23. *Servanda igitur ab utroque*

qui ab uxore pudicitiam exigit, ipſe alienarum corruptor uxorum. Scis ut illi nil cum adultero, ſic nihil tibi eſſe debere cum pellice: & non facis. Itaque ſubinde reducendus es ad memoriam. non enim repoſita illa eſſe oportet, ſed in promptu. Quæcumque ſalutaria ſunt, ſæpe agitari debent, ſæpe verſari: ut non tantum nota ſint nobis, ſed etiam parata. Adjice nunc, quod aperta quoque, apertiora fieri ſolent. Si dubia ſunt, inquit, quæ præcipis, probationes adjicere debebis: ergo illæ, non præcepta, proficient. Quid quod etiam ſine probationibus, ipſa monentis auctoritas prodeſt? ſic quomodo juriſconſultorum valent reſponſa, etiamſi ratio non redditur. Præterea, ipſa quæ præcipiuntur, per ſe multum habent ponderis: utique ſi aut carmini intexta ſunt, aut proſa oratione in ſententiam coartata. Sicut illa Catoniana: Emas, non quod opus eſt, ſed quod neceſſe eſt. Quod non opus eſt, aſſe carum eſt. Qualia ſunt illa, aut reddita oraculo, aut ſimilia: Tempori parce; Te noſce. Numquid rationem exiges, cum tibi aliquis hos dixerit verſus?

Injuriarum remedium eſt, oblivio.
Audentes fortuna juvat.
[10] *Piger ſibi ipſe obſtat.*

Advocatum iſta non quærunt: affectus ipſos tangunt, & natura vim ſuam exercente proficiunt. Omnium honeſtarum rerum ſemina animi gerunt, quæ admonitione excitantur: non aliter quam ſcintilla flatu levi adjuta, ignem ſuum explicat. Erigitur virtus, cum tacta eſt & impulſa. Præterea, quædam ſunt quidem in animo, ſed parum prompta: quæ incipiunt in expedito eſſe, cum dicta ſunt. Quædam diverſis locis jacent ſparſa, quæ contrahere inexer-

utroque fides alteri eſt, imo exemplo continentia docenda uxor, ut ſe caſte gerat. iniquum eſt enim ut id exigas quod præſtare ipſe non poſſis. Videatur & Papinianus 13. §. judex. ff. de adult. ſed in primis Briſſonius lib. ſing. de adult. & P. Faber lib. 2 Semeſtr. cap. ult.

10 *Piger ſibi ipſe obſtat*] Membranaceus: *Piger ipſe ſibi obſtat.* Ut hemiſtichion videatur. *Gronovius.*

11 *Teſtis*

exercitata mens non poteſt. Itaque in unum conferenda ſunt, & jungenda, ut plus valeant, animumque magis allevent. Aut, ſi præcepta nihil adjuvant, omnis inſtitutio tollenda eſt: ipſa natura contenti eſſe debemus. Hoc qui dicunt, non vident alium ingenii eſſe mobilis & erecti, alium tardi & hebetis: utique alius alio ingenioſior eſt. Ingenii vis præceptis alitur & creſcit, novaſque perſuaſiones adjicit innatis, & depravata corrigit. Si quis, inquit, non habet recta decreta, quid illum admonitiones juvabunt vitiis obligatum? Hoc ſcilicet; ut illis liberetur. non enim exſtincta in illo indoles naturalis eſt: ſed obſcurata, & oppreſſa. Sic quoque tentat reſurgere, & contra prava nititur. nacta vero præſidium, & adjuta præceptis, convaleſcit: ſi tamen illam diutina [11] peſtis non infecit, nec enecuit. Hanc enim ne diſciplina quidem philoſophiæ, toto impetu ſuo connixa, reſtituet. Quid enim intereſt inter decreta philoſophiæ, & præcepta: niſi quod illa generalia præcepta ſunt, hæc ſpecialia? Utraque res præcipit: ſed altera in totum, particulatim altera. Si quis, inquit, recta habet & honeſta decreta, hic ex ſupervacuo monetur. Minime. nam hic quoque doctus quidem eſt facere, quæ debet: ſed adhuc non ſatis proſpicit. Non enim tantum affectibus impedimur, quo minus probanda faciamus, ſed imperitia inveniendi quid quæque res exigat. Habemus interdum compoſitum animum: ſed reſidem, & inexercitatum ad inveniendam officiorum viam, quam admonitio demonſtrat. Expelle, inquit, falſas opiniones de bonis & malis:

11 *Peſtis infecit, nec enecuit*] Ab ingenio Pinciani ſumſit hanc lectionem Muretus. Nam ſcripti omnes, & olim editi: *ſi tamen illam diutina peſtis non infecit nec enecuit.* Quod & Grutero placitum nos vetamus mutari. Nam & ipſum *infici* graviſſimum auctori eſt, & majus, quam ut pro levi morbo debeat haberi. Epiſt. 59. *Diu in iſtis vitiis jacuimus: elui difficile eſt: non enim inquinati ſumus, ſed infecti.* Epiſt. 110. *ſi quis hanc humanorum divinorumque notitiam acceperit; ſi illa ſe non perfuderit, ſed infecerit.* Marcus Controv. 30. *cum quidam ejus civili ſanguine non inquinatas ſolum manus, ſed infectas ait.* Rurſum noſter, 7 de Benef. 19. *altius infectus eſt, quam ut ex toto elui & tranſire in colorem malum poſſit.* Epiſt. 71. *animum non coloravit ſed infecit.* Gronovius.

12 Et

malis: in locum autem earum veras repone: & nihil habebit admonitio quod agat. Ordinatur iſta ſine dubio ratione animus, ſed non iſta tantum. Nam quamvis argumentis collectum ſit, quæ bona, quæ mala ſint: nihilominus habent præcepta partes ſuas: & prudentia, & juſtitia officiis conſtant: officia præceptis diſponuntur. Præterea, ipſum de bonis maliſque judicium confirmatur officiorum exſecutione, ad quam præcepta perducunt. Utraque enim inter ſe conſentiunt: nec illa poſſunt præcedere, ut non hæc ſequantur; & hæc ordinem ſequuntur ſuum. Unde apparet illa præcedere. Infinita, inquit, præcepta ſunt. Falſum eſt. nam de maximis ac neceſſariis rebus, non ſunt infinita: tenues autem differentias habent, quas exigunt tempora, loca, perſonæ. Sed his quoque dantur præcepta generalia. Nemo, inquit, præceptis curat inſaniam: ergo nec malitiam quidem. Diſſimile eſt. nam ſi inſaniam ſuſtuleris, ſanitas reddita eſt: ſi falſas opiniones excluſimus, non ſtatim ſequitur diſpectus rerum agendarum: & ut ſequatur, tamen admonitio corroborabit rectam de bonis maliſque ſententiam. Illud quoque falſum eſt, nihil apud inſanos proficere præcepta. Nam quemadmodum ſola non proſunt, ſic curationem adjuvant: [12] & denuntiatio, & caſtigatio inſanos coërcuit. De illis inſanis nunc loquor, quibus mens mota eſt, non erepta. [13] Leges, inquit, ut faciamus quod oportet, non efficiunt: & quid aliud ſunt, quam minis mixta præcepta? Primum omnium, ob hoc illæ non perſuadent, quia minantur: at hæc non cogunt, ſed exorant. Deinde leges à ſcelere deterrent: præcepta in officium adhortantur. His adjice, quod leges quoque proficiunt ad bonos mores: utique ſi non tantum imperant, ſed docent. In hac re diſſentio à Poſidonio. Non probo, quod Platonis legibus adjecta principia ſunt. Legem enim brevem eſſe oportet, quo facilius ab imperitis tenea-

12 *Et denunciatio*] Comminatio, periculi admonitio. *Lipſius.*

13 *Leges, inquit, ut faciamus*] Ponit, ut poſitum: atqui non præivit. *Idem.*

13 Py-

teneatur. velut emiſſa divinitus vox ſit. Jubeat, non diſputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo. Mone, dic quid me velis feciſſe: non diſco, ſed pareo. Proficiunt itaque malis moribus, uti videbis civitates, uſas malis legibus. At non apud omnes proficiunt. Ne philoſophia quidem: nec ideo inutilis, & formandis animis inefficax eſt. quid autem philoſophia, niſi vitæ lex eſt? Sed putemus non proficere leges: non ideo ſequitur, ut ne monitiones quidem proficiant. Aut ſic & conſolationes nega proficere, diſſuaſioneſque, & adhortationes, objurgationes, & laudationes. Omnia iſta monitionum genera ſunt: per iſta ad perfectum animi ſtatum pervenitur. Nulla res magis animis honeſta induit, dubioſque & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum converſatio. Paullatim enim deſcendit in pectora: & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, adſpici frequenter. Occurſus mehercule ipſe ſapientium juvat: & eſt aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Nec tibi facile dixerim, quemadmodum proſit, ſic ut illud intelligam, profuiſſe. Minuta quædam, ut ait Phædon, animalia, cum mordent, non ſentiuntur. adeo tenuis illis & fallens in periculum vis eſt. tumor indicat morſum, & in ipſo tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in converſatione virorum ſapientium eveniet. non deprehendes quemadmodum, aut quando, tibi proſit: profuiſſe deprehendes. Quorſum, inquit, hoc pertinet? Æque præcepta bona, ſi ſæpe tecum ſint, profutura, quam bona exempla. [14] Pythagoras ait, alium animum fieri intrantibus templum deorumque ſimulacra ex vicino cernentibus, & alicujus oraculi opperientibus vocem. Quis autem negaverit, feriri quibuſdam præceptis efficaciter etiam imperitiſſimos? velut his breviſſimis vocibus, ſed multum habentibus ponderis:

Nihil

14 *Pythagoras ait*] Hoc ita in Cicerone 2 de Legib. *Et illud bene dictum eſt à Pythagora, doctiſſimo viro, tum maxime & pietatem & religionem verſari in animis, cum rebus divinis operam daremus.* Lipſius.

15 *In*

Digitized by Google

—— Nihil nimis.

Avarus animus nullo ſatiatur lucro.

Ab alio exſpectes, alteri quod feceris.

Hæc cum ictu quodam audimus, nec ulli licet dubitare, aut interrogare, Quare? adeo etiam ſine ratione ipſa veritas ducit. Si reverentia frænat animos, aut vitia compeſcit: cur non admonitio idem poſſit? Si imponit pudorem caſtigatio: cur admonitio non faciat, etiamſi nudis præceptis utitur? Illa vero efficacior eſt, & altius penetrat, quæ adjuvat ratione, quod præcipit; quæ adjicit, quare quidque faciendum ſit, & quis facientem obedientemque præceptis fructus exſpectet. Si imperio proficitur, & admonitione proficitur: atqui proficitur imperio: ergo & admonitione. [15] In duas partes virtus dividitur, in contemplationem veri, & actionem: contemplationem inſtitutio tradit, actionem admonitio. Virtutem & exercet, & oſtendit recta actio: acturo autem ſi prodeſt, qui ſuadet; & qui monet, proderit. Ergo ſi recta actio virtuti neceſſaria eſt, rectas autem actiones admonitio demonſtrat, & admonitio neceſſaria eſt. Duæ res plurimum roboris animo dant, fides veri, & fiducia: utramque admonitio facit. Nam & creditur illi, & cum creditum eſt, magnos animus ſpiritus concipit, ac fiducia impletur: ergo admonitio non eſt ſupervacua. M. Agrippa, vir ingentis animi, qui ſolus ex his quos civilia bella claros potenteſque fecerunt, felix in publicum fuit, dicere ſolebat, multum ſe huic debere ſententiæ: Nam concordia parvæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Hac ſe aiebat, & fratrem, & amicum optimum factum. Si ejuſmodi ſententiæ, familiariter in animum receptæ, formant eum: cur non hæc pars philoſophiæ, quæ talibus ſententiis conſtat, idem poſſit? Pars virtutis diſciplina conſtat, pars exercitatione: & diſcas oportet, & quod didiciſti, agendo confirmes. Quod ſi ita eſt, non

15 *In duas partes*] Aliquid in Manuduct. 2. Diſſert. 5. *Lipſius.*

16 *Velut*

non tantum ſcita ſapientiæ proſunt, ſed etiam præcepta: quæ affectus noſtros [16] velut edicto coërcent, & alligant. Philoſophia, inquit, dividitur in hæc, [17] ſcientiam, & habitum animi. Nam qui didicit, & facienda ac vitanda percepit, nondum ſapiens eſt, niſi in ea quæ didicit, animus ejus transfiguratus eſt. Tertia pars iſta præcipiendi, ex utroque eſt; & ex decretis, & ex habitu: itaque ſupervacua eſt ad implendam virtutem, cum duo illa ſufficiant. Iſto ergo modo & conſolatio ſupervacua eſt; nam hæc quoque ex utroque eſt: & exhortatio, & ſuaſio, & ipſa argumentatio, nam & hæc ab habitu animi compoſiti validique proficiſcitur. Sed quamvis iſta ex habitu animi veniant; optimus animi habitus & ex his eſt, & ex illis. Deinde iſtud quod dicis, jam perfecti viri eſt, ac ſummam conſecuti felicitatis humanæ. Ad hoc autem tarde pervenitur: interim etiam imperfecto, ſed proficienti, demonſtranda eſt in rebus agendis via. Hanc forſitan etiam ſine admonitione dabit ſibi ipſa ſapientia: quæ jam eo perduxit animum, ut moveri nequeat, niſi in rectum. Imbecillioribus quidem ingeniis, neceſſarium eſt aliquem præire: Hoc vitabis, hoc facies.

16 *Velut edicto coërcent, & obligant*] Alluſum ad morem ejus ævi, quo Principes Edicta in publico proponebant, populo admonendo, caſtigando, coërcendo. Notavi ad lib. 3 Annal. Taciti. *Idem.* Jubet Pincianus ſcribamus ex mss. lectione: *& ablegant.* Atque ita ſane eſt in Pal. pr. ac tert. Sed enim cum reſtet in Pal. ſec. ac Col. *& alligant*, ambigo quamnam lectionem amplecti oporteat. Verum quid eſt quod ſolicitem vulgatam? Sic Gruterus. Membranæ quoque nobis viſæ: *& alligant.* Neque ambigo, quin hæc vera ſit lectio, qui meminerim placere hoc verbum auctori pro *ligare* & *colligare*, ubi nempe his vulgarius utimur. De brevitate vitæ, cap. 3. *Sulla in Circo leones ſolutos dedit, cum alioqui alligati darentur.* De Benefic. 4. cap. 21. *fortis etiam, qui compreſſis manibus, vel & alligatis.* Eodem titulo lib. 5, 8. *alligavit & clauſit? de vi non tenetur.* Cap. 12. *quedam in oblectamentum ac jocum ſic alligantur, ut eorum ſolutio imperito difficilis ſit.* Epiſt. 71. *Quid miraris, ſi uri, vulnerari, occidi, alligari juvat?* Sic *alligare vulnus*, de quo diximus ad Livium. Sed quod maxime huc facit, lib. 5 de Benef. cap. 21. *Quæ lex ad id praſtandum nos, quod alicui promiſimus, alligat.* Cicero pro Cluentio: *ne nova lege alligarentur, laborabant.* Gronovius.

17 *Scientiam & habitum*] Scientiam, quæ Decretis conſtat: Habitum, qui ab actione & exercitio illorum paratur. Sed nec iſta objectio præivit. *Lipſius.*

facies. Præterea, ſi exſpectat tempus, quo per ſe ſciat, quid optimum factu ſit: interim errabit, & errando impedietur, quo minus ad illud perveniat, quo poſſit ſe eſſe contentus: regi ergo debet, dum incipit poſſe ſe regere. Pueri ad præſcriptum diſcunt, digiti illorum tenentur, & aliena manu per litterarum ſimulacra ducuntur: deinde imitari jubentur propoſita, & ad illa reformare chirographum: ſic animus noſter dum eruditur ad præſcriptum, juvatur. Hæc ſunt per quæ probatur, hanc philoſophiæ partem ſupervacuam non eſſe. Quæritur deinde, an ad faciendum ſapientem ſola ſufficiat. Huic quæſtioni [18] ſuum diem dabimus. interim omiſſis argumentis, nonne apparet nobis eſſe opus aliquo advocato, qui contra populi præcepta præcipiat? nulla ad aures noſtras vox impune perfertur: nocent qui optant, nocent qui exſecrantur. nam & horum imprecatio falſos nobis metus inſerit, & illorum amor male docet bene optando. Mittit enim nos ad longinqua bona, & incerta & errantia, cum poſſimus felicitatem domo promere. Non licet, inquam, ire recta via. trahunt in pravum parentes, trahunt ſervi: nemo errat uni ſibi, ſed dementiam ſpargit in proximos, accipitque invicem. Et ideo in ſingulis vitia populorum ſunt, quia illa populus dedit. dum facit quiſque pejorem, factus eſt. Didicit deteriora, deinde docuit: effectaque eſt ingens illa nequitia; congeſto in unum, quod cuique peſſimum ſcitur. Sit ergo aliquis cuſtos, & aurem ſubinde pervellat, abigatque rumores, & reclamet populis laudantibus. Erras enim, ſi exiſtimas [19] nobiſcum vitia naſci: ſupervenerunt, ingeſta ſunt. Itaque monitionibus crebris, opiniones quæ nos circumſonant, compeſcamus. Nulli nos vitio natura conciliat: nos illa integros ac liberos genuit. Nihil quidem quod

18 *Suum diem dabimus*] In epiſtola ſequenti: *Petis à me, ut id quod in diem ſuum dixeram debere referri, repræſentem.* Lipſius.

19 *Nobiſcum vitia naſci*] Hoc enim Stoïci fortiter abnuunt; & volunt Natura bonos eſſe. Vide Manud. 2. Diſſert. 10. *Idem.*

20 *Si*

quod avaritiam noſtram irritaret, poſuit in aperto: pedibus aurum & argentum ſubjecit, calcandumque ac premendum dedit, quidquid eſt, propter quod calcamur ac premimur. Illa vultus noſtros erexit in cælum, & quidquid magnificum mirumque fecerat, videri à ſuſpicientibus voluit: ortus occaſuſque, & properantis mundi volubilem curſum, interdiu terrena aperientem, noctu cæleſtia: tardos ſiderum inceſſus, [20] ſi compares toti; citatiſſimos, ſi cogites, quanta ſpatia numquam intermiſſa velocitate circumeant: defectus ſolis & lunæ, invicem obſtantium. Alia deinceps digna miratu, ſive per ordinem ſubeunt, [21] ſive ſubitis cauſſis mota proſiliunt, ut nocturni ignium tractus, & [22] ſine ullo ictu ſonituque fulgores [23] cæli patiſcentis, columnæque ac trabes, & varia ſimulacra flammarum. Hæc ſupra nos itura diſponit: [24] aurum quidem & argentum, & propter iſta numquam pacem agens ferrum, quaſi male nobis committerentur, abſcondit. Nos in lucem, propter quæ pugnaremus, extulimus: nos & cauſſas periculorum noſtrorum, & inſtrumenta, disjecto terrarum pondere, eruimus: nos fortunæ mala noſtra tradidimus, nec erubeſcimus ſumma apud nos haberi, quæ fuerant ima terrarum. Vis ſcire, quam falſus oculos tuos decipit fulgor? nihil eſt iſtis, quamdiu merſa & involuta cœno ſuo jacent, fœdius, nihil obſcurius. quidni? quando per longiſſimorum cuniculorum tenebras extrahuntur: nihil eſt illis dum fiunt, & à fæce ſua ſeparantur, informius. De-

nique

20 *Si compares toti*] Mundo ſupremo. *Lipſius.*

21 *Sive ſubditis cauſſis*] Id eſſet, inferis & ſubjectis: nempe à vaporibus terrenis. Quidam tamen libri, *ſubitis*: repentinis & incertis, ut naſci ſolent meteora. *Idem.*

22 *Sine ullo ictu ſonituque fulgores*] De quibus noſtrum vide Nat. Quæſt. 1. c. 14. & 15. *Idem.*

23 *Cæli patiſcentis*] Sic lego, cum Pinciano: & omnino divellendum hoc à fulgoribus, qui alia cauſſa fiunt. Intellegit igitur *Chaſmata*, aut tales cæli receſſus. At vulgata lectio erat, *fulgores cæli fatiſcentis.* Idem.

24 *Aurum quidem & argentum*] Similis ſententia quædam de Benef. 7. c. 10. & iſta Plinii, lib. 33. initio: *Terra & hæc* (juvantia) *ſumma ſui parte tribuit, ut minime parca faciliſque in omnibus, quæ proſunt. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultavit atque demerſit.* Idem.

25 *Unam*

nique ipſos opifices intuere, per quorum manus ſterile terræ genus & informe perpurgatur; videbis quanta fuligine oblinantur. Atqui iſta magis inquinant animos, quam corpora: & in poſſeſſore eorum, quam in artifice, plus eſt ſordium. Neceſſarium itaque eſt admoneri, & habere aliquem advocatum bonæ mentis, éque tanto fremitu tumultuque falſorum, [25] unam denique audire vocem. Quæ erit illa vox? ea ſcilicet, quæ tibi tantis clamoribus ambitioſis exſurdato, ſalubria inſuſurret verba: quæ dicat; Non eſt quod invideas iſtis, quos magnos feliceſque populus vocat: non eſt quod tibi compoſitæ mentis habitum & ſanitatem plauſus excutiat: non eſt quod tibi tranquillitatis tuæ faſtidium faciat ille, [26] ſub illis faſcibus, purpura cultus: non eſt quod feliciorem eum judices, cui ſubmovetur, quam [27] quem lictor ſemita dejicit. Si vis exercere tibi utile, nulli autem grave imperium, ſubmove vitia. Multi inveniuntur, qui ignem inferant urbibus, qui inexpugnabilia ſeculis, & per aliquot ætates tuta proſternant, qui æquum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos arietibus ac machinis quaſſent: multi ſunt, qui ante ſe agant agmina, & tergis hoſtium graves inſtent, & ad mare magnum perfuſi cæde gentium veniant: ſed hi quoque, ut vincerent hoſtem, cupiditate victi ſunt. Nemo illis venientibus reſtitit, ſed nec ipſi ambitioni, crudelitatique reſtiterant: tunc cum agere viſi ſunt alios, agebantur. Agebat infelicem Alexandrum furor aliena devaſtandi, & ad ignota mittebat. An tu putas ſanum, qui à Græciæ primum cladibus, in qua eruditus eſt, incipit: qui quod cuique optimum eſt, eripuit? Lacedæmona ſervire jubet, [28] Athenas tacere. Non contentus tot civitatum ſtrage,

25 *Unam denique audire*] Fincianus vellet, *veram:* poſſis &, *vivam*. Lipſ.

26 *Sub illis faſcibus*] Qui erecti præeunt: ideo ſub illis. Intellegit magiſtratum, aut imperium. *Idem.*

27 *Quem lictor ſemita*] Nam in ſubmovendo, manu & virga etiam impellebant. Vide me de tota re Elector. 1. c. 22. *Idem.*

28 *Athenas tacere*] Quarum propria eloquentia, ſed & loquentia. Ideo Tertullianus, *linguatam civitatem* dixit:

Digitized by Google

ge, quas aut viceràt Philippus, aut emerat, & alias alio loco projicit, & toto orbe arma circumfert: nec ſubſtitit uſquam laſſa crudelitas. immanium ferarum modo, quæ plus quam exigit fames, mordent. Jam in unum regnum multa regna conjecit; jam Græci Perſæque eumdem timent; jam etiam à Dario liberæ nationes jugum accipiunt: [29] hic tamen ultra Oceanum ſolemque, indignatur ab Herculis Liberique veſtigiis victoriam flectere, ipſi naturæ vim parat. Non ille ire vult, ſed non poteſt ſtare. non aliter, quam in præceps dejecta pondera, quibus eundi finis eſt, jacuiſſe. Ne Cn. quidem Pompeio externa bella aut domeſtica virtus aut ratio ſuadebat: ſed inſanus amor magnitudinis falſæ, modo in Hiſpaniam & Sertoriana arma, modo [30] ad colligendos piratas, ac maria pacanda vadebat. Hæ prætexebantur cauſſæ, ad continuandam potentiam. Quid illum [31] in Africam, quid [32] in Septemtrionem, quid in Mithridatem, & Armeniam, & omnes Aſiæ angulos traxit? infinita ſcilicet cupido creſcendi: cum ſibi uni parum magnus videretur. Quid C. Cæſarem in ſua fata, pariter ac publica, immiſit? gloria & ambitio, & nullus ſupra ceteros eminendi modus. Unum ante ſe ferre non potuit, cum reſp. ſupra ſe duos ferret. Quid, tu C. Marium ſemel conſulem (unum enim conſulatum accepit, [33] ceteros rapuit) cum Theutonicos Cimbroſque concideret, cum Jugurtham per Africæ

dixit: Sidonius, *Athenis loquacior*, adagii forma. *Lipſius.*

29 *Hic tamen ultra*] Alii libri, *is tamen*, vel, *his*. Puto fuiſſe: *is tamen*: nempe animo & cupidine. Muretus interpolaverat. *Idem.*

30 *Ad colligendos piratas*] Ita ſcripti libri: contra quos idem Muretus, *cogendos*, ediderat. Sed illud bene. fudit enim fugavitque piratas: ſed ut finis belli eſſet, *reliquias eorum* CONTRACTAS (ait Velleius) *in urbibus, remotoque à mari loco, incerta ſede conſtituit.* Ita qui ſparſi per omnia maria erant: collegit, & fregit. *Idem.*

31 *In Africam*] Bello Mariano, miſſus eo contra Domitium & regem Iarbam. *Idem.*

32 *In Septemtrionem*] In Galliam ivit, eodem bello, & res ibi cum Metello feliciter geſſit. An & Mithridatis bello intellegit, petitos Colchos, Iberos, Albanos? *Idem.*

33 *Ceteros rapuit*] Non videtur profecto, ſi duos ultimos excipias. Nam priores, in diſcrimine patriæ, abſenti delati. Vide Plutarchum. *Idem.*

Digitized by Google

Africæ deſerta ſequeretur, tot pericula putas appetiſſe, virtutis inſtinctu? Marius exercitum, Marium ducebat ambitio. Iſti cum omnia concuterent, concutiebantur: turbinum more, qui rapta convolvunt, ſed ipſi ante volvuntur, & ob hæc majore impetu incurrunt, quia nullum illis ſui regimen eſt. Ideoque cum multis fuerunt mali, peſtiferam illam vim, qua pleriſque nocuerunt, ipſi quoque ſentiunt. Non eſt quod credas, quemquam fieri aliena infelicitate felicem. Omnia iſta exempla, quæ oculis atque auribus noſtris ingeruntur, retexenda ſunt, & plenum malis ſermonibus pectus exhauriendum. Inducenda eſt in occupatum locum virtus: quæ mendacia contra verum placentia exſtirpet, quæ nos à populo, cui nimis credimus, ſeparet, ac ſinceris opinionibus reddat. Hæc eſt enim ſapientia, in naturam converti, & eo reſtitui, unde publicus error expulerit. Magna pars ſanitatis eſt, hortatores inſaniæ reliquiſſe, & ex iſto cœtu invicem noxio procul abiiſſe. Hoc ut eſſe verum ſcias, adſpice, quanto aliter unuſquiſque populo vivat, aliter ſibi. Non eſt per ſe magiſtra ſolitudo innocentiæ, nec frugalitatem docent rura: ſed ubi teſtis ac ſpectator abſceſſit, vitia ſubſidunt, quorum monſtrari & conſpici fructus eſt. Quis eam, quam nulli oſtenderet, induit purpuram? quis poſuit ſecretam in auro dapem? quis ſub alicujus ruſticæ arboris projectus umbra, luxuriæ ſuæ pompam ſolus explicuit? Nemo oculis ſuis lautus eſt, ne paucorum quidem & familiarium, ſed apparatum vitiorum ſuorum pro modo turbæ ſpectantis expandit. Itaque irritamentum eſt omnium, in quæ inſanimus, admirator & conſcius. Ne concupiſcamus efficies, ſi ne oſtendamus effeceris. Ambitio, & luxuria, & impotentia, ſcenam deſiderant: ſanabis iſta, ſi abſconderis. Itaque ſi in medio urbium fremitu collocati ſumus, ſtet ad latus monitor, & contra laudatores ingentium patrimoniorum laudet parvo divitem, & uſu opes metientem. Contra illos, qui gratiam ac potentiam attollunt, otium ipſe ſuſpiciat

tradi-

traditum litteris, & animum ab externis ad ſua reverſum. Oſtendat ex conſtitutione vulgi beatos, in iſto invidioſo faſtigio ſuo trementes & attonitos, longeque aliam de ſe opinionem habentes, quam ab aliis habetur. Nam quæ aliis videntur excelſa, ipſis prærupta ſunt. Itaque exanimantur, & trepidant, quoties deſpexerunt in illud magnitudinis ſuæ præceps. Cogitant enim varios caſus, & in ſublimi maxime lubricos: tunc appetita formidant, & quæ & illos graves aliis reddit, gravior ipſis felicitas incumbit. Tunc laudant otium lene & ſui juris: odio eſt fulgor, & fuga jam à rebus adhuc ſtantibus quæritur: tunc demum videas philoſophantes metus, & ægræ fortunæ ſana conſilia. Nam quaſi iſta inter ſe contraria ſunt, bona fortuna, & mens bona: ita melius in malis ſapimus, ſecunda rectum auferunt.

EPIST. XCV.

Hæret aut pendet à priore, quæriturque, An igitur Parænetica ſola ſufficiat? cum præſertim oſtenderit tantos ejus & tam claros uſus. Negat, & argumenta quæ adferuntur ponit, ac refellit. Dogmaticam igitur laudat, & ab illo fonte manare Præcepta, & vitam ea contineri oſtendit. Florida miſcet, & in Luxum, Libidinem, Ambitum obiter excurrit. Tota pulcra & fructuoſa eſt.

PEtis à me, ut id quod [1] in diem ſuum dixeram debere differri, repræſentem, & ſcribam tibi, an hæc pars philoſophiæ, quam Græci παραινετικὴν vocant, nos præceptivam dicimus, ſatis ſit ad conſummandam ſapientiam. Scio te in bonam partem accepturum, [2] ſi negavero. Eo magis

EPIST. XCV. 1 *In diem ſuum dixeram*] Supra, priore epiſtola: *Huic quæſtioni ſuum diem dabimus.* Lipſius.

2 *Si negavero*] Quia res intricata, & minime blanda aut grata eſt: ideo facile feres abnuentem. Tamen faciam, ne fruſtra petieris: & ne vulgi verbum pereat: Noli rogare, quod impetratum etiam nolis. Nam ſunt qui petunt, quaſi in alterius gratiam aut honorem: ut, Recita hoc carmen, Diem illum mihi adſis: & in animo

magis promitto, & verbum publicum perire non patior? Poſtea noli rogare, quod impetrare nolueris. Interdum enim obnixe petimus, id quod recuſaremus, ſi quis offerret. Hæc ſive levitas eſt, ſive vernilitas, punienda eſt promittendi facilitate. Multa videri volumus velle, ſed noluımus. Recitator hiſtoriam ingentem attulit, minutiſſime ſcriptam, arctiſſime plicatam, & magna parte perlecta: Deſinam, inquit, ſi vultis. Acclamatur, Recita, recita, ab his qui illum obmuteſcere illico cupiunt. Sæpe aliud volumus, [3] aliud optamus: & verum ne diis quidem dicimus; ſed dii aut non exaudiunt, aut miſerentur. Ego me, omiſſa miſericordia, vindicabo, & tibi ingentem epiſtolam impingam: quam tu ſi invitus leges, dicito: Ego mihi hoc contraxi. teque inter illos numera, quos uxor magno ducta ambitu torquet: inter illos, quos divitiæ per ſummum acquiſitæ ſudorem, male habent: inter illos, quos honores, nulla non arte atque opera petiti, diſcruciant: & ceteros, malorum ſuorum compotes. Sed ut, omiſſo principio, rem ipſam aggrediar: Beata, inquiunt, vita conſtat ex actionibus rectis: ad actiones rectas præcepta perducunt: ergo ad beatam vitam præcepta ſufficiunt. Non tamen ſemper ad actiones rectas præcepta perducunt, ſed cum obſequens ingenium eſt: aliquando fruſtra admoventur, ſi animum opiniones obſident pravæ. Deinde, etiam ſi recte faciunt, neſciunt facere ſe recte. Non poteſt enim quiſquam niſi ab initio formatur, & tota ratione compoſitus, omnes exſequi numeros, ut ſciat quando oporteat, & inquantum, & cum quo, & quemadmodum. Quare non poteſt toto animo ad honeſta

mo velint negatum gratiam aut honorem. Hæc ſententia horum & ſequentium eſt, à qua alii mihi videntur abiviſſe. *Lipſius.*

3 *Aliud optamus*] A Diis nempe, ubi palam, & audientibus aliis, vota concipimus. Tunc enim ſæpe hic diſſenſus. Pro vita & victoria mali Principis precor, ſervus pro domini, maritus uxoris, & quæ ſunt talia: animo abdicante. An & refers ad vota etiam tacita & libera? nimirum errore eligendi mala petimus, etſi bona intendimus: ut opes, honores, famam. Itaque aliud volumus communiter; diſtincte autem vovendo, abimus. *Idem.*

4 Qua

honeſta conari, ne conſtanter quidem, aut libenter: ſed reſpiciet, ſed hæſitabit. Si honeſta, inquit, actio ex præceptis venit, ad beatam vitam præcepta abunde ſunt: atqui eſt illud: ergo & hoc. His reſpondemus, Actiones honeſtas ex decretis fieri, non tantum præceptis. Si aliæ, inquit, artes contentæ ſunt præceptis, contenta erit & ſapientia: nam & hæc ars vitæ eſt. Atqui gubernatorem facit ille qui præcipit, Sic move gubernaculum, ſic vela ſubmitte, ſic ſecundo vento utere, ſic adverſo reſiſte, ſic dubium communemque tibi vindica. Alios quoque artifices præcepta confirmant: ergo non hoc idem poterunt artifices vivendi? Omnes iſtæ artes circa inſtrumenta vitæ occupatæ ſunt, non circa totam vitam. Itaque multa illas inhibent extrinſecus, & impediunt, ſpes, cupiditas, timor. At hæc quæ artem vitæ profeſſa eſt, nulla re, quo minus ſe exerceat, vetari poteſt. diſcutit enim impedimenta, & tractat obſtantia. Vis ſcire quam diſſimilis ſit harum artium conditio, & hujus? In illis excuſatius eſt, voluntate peccare, quam caſu: in hac, maxima culpa eſt, ſponte delinquere. Quod dico, tale eſt. Grammaticus non erubeſcit ſolœciſmum, ſi ſciens facit: erubeſcit, ſi neſciens. Medicus ſi deficere ægrum non intelligit, quantum ad artem magis peccat, quam ſi ſe intelligere diſſimulat. At in hac arte vivendi, turpior volentium culpa eſt. Adjice nunc, quod artes quoque pleræque, imo ex omnibus liberaliſſimæ, habent decreta ſua, non tantum præcepta: ſicut medicina. Itaque alia eſt Hippocratis ſecta, alia Aſclepiadis, alia Themiſonis. Præterea nulla ars contemplativa ſine decretis ſuis eſt, [4] quæ Græci vocant δόγματα: nobis decreta licet appellare, vel ſcita, vel placita: quæ in geometria & in aſtronomia invenies. Philoſophia autem & contemplativa eſt, & activa: ſpectat, ſimulque agit. Erras enim, ſi illam putas tantum terreſtres operas promittere: altius ſpirat. Totum,

4 *Quæ Græci vocant δόγματα*] De his ego Manud. 2. Diſſert. 12. *Lipſius.*

tum, inquit, mundum ſcrutor, nec me intra contubernium mortale contineo, ſuadere vobis, ac diſſuadere contenta: magna me vocant, ſupraque vos poſita.

Nam tibi de ſumma cæli ratione, deumque,
Diſſerere incipiam, & rerum primordia pandam,
Unde omnis natura creet res, auctet, alatque,
Quoque eadem rurſus natura perempta reſolvat:

ut ait Lucretius. ſequitur ergo, ut cum contemplativa ſit, habeat decreta ſua. Quid, quod facienda quoque nemo rite obibit, niſi is cui ratio erit tradita, qua in quaque re omnes officiorum numeros exſequi poſſit? quos non ſervabit, [5] qui in rem præcepta acceperit, non in omne. Imbecilla ſunt per ſe, &, ut ita dicam, ſine radice, quæ partibus dantur. Decreta ſunt quæ muniant, quæ ſecuritatem noſtram, tranquillitatemque tueantur, quæ totam vitam, totamque rerum naturam ſimul contineant. Hoc intereſt inter decreta philoſophiæ, & præcepta: quod inter elementa, & membra. hæc ex illis dependent: illa & horum cauſſæ ſunt & omnium. Antiqua, inquit, ſapientia nihil aliud, quam facienda & vitanda, præcepit: & tunc longe meliores erant viri: poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. Simplex enim illa & aperta virtus in obſcuram & ſolertem ſcientiam verſa eſt, docemurque diſputare, non vivere. Fuit ſine dubio, ut dicitis, vetus illa ſapientia, cum maxime naſcens, rudis: non minus quam ceteræ artes, quarum in proceſſu ſubtilitas crevit. Sed ne opus quidem adhuc erat remediis diligentibus. Nondum in tantum nequitia ſurrexerat, nec tam late ſe ſparſerat: poterant vitiis ſimplicibus obſtare remedia ſimplicia. Nunc neceſſe eſt tanto operoſiora eſſe munimenta, quanto valentiora ſunt, quibus petimur. Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum,

5 *Qui in re præcepta*] Mureti editio: *qui mera præcepta acceperit. Imbecilla:* vocibus aliis ejectis. At libri retineri ſuadent: ex quorum uno Pincianus: *qui in rem præcepta acceperit, non in omne.* Ego aſſentior, ſed velim magis, *non in commune.* Lipſius.

6 *Multos*

barum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paulatim: deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Nec eſt mirum, tunc illam minus negotii habuiſſe, firmis adhuc, ſolidiſque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. Qui poſtquam cœpit, non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quæri, & inventæ ſunt mille conditturæ, quibus aviditas excitaretur: quæ deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis. Inde pallor, & nervorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus, quam ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & ſemper qualis in ipſa ebrietate titubatio: inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentuſque venter, dum male aſſueſcit plus capere, quam poterat: inde ſuffuſio luridæ bilis, & decolor vultus, tabeſque in ſe putreſcentium, & retorti digiti articulis obrigeſcentibus, nervorum ſine ſenſu jacentium torpor, aut palpitatio ſine intermiſſione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta, & cerebri æſtuantis verminationes, & omnia per quæ exoneramur, internis ulceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu ſævientium, aliarum tenui peſte repentium, aliarum cum horrore & multa membrorum quaſſatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriæ? Immunes erant ab iſtis malis, qui nondum ſe deliciis ſolverant, qui ſibi imperabant, ſibi miniſtrabant. Corpora opere ac vero labore durabant, aut curſu defatigati, aut venatu, aut tellure verſata: excipiebat illos cibus, qui niſi eſurientibus placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magna medicorum ſupellectile, nec tot ferramentis, atque pyxidibus. Simplex erat ex ſimplici cauſſa valetudo: [6] multos morbos multa fercula fecerunt. Vide quantum rerum per unam gulam tranſiturarum permiſceat luxuria, terrarum mariſque vaſtatrix! neceſſe eſt itaque

6 *Multos morbos multa fercula*] Vide in hanc rem Plutarchi Quæſt. Convival. 8. c. 9. totum. *Lipſius.*

7 *Tam*

itaque inter ſe tam diverſa diſſideant, & hauſta male digerantur, aliis alio nitentibus. Nec mirum, quod inconſtans variuſque ex diſcordi cibo morbus eſt: & illa ex contrariis naturæ partibus in eundem compulſa redundat. Inde [7] tam nullo ægrotamus genere, quam vivimus. Maximus ille medicorum, & hujus ſcientiæ conditor, [8] feminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hæ jam & capillis deſtituuntur, & pedibus ægræ ſunt. Non mutata feminarum natura, ſed vita eſt. nam cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt. [9] Non minus pervigilant, non minus potant, & oleo & mero viros provocant: æque invitis ingeſta viſceribus per os reddunt, & [10] vinum omne vomitu remetiuntur: æque nivem rodunt, ſolatium ſtomachi æſtuantis. Libidine vero, nec maribus quidem cedunt, pati natæ. Dii illas deæque male perdant! adeo perverſum commentæ genus impudicitiæ: [11] viros ineunt. Quid ergo mirandum eſt, maximum

7 *Tam nullo ægrotamus genere*] Tam parum certo, & uno, & ſimplici: quam neque victus eſt è certis & unis. *Lipſius.*

8 *Fœminis nec capillos defluere*] Non dicit hoc quidem in Aphoriſmis lib. 6. Hippocrates; dumtaxat, *Mulieres non laborare podagra, niſi menſes defecerint.* At de capillorum defluvio, in Eunuchis præmittit: *Eunuchi*, inquit, *non laborant podagra, neque calvi fiunt.* Galenus tamen ibi, utrumque hoc evenire Eunuchis ait, quia fœminarum ſimiles ſunt, iiſdem incommodis carentium. Additque, quod hic Seneca, *olim id ita fuiſſe Hippocratis ævo, cum moderate victitarent: nunc in utriſque fallere, ob vitam victumque diverſa.* Idem.

9 *Non minus pervigilant*] In conviviis illis intempeſtivis. Quibuſdam tamen libris tria hæc verba abſunt, etiam optimo meo: in aliis, *pervigilantur* ſcriptum. è quo Pincianus ingenioſe, *pugillantur.* Idem.

10 *Vinum omne vomitu*] Totidem fere verbis, de Providentia, cap. 3. *Hi quidquid biberint, vomitu remetiuntur, triſtes, & bilem ſuam regustantes.* Mos autem invaluerat, ante cœnam bibere, & vomitu refundere. Juvenalis, de ipſis fœminis:

——— *tamquam alta in dolia longus*
Deciderit ſerpens, bibit & vomit.

& pluſcula ibi huic rei. Etiam Martialis:

Nec cœnat prius, aut prius recumbit,
Quam ſeptem vomuit meri deunces.

Seneca in epiſt. 88. *Jejuni vomitores* dicuntur. Cœpiſſe mos, aut invaluiſſe videtur, Pompeii Magni temporibus, cum Aſclepiades medicus vixit. de quo Plinius lib. 26. cap. 3. *Damnavit merito & vomitiones, tunc ſupra modum frequentes.* Damnat & Celſus lib. 1. c. 3. qui *iſtud luxuriæ cauſſa fieri non oportere confitetur, interdum valetudinis cauſſa recte fieri experimentis credit.* Adde iſtis quæ notamus in epiſt. 122. *Idem.*

11 *Viros ineunt*] Flagitium & fœditas mihi quidem ignota, & apage à viris

ximum medicorum, ac naturæ peritiſſimum, in mendacio prehendi, cum tot feminæ podagricæ calvæque ſint? Beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt: & quia feminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus. Antiqui medici [12] neſciebant dare cibum ſæpius, & [13] vino fulcire venas cadentes: [14] neſciebant ſaniem emittere, & diutinam ægrotationem balneo ſudoribuſque laxare: neſciebant crurum vinculo, brachiorumque, latentem vim, & in medio ſedentem, ad extrema revocare. Non erat neceſſe circumſpicere multa auxiliorum genera, cum eſſent periculorum pauciſſima. Nunc vero quam longe proceſſerunt mala valetudinis? has uſuras voluptatum pendimus, ultra modum faſque concupitarum. Innumerabiles eſſe morbos non miraberis: coquos numera. [15] Ceſſat omne ſtudium: & liberalia profeſſi, ſine ulla frequentia, deſertis angulis præſident. In rhetorum ac philoſophorum ſcholis, ſolitudo eſt: at quam celebres culinæ ſunt, quanta circa nepotum focos juventus premit? Tranſeo [16] puerorum infelicium greges: quos

poſt

viris ipſis,. meo voto. Ut ne hoc patiamur? Nego recte ſcribi. quo enim ſenſu? Ut fœminæ in equo ſedeant, quod brevibus puellis Ovidius concedit? Atqui nec illud ſchema eſt, quod ſic merito exſecretur Seneca: & vel ita ineuntur, non ineunt. An ad Ligures, aut Follantes referas? non convenit hoc verbi, de *ineundo*: nec fœminarum etiam iſta magis, quam virorum. Mihi lubet corrigere, *Viri ſunt., ineunt*: & ad Tribadas referre. Illæ profecto virum agunt: & de iſtis Clemens Alexandrinus: *Καὶ γυναῖκες ἀνδρίζονται παρὰ φύσιν, γαμοῦνταί τε καὶ γαμοῦσι·* *Et fœminæ viri ſunt contra naturam, & nubunt, & item ducunt uxores.* Non perſequor, nec retego Stygiis tenebris dignam fœditatem. Poſſit & legi, *viroſæ ineunt.* quæ virum quærunt, virum agunt. *Lipſius.*

12 *Neſciebant cibum dare ſæpius*] Nihil mutandum. Lib. 3 de Benef. 9. *Quid adſediſſe ægro, & cum valetudo ejus ac ſanitas momentis conſtaret, excepiſſe idonea cibo tempora, & cadentes venas vino refeciſſe?* Gronovius.

13 *Vino fulcire venas*] Ovidius:

Ut ſolet infuſo vena redire mero.

Adde de Benef. 3. c. 9. *Lipſius.*

14 *Neſciebant ſaniem emittere*] Legebatur antea, *ſanguinem*: nos primi emendavimus, veritate inducti. Quis neſcit veteres medicos ſanguinem eduxiſſe? ſed de ſudoribus loquitur, praviſque humoribus, per balnea eductis. Vide me 1 Elector. c. 16. *Idem.*

15 *Ceſſat omne ſtudium*] In Belgica oraculum. *Idem.*

16 *Puerorum infelicium greges*] Alibi ſic loquitur: & quidni *greges*? Nam ut Plutarchus ait, *ἐν τοῖς ἡγεμονικοῖς δείπνοις ἑκάστῳ παρέστηκε τῶν κατακειμένων οἰνοχόος· in principum conviviis cuique accumbentium ſuus adſtabat pincerna.* Idem.

17 *Alia*

poſt tranſacta convivia, [17] aliæ cubiculi contumeliæ exſpectant. Tranſeo agmina exoletorum, [18] per nationes coloreſque deſcripta, ut eadem omnibus levitas ſit, eadem primæ menſura lanuginis, eadem ſpecies capillorum, ne quis, cui rectior eſt coma, criſpulis miſceatur. Tranſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtratorum, per quos [19] ſigno dato ad inferendam cœnam diſcurritur. Dii boni, quantum hominum unus venter exercet! Quid? tu illos boletos, voluptarium venenum, nihil occulti operis judicas facere, etiam ſi præſentanei non furant? Quid? tu illam æſtivam nivem non putas callum jecinoribus obducere? Quid, illa oſtrea, inertiſſimam carnem, cœno ſaginatam, nihil exiſtimas limoſæ gravitatis inferre? Quid? illud [20] Sociorum garum, pretioſam [21] malorum piſcium ſaniem, non credis urere ſalſa tabe præcordia? Quid? illa purulenta, & quæ tantum non ab ipſo igne in os transferuntur, judicas ſine noxa [22] in ipſis viſceribus exſtingui? Quam fœdi atque peſtilentes ructus ſunt? quantum faſtidium ſui exhalantibus crapulam veterem? Scias putreſcere ſumpta, non concoqui. Memini fuiſſe quondam [23] in ſermone nobilem patinam,

17 *Aliæ cubiculi contumeliæ*] Ut aut patiantur, aut faciant obſcœna. Faciant etiam, dico, ex epiſt. 47. Vide. *Lipſius.*

18 *Per nationes coloreſque*] Ita ſolent, atque item per ætates. Vide de Brevit. vit. c. 12. *Idem.*

19 *Signo dato*] Ibidem, de Brevitate: *Quanta celeritate, ſigno dato, glabri ad miniſteria diſcurrant.* Vide Notas. *Idem.*

20 *Sociorum garum*] De quo Plinius 31. c. 7. & lib. 9. c. 17. Adi Junium 6 Animadv. c. 17. *Idem.* *Garum* tantopere priſco ſæculo nobilitatum, conſtat ſaniem fuiſſe cruentam ex inteſtinis piſcium, præcipue ſcombrorum, eliquatam. Laudatiſſimum autem maximique pretii fuit, quod *Garum ſociorum* vocitabant, ſuperbo admodum titulo: unde pulchre Martialis in Xeniis:

Expirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo
Accipe faſtoſum, munera rara, garum.

Plura de eo pete ex Hadr. Junio lib. 6. cap. 17. Animadverſ. & Hier. Magio lib. 2. cap. 9. Miſcell.

21 *Malorum piſcium ſaniem*] Scombrorum fere, qui ad nihil aliud fere utiles, ait Plinius. *Sanies* autem, ut Manilii lib. 5. de garo:

Hinc ſanies pretioſa fluit, floremque cruoris
Evomit, & miſto guſtum ſale temperat oris. Lipſius.

22 *In ipſis viſceribus exſtingui*] Vide ſupra epiſt. 78. *Idem.*

23 *In ſermone nobilem patinam*] Volunt ad Æſopi patinam referre, de qua Plinius lib. 10. cap. 51. imo Pincianus ipſum nomen hic reponit, & legit: *Quondam Æſopi nobilem patinam.*

Digitized by Google

nam, in quam quidquid apud lautos [24] ſolet diem ducere, properans in damnum ſuum popina congeſſerat: [25] veneriæ ſpondylique, & oſtrea eatenus circumciſa, qua eduntur, intervenientibus diſtinguebantur echinis; [26] torti diſtractique ſine ullis oſſibus mulli conſtraverant. [27] Piget jam eſſe ſingula: coguntur in unum ſapores. In cœna fit, quod fieri debet ſaturo in ventre. Exſpecto jam ut manducata ponantur. Quantulo autem hoc minus eſt, teſtas excerpere atque oſſa, & dentium opera coquum fungi? Grave eſt luxuriari per ſingula: omnia ſemel, & in eumdem ſaporem verſa, ponantur. Quare ego ad unam rem manum porrigam? plura veniant ſimul: multorum ferculorum ornamenta coëant & cohæreant. Sciant protinus hi, qui jactationem ex iſtis peti & gloriam aiebant, non oſtendi iſta, ſed conſcientiæ dari. Pariter ſint, quæ diſponi ſolent, jure uno perfuſa: nihil interſit, oſtrea echinis, ſpondyli perturbati mul-

nam. Non probo. nam iſta piſcium patina fuit, ex ſequentibus; illa avium, ex Plinio ipſo. Alius ergo hic mentio, quicumque is fuit. *Lipſius.*

24 *Solet diem ducere*] Non muto, & intellego diem extrahi variis ferculis, & ſcænam ita longioris cænæ inſtrui. Si tamen, *ſolent diducere*, legas; haud improbem. *Idem.*

25 *Veneria ſpondylique*] Quid proprie *veneria*, neſcio: an conchulæ aliquæ hoc nomine, quia Venus iis vecta? Inter piſces quidem ſunt, & Plinii melioribus libris nominantur, in 32. cap. 11. Ubi enim vulgo: *Urena, uva, xiphia:* priſca ſcriptura, *Veneria, uva*, præfert. *Spondyli* autem (aliis *ſphondyli*) in eodem loco nominantur: & Macrobio inter lautitias, in cæna Pontificia, 3 Saturnalium, Martiali lib. 7. epigr. 17. *Idem.*

26 *Torti diſtractique*] E melioribus libris, *diſtrictique*. Porro autem, libri quidam: *contraxerant pituitam. ſingula coguntur*. Idem.

27 *Piget eſſe jam ſingula: coguntur*] Neſcio quid de pituita hic ingerere libros jam obſervavit Eraſmus. Perplacet, quod in membranis invenimus, & ex Pal. ſecundo annotavit Gruterus, *Piget eſſe jam pituitam ſingula.* Caſtigans Seneca improbam mixturam tot ciborum ſalivoſorum, qui ſinguli pituitæ potius quam alimenti ſpeciem habent, poſtquam illam deſcripſit, addit hoc epiphonema: Scilicet quaſi non ſit ſatis, illa ſingula potius eſſe pituitam, quam carnem, partim natura, partim conditura ac coctura: oportuit omnia ſimul miſceri, ut faſtidium gulæ tanta copia pituitæ ſatiaretur. Vulgata habet illa quidem ſenſum, ſed laxum & omni mixturæ varii cibi convenientem: videtur autem Seneca dicere aliquid, quod proprium huic generi ſalivoſo eſſet, voluiſſe. Quod ſi admittatur, non video, quid hac ſcriptura ſit melius. Porro etiam legendum *torti deſtrictique:* non *diſtracti* neque *diſtricti:* quæ aliud ſignificant. *Deſtrictos* intelligit oſſibus extractis. *Gronovius.*

28 *Con-*

ti mullis [28] concoctique ponantur. Non eſſet confuſior vomentium cibus. Quomodo iſta perplexa ſunt, ſic ex iſtis non ſingulares morbi naſcuntur, ſed inexplicabiles, diverſi, multiformes: adverſus quos & medicina armare ſe cœpit [29] multis generibus, multis obſervationibus. Idem de philoſophia dico. Fuit aliquando ſimplicior inter minora peccantes, [30] & levi quoque cura remediabiles: adverſum tantam morum everſionem, omnia conanda. Et utinam ſic denique [31] lues iſta vinceretur! Non privatim ſolum, ſed publice furimus. Homicidia compeſcimus, & ſingulas cædes: quid bella, & occiſarum gentium glorioſum ſcelus? Non avaritia, non crudelitas modum novit: & iſta quamdiu furtim, & à ſingulis fiunt, minus noxia, minuſque monſtroſa ſunt: ex ſenatuſconſultis plebiſque ſcitis ſæva exercentur, & publice jubentur, vetita privatim. Quæ clam commiſſa capite luerent, eadem quia [32] paludati fecere, laudamus. Non pudet homines, mitiſſimum genus, gaudere ſanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere: cum inter ſe etiam mutis ac feris pax ſit? Adverſus tam potentem explicitumque late furorem operoſior philoſophia facta eſt, & tantum ſibi virium ſumpſit, quantum his, adverſus quæ parabatur, acceſſerat. Expeditum erat, objurgare indulgentes mero, & petentes delicatiorem cibum. non erat animus ad frugalitatem magna vi reducendus, à qua paululum diſceſſerat:

Nunc manibus rapidis opus eſt, nunc arte magiſtra.

Volu-

28 *Concoctique ponantur*] Una cocti. *Lipſius.*

29 *Multis generibus, multis obſervationibus*] Dubito annon fuerit, *multigeneribus obſervationibus.* Idem.

30 *Et levi quoque cura medicabiles*] Membranæ & quinque Pall. cum editt. priſcis: *remediabiles.* Quod ego non dubito Senecæ eſſe. Compoſitum habes in Mæcenatis verbis epiſt. 113. *tyranni irremediabilis factio.* Neque enim vocem illic reprehendit Seneca, ſed dictionem. Plinius 11, 53. *irremediabile id ſcelus mortem illico adfert.* Et 28, 7. *ſi in defectu lunæ ſoliſve congruat vis illa, irremediabilem fieri.* Gronovius.

31 *Lues iſta vinceretur*] Libri, *vindicetur, indicetur, meditetur.* Puto germanum, *medicetur.* Lipſius.

32 *Paludati fecere*] Ita enim, & eo habitu, id eſt coccineo paludamento induti, proficiſci ad bellum ſolent. Male qui, *palam* ſuffecerunt. *Idem.*

33 *Vo-*

Digitized by Google

[33] Voluptas ab omni parte quæritur: nullum intra ſe manet vitium. In avaritiam præceps luxuria eſt: honeſtatis oblivio invaſit: nihil turpe eſt, cujus placet pretium. Homo, [34] ſacra res, homini jam per luſum & jocum occiditur: & quem erudiri ad inferenda accipiendaque vulnera nefas erat, is [35] jam nudus inermiſque producitur: [36] ſatiſque ſpectaculi ex homine, mors eſt. In hac ergo morum perverſitate, deſideratur ſolito vehementius aliquid, quod mala inveterata diſcutiat. decretis agendum eſt, ut revellatur penitus falſorum recepta perſuaſio. His ſi adjunxerimus præcepta, conſolationes, adhortationes, poterunt valere: per ſe inefficaces ſunt. Si volumus habere obligatos, & malis, quibus jam tenentur, avellere; diſcant quid malum, quid bonum ſit: ſciant, omnia, præter virtutem, mutare nomen, modo mala fieri, modo bona. Quemadmodum primum [37] militiæ vinculum eſt religio, & ſignorum amor, & deſerendi nefas; tunc deinde facile cetera exiguntur mandanturque jusjurandum adactis: ita in his, quos velis ad beatam vitam perducere, prima fundamenta jacienda ſunt, & inſinuanda virtus. Hujus quadam ſuperſtitione teneantur: hanc ament: cum hac vivere velint, ſine hac nolint. Quid ergo? non quidem ſine inſtitutione ſubtili evaſerunt probi, magnoſque profectus aſſecuti ſunt, dum nudis tantum præceptis obſequuntur? Fateor: ſed felix inge-

33 *Voluptas ab omni parte quæritur*] Dilutum hoc, & ad acriorem ſenſum præeunt ſcripti: *Voluptas ex omni quæritur:* lege, *ex homine:* & commation hoc ad priora refer. *Lipſius.*

34 *Sacra res, homo*] Haud abſona repetitio: tamen concinnius etiam, *homini*, cum Pinciano & aliis libris ſcribatur. *Idem.*

35 *Jam nudus inermiſque*] Ut ſolent meridiani gladiatores ſupra, epiſt. 7. *Idem.*

36 *Satiſque ſpectaculi in homine*] Sive cum aliis, *ex homine.* Sententia eſt, quæ in epiſt. 90. *homo hominem, non timens nec iratus, tantum ſpectaturus occidit:* id eſt, jubet occidi. *Idem.*

37 *Militia vinculum eſt religio, & ſignorum amor*] Juramenti religionem intellegit: in quo hæc ipſa de ſignis comprehenſa. Vide Militiam noſtram, lib. 1. *Idem.* Eos qui militiæ nomen dabant, non prius militum numero habitos, quam jurejurando adacti, cincti & in numeros relati eſſent, pluribus ex locis probat Briſſonius lib. 2. Select. antiq. c. 6. De ritu vero militum cingendorum & diſcingendorum cap. ſequenti.

ingenium illis fuit, & ſalutaria in tranſitu rapuit. Nam ut dii immortales nullam didicere virtutem, cum omni editi, & pars naturæ eorum eſt, eſſe bonos: ita quidam ex hominibus egregiam ſortiti indolem, in ea quæ tradi ſolent, perveniunt ſine longo magiſterio; & honeſta complexi ſunt, cum primum audierunt. Unde iſta tam rapacia virtutis ingenia, vel ex ſe fertilia? At illis aut hebetibus & obtuſis, aut mala conſuetudine obſeſſis, diu rubigo animorum effricanda eſt. Ceterum ut illos in bonum pronos citius educit ad ſumma, & hos imbecilliores adjuvabit, maliſque opinionibus extrahet, qui illis philoſophiæ placita tradiderit: quæ quam ſint neceſſaria, ſcilicet, videas. Quædam inſident nobis quæ nos ad alia pigros, ad alia temerarios faciunt. Nec hæc audacia reprimi poteſt, nec illa inertia ſuſcitari, niſi cauſſæ eorum eximantur, falſa admiratio, falſa formido. Hæc nos quamdiu poſſident, dicas licet: Hoc patri præſtare debes, hoc liberis, hoc amicis, hoc hoſpitibus: tentantem avaritia retinebit. Sciet pro patria pugnandum eſſe: diſſuadebit timor. Sciet pro amicis deſudandum eſſe, ad extremum uſque ſudorem: ſed deliciæ vetabunt. Sciet in uxorem graviſſimum eſſe genus injuriæ, pellicem: ſed illum libido in contraria impinget. Nihil ergo proderit dare præcepta, niſi prius amoveris obſtantia præceptis: non magis, quam proderit arma in conſpectu poſuiſſe, propiuſque admoviſſe, [38] niſi uſuræ manus expediuntur. Ut ad præcepta quæ damus, poſſit animus ire, ſolvendus eſt. Putemus aliquem facere, quod oportet. non faciet aſſidue, non faciet æqualiter: neſcit enim quare faciat. Aliqua vel caſu, vel exercitatione, exibunt recta: ſed non erit in manu regula, ad quam exigantur, cui credat recta eſſe quæ fecit. Non promittet ſe talem in perpetuum; qui caſu bonus eſt. Deinde,

38 *Niſi uſuræ manus expediantur*] Uſuræ, nempe armis in conſpectu poſitis. ne cum viro doctiſſimo hic argutias ſomnies: quaſi, quia digitis numerarent, quamdiu digitis occupabantur computando, non potuerint vacare armis, eaque applicare corpori. *Uſuræ* caſus eſt primi pluralis ab *uſurus*. Gronovius.

39 *Eque-*

Deinde, præſtabunt tibi fortaſſe præcepta, ut quod oportet facias: non præſtabunt, ut quemadmodum oportet: & ſi hoc non præſtant, ad virtutem non perducunt. Faciet quod oportet monitus. concedo. ſed id parum eſt. quoniam quidem non in facto laus eſt, ſed in eo quemadmodum fiat. Quid eſt cœna ſumptuoſa flagitioſius, & [39] equeſtrem cenſum conſumente? quid tam dignum cenſoria nota, ſi quis, ut iſti ganeones loquuntur, ſibi hæc & genio ſuo præſtet? [40] & toties tamen ſeſtertio [41] aditiales cœnæ frugaliſſimis viris conſtiterunt. [42] Eadem res ſi gulæ datur, turpis eſt: ſi honori, reprehenſionem effugit. Non enim luxuria, ſed impenſa ſolennis eſt. Mullum ingentis formæ (quare autem non pondus adjicio, & aliquorum gulam irrito? [43] quatuor pondo & ad ſelibram fuiſſe aiebant) Tiberius Cæſar miſſum ſibi, cum in macellum deferri & venire juſſiſſet; Amici, inquit, omnia me fallunt, niſi iſtum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octavius. Ultra ſpem illi conjectura proceſſit. licitati ſunt: vicit Octavius, & ingentem conſecutus eſt inter ſuos gloriam, cum [44] quinque millibus HS emiſſet piſcem, quem Cæſar vendiderat, ne Apicius quidem

39 *Equeſtrem cenſum*] Muſonius apud Stobæum: *Μάγειροι δὲ γεωργῶν περισπουδαστότεροί εἰσι· δεῖπνα δὲ παρατιθέασί τινες ἀγρῶν ἀναλίσκοντες τιμάς· Coqui majore ſtudio quam agricolæ parantur, & convivia quidam apparant, in quibus agrorum pretia conſumunt.* Lipſius.

40 *Et tricies tamen* HS.] Video qui hunc dicant cenſum equeſtrem, & ideo recte ſic edi, cum de iſto præiverit. Sed profecto *tricies* illud valde ſuperat, & vel ſepties propemodum excedit. Sunt enim (noſtra æſtimatione) *ſeptuagintaquinque Philippûm millia.* Scripta omnis lectio habebat, *& toties tamen ſeſtertio:* atque eſt dicta illa mutatio à Mureto. Ego cenſeam excidiſſe notam numeri, legendumque, *& toties tamen* DC. HS. quod eſſet, *ſexcentis ſeſtertiis:* ipſe equeſter cenſus ab Auguſto. Poſſis eodem ſenſu, *& tot tamen* HS: adſpectu ad priora. De iſtis impendiis, aliquid ego in Admirandis, lib. 4. cap. 7. *Idem.*

41 *Adjiciales cænæ*] Libri, *adiciales:* vera ſcriptura, *aditiales.* quia dabantur in aditu, & auſpicio honorum. *Idem.*

42 *Eadem res*] His paria, ſed breviter, Democritus: *Φειδώ τοι καὶ λιμὸς χρηστή, ἐν καιρῷ δὲ καὶ δαπάνη. γινώσκειν δὲ ἀγαθοῦ. Parcimonia & abſtinentia bona, in tempore etiam ſumptus. dignoſcere autem Sapientis eſt.* Idem.

43 *Quatuor pondo*] Rarum pondus. nam ut Plinius ait, lib. 9. *magnitudo in modica, binaſque libras ponderis raro admodum excedunt.* Exceſſit iſte largiter; & alter apud Martialem lib. 10.

—— mullus tibi quattuor emptus
Librarum, cœnæ pompa caputque fuit.
Idem.

44 *Quinque millibus* HS.] Eſſent nobis,

dem emerat. Numerare tantum Octavio fuit turpe. nam ille qui emerat, ut Tiberio mitteret, (quamquam illum quoque reprehenderim) admiratus eſt rem, qua putavit Cæſarem dignum. Amico ægro aliquis aſſidet: probamus. at hoc ſi hereditatis cauſſa facit, [45] vultur eſt, cadaver exſpectat. Eadem & turpia ſunt, & honeſta: refert, quare, aut quemadmodum fiant. Omnia autem honeſte fient, ſi honeſto nos addixerimus, idque unum in rebus humanis bonum judicaverimus, quæque ex eo ſunt: cetera, in diem bona ſunt. Ergo infigi debet perſuaſio, ad totam pertinens vitam: hoc eſt, quod decretum voco. Qualis hæc perſuaſio fuerit, talia erunt quæ agentur, quæ cogitabuntur: qualia autem hæc fuerint, talis vita erit. In particulas ſuaſiſſe, totum ordinanti parum eſt. M. Brutus in eo libro, quem περὶ καθήκοντος inſcripſit, dat multa præcepta & parentibus & liberis & fratribus. Hæc nemo faciet quemadmodum debet, niſi habuerit quo referat. Proponamus oportet finem ſummi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum noſtrum dictumque reſpiciat: veluti navigantibus ad aliquod ſidus dirigendus eſt curſus. Vita ſine propoſito, vaga eſt. Quod ſi utique proponendum eſt, incipiunt neceſſario eſſe decreta. Illud, puto, concedes, nihil eſſe turpius dubio, & incerto ac timido, pedem modo referente, modo producente. Hoc in omnibus rebus accidet nobis: niſi eximantur, quæ reprehendunt animos ac detinent, & conari totos vetant. Quomodo ſint dii colendi, ſolet præcipi. [46] Accendere aliquem lucernam ſabbatis prohibea-

bis, *centum vicintiquinque Philippi.* Libri fere veteres, *quinque* HS. habent: ſed & ſic eadem ſumma. nam intelliguntur neutro genere *Seſtertia quina.* Neque pretium hoc immodicum (ut tunc ganea fervebat:) nam & Aſinius Celer poſtea, Caio Caligula Principe, *mullum unum octo millibus nummum emit:* Philippicis ducentis. in eodem Plinio. *Lipſius.*

45 *Vultur eſt*] Convicium in heredipetas, & qui funus exſpectant: à natura avis, quæ cadaveribus paſcitur, Catullus:

Suſcitat à cano vulturium capite.

Martialis:

Cujus vulturis hoc erit cadaver? Idem.

46 *Accendere lucernam ſabbathis*] Lucernas accendere in honorem Deorum aut Principum, feſtis diebus, mos apud

Digitized by Google

hibeamus: quoniam nec lumine dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus [47] ſalutationibus matutinis fungi, & [48] foribus aſſidere templorum: humana ambitio iſtis officiis capitur. Deum colit, qui novit. Vetemus [49] lintea & ſtrigiles Jovi ferre, & [50] ſpeculum tenere Junoni. Non quærit miniſtros Deus. quid ni? ipſe humano generi miniſtrat: ubique & omnibus præſto eſt. Audiat licet, [51] quemadmodum ſe gerere in ſacrificiis debeat, quam procul reſilire à moleſtiis ac ſuperſtitionibus: numquam ſatis profectum erit, niſi qualem debet Deum, mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem. Quæ cauſſa eſt diis benefaciendi? natura. Errat, ſi quis putat illos nocere velle: non poſſunt. nec accipere injuriam queunt, nec facere. Lædere etenim lædique, conjunctum eſt. Summa illa pulcherrima omnium natura,

apud Romanos: ſed, ut apparet, paullatim Judaïci ritus invaluere, & Sabbathi diem illa ſuperſtitione coluerunt. Perſius Sat. 5.

Herodis venere dies, unctaque feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ. Lipſius.

47 *Salutationibus matutinis*] Ecce, officia quæ hominibus tribuebant, ad Deos eadem tranſtulere: & ut potentes ſalutare mane, ſic etiam iſtos inſtituerunt. Apuleius 11. *Incohata lucis ſalutationibus, religioſi primam nunciantes horam, perſtrepunt.* Prudentius:

Mane ſalutatum concurritur, omnis adorat Pubes.

Plautus, atque alii, crebro. *Idem.*

48 *Foribus aſſidere*] Nondum ſcilicet apertis. nam cum prima luce, aut ante, faciebant. *Idem.*

49 *Lintea, & ſtrigiles*] Quaſi lotione Dii egerent. ſunt enim hæc balnearia inſtrumenta. Nec miremur: nam & cibum eſui apponebant. Vide me 2 Elector. cap. 18. *Idem.*

50 *Speculum tenere*] Ut ornet ſe, & comat. vel potius ipſi comebant, imaginarie hoc uſurpantes. Seneca apud Auguſtinum 6 de Civit. Dei, in libello de Superſtitione (utinam exſtaret!) *Sunt quæ Junoni ac Minervæ capillos diſponant, longe à templo, non tantum ſimulacro, ſtantes, digitos movent ornantium modo, ſunt quæ ſpeculum teneant.* Tertullianus, de Jejuniis: *Qui in idolis comendis & ornandis, & ad ſingulas horas ſalutandis adulantur, Curationem facere dicuntur.* Idem.

51 *Quemadmodum ſe gerere in ſacrificiis*] Gruterus ex Pal. notat, *ſervire in ſacr.* quod & Frobeniana ex altero, *quem modum ſervare:* idque probat. Suſpicor reliquiſſe Senecam: *quemadmodum ſervare in ſacrif.* uti eſt in Tarviſ. & Veneta. Servare eſt obſervare, notum ex illo Comici: *bene ſerva, & ſervare domi, ſervare de cælo.* in quibus omnibus verbi activi caſus deficit. Alio verbo in ſacris dicebant *attendere.* Seneca Thyeſte: *ipſe devotos neci contrectat & componit & ferro admovet. Attendit ipſe. nulla pars ſacri perit.* Plinius 28, 2. *præire aliquem, rurſuſque alium cuſtodem dari, qui attendat, alium vero præponi, qui faveri linguis jubeat.* Gronovius.

natura, quos periculo exemit, nec periculoſos quidem fecit. Primus eſt deorum cultus, deos credere: deinde, reddere illis majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla majeſtas eſt. Scire, illos eſſe qui præſident mundo, qui univerſa vi ſua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curioſi ſingulorum. Hi nec dant malum, nec habent: cæterum caſtigant quoſdam, & coërcent, & irrogant pœnas, & aliquando [52] ſpecie boni puniunt. Vis deos propitiare? bonus eſto. Satis illos coluit, quiſquis imitatus eſt. Ecce altera quæſtio, quomodo hominibus ſit utendum. Quid agimus? quæ damus præcepta? Ut parcatur ſanguini humano? quantulum eſt ei non nocere, cui debeas prodeſſe? Magna ſcilicet laus eſt, ſi homo manſuetus homini eſt. Præcipiemus ut naufrago manum porrigat, erranti viam monſtret, [53] cum eſuriente panem ſuum dividat? Quando omnia quæ præſtanda ſunt ac vitanda, dicam, cum poſſim breviter hanc formulam humani officii tradere? Omne hoc quod vides, quo divina atque humana concluſa ſunt, unum eſt: [54] membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, [55] cum ex iiſdem [56] & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit: illa æquum juſtumque compoſuit: ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quam lædi: & illius imperio paratæ ſunt ad juvandum manus. Iſte verſus, & in pectore, & in ore ſit:

Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.

[57] Habeamus in commune, quod nati ſumus. Societas noſtra

52 *Specie boni puniunt*] Id eſt, dant bona externa, quæ in malum cedunt. Videntur indulgere, caſtigant. *Lipſius.*

53 *Cum eſuriente*] Notat Muretus, proximum hoc Sacrorum illi præcepto eſſe: *Eſurienti frange panem tuum.* Idem.

54 *Membra ſumus*] De hac ſententia ego in Phyſiol. 1. Diſſ. 8. *Idem.*

55 *Cum ex iiſdem*] Elementis, & item aſtris, ſecundum Stoïcos. *Idem.*

56 *Et in eadem*] Vel, in actiones eaſdem, & finem: vel, reſolvendos in illa eadem, è quibus ſumus. *Idem.*

57 *Habeamus in commune, quod nati ſumus*] Ego legerim & diſtinxerim: *Habeamus. in commune quidem nati ſumus.* Dixerat, verſum debere in ore & corde eſſe: *Habeamus*, inquit: nam certe in commune nati ſumus. Itaque

ſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt: quæ caſura, niſi invicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur. Poſt deos homineſque diſpiciamus quomodo rebus ſit utendum. In ſupervacuum [58] præcepta jactavimus, niſi illud præceſſerit, qualem de quaque re habere debeamus opinionem, de paupertate, de divitiis, de gloria, de ignominia, de patria, de exſilio. Æſtimemus ſingula, fama remota: & quæramus quid ſint, non quid vocentur. Ad virtutes tranſeamus. præcipiet aliquis, ut prudentiam magni æſtimemus, ut fortitudinem complectamur: temperantiam amemus: juſtitiam, ſi fieri poteſt, propius etiam quam ceteras, nobis applicemus. Sed nihil agetur, ſi ignoramus, quid ſit virtus: una ſit, an plures: [59] ſeparatæ an annexæ: an qui unam habet, & ceteras habeat: quomodo inter ſe differant. Non eſt neceſſe fabro de fabrica quærere, quod ejus initium, quis uſus ſit: non magis quam pantomimo, de arte ſaltandi. Omnes iſtæ artes ſe ſciunt: nihil deeſt. Non enim ad totam pertinent vitam: virtus & aliorum ſcientia eſt, & ſui. diſcendum de ipſa eſt, ut ipſa voluntas diſcatur: actio recta non erit, niſi recta fuerit voluntas. ab hac enim eſt actio. Rurſus, voluntas non erit recta, niſi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim eſt voluntas. Habitus porro animi non erit in opti-

que verſum illum interpretatur, ut *nihil humani alienum* cenſeamus: id eſt, juncta nobiſcum & ſociata eſſe. *Lipſius.* Pincianus: *Coëamus. in commune nati ſumus.* Lipſius: *Habeamus. in commune quidem n. ſ.* Sed vulgata lectio non eſt mutanda: *nec habere in commune*, puta *commodum*, pejus dictum quam *conſulere in commune*, *conferre in commune*. Habemus quod nati ſumus, donante Deo & natura: *habeamus* igitur *hoc in commune:* hoc eſt, ſit hoc nobis datum publico bono: efficiamus, ut ad commune bonum vel commodum creati ſimus tales, vel tale animal, quale creati ſumus. Ep.48. *nec ſecundi quicquam ſingulis eſt, nec adverſi: in commune vivitur.* Lib. 7 de Benef. 1. *ſociale animal eſt, in commune genitum.* Sic Cimon hortos, quos, qui vellent, fruendos concedebat, habuit in commune. Sed & in formula iſta epiſt. 119. *Quoties aliquid inveni, non exſpecto, donec dicas, In commune; ipſa mihi dico.* Cum certum ſit præciſam orationem eſſe, quid aliud intelligas, quam, *ſit, cedat, habeamus?* Quæ omnia eundem ſenſum efficiunt. *Gronovius.*

58 *Præcepta jactavimus*] Imo *jactabimus*. Lipſius.

59 *Separatæ, an annexæ*] Nexæ Stoïcis. & vide Manud. 3. Diſſ. 4. *Idem.*

optimo, niſi totius vitæ leges perceperit, & quid de quoque judicandum ſit, exegerit, niſi res ad verum redegerit. Non contingit tranquillitas, niſi immutabile certumque judicium adeptis: ceteri decidunt ſubinde, & reponuntur, & inter omiſſa appetitaque alternis fluctuantur. [60] Cauſſa hujus jactationis eſt, quod nihil liquet incertiſſimo regimine utentibus, fama. Si vis eadem ſemper velle, vera oportet velis. Ad verum ſine decretis non pervenitur: continent vitam. Bona & mala, honeſta & turpia, juſta & injuſta, pia & impia, virtutes uſuſque virtutum, [61] rerum commodarum poſſeſſio, exiſtimatio ac dignitas, valetudo, vires, forma, ſagacitas ſenſuum, hæc omnia æſtimatorem deſiderant, quanti quidque in cenſum deferendum ſit. Falleris enim, & pluris quædam quam ſunt, putas: adeoque falleris, ut quæ maxima inter vos habentur, divitiæ, gratia, potentia, [62] ſeſtertio nummo æſtimanda ſunt. Hoc neſcies, niſi conſtitutionem ipſam, qua iſta inter ſe æſtimantur, inſpexeris. Quemadmodum folia virere per ſe non poſſunt; ramum deſiderant, cui inhæreant, ex quo trahant ſuccum: ſic iſta præcepta ſi ſola ſunt, marcent: inſigi volunt ſectæ. Præterea, non intelligunt hi qui decreta tollunt, eo ipſo confirmari illa, quo tolluntur. Quid enim dicunt? præceptis ſatis vitam explicari, ſuperflua eſſe decreta ſapientiæ, id eſt, dogmata. Atqui hoc ipſum quod dicunt, decretum eſt: tam hercule, quam ſi nunc ego dicerem, recedendum eſſe à præceptis ſupervacuis, & in hæc ſola ſtudium conferendum: hoc ipſo quo negarem curanda eſſe præcepta, præciperem. Quædam admonitionem philoſophiæ deſiderant, quædam probationem: [63] & quidem multa;

60 *Cauſſa hujus jactationis*] Libri fere, *cauſſa juſque jactationis*: aut, *cauſſa viſque*. quod probat Pincianus. Sed verius erit, *cauſſa ejuſce jactationis*. Lipſius.

61 *Rerum commodarum*] Stoïca phraſi, res externæ ita dicuntur, quæ vulgo Bona. Eſt idem, quod commoda. *Idem.*

62 *Seſtertio nummo*] Valet, minimo. communis ita ſermo, & velut formula, in imaginario pretio, aut nullo. Cujac. lib. 19 Obſ. c. 31. *Idem.*

63 *Et quidem multa*] Dixerat, *quadam*

ta; quia involuta ſunt, vixque ſumma diligentia ac ſumma ſubtilitate aperiuntur. Si probationes neceſſariæ ſunt; & decreta, quæ veritatem argumentis colligunt. Quædam aperta ſunt, quædam obſcura. Aperta, quæ ſenſu comprehenduntur, [64] quæ memoria: obſcura, quæ extra hæc ſunt. Ratio autem non impletur manifeſtis: major ejus pars pulcriorque in occultis eſt. Occulta probationem exigunt, probatio non ſine decretis eſt, neceſſaria ergo decreta ſunt. Quæ res communem ſenſum facit, eadem perfectum, certarum rerum perſuaſio: ſine qua, omnia in animo natant: neceſſaria ergo ſunt decreta, quæ dant animis inflexibile judicium. Denique cum monemus aliquem, ut amicum eodem habeat loco quo ſe, ut ex inimico cogitet poſſe fieri amicum, ſi in illo amorem incitet, in hoc moderetur odium: adjicimus, juſtum eſt & honeſtum. Juſtum autem honeſtumque decretorum noſtrorum continet ratio: ergo hæc neceſſaria eſt, ſine qua nec illa ſunt. Sed utraque jungamus. namque & ſine radice inutiles rami ſunt; & ipſæ radices his, quæ genuere, adjuvantur. Quantum utilitatis manus habeant, neſcire nulli licet: aperte juvant: cor, illud quo manus vivunt, ex quo impetum ſumunt, quo moventur, latet. Idem dicere de præceptis poſſum; aperta ſunt: decreta vero ſapientiæ in abdito. Sicut ſanctiora ſacrorum tantum initiati ſciunt: ita in philoſophia, arcana illa admiſſis receptiſque in ſacra oſtenduntur: at præcepta, & alia hujuſmodi, profanis quoque nota ſunt. Poſidonius non tantum præceptionem, (nihil enim nos hoc verbo uti prohibet) ſed etiam ſuaſionem, & conſolationem, & exhortationem neceſſariam judicat. His adjicit cauſſarum inquiſitionem, quam cur ætiologiam dicere non audeamus, cum Grammatici, cuſtodes Latini ſermonis, ſuo jure ita appellent, non video. Ait utilem futuram eſſe deſcriptionem

dam probationem deſiderare: velut corrigit, imo *multa*, inquit, quia involuta & obſcura. *Lipſius.*

64 *Quæ memoria*] Ex ſenſibus tamen nata. *Idem.*

65 *Po-*

nem cujuſque virtutis. hanc [65] Poſidonius ætiologiam vocat: quidam χαρακτηρισμὸν appellant, ſigna cujuſque virtutis & vitii ac notas reddentem, quibus inter ſe ſimilia diſcriminentur. Hæc res eamdem vim habet, quam præcipere. Nam qui præcipit, dicit: Illa facies, ſi voles temperans eſſe. Qui deſcribit, ait, Temperans eſt, qui facit illa, qui illis abſtinet. Quæris, quid interſit? alter præcepta virtutis dat, alter exemplar. Deſcriptiones has, & (ut [66] publicanorum utar verbo) εἰκονισμοὺς ex uſu eſſe confiteor. Proponamus laudanda: invenietur imitator. Putas utile, tibi dari argumenta, per quæ intelligas nobilem equum, ne fallaris empturus, ne operam perdas in ignavo? Quanto hoc utilius eſt, excellentis animi notas eſſe, quas ex alio in ſe transferre permittitur?

Continuo pecoris generoſi pullus in arvis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus inire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto.
Nec vanos horret ſtrepitus: illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obeſaque terga:
Luxuriatque toris animoſum pectus:
—— tum, ſi qua ſonum procul arma dedere,
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens volvit ſub naribus ignem.

Dum aliud agit Virgilius noſter, deſcripſit virum fortem. Ego certe non aliam imaginem magno viro dederim. ſi mihi Cato exprimendus inter fragores bellorum civilium impavidus, & primus inceſſens admotos jam exercitus Alpibus,

65 *Poſidonius ætiologiam*] Non opinor, & de ea præivit, & vox ab iſta re diſſidet. Reponam *ethologiam*, ſive ἠθολογίαν, quæ huc facit: quod Rutilius & Fabius dicent. *Lipſius.*

66 *Publicanorum utar verbo*] Quare, aut ubi, Publicanis hoc verbum in uſu? puto in portoriis fuiſſe, ubi ſervi trajiciebantur, & equi, atque alia majoris pretii. Ut conſtaret tales & tales ſolviſſe portorium, nec alios, deſcribebant formam faciemque ſingulorum, & id vocabant εἰκονισμόν. Potuit & in pecunia aſſignanda aut deleganda locum habere, Dabis tali, & tali forma, ævo, nota: ut hodieque interdum qui pecuniam in Italia aut alibi capiendam transſcribunt. *Idem.*

67 *Li-*

Digitized by Google

pibus, civilique ſe bello ferens obvium: non alium illi aſſignaverim vultum, non alium habitum. altius certe nemo ingredi potuit, quam qui ſimul contra Cæſarem Pompeiumque ſe ſuſtulit, & aliis Cæſarianas opes, aliis Pompeianas foventibus, utrumque provocavit, oſtenditque aliquas eſſe reip. partes. Nam parum eſt in Catone, dicere: Nec vanos horret ſtrepitus. Quid ni, cum veros vicinoſque nòn horreat? cum contra decem legiones, & Gallica auxilia, & mixta barbarica arma civilibus, vocem liberam mittat, & Remp. hortetur, ne pro libertate decidat, ſed omnia experiatur, honeſtius in ſervitutem caſura, quam itura? Quantum in illo vigoris ac ſpiritus, quantum in publica trepidatione fiduciæ eſt? Scit ſe unum eſſe, de cujus ſtatu non agatur: non enim quæri, an liber Cato, ſed an inter liberos ſit. Inde periculorum gladiorumque contemptus. Libet admirantem invictam conſtantiam viri, inter publicas ruinas non labantis, dicere: Luxuriatque toris animoſum pectus. Proderit non tantum quales eſſe ſoleant boni viri, dicere, formamque eorum & lineamenta deducere: ſed quales fuerint narrare, & exponere Catonis illud ultimum ac fortiſſimum vulnus, per quod [67] libertas amiſit animam: Lælii ſapientiam, & cum ſuo Scipione concordiam: alterius Catonis domi foriſque egregia facta: [68] Tuberonis ligneos lectulos, cum in publicum ſternerentur, hædinaſque pro ſtragulis pelles, & [69] ante ipſius Jovis cellam propoſita convivis vaſa fictilia. quid aliud paupertatem in Capitolio conſecrare? Ut nullum aliud factum ejus habeam, quo illum Catonibus inſeram, hoc parum credimus? Cenſura fuit illa, non cœna. O quam ignorant homines cupidi gloriæ, quid illa ſit, aut quemadmodum petenda! Illo die populus Romanus multorum ſupellectilem ſpectavit, unius miratus eſt. Omnium illorum aurum argen-

67 *Libertas amiſit*] Henr. Stephanus, *emiſit*: recte. *Lipſius.*

68 *Tuberonis ligneos*] Vide Valerium l.7.c.5. Ciceronem pro Muræna. *Idem.*

69 *Ante ipſius Jovis*] Epulo publico, in Capitolio. Adde ep.98. *Idem.*

argentumque fractum eſt, & millies conflatum: at omnibus ſeculis Tuberonis fictilia durabunt.

EPIST. XCVI.

Contra Querulos: & omnia à Fato ac Deo venire. Quid igitur indignamur? Pareamus iſtis; aut potius aſſentiamur. Bona.

TAmen tu indignaris aliquid, aut quereris: & non intelligis, nihil eſſe in iſtis mali, niſi hoc unum, quod indignaris & quereris? Si me interrogas, nihil puto viro miſerum, niſi aliquid eſſe in rerum natura putet miſerum. [1] Non feram me, quo die aliquid ferre non potero. Male valeo? pars fati eſt. Familia decubuit? fœnus offendit? domus crepuit? damna, vulnera, labores, metus incurrerunt? Solet fieri. hoc parum eſt: debuit fieri. decernuntur iſta, non accidunt. Si quid credis mihi, intimos affectus meos tibi cummaxime detego: in omnibus quæ adverſa videntur & dura, ſic formatus ſum. [2] Non pareo Deo, ſed aſſentior: ex animo illum, non quia neceſſe eſt, ſequor. Nihil umquam mihi incidet, quod triſtis excipiam, quod malo vultu: nullum tributum invitus conferam. Omnia autem ad quæ gemimus, quæ expaveſcimus, tributa vitæ ſunt. Horum, mi Lucili, nec ſperaveris immunitatem, nec petieris. Veſicæ te dolor inquietavit: [3] epulæ fuerunt parum dulces: detrimenta continua. propius accedam; [4] de capite timuiſti. Quid tu, neſciebas hæc te optare, cum optares ſene-

EPIST. XCVI. 1 *Non feram me*] Male mihi erit, de me querar & angar. *Lipſius.*

2 *Non pareo Deo, ſed*] Vera ſapientia, & finis vitæ Stoïcis, Naturam, id eſt Deum, ſequi. Pulchre Sophocles ſolatii loco extulit (plane Stoïcus poëta) in Aiace Flagell.

Ἐγὼ μὲν οὖν καὶ ταῦτα, καὶ τὰ πάντ' ἀεὶ
Φάσκοιμ' ἂν ἀνθρώποισι μηχανᾶν θεούς.

Ego vero & iſta, & alia prorſus omnia
Permittere atque immittere autumo
Deos.

Adde me, ſi vis, in Manud. 2. Diſſert. 19. *Idem.*

3 *Epulæ fuerunt*] Alias, *epiſtulæ:* nec ſpernam. Epiſtolæ ſcilicet, quæ talia triſtia nunciarunt. *Idem.*

4 *De capite timuiſti*] Supra ep. 24. *Idem.*

5 Fer-

Digitized by Google

ſenectutem? Omnia iſta in longa vita ſunt, quomodo in longa via & pulvis & lutum & pluvia. Sed volebam, inquis, vivere, carere tamen incommodis omnibus. Tam effeminata vox virum dedecet. Videris, quemadmodum hoc votum meum excipias: ego illud magno animo, non tantum bono facio. Neque dii, neque deæ faciant, ut te [5] fortuna in deliciis habeat. Ipſe te interroga, ſi quis poteſtatem tibi Deus faciat, utrum velis vivere in macello, an in caſtris. Atqui vivere, mi Lucili, militare eſt. Itaque hi qui jactantur, & per operoſa atque ardua ſurſum atque deorſum eunt, & expeditiones periculoſiſſimas obeunt, fortes viri ſunt, primoreſque caſtrorum: iſti quos [6] publica quies, aliis laborantibus, molliter habet, [7] Turturillæ ſunt, tuti contumeliæ cauſſa.

EPIST. XCVII.

Et nunc, & olim fuiſſe malos. Exemplum à judicio Clodiano, quod ille nummis & adulteriis corrupit. De vi deinde Conſcientiæ; damnari ab ea mala, atque etiam puniri interno flagello aut morſu.

ERras, mi Lucili, ſi exiſtimas noſtri ſeculi eſſe vitium, luxuriam & negligentiam boni moris. & alia quæ objicit ſuis quiſque temporibus. Hominum ſunt iſta, non temporum: nulla ætas vacavit à culpa. Et ſi æſtimare licentiam cujuſque ſeculi incipias: pudet dicere, nunquam apertius, quam coram Catone, peccatum eſt. Credat aliquis pecuniam eſſe verſatam in eo judicio, in quo reus erat Clodius,

5 *Fortuna in deliciis*] Tale de Providentia c. 1. *Deus bonum virum in deliciis non habet.* Lipſius.

6 *Publica quies*] Quidam libri *putrida*, alii, *putida*: ſed illud teneo, & ad publicam pacem refero. *Idem.*

7 *Turturillæ ſunt*] Vacillavimus ego atque alii in hoc loco. ecce una Iſidori (e Gloſſario nuper publicato) notula nos firmat, à Petro Scriverio, erudito viro ſuggeſta: *Turturilla, ita dictus locus, in quo corruptelæ fiebant, quod ibi turturi opera daretur, id eſt panem.* Lego in extremo, *id eſt ganea.* Talia autem loca & homines tuti, non per honorem, ſed contumeliam, & quia ſpernuntur. *Idem.*

Clodius, ob id adulterium, quod cum Cæſaris uxore in operto commiſerat, violatis religionibus ejus ſacrificii, quod [1] pro populo fieri dicitur, ſic ſubmotis extra conſpectum omnibus viris,[2] ut picturæ quoque maſculorum animalium contegantur. Atqui dati judicibus nummi ſunt: & quod hac etiamnum pactione turpius eſt, ſtupra inſuper matronarum & adoleſcentulorum nobilium, [3] ſalarii loco exacta ſunt. Minus crimine, quam abſolutione, peccatum eſt. Adulterii reus, adulteria diviſit: nec ante fuit de ſalute ſecurus, quam ſimiles ſui judices ſuos reddidit. Hæc in eo judicio facta ſunt, in quo, ſi nihil aliud, Cato teſtimonium dixerat. Ipſa ponam verba Ciceronis, quia res fidem excedit: Accerſivit ad ſe, promiſit, interceſſit, dedit. Jam vero, ô dii boni, rem perditam! etiam noctes certarum mulierum, atque adoleſcentulorum nobilium introductiones, nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt. Non vacat de pretio queri, plus in acceſſionibus fuit. Vis ſeveri illius uxorem? dabo illam. Vis divitis? hujus quoque tibi præſtabo concubitum. Adulterium niſi feceris, damna. Illa formoſa quam deſideras, veniet: illius tibi noctem promitto, nec differo: intra comperendinationem, fides promiſſi mei ſtabit. Plus eſt diſtribuere adulteria, quam facere: illud eſt, [4] matribus familiæ denuntiare; hoc, illudere. Hi judices Clodiani à ſenatu petierant præſidium, quod

non

EPIST. XCVII. 1 *Pro populo*] Vide Ciceronem 1 ad Atticum, omnia exſequentem. Fiebat autem ſacrum hoc bonæ deæ, per Virgines Veſtæ, idque pro ſalute populi Romani. *Lipſius.*

2 *Ut picturæ quoque*] Juvenal. in Sat. 6.

——— ſed omnes
Noverunt Mauri atque Indi, quæ pſaltria penem
Illuc, teſticuli ſibi conſcius unde fugit mus,
Intulerit, ubi velari pictura jubetur
Quæcumque alterius ſexus imitata figuram eſt.

de ipſo hoc Clodio, qui Pſaltriæ habitu eo penetravit. *Idem.*

3 *Salarii loco*] Mei & alii ſcripti, *ſtillari loco.* Sane *ſtillarium* aliquis interpretetur pro additamento vel auctario, quod ſupra legitimam menſuram in liquidis, velut ſtillando, datur. Et hinc metaphora. Ipſe mox Seneca, *acceſſionem* vocat: & Cicero, *mercedis cumulum.* Idem.

4 *Matribus familiæ denunciare*] Velut imperium in eas exercere, & per minas ad alium mittere. quod plus eſt, quam per blanditias ſurrepere & illudere. *Idem.*

5 *Flo-*

Digitized by Google

non erat niſi damnaturis neceſſarium: & impetraverant. Itaque eleganter illis Catulus, abſoluto reo: Quid vos, inquit, præſidium à nobis petebatis? an, ne nummi vobis eriperentur? Inter hos tamen jocos, impune tulit ante judicium adulter, in judicio leno: qui damnationem pejus effugit, quam meruit. Quidquam fuiſſe corruptius illius moribus credis, quibus libido non ſacris inhiberi, non judiciis poterat? quibus in ea ipſa quæſtione, quæ extra ordinem ſenatuſconſulto exercebatur, plus quam quærebatur admiſſum eſt? Quærebatur, an poſt adulterium aliquis poſſet tutus eſſe: apparuit, ſine adulterio tutum eſſe non poſſe. Hoc inter Pompeium & Cæſarem, inter Ciceronem Catonemque commiſſum eſt: Catonem, inquam, illum, quo ſedente negatur populus permiſiſſe ſibi poſtulare [5] Florales jocos nudandarum meretricum. Credis ſpectaſſe tunc ſeverius homines, quam judicaſſe? Et fient, & facta ſunt iſta: & licentia urbium, aliquando diſciplina metuque, numquam ſponte conſidet. Non eſt itaque quod credas, nunc plurimum libidini permiſſum eſſe, legibus minimum. Longe enim frugalior hæc juventus, quam illa eſt, cum reus adulterium apud judices negaret, judices apud reum confiterentur: cum ſtuprum committeretur rei judicandæ cauſſa: cum Clodius iiſdem vitiis gratioſus quibus nocens, [6] conciliaturas exerceret in ipſa cauſſæ dictione. Credat hoc quiſquam? qui damnabatur uno adulterio, abſolutus eſt multis. Omne tempus Clodios, non omne Catones feret. Ad deteriora faciles ſumus: quia nec dux poteſt, nec comes deeſſe: & res etiam ipſa ſine duce, ſine comite procedit: non pronum eſt tantum ad vitia, ſed præceps. Et, quod pleroſque inemendabiles facit, omnium aliarum artium peccata artificibus pudori ſunt, offenduntque deerrantem: vitæ peccata delectant. Non gaudet navigio gubernator everſo, non gaudet ægro medicus elato, non gaudet orator,

5 *Florales jocos*] Vide Valerium lib. 2. cap. ult. Martialis, atque alii meminerunt. *Lipſius.*

6 *Conciliaturas*] Lenocinia. *Idem.*

7 Quam

tor, ſi patroni culpa reus cecidit: at contra, omnibus crimen ſuum voluptati eſt. Lætatur ille adulterio, in quod irritatus eſt ipſa difficultate: lætatur ille circumſcriptione furtoque: nec ante illi culpa, [7] quam culpæ fortuna diſplicuit. Id prava conſuetudine evenit. Alioqui ut ſcias, ſubeſſe animis, etiam in peſſima abductis, boni ſenſum, nec ignorari turpe, ſed negligi; omnes peccata diſſimulant, & quamvis feliciter ceſſerint, fructu illorum utuntur, ipſa ſubducunt. At bona conſcientia prodire vult, & conſpici: ipſas nequitia tenebras timet. Eleganter itaque ab Epicuro dictum puto, [8] Poteſt nocenti contingere ut lateat, latendi fides non poteſt. Aut ſi hoc modo melius hunc explicari poſſe judicas ſenſum: Ideo non prodeſt latere peccantibus, quia latendi etiam ſi felicitatem habent, fiduciam non habent. Ita eſt. [9] tuta ſcelera eſſe poſſunt: ſecura non poſſunt. [10] Hoc ego repugnare ſectæ noſtræ, ſi ſic expediatur, non judico. quare? quia prima & maxima peccantium eſt pœna, peccaſſe. nec ullum ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur ac vindicet, impunitum eſt: quoniam ſceleris, in ſcelere, ſupplicium eſt. Sed nihilominus [11] & hæc, & illa, ſecundæ pœnæ premunt ac ſequuntur: timere ſemper & expaveſcere, & ſecuritati diffidere. Quare ego hoc ſupplicio nequitiam liberem? quare non

7 *Quam culpæ fortuna*] Id eſt, non aliter culpa diſplicuit, quam ſi ſucceſſus eventuſque non placuit. ex voto non fuit. *Lipſius.*

8 *Poteſt nocenti contingere*] Reperio hæc ipſa in epiſtola Epicuri ad Menœcea: Οὐκ ἔστι τὸν λάθρα τι ποιοῦντα πιστεύειν ὅτι λήσει, κἂν μυριάκις ὑπὸ τοῦ παρόντος λανθάνῃ. μέχρι γὰρ καταστροφῆς ἄδηλον εἰ καὶ λήσει. *Non eſt ut qui clam aliquid facit, confidat latere ſe ſemper, etiam ſi millies in præſenti lateat. Uſque ad finem enim incertum eſt an latebit.* Idem.

9 *Tuta eſſe*] Ipſis verbis Seneca Tragicus:

Tutum aliqua ſcelus, at nulla ſecurum tulit. Idem.

10 *Hoc ego repugnare ſectæ*] Stoïcæ. Quid ita? quia Stoïci peccatum ob ipſum fugi ſpernique volebant, ut virtutem amari ob ipſam. At Epicurei præmia & pœnas in utriſque ſpectabant. Neque prorſus damno, ait Seneca, neque pugnat nobiſcum: quia etſi in peccato malum eſt, tamen & pœnæ ſecundæ adhærent ſequunturque; & earum adſpectu, peccare etiam timeamus. *Idem.*

11 *Et hæc & illa*] Puto melius, *& illa.* Nimirum, & *hæc* prima dicta pœna; & *illæ*, quæ ſequuntur. *Idem.*

12 *Ubi*

Digitized by Google

non ſemper illam in ſuſpenſo relinquam? Illic diſſentiamus cum Epicuro, [12] ubi dicit, nihil juſtum eſſe natura, & crimina vitanda eſſe, quia vitari metus non poſſit. Hic conſentiamus, mala facinora conſcientia [13] flagellari, & plurimum illi tormentorum eſſe, eo quod perpetua illam ſolicitudo urget ac verberat, quod ſponſoribus ſecuritatis ſuæ non poteſt credere. Hoc enim ipſum [14] argumentum Epicuri eſt, natura nos à ſcelere abhorrere, quod nulli non etiam inter tuta timor eſt. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. quare? quia infixa nobis ejus rei averſatio eſt, quam natura damnavit. Ideo numquam fides latendi fit etiam latentibus: quia coarguit illos conſcientia, & ipſos ſibi oſtendit. Proprium autem eſt nocentium, trepidare. Male de nobis actum erat, quod multa ſcelera legem & judicem effugiunt, & ſcripta ſupplicia: niſi illa naturalia & gravia de præſentibus ſolverent, & [15] in locum patientiæ timor cederet.

EPIST. XCVIII.

Solis internis Bonis fidendum: alia venire, abire. Hoc meditandum, & omnia ut fugacia adſpicienda, atque habenda. Præparan-

12 *Ubi dicit, nihil juſtum*] Dicit hoc in eadem illa epiſtola ad Menœcea, ſub finem: & multis diſputat, Jus aut Injuſtitiam, commodum & incommodum reſpicere tantum, neque idem ſemper aut ubique eſſe. Addit, quod huc facit: τὴν ἀδικίαν οὐ καθ' ἑαυτὴν κακὸν, ἀλλ' ἐν τῷ κατὰ τὴν ὑποψίαν φόβῳ, εἰ μὴ λήσει ὑπὲρ τῶν τοιούτων ἐφεστηκότας κολαστάς. *Injuſtitiam per ſe & natura non eſſe malum, ſed metu ſuſpicionis, ne fortaſſe non lateat talium facinorum vindices & exactores.* At contra Stoïci. Cicero 3 de Finibus: *Minime vero probatur huic diſciplinæ* (Stoïcæ) *de qua loquor, aut amicitiam, aut juſtitiam, ob utilitates adſciſci, aut probari. Jus autem, quod ita dici appellarique poſſit, id eſſe Natura, alienumque à Sapiente non modo injuriam cuiquam facere, verumetiam nocere.* Lipſius.

13 *Flagellari*] Pythagoras: Κακὰ μείζω πάσχει διὰ τῆς συνειδότος ὁ ἀδικῶν βασανιζόμενος, ἢ ὁ τῷ σώματι καὶ τῇ πληγαῖς μαστιγούμενος. *Plura mala patitur à conſcientia, is qui injuſte fecit, cruciatus; quam qui in corpore flagellatur & plagis afficitur.* Idem.

14 *Argumentum Epicuri eſt*] Non eſt, quia ipſum hoc negat, ut dixi. Legam, *Epicure, eſt.* ut compellet eum, & refutet. *Idem.*

15 *In locum patientiæ*] Ut ipſa ſupplicia paterentur & ſubirent. Deterius eſt, quod alii, *pœnitentiæ.* Idem.

parandus itaque animus ad amiſſionem talium, & ad tolerandum obfirmandus. Quidni? alii tulerunt. Sequere exempla, imo ipſe eſto exemplum. Plane inter bonas utileſque Epiſtola.

NUmquam credideris felicem quemquam, ex felicitate ſuſpenſum. fragilibus innititur, qui adventitio lætus eſt: exibit gaudium, quod intravit. At illud ex ſe ortum, fidele, firmumque eſt, & creſcit, & ad extremum uſque proſequitur: cetera quorum admiratio eſt vulgo, in diem bona ſunt. Quid ergo? non uſui ac voluptati eſſe poſſunt? Quis negat? ſed ita, ſi illa ex nobis pendent, non ex illis nos. Omnia quæ fortunam intuentur, ita fructifera ac jucunda fiunt, ſi quis habens illa, ſe quoque habet, nec in rerum ſuarum poteſtate eſt. Errant enim, mi Lucili, qui aut boni aliquid nobis, aut mali judicant tribuere fortunam: materiam dat bonorum ac malorum, & initia rerum apud nos in malum bonumve exiturarum. Valentior enim omni fortuna animus eſt: in utramque partem ipſe res ſuas ducit, beatæque ac miſeræ vitæ ſibi cauſſa eſt. Malus omnia in malum vertit, etiam quæ ſpecie optimi venerant: rectus atque integer, corrigit prava fortunæ; & dura atque aſpera, ferendi ſcientia mollit: idemque & ſecunda grate excipit modeſteque, & adverſa conſtanter atque fortiter. Qui licet prudens ſit, licet exacto faciat cuncta judicio, licet nihil ſupra vires ſuas tentet: non contingit illi bonum integrum illud, & extra minas fortunæ poſitum, niſi certus adverſus incerta eſt. Sive alios obſervare volueris (liberius enim inter aliena judicium eſt) ſive teipſum favore ſepoſito; & ſenties hoc, & confiteberis, nil ex his optabilibus & caris utile eſſe, niſi te contra levitatem caſus, rerumque caſum ſequentium, inſtruxeris: niſi illud frequenter & ſine querela, inter ſingula damna dixeris: Diis aliter viſum eſt. Imo mehercule, ut carmen fortius ac juſtius petam, quo animum tuum magis fulcias, hoc dicito, quoties aliquid

aliquid aliter quam cogitabas evenerit: Dii melius! Sic compoſito nihil accidet. ſic autem componetur, ſi, quid humanarum rerum varietas poſſit, cogitaverit, antequam ſenſerit. Si & liberos, & conjugem, atque patrimonium ſic habuerit, tamquam non utique ſemper habiturus: & tamquam non futurus ob hoc miſerior, ſi habere deſierit. Calamitoſus eſt animus futuri anxius, & ante miſerias miſer, qui ſolicitus eſt, ut ea quibus delectatur, ad extremum uſque permaneant. Nullo enim tempore conquieſcet; & exſpectatione futuri, præſentia, quibus frui poterat, amittet. In æquo eſt autem amiſſio rei, & timor amittendæ. Nec ideo præcipio tibi negligentiam. Quin vero metuenda declina; & quidquid conſilio proſpici poteſt, proſpice: quodcumque læſurum eſt, multo ante quam accidat, ſpeculare & adverte. In hoc ipſum tibi plurimum conferet fiducia, & ad tolerandum omne obfirmata mens. Poteſt fortunam cavere, qui poteſt ferre: certe in tranquillo non tumultuatur. Nil eſt nec miſerius nec ſtultius, quam prætimere. quæ iſta dementia eſt, malum ſuum antecedere? Denique, ut breviter includam quod ſentio, & iſtos ſatageos, ac ſibi moleſtos deſcribam tibi; tam intemperantes in ipſis miſeriis ſunt quam ante illas. Plus dolet quam neceſſe eſt, qui ante dolet quam neceſſe ſit. Eadem enim infirmitate dolorem non æſtimat, qua non exſpectat. Eadem intemperantia fingit ſibi perpetuam felicitatem, fingit ſibi creſcere debere quæcumque contigerunt, non tantum durare: & [1] oblitus hujus petauri, quo humana jactantur, ſibi uni fortuito-

EPIST. XCVIII. 1 *Oblitus hujus petauri*] Ad ludi genus reſpicit, tunc frequentis. Rota ſuſpendebatur, per quam motam corpora trajiciebant ſaltu: atque ii Petauriſtæ dicebantur, ipſa illa Petaurum. Videntur & in Petauro ſuſpenſi fuiſſe, & in eo elati, dejecti: quo noſter maxime ſpectat. Manilius lib. 5.

Ad numeros etiam ille ciet cognata per artem
Corpora, quæ valido ſaliunt excuſſa petauro,
Alternoſque cient motus: elatus & ille
Nunc jacet, atque hujus caſu ſuſpenditur ille.

Vide ibi doctiſſimum Scaligerum. Et ſane artificis cujuſdam oſcillationis hoc genus fuiſſe videtur. *Petauri* autem, vel *peccati*, libri hic ſcribunt: pro quo vulgo editur, *faſi*. Idem.

 2 *Mor-*

Digitized by Google

tuitorum conſtantiam ſpondet. Egregie itaque videtur mihi Metrodorus dixiſſe in ea Epiſtola, qua ſororem, amiſſo optimæ indolis filio, alloquitur: [2] Mortale eſt omne mortalium bonum. de his loquitur bonis, ad quæ concurritur. Nam illud verum bonum non moritur: certum eſt ſempiternumque, ſapientia & virtus: hoc unum contigit immortale mortalibus. Ceterum tam improbi ſunt, tamque obliti quo eant, quo illos ſinguli dies trahant, ut mirentur aliquid ſe amittere, amiſſuri uno die omnia. Quidquid eſt, cui dominus inſcriberis, apud te eſt, tuum non eſt: nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum & invictum eſt. Tam neceſſe eſt perire quam perdere: & hoc ipſum, ſi intelligimus, ſolatium eſt, æquo animo [3] perdere, quod periturum eſt. Quid ergo adverſus has amiſſiones auxilii inveniemus? Hoc ut memoria teneamus amiſſa, nec cum ipſis fructum excidere patiamur, quem ex illis percepimus. Habere, eripitur: habuiſſe, numquam. Peringratus eſt, qui cum amiſerit, pro accepto nihil debet. Rem nobis eripit caſus, uſum fructumque apud nos relinquit: quem nos iniquitate deſiderii perdimus. Dic tibi, Ex iſtis quæ terribilia videntur, nihil eſt invictum. Singula vicere jam multi: ignem Mucius, [4] crucem Regulus, venenum Socrates, exſilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato: & nos vincamus aliquid. Rurſus iſta, quæ ut ſpecioſa & felicia trahunt vulgum, à multis & ſæpe contemta ſunt.

2 *Mortale eſt omne*] Muretus notat ex Euripide ſumptum: Θνητὰ δὲ θνητοῖς ὄλβος. *Mortalium mortalis eſt felicitas.* Lipſius.

3 *Perdere quod periturum eſt*] Quinque Pall. *pereundum eſt.* Recte: ſenſus enim, pro ſolatio eſſe ad perdendum æquo animo, quicquid in anteceſſum fortuna aufert, quod ipſi quoque poſſeſſori, quod nobis dominis aliquando pereundum eſt. Dixerat: *nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum.* Gronovius.

4 *Crucem Regulus*] Atqui in machina clavis præfixa necatum alii, & ipſe noſter videtur non uno loco voluiſſe. Vide de Providentia cap. 3. Tamen & alia ſententia in Cruce eum locat. ut Silius:

Italiam cruce ſublimis ſpectaret ab alta.

ut Florus: *Nec ultimo illo ſive carceris, ſive crucis ſupplicio deformata majeſtas.* Potuit poſt illa tormenta in crucem, pro more Pœnorum, ſublatus eſſe? *Lipſius.*

Digitized by Google

ſunt. Fabricius divitias imperator rejecit, cenſor notavit: [5] Tubero paupertatem & ſe dignam & Capitolio judicavit, cum fictilibus in publica cœna uſus, oſtendit, debere his hominem eſſe contentum, quibus dii etiamnum uterentur. [6] Honores repulit pater Sextius, qui ita natus ut remp. deberet capeſſere, [7] latum clavum divo Julio dante, non recepit. Intelligebat enim, quod dari poſſet, & eripi poſſe. Nos quoque aliquid ipſi faciamus animoſe: ſimus inter exempla. Quare deficimus? quare deſperamus? quidquid fieri potuit, poteſt. Nos modo purgemus animum, ſequamurque naturam, à qua aberranti cupiendum timendumque eſt, & fortuitis ſerviendum. Licet reverti in viam, licet in integrum reſtitui. Reſtituamur, ut poſſimus dolores, quocumque modo corpus invaſerint, perferre, & fortunæ dicere: Cum viro tibi negotium eſt, quære quem vincas. [8] His ſermonibus, & his ſimilibus, lenitur illa vis ulceris: quam opto mehercules mitigari, & aut ſanari, aut ſtare, & cum ipſo ſeneſcere. Sed ſecurus de ipſo ſum. de noſtro damno agitur, quibus ſenex egregius eripitur. Nam ipſe vitæ plenus eſt, cui adjici nihil deſiderat ſua cauſſa, ſed eorum quibus utilis eſt. Liberaliter facit, quod vivit. Alius jam hos cruciatus finiſſet: hic tam turpe putat mortem fugere, quam ad mortem confugere. Quid ergo? non, ſi ſuadebit res, exibit? Quid ni exeat? ſi nemo jam eo uti poterit? ſi nihil aliud, quam dolori operam dabit? Hoc eſt, mi Lucili, philoſophiam [9] in opere diſcere, & ad verum exerceri: videre quid homo prudens animi habeat contra mortem, contra dolorem: cum illa accedat, hic premat. Quid facien-

5 *Tubero paupertatem*] Supra, ep. 95. *Lipſius.*

6 *Honores repulit pater Sextius*] Vide epiſt. 59. *Idem.*

7 *Latum clavum*] Inſigne Senatorium, pectore demiſſum. *Idem.*

8 *His ſermonibus & his ſimilibus*] Non dubie hic hiatus, & fuit aliquid de ſene, qui lugebat, & ſolatii egebat. An non eſt ipſe Marullus, de quo epiſtola ſequenti? Fortaſſe. & credam vel integram hic epiſtolam periiſſe. *Idem.*

9 *In opere diſcere*] In re & facto diſcere, & experiri lecta vel audita. Quidam tamen libri, *in opus ducere:* item bene. *Idem.*

ſaciendum ſit, à faciente diſcendum eſt. Adhuc argumentis actum eſt, an poſſit aliquis dolori reſiſtere, an mors magnos quoque animos admota ſubmittere. Quid opus eſt verbis? in rem præſentem eamus. nec mors illum contra dolorem facit fortiorem, nec dolor contra mortem. contra utrumque ſibi fidit: nec ſpe mortis patienter dolet, nec tædio doloris libenter moritur. hunc fert, illam exſpectat.

EPIST. XCIX.

Conſolatoria in morte filii. Sapiens, ita me Deus, & diſerta.

EPiſtolam, quam ſcripſi Marullo, cum filium parvulum amiſiſſet, & diceretur molliter ferre, miſi tibi. In qua non ſum morem ſolitum ſecutus, nec putavi leniter illum debere tractari, cum objurgatione eſſet quam conſolatione dignior. Afflicto enim, & magnum vulnus male ferenti, pauliſper cedendum eſt: exſatiet ſe, aut certe primum impetum effundat. Hi qui ſibi lugere ſumpſerunt, protinus caſtigentur, & diſcant, quaſdam etiam lacrimarum ineptias eſſe. [1] Solatia exſpectas? convicia accipe. tam molliter tu fers mortem filii? quid faceres, ſi amicum perdidiſſes? Deceſſit filius incertæ ſpei, parvulus: puſillum temporis periit. Cauſſas doloris conquirimus, & de fortuna etiam inique queri volumus: quaſi non ſit juſtas querendi cauſſas præbitura. At mehercule ſatis mihi jam videbaris animi habere, etiam adverſus ſolida mala, nedum ad iſtas umbras malorum, quibus ingemiſcunt homines moris cauſſa. Quod damnorum omnium maximum eſt, ſi amicum perdidiſſes, danda opera erat, ut magis gauderes quod habueras, quam mœreres quod amiſeras. Sed plerique non computant, quanta perceperint, quantumve gaviſi ſint. Hoc habet inter reliqua mala dolor, quod non ſuper-

EPIST. XCIX. 1 *Solatia exſpectas*] Hic ego incipere ipſam Epiſtolam ad Marullum (vel ut alii libri, *Marillum*) opinor, & totam deinceps ad finem poni. *Lipſius.*

ſupervacuus tantum, ſed ingratus eſt. Ergo quod habuiſti talem amicum, periit opera? tot annis, tanta conjunctione vitæ, tam familiari ſtudiorum ſocietate, nihil actum eſt? Cum amico [2] effers amicitiam: & quid doles amiſiſſe, ſi habuiſſe non prodeſt? Mihi crede, magna pars ex illis quos amavimus, licet ipſos caſus abſtulerit, apud nos manet. Noſtrum eſt quod præteriit tempus: nec quidquam eſt loco tutiore, quam quod fuit. Ingrati adverſus percepta, ſpe futuri, ſumus: quaſi non quod futurum eſt, ſi modo ſucceſſerit nobis, cito in præterita tranſiturum ſit. Anguſte fructus rerum determinat, qui tantum præſentibus lætus eſt. & futura & præterita delectant: hæc, exſpectatione; illa, memoria. ſed alterum pendet, & non fieri poteſt: alterum non poteſt non fuiſſe. Quis ergo furor eſt, certiſſimo excidere? Acquieſcamus his quæ jam hauſimus: ſi modo non perforato animo hauriebamus, & tranſmittente quidquid acceperat. Innumerabilia ſunt exempla eorum, qui liberos juvenes ſine lacrimis extulerint: qui in ſenatum, aut in aliquod publicum officium à rogo redierint, & ſtatim aliud egerint: nec immerito. Nam primum, ſupervacuum eſt dolere, ſi nihil dolendo proficias: deinde iniquum eſt queri de eo, quod uni accidit, & omnibus reſtat. Deinde, deſiderii ſtulta conqueſtio eſt, ubi minimum intereſt inter amiſſum & deſiderantem. Eo itaque æquiore animo eſſe debemus, quod quos amiſimus, ſequimur. Reſpice celeritatem rapidiſſimi temporis: cogita brevitatem hujus ſpatii, per quod citatiſſimi currimus: obſerva hunc comitatum generis humani, eodem tendentis, minimis intervallis diſtinctum, etiam ubi maxima videntur: quem putas periiſſe, præmiſſus eſt. Quid autem dementius, quam cum idem tibi iter emetiendum ſit, flere eum qui anteceſſit? Flet aliquis factum, quod non ignoravit futurum? aut ſi mortem in homine non cogitavit, ſibi

2 *Effers amicitiam*] Tamquam una mortuam. *Lipſius.*

ſibi impoſuit. Flet aliquis factum, quod aiebat non poſſe non fieri? quiſquis aliquem queritur mortuum eſſe, queritur hominem fuiſſe. Omnes eadem conditio devinxit: cui naſci contingit, mori reſtat. Intervallis diſtinguimur, exitu æquamur. Hoc quod inter primum diem & ultimum jacet, varium, & incertum eſt. ſi moleſtias æſtimas, etiam puero longum: ſi velocitatem, etiam ſeni anguſtum. Nil non lubricum & fallax, & omni tempeſtate mobilius. Jactantur cuncta, & in contrarium tranſeunt, jubente fortuna: & in tanta volutatione rerum humanarum, nil cuiquam, niſi mors, certum. Tamen de eo queruntur omnes, in quo uno nemo decipitur. Sed puer deceſſit. Nondum dico melius agi cum eo qui vita defungitur: ad eum tranſeamus qui conſenuit: quantulo vincit infantem? Propone profundi temporis vaſtitatem, & univerſum complectere: deinde hoc quod ætatem vocamus humanam, compara immenſo: videbis quam exiguum ſit, quod optamus, quod extendimus. Ex hoc quantum lacrimæ, quantum ſolicitudines occupant, quantum mors, antequam veniat, optata: quantum valetudo, quantum timor, quantum teneri aut rudes aut inutiles anni? dimidium ex hoc edormitur. Adjice labores, luctus, pericula: & intelliges, etiam in longiſſima vita minimum eſſe quod vivitur. Sed quis tibi concedat, non melius ſe habere eum cui cito reverti licet, cui ante laſſitudinem peractum eſt iter? Vita, nec bonum nec malum eſt: boni ac mali locus eſt. Ita nihil perdidit ille, niſi aleam in damnum certiorem. Potuit evadere modeſtus ac prudens, potuit ſub cura tua in meliora formari: ſed (quod juſtius timetur) potuit fieri pluribus ſimilis. Adſpice illos juvenes, quos ex nobiliſſimis domibus [3] in arenam luxuria projecit: adſpice illos, qui ſuam alienamque libidinem exercent, mutuo impudici; quorum nullus ſine ebrietate, nullus ſine aliquo inſigni flagitio dies

3 *In arenam luxuria*] De quibus epiſt. 87. & alibi dictum. qui ſe locant ad gladium aut cultrum. *Lipſius.*

4 Non

dies exit: plus timeri quam ſperari potuiſſe, manifeſtum erit. Non debes itaque cauſſas doloris accerſere, nec levia incommoda indignando cumulare. Non hortor, ut nitaris & urgeas: non tam male de te judico, ut tibi adverſus hæc totam putem virtutem advocandam. Non eſt dolor iſte, ſed morſus: tu illum dolorem facis. Sine dubio multum philoſophia profecit, ſi puerum, nutrici adhuc quam patri notiorem, animo forti deſideras. Quid? nunc ego duritiam ſuadeo, & in funere ipſo erigere vultum volo, & animum ne contrahi quidem patior? Minime. inhumanitas eſt iſta, non virtus, funera ſuorum iiſdem oculis quibus ipſos videre, nec commoveri ad primam familiarium diviſionem. Puta autem me vetare: quædam [4] non ſunt ſui juris. Excidunt etiam retinentibus lacrimæ, & [5] animum profuſæ levant. Quid ergo eſt? permittamus illis cadere, non imperemus. Fluant quantum affectus ejecerit, non quantum poſcet imitatio. Nihil vero mœrori adjiciamus, nec illum ad alienum augeamus exemplum. Plus oſtentatio doloris exigit, quam dolor: [6] quotuſquiſque ſibi triſtis eſt? [7] Clarius, cum audiuntur, gemunt: & taciti quietique, dum ſecretum eſt; cum aliquos viderint, in fletus novos excitantur. Tum [8] capiti ſuo manus ingerunt, quod potuerant facere, nullo prohibente, liberius: tunc mortem comprecantur ſibi, tunc lectulo devolvuntur. Sine ſpectatore ceſſat dolor. Sequitur nos, ut in aliis rebus, ita in hac quoque hoc vitium, ad plurium exempla componi; nec quid oporteat, ſed quid ſoleat, adſpicere. A natura diſcedimus: populo nos damus, nullius rei bono auctori, & in hac

4 *Non ſunt ſui juris*] Non ſunt libera, imperio alieno aguntur. quo? naturæ. *Lipſius.*

5 *Animum profuſæ levant*] Apud Senecam patrem lib. 10. Controv. 1. *Plerumque omnis dolor per lacrimas effluit.* Idem.

6 *Quotuſquiſque ſibi triſtis eſt*] Ita in ep. 63. *Nemo ſibi triſtis eſt.* Vide.. *Idem.*

7 *Clarius, cum audiuntur, gemunt*] Martialis:

Amiſſum non flet, cum ſola eſt Gellia, patrem:
Siquis adeſt, juſſæ proſiliunt lacrimæ.
Idem.

8 *Capiti ſuo manus*] Sive ut crines vellant, ſive ut frontem feriant. *Idem.*

hac re, ſicut in omnibus, inconſtantiſſimo. Videt aliquem fortem in luctu ſuo? impium vocat, & efferatum. Videt aliquem collabantem, & corpori affuſum: effeminatum ait, & enervem. Omnia itaque ad rationem revocanda ſunt. Stultius vero nihil eſt, quam famam captare triſtitiæ, & lacrimas approbare: quas judico ſapienti viro alias permiſſas cadere, alias vi ſua latas. Dicam quid interſit. Cum primum nos nuncius acerbi funeris perculit, cum tenemus corpus è complexu noſtro in ignem tranſiturum, lacrimas naturalis neceſſitas exprimit: & ſpiritus ictu doloris impulſus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos, quibus adjacentem humorem perpremit & expellit. Hæ lacrimæ per eliſionem cadunt, nolentibus nobis. Aliæ ſunt, quibus exitum damus, cum memoria eorum quos amiſimus, retractatur: & ineſt quiddam dulce triſtitiæ: cum occurrunt ſermones eorum jucundi, converſatio hilaris, officioſa pietas, tunc oculi velut in gaudio relaxantur. His indulgemus, illis vincimur. Non eſt itaque, quod lacrimas propter circumſtantes aſſidenteſque aut contineas, aut exprimas: nec ceſſant, nec fluunt umquam tam turpiter, quam finguntur. Eant ſua ſponte: ire autem poſſunt placidis atque compoſitis. Sæpe ſalva ſapientis autoritate fluxerunt, tanto temperamento, ut illis nec humanitas, nec dignitas deeſſet. Licet, inquam, naturæ obſequi, gravitate ſervata. Vidi ego in funere ſuorum verendos, in quorum ore amor eminebat, remota omni lugentium ſcena. Nihil erat, niſi quod veris dabatur affectibus. Eſt aliquis & dolendi decor. hic ſapienti ſervandus eſt: & quemadmodum in ceteris rebus, ita & in lacrimis aliquid ſat eſt. Imprudentium ut gaudia, ſic dolores exundavere. Æquo animo excipe neceſſaria. Quid incredibile, quid novum evenit? quam multis cum maxime [9] funus locatur? [10] quam multis vitalia eruuntur?

9 *Funus locatur*] Efferendum nempe, & urendum à Libitinariis. *Lipſius.*

10 *Quam multis vitalia eruuntur*] Si in Ægypto, aut alibi hæc ſcriberet, ubi condiri mos corpora, & inteſtina erui, probarem: in Romanis moribus, qui poſſum?

tur? quam multi poſt luctum tuum lugent? Quoties cogitaveris puerum fuiſſe, cogita & hominem, cui nihil certi promittatur, quem fortuna non utique perducit ad ſenectutem: unde viſum eſt, dimittit. Ceterum de illo frequenter loquere, & [11] memoriam ejus quantum potes, celebra: quæ ad te ſæpius revertetur, ſi erit ſine acerbitate ventura. Nemo enim libenter triſti converſatur, nedum triſtitiæ. Si quos ſermones ejus, ſi quos quamvis parvuli jocos cum voluptate audieras, ſæpius repete: potuiſſe illum implere ſpes tuas, quas paterna mente conceperas, audacter affirma. Obliviſci quidem ſuorum, ac memoriam cum corporibus efferre, & effuſiſſime flere, meminiſſe parciſſime, inhumani animi eſt. Sic aves, ſic feræ fœtus ſuos diligunt: [12] quarum concitatus eſt amor, & pene rabidus, ſed cum amiſſis totus exſtinguitur. Hoc prudentem virum non decet: [13] meminiſſe perſeveret, lugere deſinat. Illud nullo

poſſum? Nam illi comburebant, & quidem totos, nec de partibus erutis legi, aut certe non obſervavi. Si alius, ne mutemus. Etſi libri tamen mutant, qui, *vitalia emittunt*; aut, *emuntur*, ut in meo. Equidem legerim: *quam multi vitam alii amittunt?* aut vero, *quam multi vita alii emittuntur?* Sed quod magis etiam placeat, quibuſdam libris abeſt repetitio, ſcribuntque: *Quam multi, cum maxime funus locatur, in talia emittunt?* placeat, inquam, ſi pariter reſcribas, *vitam alii amittunt*. Ecce, inquit, dum de funere curatur, funus ſupervenit, aut funera. *Idem*. Sic Eraſmus ex libris, in quibus erat, *emuntur*: (quibuſcum & tres Pall. conſentiunt.) ſenſit enim, inquit, de cadaveribus, quibus eruuntur vitalia, ut poſſint condiri. Gruterus ſubodoratur ulcus, ſed ita cæcum, ut id facile proditurum ſe deſperet. Lipſius probaturum ſe adfirmat, ſi in Ægypto aut alibi, ubi condiri mos corpora & inteſtina eximi, ſcriberet: in Romanis moribus negat poſſe. Itaque ventilatis aliis lectionibus plures conjecturas proponit. Veriſſima eſt Eraſmica, non tamen ipſius explicatione. Neque enim de cadaveribus, quæ ab unguentariis, ſed de ægrotis, qui à medicis curantur, intelliges. Habe locupletem auctorem ipſum Senecam Conſolatione ad Marciam cap. 22. *Adjice incendia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum oſſa vivis legentium, & totas in viſcera manus demittentium, & non ſimplici dolore pudenda curantium*. Gronovius.

11 *Memoriam ejus*] Plutarchus Conſol. ad Apollonium: Ὠφέλεια δὲ τοῖς ἀπῳχημένοις, ἡ διὰ τῆς ἀγαθῆς μνήμης τιμή. οὐδεὶς γὰρ ἀγαθὸς ἄξιος θρήνων, ἀλλ' ὕμνων καὶ ἐπαίνων, οὐδὲ πένθους, ἀλλὰ μνήμης εὐκλεοῦς· *Commodum aliquod eſt defunctis, ſi pia memoria eos colamus. Nemo enim bonus gemitu dignus eſt, ſed hymnis & laudibus; neque luctu, ſed recordatione laudabili*. Lipſius.

12 *Quarum concitatus eſt*] Scripti neſcio quid velint: *quarum contraria* (alii, *contrarius*) *ac concitatus*. Idem.

13 *Meminiſſe perſeveret*] Tacitus ſimile:

nullo modo probo, quod ait Metrodorus, [14] eſſe aliquam cognatam triſtitiæ voluptatem: hanc ipſam captandam in ejuſmodi tempore. Ipſa Metrodori [15] verba ſubſcripſi: Μιχθεισα ἡδονὴ αἰηδεία τίς γὰρ ἐςί, σοι μὲν ζητητέη κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν. de quibus non dubito, quid ſis ſenſurus. Quid enim turpius, quam captare in ipſo luctu voluptatem, imo per luctum: & inter lacrimas quoque, quod juvet, quærere? Hi ſunt qui nobis objiciunt nimium rigorem, & infamant præcepta noſtra duritia, quod dicamus dolorem in animum aut admittendum non eſſe, aut cito expellendum. Utrum tandem eſt aut incredibilius, aut inhumanius, non ſentire amiſſo amico dolorem, an voluptatem in ipſo dolore aucupari? Nos quod præcipimus honeſtum eſt: cum aliquid lacrimarum affectus effuderit, &, ut ita dicam, deſpumaverit, non eſſe tradendum animum dolori. Quid tu dicis? miſcendam ipſi dolori voluptatem? Sic conſolamur cruſtulo pueros, ſic infantium fletum infuſo lacte compeſcimus. Ne illo quidem tempore quo filius ardet, aut amicus exſpirat, ceſſare pateris voluptatem, ſed ipſum vis titillare mœrorem. Utrum honeſtius dolor ab animo ſubmovetur, an voluptas ad dolorem quoque admittitur? admittitur, dico? captatur, & quidem ex ipſo. Eſt aliqua, inquit, voluptas cognata triſtitiæ. Illud nobis licet dicere: vobis quidem non licet. Unum bonum noſtis, voluptatem; unum malum, dolorem. Quæ poteſt inter bonum, & malum, eſſe cognatio? Sed puta eſſe. nunc potiſſimum eruitur: & ipſum dolorem ſcrutamur an aliquid habeat jucundum circa ſe, & voluptarium? Quædam remedia aliis parti-

mile: *Fœminis lugere honeſtum eſt, viris meminiſſe.* Lipſius.

14 *Eſſe aliquam cognatam*] Ita Ovidius:

Fleque meos caſus, eſt quædam, flere, voluptas.

Statius:

—— tunc flere & ſcindere veſtes,
Fataque, & injuſtos rabidis pulſare querelis
Cælicolas, ſolamen erat.

Vide Ariſtotelem 1 Rhet. c. 11. *Idem.*

15 *Verba ſubſcripſi*] Exſtant in meo aliiſque Græca quædam, ſed ſic depravate ſcripta, ut nihil mihi quidem ſit eruere. *Idem.*

16 *Ob*

partibus corporis ſalutaria, velut fœda & indecora, adhiberi aliis nequeunt: & quod alibi prodeſſet ſine damno verecundiæ, id fit inhoneſtum loco vulneris. Non te pudet luctum voluptate ſanare? ſeverius iſta plaga curanda eſt. illud potius admone, nullum mali ſenſum, ad eum qui perit, pervenire: nam ſi pervenit, non periit. Nulla, inquam, eum res lædit, qui nullus eſt: vivit, ſi læditur. Utrum putas illi male eſſe, quod nullus eſt, an quod eſt adhuc aliquis? Atqui nec ex eo poteſt ei tormentum eſſe, quod non eſt: quis enim nullius ſenſus eſt? nec ex eo, quod eſt: effugit enim maximum mortis incommodum, non eſſe. Illud quoque dicamus ei, qui deflet, ac deſiderat in ætate prima raptum: Omnes quantum ad brevitatem ævi, ſi univerſo compares, & juvenes & ſenes in æquo ſumus. Minus enim ad nos ex omni ætate venit, quam quod minimum eſſe quis dixerit: quoniam quidem minimum aliqua pars eſt: hoc quod vivimus, proximum nihilo eſt: & tamen (ô dementiam noſtram!) late diſponitur. Hæc tibi ſcripſi, non tanquam exſpectaturus eſſes remedium à me tam ſerum: liquet enim mihi te locutum tecum, quidquid lecturus es: ſed ut caſtigarem illam exiguam moram, qua à te receſſiſti: & in reliquum exhortarer, contra fortunam tolleres animos, & omnia ejus tela non tamquam poſſent venire, ſed tamquam utique eſſent ventura, proſpiceres.

EPIST. C.

De Papirio Fabiano philoſopho judicium, ejuſque ſcriptis.

1 FAbiani Papirii libros, 2 qui inſcribuntur Civilium, legiſſe te cupidiſſime ſcribis: ſed non reſpondiſſe expectationi

16 *Ob dementiam noſtram*] Gruterus acute & vere, *ô dementiam.* Lipſ.

EPIST. C. 1 *Fabiani Papirii*] De quo epiſt. 11. 52. & 58. & Seneca pater totum virum deſcribit, & genus eloquii, de quo hic cenſura: imo requirit in eo, quæ filius excuſat & tuetur. Videſis lib. 2 Controv. in Præfatione. *Idem.*

2 *Qui inſcribuntur Civilium*] Id eſſet, *Politicorum*: dignum hercules Philoſopho argumentum. At libri quidam,

ctationi tuæ. deinde, oblitus de philoſopho agi, compoſitionem ejus accuſas. Puta eſſe quod dicis: & effundi verba, non fingi. Primum, habet iſta res ſuam gratiam: & eſt decor proprius orationis leniter lapſæ. Multum enim intereſſe exiſtimo, utrum exciderit, an fluxerit. Nunc in hoc quoque, quod dicturus ſum, ingens differentia eſt. Fabianus mihi [3] non effundere videtur orationem, ſed fundere; adeo larga eſt, & ſine perturbatione, non ſine curſu tamen, veniens. Illud plane fatetur & præfert, non eſſe ſe tractatam, nec diu tortam. Sed [4] ita, ut vis, eſſe credamus: mores ille, non verba compoſuit; & animis ſcripſit iſta, non auribus. Præterea, ipſo dicente non vacaſſet tibi partes intueri: adeo te ſumma rapuiſſet: & fere quæ impetu placent, minus præſtant [5] ad manum relata. Sed illud quoque multum eſt, primo adſpectu oculos occupaſſe: etiamſi contemplatio diligens inventura eſt, quod arguat. Si me interrogas, major ille eſt [6] qui judicium abſtulit, [7] quam qui meruit. Et ſcio hunc tutiorem eſſe: ſcio audacius ſibi [8] de futuro promittere. Oratio ſolicita philoſophum non decet. Ubi tandem erit fortis & conſtans, ubi periculum ſui faciet, qui timet verba? Fabianus non erat negligens in oratione, ſed ſecurus: itaque nihil invenies ſordidum. Electa verba ſunt, non captata: nec hujus ſeculi more contra naturam ſuam poſita & inverſa, ſplendida tamen, quam-

vis

dam, *artium civilium* habent; alii, *artium & vilium*; quidam, *artium inlium*; denique, *archivilium*. Ut ſuſpicio ſit remotioris & Græcanicæ vocis. An ſi forte, *αἰτιῶν φυσικῶν*? ſcripſit certe, & citatur eo titulo à Chariſio, *Cauſſarum naturalium*. Lipſius.

3 *Non effundere*] Cum impetu videlicet, & turbide; ſed fundere leniter, & cum ordine. *Idem*.

4 *Ita ut vis*] Bene è libris aliquot aſſeruit Gruterus. Sententia. Age, eſto uti dicis, parum compoſitus aut conſtructus: nempe philoſophum, non oratorem, agit. *Idem*.

5 *Ad manum relata*] Quæ audita placent, & ſtatim: non æque in manum ſumpta, & relecta: cum judicium mora ſe collegit, & certius appendit ac librat. *Idem*.

6 *Qui judicium abſtulit*] In dicendo rapuit, & velut invitum traxit. *Idem*.

7 *Quam qui meruit*] Accurata dictione, aut ſcriptione. Plus illic ingenii, & ignis; hic curæ, & intentionis. *Idem*.

8 *De futuro promittere*] Vivere poſſe, & ætatem ferre. *Idem*.

9 Sed

Digi

vis ſumantur è medio: ſenſus honeſtos & magnificos habent, non coactos in ſententiam, [9] ſed latius ductos. Videbimus, quid parum reciſum ſit, [10] quid parum ſtructum, quid non hujus recentis politura: eum circumſpexeris omnia, nullas videbis anguſtias inanes. Deſit ſane varietas marmorum, & [11] conciſura aquarum cubiculis interfluentium, [12] & pauperis cella, & quidquid aliud luxuria, non contenta decore ſimplici, miſcet: quod dici ſolet, [13] domus recta eſt. Adjice nunc, quod de compoſitione non conſtat. Quidam illam volunt eſſe ex horrido comptam: quidam uſque eo aſpera gaudent, ut etiam quæ mollius caſus explicuit, ex induſtria diſſipent, & clauſulas abrumpant, ne ad exſpectatum reſpondeant. Lege Ciceronem

9 *Sed altius ductos*] Meus & quidam, *ſed tutius*, Alii, *latius*, quod probem, & opponitur brevibus ſenſibus, & coactis. *Lipſius.*

10 *Quid parum ſtructum*] Compoſitum: ut ſupra. At Pincianus mallet, *ſtrictum*: non ego. *Idem.*

11 *Conciſura aquarum*] Refero ad aquas & minutos Euripos, in cœnationibus olim; & præſertim æſtivis. De quibus Seneca, de Tranquill. cap. 1. *Quid perlucentes ad imum aquas, & circumfluentes ipſa convivia loquar?* Idem Quæſt. Nat. 3. c. 17. inter *opera luxuriæ* narrat: *In cubili natant piſces, & ſub ipſa menſa capitur, qui ſtatim transferatur in menſam.* Idem.

12 *Et pauperis cella*] Bene habet. neque aliud eſt, quam divites iſtos habuiſſe diſtinctam etiam cœnationem, aut cubiculum, quod *pauperis cellam* dicerent: ubi certis diebus velut tenuem & pauperem victum inſitarentur. Vide epiſt. 18. *Idem.*

13 *Domus recta eſt*] Sine vitio eſt, etſi minus ornata aut inſtructa. *Idem.* Tentant viri docti, & mallent *tecta*. Mihi vulgata potior, & multo minus eſt *tectum* quam *rectum*. Sic enim dicunt nonnunquam omnibus numeris abſolutum, ſine vitio ac mendo. Ita *rectam cœnam* dixere, & *recte vivere* apud noſtrum epiſt. 123. & *recte convivari* apud Suetonium. ſic & *rectus apparatus* epiſt. 111. pro rectæ cœnæ apparatu. Quod bene animadvertit Turnebus, cum ſubſtituiſſent, *regio*. Sic homines *recti* de ſervis ſanis & emendato corpore. Catullus: *Ut, provincia quod mala incidiſſet, Non poſſem octo homines parare rectos.* Quibus verbis adductus dubitavi interdum, annon probanda eſſet apud Suetonium Julio cap. 47. lectio è Vat. codice producta Torrentio: *comparaſſe ſervitia rectiora politioraque impenſo pretio.* Memineram & Horatii de parabili ſua Venere lib. 1. Sat. 2. *Candida rectaque ſit: munda hactenus* &c. Etſi vulgatum *recentiora* optimo ſenſu eſſe non negem. Sic & in ſtipulationibus. *Recte hac dari fierique ſatiſque dari domino aut cui juſſerit*, apud Catonem de re ruſtica c. 147. *Illaſce oves, quæ de re agitur, ſanas recte eſſe, uti pecus ovillum, quod recte ſanum eſt*, apud Varronem lib. 2. de R. R. c. 2. *Recte cavere* apud Plautum Moſtell. 3, 3, 23. Plin. lib. 9. epiſt. 26. *Dixi de quodam oratore ſeculi noſtri recto quidem & ſano, ſed parum grandi & ornato, ut opinor, apte: nihil peccat, niſi quod nihil peccat.* Gronovius.

14 Pe-

ronem. compoſitio ejus una eſt: [14] pedem ſervat, curata, lenta, & ſine infamia mollis. At contra, Pollionis Aſinii ſalebroſa & exſiliens, & ubi minime exſpectes, relictura. Denique apud Ciceronem omnia deſinunt: apud Pollionem cadunt: exceptis pauciſſimis, quæ ad certum modum, & ad unum exemplar, adſtricta ſunt. Humilia præterea tibi videri dicis omnia, & parum erecta: quo vitio carere eum judico. Non ſunt humilia illa, ſed placida, [15] & ad animi tenorem quietum compoſitumque formata, nec depreſſa, ſed plana. Deeſt illis oratorius vigor, ſtimulique quos quæris, & ſubiti ictus ſententiarum: ſed totum corpus videris; quamvis ſit incomptum, honeſtum eſt. Non habet oratio ejus, [16] ſed debet dignitatem. Affer quem Fabiano poſſis præponere. Dic Ciceronem, cujus libri ad philoſophiam pertinentes, pene totidem ſunt, quot Fabiani. Cedam. ſed non ſtatim puſillum eſt, ſi quid maximo minus eſt. Dic Aſinium Pollionem. Cedam. & reſpondeamus: In re tanta eminere eſt, & poſt duos eſſe. Nomina adhuc Livium. Scripſit enim & dialogos, [17] quos non magis philoſophiæ annumerare poſſis, quam hiſtoriæ: & ex profeſſo philoſophiam continentes libros. Huic quoque dabo locum: vide tamen, quam multos antecedat, qui à tribus vincitur, & tribus eloquentiſſimis. Sed non præſtat omnia. non eſt fortis oratio ejus, quamvis elata ſit: non eſt violenta, nec torrens, quamvis effuſa ſit:

14 *Pedem ſervat, curata*] Meo & aliquot ſcriptis abeſt vox, *ſervat*: ſcribuntque *una eſt, pedem curvat, lenta.* Legi poſſit, *pedem curat*. Lipſius.

15 *Sunt enim tenore quieto*] Valde amplectar, quod in quibuſdam: *ſed placida, & ad animi tenorem quietum compoſitumque formata.* Eſt ipſum, quod pater de illo: *jam videlicet compoſitus & pacatus animus, cum veros compreſſiſſet affectus, parum bene imitari poterat, quæ effugerat.* Oratio igitur lenis & placida, ut ipſe animus. *Idem.*

16 *Sed debet dignitatem*] Priores duas voces male ejecerat Muretus, libris omnibus aſſertas. Ego mutem leviter, *ſed dabit.* Argute hoc ait: Oratio ejus, eſto, dignitatem non habet, ſed eam dabit. id eſt, tota honeſti & virtutis plena, iſta animo inferet, & faciet te magnum & honeſtum. *Idem.*

17 *Quos non magis philoſophiæ*] Etſi enim Philoſophiam tractant & promittunt; non tamen à veteri ſtudio Livius abit, & Hiſtorias atque exempla crebra miſcet. *Idem.*

ſit: [18] non eſt perſpicua, ſed pura. Deſideres, inquies, contra vitia aliquid aſpere dici, contra pericula animoſe, contra fortunam ſuperbe, contra ambitionem contumelioſe. Volo luxuriam objurgari, libidinem traduci, impotentiam frangi: ſit aliquid oratorie acre, tragice grande, comice exile. Vis illum aſſidere puſillæ rei, verbis? Ille rerum ſe magnitudini addixit: eloquentiam, velut umbram, non hoc agens, trahit. Non erunt ſine dubio ſingula circumſpecta, nec in ſe collecta, nec omne verbum excitabit ac punget: fateor: [19] exibunt multa, nec ferient, & interdum otioſa præterlabetur oratio: ſed multum erit [20] in omnibus locis & ingens ſine tædio ſpatium. Denique illud præſtabit, ut liqueat tibi, illum ſenſiſſe quæ ſcripſit. Intelliges actum hoc, ut tu ſcires quid illi placeret, non ut ille placeret tibi. Ad profectum omnia tendunt, & ad bonam mentem: non quæritur plauſus. Talia eſſe ſcripta ejus, non dubito, etiam ſi magis reminiſcor quam teneo: hæretque mihi color eorum, non ex recenti converſatione familiariter, ſed ſummatim, ut ſolet ex vetere notitia. Cum audirem certe illum, talia mihi videbantur: non ſolida, ſed plena, quæ adoleſcentem indolis bonæ attollerent, & ad imitationem ſui vocarent, ſine deſperatione vincendi. quæ mihi adhortatio videtur efficaciſſima. Deterret enim, qui imitandi cupiditatem modo fecit, ſpem abſtulit. Ceterum verbis abundabat, ſine commendatione partium ſingularum, in univerſum magnificus.

EPIST.

18 *Non eſt perſpicua*] Nam & pater Seneca obſcuritatem eum ab Arellio Fuſco tenuiſſe judicat. *Lipſius.*

19 *Exibunt multa*] A gladiatoribus, quorum manus *exire* dicuntur, cum parant ferire. *Idem.*

20 *In omnibus locis*] Pinciano aſſentior legenti, *lucis*. Atqui de obſcuritate diximus. Ita: ſed ſplendorem hic rerum accipimus, & dignitatem. *Idem.*

EPIST. CI.

De ſubita morte cujuſdam noti: & ex occaſione, nihil fidendum aut ſpondendum nobis. Omnia incerta, ideoque vita bona non differenda. longa autem non optanda: & exagitat Mæcenatis turpiſſimum votum.

OMnis dies, omnis hora, quam nihil ſimus oſtendit, & aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, cum æterna meditantes reſpicere cogit ad mortem. Quid ſibi iſtud principium velit, quæris? Senecionem Cornelium, equitem Romanum ſplendidum & officioſum, noveras: ex tenui principio ſe ipſe promoverat, & jam illi declivis erat curſus ad cetera. Facilius enim creſcit dignitas, quam incipit. [1] Pecunia quoque circa paupertatem plurimam moram habet, dum ex illa ereptat. Hic etiam Senecio divitiis imminebat, ad quas illum duæ res ducebant efficaciſſimæ, & quærendi, & cuſtodiendi ſcientia: quarum vel altera locupletem facere potuiſſet. Hic homo ſummæ frugalitatis, non minus patrimonii quam corporis diligens, cum me ex conſuetudine mane vidiſſet, cum per totum diem amico graviter affecto, & ſine ſpe jacenti, uſque in noctem aſſediſſet, cum hilaris cœnaſſet, genere valetudinis præcipiti abreptus, angina, vix compreſſum arctatis faucibus ſpiritum traxit in lucem. Intra pauciſſimas ergo horas, poſtquam omnibus erat ſani ac valentis officiis functus, deceſſit. Ille qui & mari & terra pecuniam agitabat, qui [2] ad publica quoque, nullum relinquens inexpertum genus quæ-

EPIST. CI. 1 *Pecunia quoque circa*] Idem de Lampide quodam Plutarchus, An ſeni ſit gerenda reſpublica; qui interrogatus, *Quomodo tantas opes ſibi paraſſet? reſpondit, Parvas quidem magno, magnas parvo labore.* Muretus ſuggeſſit. *Lipſius.*

2 *Ad publica quoque acceſſerat*] Ad vectigalium redempturas, odioſas. *Idem.* Notandus uſus verbi in ea amati veteribus. Cicero 3 in Verr. *Novum genus publicani! cur hoc auctore non Romæ quoque ſervi publici ad vectigalia accedant?* Cornelius Nepos in Attico: *Ad haſtam publicam nunquam acceſſit.* Livius lib. 43. *Ne quis eorum qui Q. Fulvio, A. Poſtumio cenſoribus publica vectigalia aut ultro tributa conduxiſſent, ad haſtam*

quæſtus, acceſſerat; in ipſo actu bene cedentium rerum, in ipſo procurrentis pecuniæ impetu, raptus eſt.

Inſere nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites.

Quam ſtultum eſt ætatem diſponere? ne craſtino quidem dominamur. O quanta dementia eſt, ſpes longas inchoantium! Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram, tum demum laſſam & plenam ſenectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt. Nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere: id quoque quod tenetur, per manus exit, & ipſam [3] quam premimus horam, caſus incidit. Volvitur tempus, rata quidem lege, ſed per obſcurum: quid autem ad me, an naturæ certum ſit, quod mihi incertum eſt? Navigationes longas, & pererratis littoribus alienis, ſeros in patriam reditus proponimus; militiam, & caſtrenſium laborum [4] tarda manupretia; procurationes, officiorumque per officia proceſſus: cum interim ad latus mors eſt. quæ quoniam nunquam cogitatur, niſi aliena; nobis ſubinde ingeruntur mortalitatis exempla, non diutius, quam dum miramur, hæſura. Quid autem eſt ſtultius, quam mirari id ullo die factum, quod omni poteſt fieri? Stat quidem terminus nobis, ubi illum inexorabilis fatorum neceſſitas fixit: ſed nemo ſcit noſtrum, quam prope verſetur. Sic itaque formemus animum, tanquam ad extrema ventum ſit: nihil differamus, quotidie [5] cum vita paria faciamus. Maximum vitæ vitium eſt,

ſtam ſuam accederet, ſociuſve aut affinis ejus conductionis eſſet. Quint. declam. 341. *Præter id quod non poteſt videri iniquum, ad quod acceditur, & vectigal quidem ipſum neceſſarium, non iniquum.* Ulpian. l. 9. §. 9. D. de pœnis: *ſunt autem & aliæ pœnæ, ſi negotiatione quis abſtinere jubeatur, vel ad conductionem eorum, quæ publice locantur, accedere, ut ad vectigalia publica.* Gronovius.

3 *Quam premimus horam*] Clarum eſt, & nec hora hæc certa, & caſus poteſt abrumpere. At Mureto viſum, *oram* legere, & funem nauticum interpretari. Libri ſunt à nobis. *Lipſius.*

4 *Tarda manupretia*] Nam promotiones caſtrenſes gradatim fiebant: nec magna, niſi in extremis, præmia.

Ut locupletem aquilam tibi ſexageſimus annus
Adferat. Idem.

5 *Cum vita paria faciamus*] Tamquam nihil ſit reliqui. non illa nobis, non nos illi obligemur. Abi, abeo. *Idem.*

eſt, quod imperfecta ſemper eſt, [6] quod etiam aliquid ex illa differtur. qui quotidie vitæ ſuæ ſummam manum impoſuit, non indiget tempore. Ex hac autem indigentia timor naſcitur, & cupiditas futuri, exedens animum. [7] Nihil eſt miſerius dubitatione venientium, quorſum evadant. Quantum ſit illud quod reſtat, aut quale, [8] collecta mens inexplicabili formidine agitatur. Quomodo effugiemus hanc volutationem? uno, ſi vita noſtra non prominebit, ſi in ſe colligetur. Ille enim ex futuro ſuſpenditur, cui irritum eſt præſens. Ubi vero quidquid mihi debui, redditum eſt, ubi ſtabilita mens ſcit, nihil intereſſe inter diem & ſeculum: quidquid deinceps dierum rerumque venturum eſt, ex alto proſpicit, & cum multo riſu ſeriem temporum cogitat. Quid enim varietas mobilitaſque caſuum perturbabit, ſi certus ſit adverſus incerta? Ideo, mi Lucili, propera vivere: & ſingulos dies, ſingulas vitas puta. Qui hoc modo ſe aptabit, cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt. In ſpe viventibus, proximum quodque tempus elabitur: ſubitque aviditas, & miſerrimum atque miſerrima omnia efficiens, metus mortis. Inde illud [9] Mæcenatis turpiſſi-

6 *Quod etiam aliquid*] Veteres, *quod in aliquid*. ex quo Pincianus, *quod in aliud ex alio*. At meus liber, in margine: *quod meum aliquid*: optime. Fruar tota, manum injiciam, nihil incerto tempori reſervem. *Lipſius*.

7 *Nihil eſt miſerius*] Meus vocem præmittit, *cum nihil*: legam, *quoniam nihil*. Idem.

8 *Collecta mens inexplicabili*] Aſſentior Pinciano: *Non collecta*. Niſi magis placet leviter reſcriptum, diſtinctumque, *Quantum ſit illud, & quale collectu, mens inex*. Collectu ſive collectione, quid illud & quale, mens turbatur. *Idem*. Pincianus, *non collecta*, vel *incollecta*. Lipſius: *aut quale collectu, mens*. Conjiciebam: *Quantum ſit illud, quod reſtat, aut quale, conjectantes inexplicabili formidine agitantur*. Thyeſte: *Anxius ſceptrum tenet, & moventes Cuncta divinat metuitque caſus*. Gronovius.

9 *Mæcenatis turpiſſimum votum*] Imo & Homericum illud ſimile, in Odyſſea:

Βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

Malim equidem vel in agris vitam ducere ſervus
Pauperem apud dominum, cui res non ampliter adſit,
Quam cunctis dominari, apud Orcum, morte peritis.

Quid Euripides? apud eum Iphigenia:

Τὸ φῶς τὸ δ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν,
Τὰ νέρθε δ' οὐδείς. μαίνεται δ', ὃς εὔχεται

Θα-

piſſimum votum: quo & debilitatem non recuſat, & deformitatem, & noviſſime acutam crucem, dummodo inter hæc mala ſpiritus prorogetur.

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa:
Tuber adſtrue gibberum,
Lubricos quate dentes.
Vita dum ſupereſt, bene eſt.
Hanc mihi, vel acuta
[10] *Si ſedeam cruce, ſuſtine.*

Quod miſerrimum erat, ſi incidiſſet, optatur: & tamquam vita petitur, [11] ſupplicii mora. Contemptiſſimum putarem, ſi vivere vellet uſque ad crucem. Tu vero, inquit, me debilites licet, dum ſpiritus in corpore fracto & inutili maneat: depraves licet, dum monſtruoſo [12] & diſtorto temporis aliquid accedat: ſuffigas licet, & acutam ſeſſuro crucem ſubdas: eſt tanti, vulnus ſuum premere, & patibulo pendere deſtrictum, dum differat id quod eſt in malis optimum, ſupplicii finem. Eſt tanti, [13] habere animam, ut agam. Quid huic optes, [14] niſi deos faciles? quid ſibi vult iſta carminis effeminati turpitudo? quid timoris dementiſſimi

Θανεῖν. κακῶς ζῆν κρεῖσσον, ἢ θανεῖν καλῶς.

Lucem videre hominibus eſt ſuaviſſimum,
Inferna minime. deſipit qui vult mori,
Meliuſque vivere male, quam mori bene.

Sed magis etiam aſſidet Epicuri dogma: Τὸν σοφὸν καὶ πηρωθέντα τὰς ὄψεις, μεθέξειν τοῦ βίου· *Sapientem etiam oculis caſſum, manſurum in vita:* quæ ipſa ejus verba ſunt in Laërtio, & ab iis Mæcenas videatur hauſiſſe. *Lipſius.*

10 *Si ſedeam cruce*] Ita omnes meliores libri, & eſſe veram lectionem firmavi in libello de Cruce. *Sedent* autem in *acuta cruce*, qui ſtipite acuto transfixi ab imo ſunt, per os emergente. Verſus porro cauſſa, *ſedeam*, diſſyllabum exaudiendum; atq; ita libris quibuſdam, *ſedam*, ſcriptum. *Idem.*

11 *Supplicii mora*] Nam erat in extremis Mæcenatis, *ſuſtine.* id eſt, ſerva mihi vitam & extende, etiam in cruce, ultimiſque malis. *Idem.*

12 *Et diſtorto*] Variant libri, ac quidam, *& ſancto*; alii, *& deſerto*, atque in margine, *diſcerpto*; meus & nonnulli, *& ſerto.* Facerem *deſecto* aut *ſecto.* nam ita in verſibus erat, membris mutilari. *Idem.*

13 *Habere animam, ut agam*] Non alio fine vivere, quam ut moriens vivam. Habeam animam, ut ſemper emittam. *Idem.*

14 *Niſi deos faciles*] Accipio. meruit exaudiri, & habere Deos in vota faciles. Quid, inquit, aliud tam fœde timido optemus? *Idem.*

Digitized by Google

tiſſimi pactio? quid tam fœda vitæ mendicatio? Huic putas umquam recitaſſe Virgilium,

Uſque adeone mori miſerum eſt?

Optat ultima malorum: & quæ pati graviſſimum eſt, extendi ac ſuſtineri cupit. qua mercede? ſcilicet vitæ longioris. Quid autem hujus vivere eſt? diu mori. Invenitur aliquis, qui malit inter ſupplicia tabeſcere, & perire membratim, & toties per ſtillicidia amittere animam, quam ſemel exhalare? Invenitur qui velit adactus ad illud [15] infelix lignum, jam debilis, jam pravus, & in fœdum ſcapularum ac pectoris tuber eliſus, cui multæ moriendi cauſſæ etiam citra crucem fuerant, trahere animam tot tormenta tracturam? Nega nunc magnum beneficium eſſe naturæ, quod neceſſe eſt mori. Multi pejora paciſci adhuc parati ſunt: etiam amicum prodere, ut diutius vivant: & liberos ad ſtuprum manu ſua tradere, ut contingat lucem videre, tot conſciam ſcelerum. Excutienda vitæ cupido eſt: diſcendumque, nihil intereſſe quando patiaris quod quandoque patiendum eſt: quam bene vivas referre, non quamdiu: ſæpe autem in hoc eſſe bene, ne diu.

EPIST. CII.

Aliquid de immortalitate animæ. tum quæſtiuncula, An claritas poſt mortem ad nos faciat: Diſputat tenuiter primo & ſcholaſtice: tum in extremo adſurgit, & ad Deum ac cœleſtia animum ducit. Corpus hoc, ſarcinam aut velamentum eſſe: ſperni debere & exui, cum Deus & dies ille vocant.

QUomodo moleſtus eſt jucundum ſomnium videnti, qui excitat: aufert enim voluptatem, etiamſi falſam, effectum tamen veræ habentem: ſic epiſtola tua mihi fecit injuriam. revocavit enim me [1] cogitationi aptæ traditum, & iturum, ſi licuiſſet, ulterius. Juvabat de æternitate

tate

15 *Infelix lignum*] Ita Crucem vocabant: ego in libellis ejus rei. *Lipſius.*

EPIST. CII. 1 *Cogitationi aptæ*] Fortaſſis, *altæ.* Idem.

2 Cra-

tate animarum quærere, imo mehercule credere. [2] credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem gratiſſimam [3] promittentium magis, quam probantium. Dabam me ſpei tantæ. jam eram faſtidio mihi, jam reliquias ætatis infractæ contemnebam, in immenſum illud tempus, & in poſſeſſionem omnis ævi tranſiturus: cum ſubito experrectus ſum, epiſtola tua acceptā, & tam bellum ſomnium perdidi. quod repetam, ſi te dimiſero, & redimam. Negas me [4] epiſtola prima totam quæſtionem explicuiſſe, in qua probare conabar id quod noſtris placet, claritatem quæ poſt mortem contingit, bonum eſſe. Id enim me non ſolviſſe, quod opponitur nobis: Nullum, inquiunt, bonum ex diſtantibus: hoc autem ex diſtantibus conſtat. Quod interrogas, mi Lucili, ejuſdem quæſtionis eſt, loci alterius: & ideo non hoc tantum, ſed alia quoque eodem pertinentia, diſtuleram. Quædam enim, ut ſcis, moralibus [5] rationalia immixta ſunt. Itaque illam partem recta ad mores pertinentem tractavi, Numquid ſtultum ſit ac ſupervacuum, ultra extremum diem curas tranſmittere. An cadant bona noſtra nobiſcum, nihilque ſit ejus qui nullus eſt. [6] An ex eo, quod cum erit, ſenſuri non ſimus [7] antequam aliquis

2 *Credebam enim facile opinionibus*] Membranæ & vetuſtæ editiones: *credebam enim me facilem.* Et eodem eunt parva variatione codices apud Gruterum. Quid ſi prima ſyllaba primæ vocis ex præcedenti ſit repetita, & Seneca ſcripſerit: *immo me hercule credere; dabam enim me facilem opinionibus magnorum virorum* &c. *dabam me ſpei tantæ.* Niſi tamen recipiendum illud, ut epiſt. 74. *Non poteſt ergo quiſquam beatus eſſe, qui huic ſe opinioni credidit.* Gronovius.

3 *Promittentium magis, quam*] Vides mutare ſuper immortalitate Animæ. & velle magis, quam credere. Ego de ea re in Phyſiol. 3. Diſſert. 11. *Lipſius.*

4 *Epiſtola prima*] Ea non exſtat, aut nihil tale præivit. Itaque meo libro aſſentiar legenti, *primam:* & ſtatim, *conabaris.* Idem.

5 *Rationalia immixta*] Logica. *Idem.*

6 *An ex eo quod cum erit, ſenſuri non ſumus*] Repræſentavi veterem lectionem, ab aliis varie interpolatam. Legam, *quod tum erit:* poſt mortem ſcilicet. & eſt quæſtio, An quæ hic de nobis dicentur, & quæ fama erit, ejus ſenſus ad nos eo perventurus ſit? *Idem.* Et hoc dubium valde, non tantum quia variant ſcripti codices, ſed etiam quia ſenſu eſt abſurdum. Lipſius quæſtionem eſſe putat, an quæ hic de nobis dicentur, & quæ fama erit, ejus ſenſus ad nos perventurus ſit. Utraque emendat *tum*, & *aut coquando.* Potius videtur eſſe quæſtio, an

aliquis fructus percipi aut peti poſſit. Hæc autem omnia ad mores ſpectant: itaque ſuo loco poſita ſunt. At quæ à dialecticis contra hanc opinionem dicuntur, ſegreganda fuerunt: & ideo ſepoſita ſunt.. Nunc quia omnia exigis, omnia quæ dicunt perſequar, deinde ſingulis occurram. At niſi aliquid prædixero, intelligi non poterunt quæ refellentur. Quid eſt, quod prædicere velim? [8] Quædam continua eſſe corpora, ut hominem: quædam compoſita, ut navem, domum, omnia denique quorum diverſæ partes junctura in unum ſunt coactæ: quædam ex diſtantibus, quorum adhuc membra ſeparata ſunt, tanquam exercitus, populus, ſenatus. Illi enim, per quos iſta corpora efficiuntur, jure aut officio cohærent, natura diducti & ſinguli ſunt. Quid eſt, quod etiam nunc prædicere velim? Nullum bonum putamus eſſe, quod ex diſtantibus conſtat. [9] uno enim ſpiritu unum bonum contineri ac regi debet, unum eſſe [10] unius boni principale. Hoc ſi quando deſideraveris, [11] per ſe probatur: interim ponendum fuit, [12] quia inde noſtra tela mit-

quæ hic de nobis dicentur, cum ea ſenſuri non ſimus, nobis etiam dum hic ſumus, præcogitata aliquid fructus adferre poſſint? Itaque aut particulam *quam* cenſeo eſſe delendam, aut probandam lectionem trium mss. Apud Gruterum: *an ex eo quod cum erit, ſenſuri non ſumus, antequam ſit, aliquis fructus percipi aut peti poſſit.* Hoc eſt, an ex fama poſtuma, quam cum habebimus, ſenſuri non ſumus, quippe mortui, antequam ſit & exiſtat poſtuma fama, ſive antequam mortuis nobis ſit ſuperſtes, nunc ſtatim aliquis fructus percipiatur. *Gronovius.*

7 *Antequam aliquis*] Hæc intricata. legam: *aut ecquando aliquid fructus.* An ſtatim videlicet, an cum purgati erimus & ſublimati? *Lipſius.*

8 *Quædam continua eſſe*] Ipſa hæc diviſio in Plutarchi Præceptis connubialibus: Τῶν σωμάτων φιλόσοφοι τὰ μὲν ἐκ διεστώτων λέγουσιν εἶναι, καθάπερ στόλον, καὶ στρατόπεδον· τὰ δ' ἐκ συναπτομένων, ὡς οἰκίαν, καὶ ναῦν· τὰ δ' ἡνωμένα καὶ συμφυῆ, καθάπερ ἐστὶ τῶν ζῴων ἕκαστον· *Philoſophi aiunt corporum alia ex diſtantibus conſtare, ut claſſem, & exercitum: alia ex compoſitis, ut domum & navem: alia denique unita & continua eſſe, ut quodque animantium.* Eadem in Pomponio Juriſconſulto Qu. 30. de uſurpationibus. Adde Senecam, Qu. Nat. 2. 2. 2. etſi tertium ibi genus ex *diſtantibus* omittit. *Idem.*

9 *Uno enim ſpiritu*] Quæ ſunt *continua* corpora. eaque his ipſis verbis Pomponius definiebat: *quæ continentur uno ſpiritu.* Idem.

10 *Unius boni principale*] Τὸ ἡγεμονικόν. Idem.

11 *Per ſe probatur*] Vellem, *probabitur.* Idem.

12 *Quo noſtra tela nitatur*] Eſt ab Eraſmi conjectura. qui vult ad telam alludi, cui texendæ ſtamen ſubſterni ſolet; ſic reliquæ argumentationi hanc fulturam. Ingenioſe ille. antea erat;

Digitized by Google

mittuntur. Dicitis, inquit, nullum bonum ex diſtantibus eſſe: Claritas autem iſta, bonorum virorum [13] ſecunda opinio eſt. Nam quomodo fama non eſt unius ſermo, nec infamia unius mala exiſtimatio: ſic nec claritas, uni bono placuiſſe. Conſentire in hoc plures inſignes & præſtantes viri debent, ut claritas ſit. Hæc autem ex judiciis plurium efficitur, id eſt, diſtantium. ergo non eſt bonum. Claritas, inquit, laus eſt à bonis bono reddita: laus oratio: oratio vox eſt, aliquid ſignificans: vox autem, licet virorum ſit bonorum, bonum non eſt. Neque enim quidquid vir bonus facit, bonum eſt. nam & plaudit, & ſibilat: ſed nec plauſum quiſquam, nec ſibilum, licet omnia ejus admiretur & laudet, bonum dicit, non magis quam ſternutamentum aut tuſſim. Ergo claritas bonum non eſt. Ad ſummam, dicite nobis, utrum laudantis, an laudati bonum ſit? Si laudantis bonum eſſe dicitis, tam ridiculam rem facitis, quam ſi affirmetis meum eſſe, quod alius bene valeat. Sed laudare dignos, honeſta actio eſt: ita laudantis bonum eſt, cujus actio eſt, non noſtrum qui laudamur. atqui hoc quærebatur. Reſpondebo nunc ſingulis curſim. Primum, an ſit aliquid ex diſtantibus bonum, etiam nunc quæritur, & pars utraque ſententias habet. Deinde, claritas deſiderat multa ſuffragia: poteſt & [14] unius boni viri judicio eſſe contenta. Nam omnes bonos bonus unus judicat. Quid ergo? inquit; & fama erit unius hominis exiſtimatio, & infamia unius malignus ſermo? [15] Gloriam quoque, inquit, latius fuſam intelligo: conſenſum enim multorum exigit.

erat; *quia in noſtra tela mittuntur*, ſicut & ſcripti fere libri. Ego putarem: *quia inde noſtra tela mittuntur.* ab hoc principio pugnamus, & adverſarios ſternimus. *Lipſius.*

13 *Secunda opinio*] Amica & favens. *Idem.*

14 *Unius boni viri*] Neque enim alii boni ab illo diſſentient. Ita Sidonius in Carm. 24. *Hic ſi te probat, omnibus placebis.* Idem.

15 *Gloriam quoque, inquit*] Gloriam igitur Stoïci non tribuunt ſapienti, ſed claritatem. Tale Philo Judæus, ſuper verbis *Evigilavit Noë:* Ὁ δὲ σοφὸς οὐκ ἔνδοξος. ἀλλ' εὐκλεὴς, τὸν μὴ κολακείᾳ νοθευόμενον, ἀλλὰ βεβαιούμενον ἀληθείᾳ καρπούμενος ἔπαινον· *Sapiens non glorioſus, ſed clari nominis, fruiturque laude non adulterata per blanditias, ſed ſtabilita per veritatem.* Idem.

exigit. Diverſa horum conditio eſt, & illius. Quare? quia ſi de me bene vir bonus ſentit, eodem loco ſum, quo ſi omnes boni idem ſentirent. omnes enim ſi me cognoverint, idem ſentient. Par illis idemque judicium eſt: [16] æque vero inſiſtitur ab his, qui diſſidere non poſſunt. Ita pro eo eſt, ac ſi omnes idem ſentiant: quia aliud ſentire non poſſunt. Ad gloriam & famam, non eſt ſatis unius opinio. Illuc idem poteſt unius ſententia, quod omnium: quia omnium [17] ſi perrogetur, una erit: hic diverſa diſſimilium judicia ſunt, diſſimiles affectus. Dubia omnia invenias, levia, ſuſpecta. Putas tu poſſe ſententiam unam omnium eſſe? [18] non eſt unius una. Illis placet verum veritatis una vis, una facies eſt: apud hos falſa ſunt, quibus aſſentiuntur. Numquam autem falſis conſtantia eſt: variantur & diſſident. Sed laus, inquit, nihil aliud quam vox eſt: vox autem bonum non eſt. Cum dicunt claritatem laudem eſſe bonorum, à bonis redditam: jam non ad vocem referunt, ſed ad ſententiam. Licet enim vir bonus taceat, ſed aliquem judicet dignum laude, laudatus eſt. Præterea, aliud eſt laus, aliud laudatio. Hæc & vocem exigit. Itaque nemo dicit laudem funebrem, ſed laudationem, cujus officium oratione conſtat. Cum dicimus aliquem laude dignum, non verba illi benigna hominum, ſed judicia promittimus. Ergo laus etiam taciti eſt bene ſentientis, ac bonum virum apud ſe laudantis. Deinde, ut dixi, ad animum refertur laus, non ad verba; quæ conceptam laudem egerunt, & in notitiam plurium emittunt. Laudat, qui laudandum eſſe judicat. Cum [19] Tragicus ille apud nos ait, Magnificum

16 *Æque vero inſiſtitur*] Sic Deſiderius. ſententia eſt: æque viam illam veri omnes boni premunt, & inſiſtunt. Sed libri aliquid remotioris verbi fuiſſe arguunt, dum ſcribunt, *vero inſicitur*; vel, *inſpicitur*; quidam, *proſpicitur*; meus, *æque enim inſiciſcitur*. OEdipum ego ſpecto. *Lipſius.*

17 *Si perrogetur*] Vox curiæ: cum Conſul omnium ſententias ordine exquirit. *Idem.*

18 *Non eſt unius una*] Nam variant, & nemo (ſapiente excepto) ſibi conſtat. *Idem.*

19 *Tragicus ille apud nos*] Puto intellegi Nævii verſum. qui alibi apud Cice-

tum eſſe laudari à laudato viro: laude digno, ait. Et cum æque antiquus poëta ait, Laus alit artes: non laudationem dicit, quæ corrumpit artes. nihil enim æque & eloquentiam, & omne aliud ſtudium auribus deditum vitiavit, quam popularis aſſenſio. Fama utique vocem deſiderat, claritas non. poteſt enim citra vocem contingere, contenta judicio: plena eſt, non tantum inter tacentes, ſed etiam inter reclamantes. Quid interſit inter claritatem & gloriam, dicam. Gloria multorum judiciis conſtat, claritas bonorum. Cujus, inquit, bonum eſt claritas, id eſt, laus bono à bonis reddita? utrum laudati, an laudantis? Utriuſque: meum qui laudor, quia natura me amantem omnium genuit; & bene feciſſe gaudeo, & gratos me inveniſſe virtutum interpretes lætor. Hoc plurium bonum eſt, quod grati ſunt, ſed & meum. Ita enim animo compoſitus ſum, ut aliorum bonum, meum judicem: utique eorum, quibus ipſe ſum boni cauſſa. Eſt illud laudantium bonum: virtute enim geritur: omnis autem virtutis actio bonum eſt. Hoc contingere illis non potuiſſet, niſi ego talis eſſem. Itaque utriuſque bonum eſt, merito laudari; tam mehercule, quam bene judicaſſe, judicantis bonum eſt, & ejus, ſecundum quem judicatum eſt. Numquid dubitas, quin juſtitia & habentis bonum ſit, & ejus cui debitum ſolvit? Merentem laudare, juſtitia eſt: igitur utriuſque bonum eſt. Cavillatoribus iſtis abunde reſponderimus. Sed non debuit hoc nobis eſſe propoſitum, arguta diſſerere, & philoſophiam in has anguſtias ex ſua majeſtate detrahere. Quanto ſatius eſt, ire aperta via & recta, quam ſibi ipſi flexus diſponere quos cum magna moleſtia debeas relegere? neque enim quidquam aliud iſtæ diſputationes ſunt, quam inter ſe perite captantium luſus. Dic potius, quam naturale ſit, in immenſum mentem ſuam extendere. Magna & generoſa res eſt humanus animus: nullos ſibi poni niſi communes & cum Deo terminos patitur. Primum, humilem non accipit patriam: Epheſum aut Alexandriam, aut ſi quod eſt

etiam-

etiamnum frequentius incolis, latius tectis ſolum. Illi patria eſt, quodcumque ſuprema & univerſa circuitu ſuo cingit: hoc omne convexum, intra quod jacent maria cum terris, intra quod aër humanis divina [20] ſecernens etiam conjungit, intra quod [21] diſpoſita tot numina in actus ſuos excubant. Deinde, arctam ætatem ſibi dari non ſinit. Omnes, inquit, anni mei ſunt. nullum ſæculum magnis ingeniis clauſum eſt, nullum non cogitationi pervium tempus. Cum venerit dies ille qui mixtum hoc divini humanique ſecernat corpus, hoc, ubi inveni, relinquam: ipſe me diis reddam. nec nunc ſine illis ſum, ſed gravi terrenoque detineor. Per has mortalis ævi moras, illi meliori vitæ longiorique proluditur. Quemadmodum novem menſibus nos tenet maternus uterus, & præparat non ſibi, ſed illi loco in quem videmur emitti, jam idonei ſpiritum trahere, & in aperto durare: ſic per hoc ſpatium, quod ab infantia patet in ſenectutem, in alium [22] matureſcimus partum. Alia origo nos exſpectat, alius rerum ſtatus. Nondum cælum, niſi ex intervallo, pati poſſumus. Proinde intrepidus [23] horam illam decretoriam proſpice: non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Quidquid circa te jacet rerum, tamquam hoſpitalis

Ciceronem: *Lætus ſum laudari me (inquit Hector apud Nævium) abs te, pater, laudato viro.* Lipſius.

20 *Secernens etiam conjungit*] Nam ſuper Aërem, Cælum ſtatim excipit, ubi Dii, id eſt, æterni ignes. Idemque conjungit, quia terram cum cælo medius interjectus nectit. *Idem.*

21 *Diſpoſita tot numina*] Partim cælo, partim aëre, terra, mari: quæ plena ſcilicet omnia Geniorum. *Idem.*

22 *Natura ſuminour partum*] Scripti plures, *natura ſumus*, aut *ſimus*: at Pincianus optime, *matureſcimus*, At ſententia ipſa, pulchra ſane & inopinata, eſt ab Indis ſapientibus, quos Brachmanas dicunt: adſcribitque palam Strabo lib. 15. Νομίζειν γὰρ δὴ τὸν ἐνθάδε βίον, ὡς ἂν ἀκμὴν κυομένων εἶναι· τὸν δὲ θάνατον γένεσιν εἰς τὸν ὄντως βίον, καὶ τὸν εὐδαίμονα τοῖς φιλοσοφήσασι. *Cenſere eos vitam quæ iſthic agitur, eſſe velut maturitatem prægnantium; mortem autem, partum ſive nativitatem in vere vitam, & felicem iis qui rite philoſophati ſunt.* Idem.

23 *Horam illam decretoriam*] Quaſi dicas κριτικὴν & *judicialem*. Nam decernit judex, cum ſententiam profert, & in alterutrum ſtatuit. Hinc *arma decretoria*, quæ *luſoriis* noſter opponit, epiſt. 117. quibus de victoria aut vita cernitur. Item *decretorius ſtilus*, 1 de Clement. cap. 14. quo pater filium damnat, & exheredem facit. Neque aliter Plinius, *Caniculæ ſidus uvis decretorium* dixit: item, *Diem quo aquila oritur, florentibus oleis decretorium.* Idem.

24 Ex-

talis loci ſarcinas ſpecta: tranſeundum eſt. [24] Excutit redeuntem natura, ſicut intrantem. Non licet plus efferre, quam intuleris: imo etiam ex eo, quod in vitam attuliſti, pars magna ponenda eſt. Detrahetur tibi hæc circumjecta, noviſſimum velamentum tui, cutis: detrahetur caro & ſuffuſus ſanguis, diſcurrenſque per totum: detrahentur oſſa nervique, firmamenta fluidorum ac labentium. Dies iſte, quem tamquam extremum reformidas, [25] æterni natalis eſt. Depone onus. quid cunctaris; tamquam non prius quoque, relicto, in quo latebas, corpore, exieris? Hæres & reluctaris: tum quoque magno niſu matris expulſus es. Gemis, ploras: & hoc ipſum flere, naſcentis eſt. Sed tunc debebat ignoſci. rudis & imperitus omnium veneras: ex maternorum viſcerum calido mollique fomento emiſſum, afflavit aura liberior. Deinde, offendit duræ manus tactus: tenerque adhuc, & nullius rei gnarus obſtupuiſti inter ignota. Nunc tibi non eſt novum ſeparari ab eo, cujus ante pars fueris: æquo animo membra jam ſupervacua dimitte, & iſtud corpus inhabitatum diu, pone. Scindetur, obruetur, abolebitur. Quid contriſtaris? ita ſolet fieri. Pereunt ſemper velamenta naſcentium. Quid iſta ſic diligis, quaſi tua? iſtis opertus es. Veniet qui te revelet dies, & ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat. Hinc nunc quoque tu [26] quantum potes, ſubvola: utique etiam neceſſariis, quæ cohærebunt, alienus. Jam hinc, [27] altius aliquid

24 *Excutit redeuntem*] Nihil, præter te, in te aut circa te relinquit. *Lipſ.*

25 *Æterni natalis eſt*] Facit ad immortalitem animæ, ſuo quodam ſenſu Stoicis creditam: & ambigue creditam. Vide Phyſ. 3. Diſſ. 11. *Lipſius.*

26 *Quantum potes ſubvola: utique etiam neceſſariis qua cohærebunt*] Vulgata olim: *ſubvolutaris qua niſi etiam neceſſariis cohærebunt.* Unde Pincianus: *ſubvola: ab aliis niſi qua etiam neceſſariis.* At mss. Pal. pr. *ſubvolutaris qui utique neceſſariuſque cohærebit.* Sic duo alii Gruteri, ſic noſtræ membranæ, minima differentia. Quod nunc editur, videtur fabricaſſe Lipſius. Vide annon apicibus ſenſuique ſit convenientius: *Hinc nunc quoque tu, quantum potes, ſubvola: caris quoque neceſſariiſque cohære, ut alienus.* Gronovius.

27 *Altius aliquid ſubliminſque*] Nam videtur, inquit Themiſtius, *ipſum τοῦ θανάτου, id eſt mortis nomen, hominem è vita migrantem in ſublime ferre, καὶ ἄνω εἰς θεὸν, id eſt ſurſum ad Deum vehere.* Lipſius.

28 *Ali-*

quid ſublimiuſque meditare: [28] Aliquando naturæ tibi arcana retegentur, diſcutietur iſta caligo, & lux undique clara percutiet. Imaginare tecum, quantus ille ſit fulgor, tot ſideribus inter ſe lumenq; miſcentibus. Nulla ſerenum umbra turbabit: æqualiter ſplendebit omne cæli latus: dies & nox, aëris infimi vices ſunt. Tunc in tenebris vixiſſe dices, cum totam lucem totus adſpexeris: quam nunc, per anguſtiſſimas oculorum vias, obſcure intueris, & tamen admiraris tam procul. Quid tibi videbitur divina lux, cum illam ſuo loco videris? Hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſidere ſinit, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum eſſe teſtes ait, illis nos approbari, illis in futurum parari jubet, & æternitatem proponere; quam qui mente concepit, nullos horret exercitus, non terretur tuba, nullis ad timorem minis agitur. Quid ni non timeat, qui mori ſperat? [29] ſi is quoque, qui tamdiu animum judicat manere, quamdiu retinetur corporis vinculo; exſolutum, ſtatim ſpargi; id agit, ut etiam poſt mortem utilis eſſe poſſit. Quamvis enim ipſe ereptus ſit oculis, tamen

Multa viri virtus animo, multuſque recurſat
Gentis honos.

Cogita, quantum nobis exempla bona proſint: ſcies magnorum virorum, non minus præſentia, eſſe utilem memoriam.

EPIST.

28 *Aliquando natura tibi*] Hoc Stoïci agere volebant. Animam aſtris ſociatam, illa & naturam rerum totam contemplari: quod ipſuſn & Deus. Cicero in Hortenſio: *Una igitur erimus beati cognitione Naturæ, & ſcientia: quæ ſola etiam Deorum eſt vita laudanda.* Noſtra adde Phyſiol. 3. Diſſert. 14. *Lipſius.*

29 *Si is quoque qui*] Epicurum intellegit. *Idem.*

EPIST.

EPIST. CIII.

Malitia & inſidiæ inter ſe hominum. Tu tamen non eadem facito, aut repone: ſed mitis in omnes & volens eſto.

[1] QUod iſta circumſpicis, quæ tibi poſſunt fortaſſe evenire, ſed poſſunt & non evenire? incendium dico, ruinam, aliaque, quæ nobis incidunt, non inſidiantur: illa potius vide, illa devita, quæ nos obſervant, quæ captant. [2] Rari ſunt caſus, etiam ſi graves, naufragium facere, vehiculo everti: [3] ab homine homini quotidianum periculum. Adverſus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempeſtas minatur, antequam ſurgat: crepant ædificia, antequam corruant: prænuntiat fumus incendium: ſubita eſt ex homine pernicies, & eo diligentius tegitur, quo propius accedit. Erras, ſi iſtorum tibi qui occurrunt vultibus credis, [4] hominum effigies habent, animos ferarum: niſi quod illarum pernicioſior eſt [5] primus incurſus, quos tranſire non queunt. Numquam enim illas

EPIST. CIII. 1 *Quid iſta circumſpicis*] Sunt qui laciniam ſuperioris epiſtolæ putent, eique annectendam. Non idem ego. *Lipſius.*

2 *Rari ſunt caſus*] Veteres, *Pares ſunt caſus*: Pincianus editum illud reſtituit, puto vere. *Idem.*

3 *Ab homine homini*] Nota in Plauto parœmia: *Homo homini lupus.* Et aſſidet illud Anacharſidis Scythæ, qui interrogatus, Τί ἐστι τὸ πολέμιον ἀνθρώποις; Αὐτοί, ἔφη, ἑαυτοῖς. *Quid hominibus maxime infeſtum eſſet? Ipſi, inquit, ſibiipſis.* Idem.

4 *Hominum effigies, animos ferarum*] Prorſus idem Lycurgus, poëta vetus:

Φεῦ, πῶς πονηρόν ἐστιν ἀνθρώπων φύσις
Τὸ σύνολον. οὐ γὰρ ἄν ποτ' ἐδεήθη νόμου.
Οἴει τι τῶν ἄλλων διαφέρειν θηρίων
Ἄνθρωπον; οὐδὲ μικρόν, ἀλλὰ σχήματι.
Πλάγι' ἐστὶ τἄλλα, τοῦτο δ' ὀρθὸν θηρίον.

Heu quam mala, atque depravata prorſus eſt
Natura noſtra! neque aliter lege erat opus.
Putaſne tu intereſſe inter hominem, & feram?
Nec paullulum, niſi in figura corporis.
Curvantur alia, inambulat recta hæc fera.

Sed & Epictetus diſtincte, *quoſdam hominum lupis ſimiles eſſe, infidos, inſidiatores, noxios; alios leonibus, agreſtes, feroces, immanes; pleroſque vulpeculis, detractores & fraudulentos.* Vide 1 Diſſert. cap. 3.

5 *Primus incurſus, quos tranſire non queunt*] Legerim, *primis.* Qui primi ſe dant obvios, nec fugæ locum relinquunt, nocent. *Idem.* Veteres edd. codices Pinciani, duo Pall. *querunt.* Lipſius olim: *quam tranſire non queunt.* poſtea

las ad nocendum niſi neceſſitas inigit: aut fame, aut timore coguntur ad pugnam: homini perdere hominem libet. Tu tamen ita cogita, quod ex homine periculum ſit: ut cogites, quod ſit hominis officium. Alterum intuere, ne lædaris; alterum, ne lædas. Commodis omnium læteris, movearis incommodis: & memineris quæ præſtare debeas, quæ cavere. Sic vivendo quid conſequeris? non, ut ne noceant; ſed, ne fallant. Quantum autem potes, in philoſophiam ſecede. [6] illa te ſinu ſuo proteget: in hujus ſacrario eris aut tutus, aut tutior. Non arietant inter ſe, niſi in eodem ambulantes. [7] Quod autem ipſam philoſophiam, non debebis jactare. multis fuit periculi cauſſa, inſolenter tractata, & contumaciter. Vitia tibi detrahat, non alii exprobret: [8] non abhorreat à publicis moribus; nec hoc agat, ut

poſtea *quos* retinuit. ſed maluit *primis*. Ego tantum mutem *illarum* in *illorum*, ut de hominibus intelligatur. Hominum vides effigies, ſed animi ſunt ferarum: à quibus uno tantum differunt, quod primus eorum incurſus eſt pernicioſior, quippe factus in hos, qui eum non cavent, qui non ſtudent, ut tam feros prætereant. Nempe feram beſtiam cum videmus, & primum ejus incurſum cavemus declinando aut fugiendo, ne obvii ſimus: ac immanium iſtiuſmodi hominum invaſio nocentior eſt, quippe quos effigie decepti totos homines putamus: itaque præterire & declinare impetum illorum curæ non habemus. Prudentes tamen cavent ſecundum: ferarum autem etiam primum omnes: ideo primum incurſum hominum dixit eſſe pernicioſiorem quam ferarum. *Quos tranſire non quærunt*, nempe illi qui obvios ſunt habituri: de quo defectu nominativi ſuperius ad 2 de Ira, 12. Epiſt. 118. *Tu iſta credis excelſa, quia longe ab illis jaces: ei vero, qui ad illa pervenit, humilia ſunt. Mentior niſi adhuc quærit adſcendere.* Ovidius 11. Met. *& ſi deſcendere ad ipſum Ordine perpetuo quæris.* Rubenio placebat, quod Pincianus, male à Grutero exſcriptus, in exemplari Franciſc. reperit: *quos tranſiere, non quærunt.* Ferarum primus incurſus tantum pernicioſus eſt: non quærunt, quos tranſiere. neceſſitate enim, non voluntate, ad nocendum aguntur: at homini libet hominem perdere. *Gronovius.*

6 *Illa te ſinu ſuo*] Libri priſci, *viſu ſuo*, vel, *niſu*: atque illud eſt ab Eraſmo, tamen probum, niſi quis vellet, *vi ſua*. Lipſius.

7 *Quod autem ipſam philoſophiam*] Sic antiqua lectio, vel *Quid*. Forte: *Quod attinet ipſam.* Idem. Admiſſum ex uno Gruteri codice. nam Muretus: *Ipſam autem philoſophiam.* Lipſius: *Quod attinet ipſam.* Eraſmus: *Quid autem? ipſam.* Et ſic mss. complures, niſi quod ille diſtinctionem interpoſuit. Lege: *Quin etiam ipſam philoſophiam non debebis jactare.* Gronovius.

8 *Non abhorreat à publicis moribus*] Tale Ciceronis inter fragmenta, ad Marcum filium: *Philoſophia quidem præcepta noſcenda, vivendum autem civiliter.* Lipſius.

EPIST.

ut quidquid non facit, damnare videatur. Licet ſapere ſine pompa, ſine invidia.

EPIST. CIV.

De invaletudine ſuâ, de cura & caritate in ſe uxoris. Locum ſe mutaſſe, ut recrearetur: & hinc de Peregrinatione pulcherrima diſſertatio. Non eſſe eam à ſe utilem, niſi animo talis efficitur. Ille emendetur, affectus recidantur: omnia tunc loca & ſtatus jucunda. Peregrinatio etiam alia pulcherrima, ad priſcos & magnos viros ire, illos cogitatione intueri atque imitari. Hoc vitia tollit, virtutes inſerit: atque iſtuc Lucilium vocat.

[1] IN Nomentanum meum fugi, quid putas? urbem, imo febrem, & quidem ſurrepentem. Jam manum mihi injecerat: protinus itaque parari vehiculum juſſi, Paulina mea retinente. Medicus initia eſſe dicebat, motis venis, ſed incertis, & naturalem turbantibus modum. Exire perſeveravi. Illud mihi in ore erat [2] domini mei Gallionis: qui cum in Achaia febrem habere cœpiſſet, protinus navem adſcendit, clamitans non corporis eſſe, ſed loci morbum. Hoc ego Paulinæ meæ dixi, quæ mihi valetudinem meam commendat. Nam cum ſciam ſpiritum illius in meo verti: incipio, ut illi conſulam, mihi conſulere: & cum me fortiorem ſenectus ad multa reddiderit, hoc beneficium ætatis amitto. Venit enim mihi in mentem, in hoc ſene & adoleſcentem eſſe, cui parcitur. Itaque quoniam ego ab illa non impetro, [3] ut me fortius amet: impetrat illa à me, ut

EPIST. CIV. 1 *In Nomentanum*] Ubi prædium ejus, & vineæ. Infra, epiſt. 110. & Columella 3. c. 3. *Lipſ.*

2 *Domini mei Gallionis*] Patres, atque etiam fratres (ſed puto natu grandiores) Dominos per honorem & blanditias vocabant, ſicut & uxores Dominas. Notavi ad 2 Annal. Taciti. *Idem.*

3 *Ut me fortius amet*] Optime habet; nec Pincianus aut alii debebant movere. Fortiter àmat, qui non indulget, qui ſevero quodam amore, ut patres liberos, ut Deus bonos viros. Quæ ipſa phraſis, de Providentia, c. 2. ibi vide. Dicit nunc igitur, Nimis tenere (hoc opponitur) & indulgenter illa me amat, nec impetro ut robuſtius: ad omnia mala mea collabitur: ergo ego mihi impero, ut me magis

ut me diligentius amem. Indulgendum eſt enim honeſtis affectibus: & interdum etiam ſi premunt cauſſæ, ſpiritus in honorem ſuorum vel cum tormento revocandus, & in ipſo ore retinendus eſt: cum bono viro vivendum ſit, non quamdiu juvat, ſed [4] quamdiu oportet. Ille qui non uxorem, non amicum tanti putat, ut diutius in vita commoretur, qui perſeverat mori, delicatus eſt. Hoc quoque imperet ſibi animus, ubi utilitas ſuorum exigit: nec tantum ſi vult mori, ſed ſi cœpit, intermittat, & ſuis ſe commodet. Ingentis animi eſt, aliena cauſſa ad vitam reverti: quod magni viri ſæpe fecerunt. Sed hoc quoque ſummæ humanitatis exiſtimo, ſenectutem ſuam, cujus maximus fructus eſt, ſecurior ſui tutela, & vitæ uſus animoſior, attentius conſervare, ſi ſcias alicui tuorum eſſe dulce, utile, optabile. Habet præterea in ſe non mediocre iſta res gaudium, & mercedem. quid enim jucundius, quam uxori tam carum eſſe, ut propter hoc tibi carior fias? Poteſt itaque Paulina mea non tantum [5] ſuum mihi timorem imputare, ſed etiam meum. Quæris ergo, quomodo mihi conſilium profectionis ceſſerit? Ut primum gravitatem urbis exceſſi, & illum odorem culinarum fumantium, quæ motæ quidquid peſtiferi vaporis obruerant, cum pulvere effundunt, protinus mutatam valetudinem ſenſi. Quantum deinde adjectum putas viribus, [6] poſtquam vineas attigi? in paſcuum emiſſus, cibum meum invaſi. [7] Repetivi ergo jam

curem atque amem, ne illam affligam. *Lipſius.*

4 *Quamdiu oportet*] Seneca de Benef. 2. cap. 18. *Sapientes, quidquid oportet, juvat.* Id eſt quidquid opportunum & εὔκαιρον eſt. Nam Cicero ita videtur reddere, ubi Cato Stoicus apud eum 3 de Finibus diſſerit: *Sape officium eſſe ſapientis, deſciſcere à vita, cum ſit beatiſſimus, ſi id opportune facere poſſit.* Et paullo ante, *Rectam effectionem, ſive τὸ κατόρθωμα,* ponit *in opportunitate: ſic enim appellare ſe dicit, εὐκαιρίαν.* Idem.

5 *Suum mihi timorem*] Acute. poteſt non ſolum hoc in expenſis mihi ferre, quod pro me timeat; ſed & quod ego. Nam ejus timor meum trahit, imo gignit. *Idem.*

6 *Poſtquam vineas attigi*] Quas colere, imo & fodere ſolebat. 3 Quæſt. Nat. cap. 7. *Idem.*

7 *Repetivi ergo jam me*] Recuperavi, & reperi quaſi amiſſum. Sum, qui ante fui. *Idem.*

8 *Male*.

Digitized by Google

jam me. non permanſit marcor ille corporis dubii, & [8] male cogitantis: incipio toto animo ſtudere. Non multum ad hoc locus confert, niſi ſe ſibi præſtet animus, qui ſecretum & in occupationibus mediis, ſi volet, habebit. At ille qui regiones eligit, & otium captat, ubique quo diſtringatur inveniet. Nam Socratem quærenti cuidam, quod nihil ſibi peregrinationes profuiſſent, reſpondiſſe ferunt: Non immerito hoc tibi evenit: tecum enim peregrinabaris. O quam bene cum quibuſdam ageretur, ſi à ſe aberrarent! Nunc primi ſeipſos ſollicitant, corrumpunt, territant. Quid prodeſt mare trajicere, & urbes mutare? ſi vis iſta, quibus urgeris, effugere, non alibi ſis oportet, ſed alius. Puta veniſſe te Athenas, puta Rhodon: elige arbitrio tuo civitatem: quid ad rem pertinet, quos illa mores habeat? tuos adferes. Divitias judicabis bonum? torquebit te paupertas, & (quod eſt miſerrimum) falſa. Quamvis enim multum poſſideas, tamen quia aliquis plus habet, tanto tibi videberis defici, quanto vinceris. Honores judicas bonum? male te habebit ille conſul factus, ille etiam refectus: ringeris, quoties aliquem in faſtis ſæpius legeris. Tantus erit ambitionis furor, ut nemo tibi poſt te videatur, ſi aliquis ante te fuerit. Maximum malum judicabis mortem: cum in illa nihil ſit mali, niſi, quod [9] ante ipſam eſt, timeri. Exterrebunt te non tantum pericula, ſed ſuſpiciones: vanis ſemper agitaberis. Quid enim proderit,

—— evaſiſſe tot urbes
Argolicas, medioſque fugam tenuiſſe per hoſtes?

Ipſa pax timores ſubminiſtrabit: ne tutis quidem habebitur fides, conſternata ſemel mente: quæ ubi conſuetudinem pavoris improvidi fecit, etiam ad tutelam ſalutis ſuæ inhabilis eſt. Non enim vitat, ſed fugit: magis autem periculis patemus averſi. Graviſſimum judicabis malum, aliquem

8 *Male cogitantis*] Bene meditabatur & minabatur febrim, ſed nondum erat. *Lipſius.*

9 *Ante ipſam eſt, timeri*] Non enim mors malum ſed ejus timor. *Idem.*

quem ex his quos amabis amittere: cum interim hoc tam ineptum erit, quam flere, quod arboribus amœnis & domum tuam ornantibus decidant folia. [10] Quidquid te delectat, æque viget, ut videras dum vireret. utique aliud alio die caſus excutiet. ſed quemadmodum [11] frondium jactura facilis eſt, quia renaſcuntur: ſic iſtorum quos amas, quoſque oblectamenta vitæ putas eſſe, damnum: [12] quia reparantur, etiam ſi non renaſcantur. Sed non erunt iidem. Ne tu quidem idem eris. omnis dies, omnis hora te mutat: ſed in aliis rapina facilius apparet: hic latet, quia non ex aperto fit. Alii auferuntur: at ipſi nobis furto ſubducimur. Horum nihil cogitabis, nec remedia vulneribus appones, ſed ipſe tibi ſeres ſolicitudinum cauſſas, alia ſperando, alia deſperando? Si ſapis, alterum alteri miſceas: nec ſperaveris ſine deſperatione, nec deſperaveris ſine ſpe. Quid per ſe prodeſſe peregrinatio cuiquam potuit? Non voluptates illa temperavit, non cupiditates refrænavit, non iras repreſſit, non indomitos amoris impetus fregit, nulla denique animo mala eduxit, non judicium dedit, non excuſſit errorem: ſed ut puerum ignota mirantem, ad breve tempus rerum aliqua novitate detinuit. Ceterum inconſtantiam mentis, quæ cum maxime ægra eſt, [13] laceſſit, mobiliorem lavioremque reddit ipſa jactatio. Itaque quæ petierant cupidiſ-

10 *Quidquid te delectat, æque viget*] Ut edidi, recta hæc cenſeo, certe adfinia ſcripturæ veteri. Senſus: Arbores quæ delectant, tam vigent & vivunt viduatæ foliis, quam cum virerent. Simile in amicis, qui alibi, etſi inconſpicui, vivunt. Sic Lipſius. Lege & relege quantum potes: poſteriorem ſimilitudinis partem, quam ſibi pie fingit ὁ πάνυ, in Seneca non deprehendes. Sed hanc adſtruxit, ut probaret illud ſuum, *æque viget*: quod quo magis conſidero, eo alienius hoc loco videtur. In ſcriptis eſt *videt* aut *viret*. Sententia magis placeat verbis ſic conceptis: *Quicquid te delectavit ac tenuit, ut videras, dum vireret, utique aliud alio die caſus excutiet.* Particula *ut* valet ſimul vel ſimul atque. Ut apud Virgilium: *ut vidi, ut perii.* Gronovius.

11 *Frondium jactura*] Hæc tota imago ab Homero eſt. qui nobilem illum verſum, & Pyrrhoni Philoſopho ſemper in ore, protulit:

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.
Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorum. Lipſius.

12 *Quia reparantur*] Iterum in vitam venient poſt ἐκπύρωσιν. Idem.

13 *Laceſſit, mobiliorem*] Pincianus, *laceſſitam*, velit: ego copula è ſine educta, *laceſſit, & mobiliorem*. Idem.

14 Quam

pidiſſime loca, cupidius deſerunt, & avium modo tranſvolant, citiuſque quam venerant, abeunt. Peregrinatio notitiam dabit gentium, novas tibi montium formas oſtendet, inuſitata ſpatia camporum, & irriguas perennibus aquis valles, & alicujus fluminis ſub obſervatione naturam: ſive, ut Nilus, æſtivo incremento tumet, ſive, ut Tigris, eripitur ex oculis, & acto per occulta curſu, integræ magnitudini redditur; ſive, ut Mæander, poëtarum omnium exercitatio & ludus, implicatur crebris anfractibus, & ſæpe in vicinum alveo ſuo admotus, antequam ſibi influat, flectitur; ceterum neque meliorem faciet, neque ſaniorem. Inter ſtudia verſandum eſt, & inter auctores ſapientiæ, ut quæſita diſcamus, nondum inventa quæramus. Sic eximendus animus ex miſerrima ſervitute, in libertatem aſſeritur. Quamdiu quidem neſcieris, quid fugiendum, quid petendum, quid neceſſarium, quid ſupervacuum, quid juſtum, quid honeſtum ſit: non erit hoc peregrinari, ſed errare. Nullam tibi opem feret iſte diſcurſus: peregrinaris enim cum affectibus tuis, & mala te tua ſequuntur. Utinam quidem ſequerentur! longius abeſſent: nunc fers illa, non ducis. Itaque ubique te premunt, & paribus incommodis urunt. Medicinà ægro, non regio, quærenda eſt. Fregit aliquis crus, aut extorſit articulum? non vehiculum navemque conſcendit, ſed advocat medicum, ut fracta pars jungatur, ut luxata in locum reponatur. Quid ergo? animum, tot locis fractum & extortum, credis locorum mutatione poſſe ſanari? majus eſt iſtud malum, [14] quam ut geſtatione

14. *Quam ut geſtatione curetur*] In eſſedo ſucceuſſione, quæ ſollenniter olim uſurpata, humoribus detrahendis, meatibus reſerandis, calori excitando. Scripſi epiſtolam ad Ortelium ſuper ea tota re, Centur. Miſc. 3. epiſt. 11. *Idem*. Proprie dicebantur *geſtari* cum ſuccollantibus ſervis valetudinis voluptatiſque cauſſa ferebantur. l. 12. ff. de uſu & habit. l. 7. ff. de man. vind. l. 16. §. 1. ff. quod vi aut clam. ſed ut hic videmus, ad alia etiam omnia commode transfertur, etiam ad navem. Ipſa etiam loca arboribus denſis opaca per quæ geſtari ſolebant, *geſtationes* dictas probat ex l. 17. ff. de uſufr. item Plinio lib. 1. Epiſt. ad Can. & lib. 2. ad Gallum. Briſſonius lib. 7. de verb. ſign.

ſtatione curetur. Peregrinatio non facit medicum, non oratorem: nulla ars loco diſcitur. Quid ergo? Sapientia rerum omnium maxima in itinere colligetur? Nullum, mihi crede, iter eſt, quod te extra cupiditates, extra iras, extra metus ſiſtat: aut ſi quod eſſet, agmine facto, gens illuc humana pergeret. Tamdiu iſta urgebunt mala, macerabuntque per terras ac maria vagum, quamdiu malorum geſtaris cauſſas. Fugam tibi non prodeſſe miraris? tecum ſunt quæ fugis. Te igitur emenda, onera tibi detrahe & deſideria: ſaltem intra modum contine. Omnem ex animo erade nequitiam. ſi vis peregrinationes habere jucundas, tuum comitem ſana. Hærebit tibi avaritia, quamdiu avaro ſordidoque convixeris: hærebit tumor, quamdiu cum ſuperbo converſaberis: numquam ſævitiam in tortoris contubernio pones: incendent libidines tuas adulterorum ſodalitia. Si velis vitiis exui, longe à vitiorum exemplis recedendum eſt. Avarus, corruptor, ſævus, fraudulentus, multum nocituri ſi prope à te fuiſſent, intra te ſunt. Ad meliores tranſi. cum Catonibus vive, cum Lælio, cum Tuberone: quod ſi convivere etiam Græcis juvat, cum Socrate, cum Zenone verſare. Alter te docebit mori, ſi neceſſe erit: [15] alter antequam neceſſe erit. Vive cum Chryſippo, cum Poſidonio. Hi tibi tradent divinorum humanorumque notitiam. hi jubebunt in opere eſſe: nec tantum ſcite loqui, & in oblectationem audientium verba jactare, ſed animum indurare, & adverſus minas erigere. Unus eſt enim hujus vitæ fluctuantis & turbidæ portus, eventura contemnere, [16] ſtare fidenter, aperte tela fortunæ adverſo pectore excipere,

15 *Alter antequam neceſſe*] Nam Zeno ſine morbo, ſibi manus intulit: & id fas juſque ſapienti eſſe, inter dogmata prodiderat. Vide Manuduct. 3. Diſſ. 22. *Lipſius.*

16 *Stare fidenter, aperte tela fortunæ*] Ita Pincianus, ſed non ſatisfacit illud, *aperte.* Vetus omnis noſtra lectio, *ad portum.* An, *ad portam:* quaſi paratum egredi? an potius, *ac promptum?* Idem. In omnibus libris pro *aperte* legitur, *ad portum.* Unde Lipſius, *ad portam:* vel, *ac promtum.* Pontanus, *ad proram.* Videtur potius: *ſtare fidenter ac rectum, tela fortunæ adverſo pectore accipere.* Hoc enim indicium invicti animi. Epiſt. 37. *recte tibi invictoque moriendum eſt.* De Providentia, cap. 2. *Stantem*

Digitized by Google

pere, non latitantem, nec tergiverſantem. Magnanimos nos natura produxit: & ut quibuſdam animalibus ferum dedit, quibuſdam ſubdolum, quibuſdam pavidum, ita nobis glorioſum & excelſum ſpiritum, quærentem ubi honeſtiſſime, non ubi tutiſſime vivat; [17] ſimillimum mundo: quem quantum mortalibus paſſibus licet, ſequitur æmulaturque. Profert ſe, [18] laudari & adſpici credit. Dominus omnium eſt, ſupra omnia eſt. itaque nulli ſe rei ſubmittit: nihil illi videtur grave, nihil aſperum, quod virum incurvet.

Terribiles viſu formæ, letumque laboſque:

minime quidem, ſi quis rectis oculis intueri illa poſſit, & tenebras perrumpere. Multa per noctem habita terrori, dies vertit ad riſum.

Terribiles viſu formæ, letumquè laboſque.

egregie Virgilius noſter. Non re dixit terribiles eſſe, ſed viſu: id eſt, videri, non eſſe. Quid, inquam, in iſtis eſt tam formidabile, quam fama vulgavit? Quid eſt, obſecro te, Lucili, cur timeat laborem vir, mortem homo? Totiens mihi occurrunt iſti, qui non putant fieri poſſe quidquid facere non poſſunt, & aiunt hos loqui majora, quam quæ natura humana ſuſtineat. At quanto ego de illis melius exiſtimo? ipſi quoque hæc poſſunt facere, ſed nolunt. Denique quem umquam iſta deſtituêre tentantem? cui non faciliora apparuere in actu? Non quia difficilia ſunt, non audemus: ſed quia non audemus, difficilia ſunt. Si tamen exemplum deſideratis, accipite

Stantem nihilominus inter ruinas publicas rectum. Ibidem cap. 3. *Fortuna contumaciſſimum quemque ac rectiſſimum aggreditur.* Gronovius.

17 *Simillimum mundo*] Id eſt, cælo atque ætheri. Nam & hoc mundus: & è cælo noſter ſpiritus; ut Stoici. *Lipſ.*

18 *Laudari & adſpici credit*] Pincianus, *geſtit*: Gruterus, *quærit*, cui aſſentior. *Idem.* Potior eſt vetus lectio, hoc ſenſu: ita agit, ut illi, qui in opere laudibus & conſpectu eorum, quos reverentur aut quibus ſe venditant, animantur: exiſtimat ſibi theatrum eſſe & in ſe plurimorum oculos converſos. Cæſar lib. 3 de Gall. *reliquum erat certamen poſitum in virtute, qua noſtri milites facile ſuperabant: atque eo magis quod in conſpectu Cæſaris atque omnis exercitus res gerebatur:* Curtius l. 9. *ubicumque pugnabo, in theatro terrarum orbis eſſe me credam.* Gronovius.

cipite Socratem [19] perpeſſitium ſenem, per omnia aſpera jactatum, invictum tamen & paupertate, quam graviorem illi domeſtica onera faciebant; & laboribus, quos militares quoque pertulit, & quibus ille domi exercitus. ſive uxorem ejus ſpectes moribus feram, lingua petulantem; ſive liberos indociles, & matri quam patri ſimiliores. Sic fere aut in bello fuit, aut in tyrannide, aut in libertate, bellis ac tyrannis ſæviore. [20] Viginti & ſeptem annis pugnatum eſt: poſt finita arma, [21] triginta tyrannis noxæ dedita eſt civitas, ex quibus plerique inimici erant. Noviſſima damnatio eſt [22] ſub graviſſimis nominibus impleta. objecta eſt & religionum violatio, & [23] juventutis corruptela, quam immittere in deos, in patres, in remp. dictus eſt: poſt hæc carcer, & venenum. Hæc uſque eo animum Socratis non moverunt, ut ne vultum quidem moverint. Illam mirabilem laudem, & ſingularem, uſque ad extremum ſervavit: non hilariorem quiſquam, non triſtiorem Socratem vidit: æqualis fuit in tanta inæqualitate fortunæ. Vis alterum exemplum? accipe hunc M. Catonem recentiorem, cum quo & infeſtius fortuna egit, & pertinacius. Cui cum omnibus locis obſtitiſſet, noviſſime & in morte: oſtendit tamen virum fortem poſſe invita fortuna vivere, invita mori. Tota illi ætas aut in armis eſt exacta civilibus, [24] aut in ætate concipiente jam civile bellum. Et hunc licet dicas non minus, quam Socratem, in ſervitute vixiſſe: niſi forte Cn. Pompeium, & Cæſarem, & Craſſum putas libertatis ſocios fuiſſe.

19 *Perpeſſicium ſenem*] Eadem vox in epiſt. 53. Vide. *Lipſius*.

20 *Viginti & ſeptem*] Tot annos, & aliquot menſes, duravit bellum Peloponneſiacum. Thucydides, atque alii. *Idem*.

21 *Triginta tyrannis*] Quos Lyſander Athenis impoſuit. Adde de Tranquill. c. 3. *Idem*.

22 *Sub graviſſimis hominibus*] Muretus edidit, *criminibus*: pronum erat & verum, *nominibus*. Idem.

23 *Juventutis corruptela*] Tertullianus Apolog. 1. *Lego partem ſententiæ Atticæ in Socratem, corruptorem adoleſcentium, pronunciatam*. Plato in Apolog. Laërtius, alii. *Idem*.

24 *Aut in ætate concipiente jam civile bellum*] Membranæ cum Tarviſina: *aut intacta concipiente*. An fuit: *aut in armis eſt exacta civilibus, aut in pace concipiente jam civile bellum*. Gronov.

25 *Illinc*

ſe. Nemo mutatum Catonem, toties mutata rep. vidit: eumdem ſe in omni ſtatu præſtitit. In prætura, in repulſa, in accuſatione, in provincia, in concione, in exercitu, in morte, denique in illa reip. trepidatione, cum illinc Cæſar eſſet decem legionibus pugnaciſſimis ſubnixus, tot externarum gentium præſidiis hinc Cn. Pompeius, ſatis unus adverſus omnia. Cum alii ad Cæſarem inclinarent, alii ad Pompeium, ſolus Cato fecit aliquas & reip. partes. Si animo complecti volueris illius imaginem temporis, videbis [25] illinc plebem & omnem erectum ad res novas vulgum: [26] hinc optimates & equeſtrem ordinem, quidquid erat in civitate ſancti & lecti: duos in medio relictos, Remp. & Catonem. Miraberis, inquam, cum animadverteris

Atridem, Priamumque, & ſævum ambobus Achillem.

Utrumque enim improbat, utrumque exarmat. Hanc fert de utroque ſententiam. Ait ſe, ſi Cæſar vicerit, moriturum: ſi Pompeius, exſulaturum. Quid habebat quod timeret, qui ea ſibi & victo & victori conſtituerat, quæ conſtituta eſſe ab hoſtibus iratiſſimis poterant? Periit itaque ex decreto ſuo. Vides poſſe homines labores pati? [27] per medias Africæ ſolitudines pedes duxit exercitum. Vides poſſe tolerare ſitim? & in collibus arentibus, ſine ullis impedimentis victi exercitus reliquias trahens, inopiam humoris loricatus tulit: & quoties aquæ fuerat occaſio, [28] noviſſimus bibit. Vides honorem & notam poſſe contemni? eodem quo repulſus eſt die, in comitio [29] pila luſit. Vides poſſe non timeri potentiam ſuperiorum? & Pompeium & Cæſarem, quorum nemo alterum offendere audebat, niſi ut alterum demereretur, ſimul provocavit. Vides tam mortem

25 *Illinc plebem*] A Cæſare. *Lipſius.*

26 *Hinc optimates*] A Pompeo. *Idem.*

27 *Per medias Africæ ſolitudines*] A Cyrenis in Mauritaniam contendit. Plutarchus, & maxime Lucanus graphice iter, atque ejus incommoda, exſequitur. *Idem.*

28 *Noviſſimus bibit*] Idem Lucanus:

Ultimus hauſtor aquæ; cum tandem fonte reperto
Indiga conatur latices potare juventus,
Stat, dum lixa bibat. Idem.

29 *Pila luſit*] Vide epiſt. 71. *Idem.*

30 Au-

tem poſſe contemni quam exſilium? & exſilium ſibi indixit & mortem, & interim bellum. Poſſumus itaque adverſus iſta tantum habere animi: libeat modo ſubducere jugo collum. In primis autem deſpuendæ ſunt voluptates: enervant, & effeminant, & multum petunt. multum autem à fortuna petendum eſt. Deindè ſpernendæ opes: [31] auctoramenta ſunt ſervitutum. Aurum & argentum, & quidquid aliud felices domos onerat, relinquatur. non poteſt gratis conſtare libertas. Hanc ſi magno æſtimas, omnia parvo æſtimanda ſunt.

EPIST. CV.

Brevia, ſed utilia, præcepta ad Securitatem. Lege, & uſurpa.

QUæ obſervanda tibi ſint, ut tutior vivas, dicam. Tu tamen ſic audias cenſeo iſta præcepta, quomodo ſi tibi præciperem, qua ratione bonam valetudinem [1] in Ardeatino tuereris. Conſidera, quæ ſint quæ hominem in perniciem hominis inſtigent: invenies ſpem, invidiam, odium, metum, contemptum. Ex omnibus iſtis, adeo leviſſimum eſt contemptus, ut [2] multi in illo remedii cauſſa delituerint. Quem quis contemnit, calcat ſine dubio, ſed tranſit. Nemo homini contempto, pertinaciter, nemo diligenter nocet. Etiam in acie jacens præteritur: cum ſtante pugnatur. Spem improborum vitabis, ſi nihil habueris quod cupiditatem alienam [3] & improbam irritet, ſi nihil inſigne poſſederis. Concupiſcuntur enim inſignia, etiam ſi parum nota ſunt. Sic vero invidiam effugies, ſi te non ingeſſeris oculis, ſi bona

31 *Auctoramenta ſunt*] Id eſt, præmia, quibus vendimus libertatem, imus in ſervitutem. *Lipſius.*

EPIST. CV. 1 *In Ardeatino*] In illo igitur tractu Latii aer, ut apparet, non bonus aut ſaluber: neque nunc puto eſſe. *Idem.*

2 *Multi in illo remedii cauſſa*] Ut olim ille Brutus, liberator urbis. de quo Livius: *Neque in animo ſuo quidquam regi timendum, neque in fortuna concupiſcendum relinquere ſtatuit, contemptuque tutus eſſe, ubi in jure parum præſidii eſſet.* Idem.

3 *Et improbam irritet*] Vellem, *improbitatem.* Idem.

4 *Popu-*

ſi bona tua non jactaveris, ſi ſcieris in ſinu gaudere. Odium autem ex offenſa ſic vitabis, neminem laceſſendo gratuito: à quo te ſenſus communis tuebitur. fuit enim hoc multis periculoſum. Quidam odium habuerunt, nec inimicum. Illud, ne timearis, præſtabit tibi & fortunæ mediocritas, & ingenii lenitas: cum te eſſe homines ſcient, quem offendere ſine periculo poſſint. Reconciliatio tua & facilis ſit, & certa. Timeri autem tam domi moleſtum eſt, quam foris: tam à ſervis, quam à liberis. Nulli non ad nocendum ſatis virium eſt. Adjice nunc, quod, qui timetur, timet. nemo potuit terribilis eſſe ſecure. Contemptus ſupereſt: cujus modum in ſua poteſtate habet, qui illum ſibi adjunxit: qui contemnitur, quia voluit, non quia debuit. Hujus incommodum & artes bonæ diſcutiunt, & amicitiæ eorum, qui apud aliquem potentem potentes ſunt. quibus applicari expediet, non implicari: ne pluris remedium, quam periculum conſtet. Nihil tamen æque proderit, quam quieſcere, & minimum cum aliis loqui, plurimum ſecum. Eſt quædam dulcedo ſermonis, quæ irrepit, & blanditur, & non aliter quam ebrietas aut amor ſecreta producit. Nemo quod audierit tacebit: nemo quantum audierit, loquetur. Qui rem non tacuerit, non tacebit auctorem. Habet unuſquiſque aliquem cui tantum credit, quantum ipſi creditum eſt: ut garrulitatem ſuam cuſtodiat, & contentus ſit unius auribus, [4] populum faciet. Sic quod modo ſecretum erat, rumor eſt. Securitatis magna portio eſt, nihil iniqui facere. Confuſam vitam & perturbatam impotentes agunt: tantum metuunt, quantum nocent: nec ullo tempore vacant. Trepidant enim cum fecerunt, hærent, conſcientia aliud agere non patitur, [5] ac ſubinde reſpondere ad ſe cogit.

4 *Populum faciet*] Id eſt, etiamſi uni rem dixerit; ille porro uni, hic alteri, alterique: & ita populus ſciet. Ipſam rem dicit, mihi claram: & demiror, quid ita corrigi, *poculum*, Pincianus voluerit. *Lipſius.*

5 *Ac ſubinde reſpicere ad ſe cogit*] Membranæ & quinque Pall. cum edd. vett. *reſpondere.* Quod profecto reſpuendum non eſt. Intelligit enim conſcientiam ſuggerentem. Quid feci? quid fiet? quid patiar? Epiſt. 111. *Omne*

git. Dat pœnas, quiſquis exſpectat! quiſquis autem meruit, exſpectat. [6] Tutum aliqua res in mala conſcientia præſtat, nulla ſecurum. putat enim ſe, etiam ſi non deprehenditur, poſſe deprehendi: & inter ſomnos movetur, & quoties alicujus ſcelus loquitur, de ſuo cogitat. Non ſatis illi obliteratum videtur, non ſatis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, numquam fiduciam.

Epist. CVI.

Tenuis & Chryſippæa quæſtio, An Bonum ſit corpus? In extremo aliquid contra argutias.

TArdius reſcribo ad epiſtolas tuas. non quia diſtrictus occupationibus ſum: hanc excuſationem cave audias: vaco, & omnes qui volunt, vacant. Neminem res ſequuntur: ipſi illas amplexantur, & argumentum eſſe felicitatis occupationem putant. Quid ergo fuit, quare [1] non protinus reſcriberem ei, de quo quærebas? Veniebat in contextum operis mei: [2] ſcis enim me moralem philoſophiam velle complecti, & omnes ad eam pertinentes quæſtiones explicare. Itaque dubitavi utrum differrem te, an, donec ſuus iſti rei veniret locus, jus tibi extra ordinem dicerem: humanius viſum eſt, [3] tam longe venientem non detinere. Itaque & hoc ex illa ſerie rerum cohærentium excerpam, & ſi qua erunt hujuſmodi, non quærenti tibi ultro

Omne rationale animal nihil agit, niſi primum ſpecie alicujus rei irritatum eſt; deinde impetum cepit, deinde adſenſio confirmavit hunc impetum. Quid ſit adſenſio, dicam. Oportet me ambulare: tum demum ambulo, cum hoc mihi dixi, & approbavi hanc opinionem meam. Hoc modo & reſpondemus nobis, ut dicimus. *Gronovius.*

6 *Tutum aliqua res*] Vide in ep. 97. *Lipſius.*

Epist. CVI. 1 *Non protinus reſcriberem tibi de quo quærebas*] Sic ex uno Pinciani codice Muretus. Cæteri & Eraſmus & quinque Pall. *reſcriberem ei.* Non video quare *reſcribere alicui rei* minus ſit tolerabile quam *ad rem.* Itaque innovantem illum unum librum non audio. M. Seneca præfat. 3 excerpt. *Illius orationes non legunt, niſi eas, quibus Ceſtius reſcripſit.* Gronovius.

2 *Scis enim me moralem*] Scripſit libros eo titulo: heu, ubi ſunt? Lactantius nominat, & dixi in Vita. *Lipſius.*

3 *Tam longe venientem*] E Sicilia ſcribentem. *Idem.*

4 *Re-*

Digitized by Google

tro mittam. Quæ ſint hæc, interrogas? Quæ ſcire magis juvat, quam prodeſt: ſicut hoc de quo quæris, an bonum corpus ſit. Bonum prodeſt: facit enim: quod facit, corpus eſt: bonum, agitat animum, & quodammodo format & continet: quæ ergo propria ſunt corporis, ea corporis bona ſunt: corpora ergo ſunt, & quæ animi ſunt. nam & hic corpus eſt. bonum hominis neceſſe eſt corpus ſit, cum ipſe corporalis. Mentior, niſi & quæ alunt illud, & quæ valetudinem ejus vel cuſtodiunt vel reſtituunt, corpora ſunt: ergo & bonum ejus corpus eſt. Non puto te dubitaturum, an affectus corpora ſint, ut aliud quoque de quo non quæris, inſulciam: tanquam ira, amor, triſtitia. ſi dubitas, vide an vultum nobis mutent, an frontem adſtringant, an faciem diffundant, an ruborem evocent, an fugent ſanguinem. Quid ergo? tam manifeſtas corpori notas credis imprimi, niſi à corpore? Si affectus corpora ſunt, & morbi animorum, & avaritia, crudelitas, indurata vitia, & in ſtatum inemendabilem adducta: ergo & malitia, & ſpecies ejus omnes, malignitas, invidia, ſuperbia. Ergo & bona. primum quia contraria iſtis ſunt: deinde, quia eadem tibi indicia præſtabunt. An non vides, quantum oculis det vigorem fortitudo? quantam intentionem prudentia? quantam modeſtiam & quietem reverentia? quantam ſerenitatem lætitia? quantum rigorem ſeveritas? quantam [a] remiſſionem veritas? Corpora ergo ſunt, quæ colorem habitumque corporum mutant, quæ in illis regnum ſuum exercent. Omnes autem quas retuli virtutes, bona ſunt, & quidquid ex illis eſt. Numquid eſt dubium, an id quo quid tangi poteſt, corpus ſit?

Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res,

ut ait Lucretius.

Omnia autem iſta quæ dixi, non mutarent corpus, niſi tangerent:

a *Remiſſionem veritas*] Animus ſimplex & apertus, non ſe cuſtodiens. Muretus, *hilaritas*, fecerat contra omnes libros: & certe præivit jam *lætitia*. Lipſius.

gerent: ergo corpora ſunt. Etiamnum, cui tanta vis eſt, ut impellat & cogat & retineat & jubeat, corpus eſt. Quid ergo? Non timor retinet? non audacia impellit? non fortitudo immittit, & impetum dat? non moderatio refrænat ac revocat? non gaudium extollit? non triſtitia adducit? Denique quidquid facimus, aut malitiæ, aut virtutis gerimus imperio: quod imperat corpori, corpus eſt: quod vim corpori affert, corpus. Bonum corporis corporale eſt: bonum hominis, & corporis bonum eſt: itaque corporale eſt. Quoniam, ut voluiſti, morem geſſi tibi, nunc ipſe dicam mihi, quod dicturum eſſe te video. Latrunculis ludimus: in ſupervacuis ſubtilitas teritur. non faciunt bonos iſta, ſed doctos. Apertior res eſt, ſapere: imo ſimplicior. paucis opus eſt ad mentem bonam litteris. Sed nos ut cetera in ſupervacuum diffundimus, ita philoſophiam ipſam. Quemadmodum omnium rerum, ſic litterarum quoque intemperantia laboramus: non vitæ, ſed ſcholæ diſcimus.

EPIST. CVII.

Solatur Lucilium & erigit, in fuga ſervorum. Iſta & alia in vitam incidere: ideoque non inopinata eſſe debere. Patere igitur, quod non emendas. Bona & ſapiens Epiſtola.

UBi illa prudentia tua? ubi in diſpiciendis rebus ſubtilitas? ubi magnitudo? Tam puſilla te angunt? ſervi occupationes tuas, occaſionem fugæ putaverunt. Si amici deciperent ([1] habeant enim ſane nomen, quod illis [2] Epicurus noſter impoſuit, & ita vocentur) [3] quo turpius non ſint

EPIST. CVII. 1 *Habeant enim ſane nomen*] Nam Stoici aliter, qui volunt ſolos Sapientes inter ſe amicos eſſe; reliquos, magis *Socios*, & utilitate aliqua junctos, quam Amicos. *Lipſius.*

2 *Epicurus noſter*] Ideo, *noſter*, quia ad Lucilium ſcribit: quem ſupra etiam notabamus in ſecta illa fuiſſe. Epicurus autem Amicos ſola utilitate cenſet, & parari vult διὰ τὰς χρείας *ob uſus: ſicut & terram ſerimus ob fructus.* Laertius: & adde ſupra, ep. 9. *Idem.*

3 *Quo turpius non ſint*] Valde hæc confuſa. Fortaſſe: *quid? turbandiſne ſint omnibus rebus tuis?* Non dico ſi ſervi fugiant, ſed ſi Amici illi vulgares (veri non poſſunt) deſerant: ideone angare,

ſint omnibus rebus tuis, deſint illi, qui & operam tuam conterebant, & te aliis [4] moleſtum eſſe credebant. Nihil horum inſolitum, nihil inexſpectatum eſt. Offendi rebus iſtis tam ridiculum eſt, quam queri, quòd ſpargaris in publico, aut inquineris in luto. Eadem vitæ conditio eſt, quæ balnei, turbæ, itineris: [5] quædam intermittentur, quædam incident. Non eſt delicata res, vivere. Longam viam ingreſſus es: & labaris oportet, & arietes, & cadas, & laſſeris, & exclames, [6] O mors; id eſt, mentiaris. Alio loco comitem relinques, alio efferes, alio timebis. Per ejuſmodi offenſas emetiendum eſt confragoſum hoc iter. Mori me vult? præparetur animus contra omnia. Sciat ſe veniſſe, [7] ubi patiatur fulmen; ſciat ſe veniſſe, ubi

Luctus & ultrices poſuere cubilia curæ,
Pallenteſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus.

In hoc contubernio vita degenda eſt. Effugere iſta non potes, contemnere potes: contemnes autem, ſi ſæpe cogitaveris, & futura præſumpſeris. Nemo non fortius ad id cui ſe diu compoſuerat, acceſſit, & duris quoque, ſi præmeditata erant, obſtitit. At contra imparatus, etiam leviſſima expavit. Id agendum eſt, ne quid nobis inopinatum ſit: & quia omnia novitate graviora ſunt, hæc cogitatio aſſidua præſtabit, ut nulli ſis malo tiro. Servi te reliquerunt. Alium compilaverunt, alium accuſaverunt, alium occiderunt,

angare, & res tuas turbatas rationeſque putes? Pincianus aut Muretus faciebant: *quota pars abeſſet rebus tuis?* Lipſius.

4 *Moleſtum eſſe credebant*] Sic omnes libri: at Muretus. *moleſtum reddebant.* Haud male, pro ſenſu: pro vero putem, *te aliis moleſtum & ſe reddebant.* Ipſi importuni, & te faciebant: dum protrahi & commendari volunt, & ſpes ſuas te juvante impleri. *Idem.*

5 *Quædam intermittentur*] Fallor, aut, *immittentur*, verius: ſive, *in te mittentur.* Alii conſilio lædent, & te petent; alii & alia caſu. *Idem.*

6 *O mors, id eſt, mentiaris*] Argute hoc Muretus. Nam optant mortem, ſed ore: mens abhorret, & fugiat adventantem. Libri tamen quidam, *mentiaris:* nec male, ſi: *id eſt, emetiaris.* Hic finis & meta erit viæ, & mortem clamabis, & habebis. Certe hic viantium imago. *Idem.*

7 *Ubi patiatur fulmen*] Ita meus & plures ſcripti. at alii: *ubi tonat fulmen.* E quibus Jac. Lectius acute: *ubi tonat, & fulminat.* Equidem è priore illa lectione nihil concinno. niſi placet: *ubi glaciat, ubi fulminat.* Idem,

8 *Acci-*

runt, alium prodiderunt, alium calcaverunt, alium veneno, alium criminatione petierunt. Quidquid dixeris, multis [8] accidit. Deinceps quæ multa & varia ſunt, in nos diriguntur. [9] Quædam in nos fixa ſunt, quædam vibrant, & cummaxime veniunt, quædam ad alios perventura [10] nos ſtringunt. Nihil miremur eorum ad quæ nati ſumus: quæ ideo nulli querenda, quia paria ſunt omnibus. Itą dico paria ſunt. nam etiam quod effugit aliquis, pati potuit. Æquum autem jus eſt, [11] non quo omnes uſi ſunt, ſed quod omnibus latum eſt. Imperetur æquitas animo, & ſine querela mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora adducit: algendum eſt. æſtas calores refert: æſtuandum eſt. intemperies cæli valetudinem tentat: ægrotandum eſt. Et fera nobis loco occurret, & homo pernicioſior feris omnibus. Aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non poſſumus: id poſſumus, magnum ſumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ conſentiamus. Natura autem hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. Nubilo ſerena ſuccedunt: turbantur maria, cum quieverunt: flant invicem venti: noctem dies ſequitur: pars cæli conſurgit, pars mergitur: contrariis rerum æternitas conſtat. Ad hanc legem animus noſter aptandus eſt: hanc ſequatur, huic pareat; & quæcumque fiunt, debuiſſe fieri putet: nec velit objurgare naturam. Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis: & [12] Deum, quo auctore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui imperatorem gemens ſequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec

8 *Accidit. Deinceps*] Corrupta. Forte, *accidit, & accidet deinceps. Quam multa & varia in nos diriguntur?* Vel, *varia ſunt, quæ in nos.* Lipſius.

9 *Quædam in nos fixa*] Legam, *in oſſibus fixa:* vel certe, *in nobis.* Idem.

10 *Nos ſtringunt*] Libant nos leviter, ſed alibi ſedent & feriunt. Per noſtrum latus, alius læditur. *Idem.*

11 *Non quo omnes uſi ſunt*] Mallem, *uſuri ſunt.* Idem.

12 *Deum, quo auctore*] Hoc enim Stoïci capitale dogma habebant, & finem ſtatuebant, Naturam, id eſt Deum ſequi. Vide Manuduct. 2. Diſſert. 19. *Idem.*

13 *Cice-*

nec deſeramus hunc operis pulcherrimi curſum, cui quidquid patimur, intextum eſt: & ſic alloquamur Jovem, cujus gubernaculo moles iſta dirigitur, quemadmodum Cleanthes noſter verſibus diſertiſſimis alloquitur. quos mihi in noſtrum ſermonem mutare permittitur, Ciceronis viri diſertiſſimi exemplo. Si placuerint, boni conſules: ſi diſplicuerint, ſcies me in hoc ſecutum [13] Ciceronis exemplum.

> [14] *Duc me parens, celſique dominator poli,*
> *Quocumque placuit. nulla parendi mora eſt.*
> *Aſſum impiger. fac nolle. comitabor gemens:*
> *Maluſque patiar, quod pati licuit bono.*
> [15] *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*

Sic vivamus, ſic loquamur. paratos nos inveniat atque impigros fatum. Hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradidit: at contra ille puſillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi male exiſtimat, & [16] emendare mavult deos, quam ſe.

EPIST. CVIII.

Quomodo Philoſophi legendi, vel audiendi ſint? Cum dilectu, & ea maxime excerpenda & imbibenda, quæ faciunt vitæ. Oblectamenta qui quærunt, fruſtra ſunt: tu emendationem. Nec id difficile. Natura enim ipſa vocat ad Honeſtum. Semina ejus & fomites in animo noſtro ſunt: ſurgunt & excitantur, cum doctor & irritator acceſſit. A ſuo exemplo, cum apud Attalum diſceret. Oſtendit deinde, vario fine atque animo ad auctores

13 *Ciceronis exemplum*] Quem eloquentia ſua (ait Seneca pater) in carminibus deſtituit: Præfat. lib. 3 Controv. *Lipſius.*

14 *Duc me parens*] Quidam, *Duc ô parens.* Ipſi Græci verſus ſunt in Epicteti Enchiridio, in fine; ſane egregii & pii, & Cleanthe illo digni.

Ἄγε δέ μ᾽ ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ᾽ ἡ Πεπρωμένη,
Ὅποι ποθ᾽ ὑμῖν εἰμι διατεταγμένος.
Ὡς ἕψομαί γ᾽ ἄοκνος. ἢν δὲ μὴ θέλω,
Κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.
Idem.

15 *Ducunt volentem fata*] Non eſt in Græcis hic verſus: & puto inſiticium eſſe, atque alibi lectum. *Idem.*

16 *Emendare mavult*] Carpit divina & providentiam; alia illa eſſe velit magis, quam ſe alium. *Idem.*

ctores legendos veniri: nos autem debere illo Philoſophi. Pareamus: & legite atque audite vos ô Philologi.

ID de quo quæris, ex his eſt, quæ ſcire, tantum eo, ut ſcias, pertinet. Sed nihilominus [1] quia pertinet, pertinaciter properas, nec vis exſpectare libros, quos cummaxime ordino continentes totam moralem philoſophiæ partem, ſtatim expediam. Illud tamen prius ſcribam, quemadmodum tibi iſta cupiditas diſcendi, qua flagrare te video, dirigenda ſit, ne ipſa ſe impediat. Nec paſſim carpenda ſunt, nec avide invadenda univerſa: per partes pervenitur ad totum. Aptari onus viribus debet: nec plus occupari, quam cui ſufficere poſſumus. Non quantum vis, ſed quantum capis, hauriendum eſt. bonum tantum habe animum: capies, quantum voles. Quo plus recipit animus, hoc ſe magis laxat. Hæc nobis præcipere [2] Attalum memini, cum ſcholam ejus obſideremus, & primi veniremus, & noviſſimi exiremus: ambulantem quoque illum ad aliquas diſputationes evocaremus, non tantum paratum diſcentibus, ſed obvium. [3] Idem, inquit, & docenti, & diſcenti debet eſſe propoſitum: ut ille prodeſſe velit, hic proficere. Qui ad philoſophorum ſcholas venit, quotidie ſecum aliquid boni ferat: aut ſanior domum redeat, aut ſanabilior. Redibit autem. ea enim philoſophiæ vis eſt, ut non ſolum ſtudentes, ſed etiam converſantes juvet: [4] Qui in ſolem venit,

EPIST. CVIII. 1 *Quia pertinet, pertinaciter properas*] Dixerat Pincianus habere quoſdam codices illud *pertinaciter*: ergo properavit ſic edere Muretus. At nec Eraſmi aut vetuſtiores edd. nec quinque Pall. nec mihi viſus, literam unam illius vocis exhibuerunt, & ſenſui officit. Neque opus eſt magna intentione, ut videas totam periodum hanc eſſe luxatam. Eraſmus & veteres libri, *quia pertinet properas.* Scribe: *ſed nihilominus quia pertinet & properas, nec vis exſpectare.* Rubenius etiam τὸ *pertinet* expungebat, tanquam ex ſuperiore verſu male à librario iteratum. *Gronovius.*

2 *Attalum memini*] De quo pater in Suaſoria 2. *Attalus Stoicus, qui ſolum vertit à Sejano circumſcriptus, magnæ vir eloquentiæ; ex philoſophis, quos noſtra ætas vidit, longe & ſubtiliſſimus & facundiſſimus.* Alibi noſter nominat, laudatque. *Lipſius.*

3 *Idem, inquit, & docenti*] Imo non *idem*, ſed *id* verius legas. *Idem.*

4 *Qui in ſolem venit*] Memini in Cice-

Digitized by Google

nit, licet non in hoc venerit, colorabitur: qui in unguentaria taberna reſederunt, & paulo diutius commorati ſunt, odorem ſecum loci ferunt: & qui apud philoſophum fuerunt, traxerint aliquid neceſſe eſt, quod prodeſſet etiam negligentibus. Attende quid dicam: negligentibus, non repugnantibus. Quid ergo? non novimus quoſdam, qui multis apud philoſophum annis perſederint, & ne colorem quidem duxerint? Quid ni noverim? pertinaciſſimos quidem, & aſſiduos: quos ego non diſcipulos philoſophorum, [5] ſed inquilinos voco. Quidam veniunt ut audiant, non ut diſcant: ſicut in theatrum voluptatis cauſſa ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philoſophi ſchola diverſorium otii ſit. Non id agunt ut aliqua illic vitia deponant, ut aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores ſuos exigant, ſed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen & [6] cum pugillaribus veniunt, non ut res excipiant, ſed verba: quæ tam ſine profectu alieno diſcant, quam ſine ſuo audiant. Quidam ad magnificas voces excitantur, & tranſeunt in affectum dicentium, alacres vultu & animo: nec aliter concitantur, quam ſolent [7] Phrygii tibicinis ſono [8] ſemiviri, & [9] ex imperio furentes. Rapit illos inſtigatque rerum pulcritudo, non verborum inanium ſonitus. Si quid acriter contra mortem dictum eſt, ſi quid contra fortunam contumaciter, juvat protinus quæ audias facere.

Ciceronis alibi (niſi fallor, de Oratore Dialogis) hanc ſimilitudinem eſſe. *Lipſius.*

5 *Sed inquilinos voco*] Qui velut habitent ibi, ſed in alieno: & ideo nec afficiuntur, nec proficiunt. *Idem.*

6 *Cum pugillaribus*] At mira edictio, & cui tamen ſua ratio, Zenonis Stoici: Τὸν ἀκούοντα οὕτω πρὸς τοῖς λεγομένοις γίνεσθαι δεῖν, ὥστε μὴ λαμβάνειν χρόνον εἰς τὴν ἀποσημείωσιν. *Auditorem philoſophi ſic affici debere, & dictu intentum eſſe, ut nec otium habeat ad excerpta aut ſubnotationes.* Idem.

7 *Phrygii tibicinis ſono*] Lucianus in Nigrino: Ὥσπερ γὰρ οἱ τοῦ Φρυγίου αὐλοῦ ἀκούοντες, οὐ πάντες μαίνονται, ἀλλ' ὁπόσοι αὐτῶν τῇ Ῥέᾳ λαμβάνονται, οὗτοι δὲ πρὸς τὸ μέλος ὑπομιμνήσκονται τοῦ πάθους. *Sicut Phrygia tibia ſonum qui audiunt, non omnes in furorem aguntur; ſed qui Rheæ ſacrati addictique ſunt, illi reminiſcuntur eo ſigno affectus.* Idem.

8 *Semiviri*] Galli. *Idem.*

9 *Ex imperio furentes*] Imperio Archigalli, & qui ſignum jubet dari. *Idem.*

facere. Afficiuntur illi: & ſint quales jubentur, ſi illa animo forma permaneat, ſi non impetum inſignem protinus populus honeſti diſſuaſor excipiat. Pauci illam, quam conceperant, mentem domum perferre potuerunt. Facile eſt auditorem concitare ad cupiditatem recti.[10] Omnibus enim natura fundamenta dedit, ſemenque virtutum: omnes ad omnia iſta nati ſumus: cum irritator acceſſit, tunc illa animi bona velut ſopita excitantur. Non vides quemadmodum theatra conſonent, quoties aliqua dicta ſunt, quæ publice agnoſcimus, & conſenſu vera eſſe teſtamur?

Deſunt inopiæ multa, avaritiæ omnia.

In nullum avarus bonus eſt, in ſe peſſimus.

Ad hos verſus ille ſordidiſſimus plaudit, & vitiis ſuis fieri convitium gaudet. Quanto magis hoc judicas evenire, cum à philoſopho iſta dicuntur: cum ſalutaribus præceptis verſus inſeruntur, efficacius eadem illa demiſſuri in animum imperitorum? Nam ([11] ut dicebat Cleanthes) quemadmodum Spiritus noſter clariorem ſonum reddit, cum illum tuba per longi canalis anguſtias tractum, patentiore noviſſime exitu effudit: ſic ſenſus noſtros clariores carminis arcta neceſſitas efficit. Eadem negligentius audiuntur, minuſque percutiunt, quamdiu ſoluta oratione dicuntur: ubi acceſſere numeri, & egregium ſenſum aſtrinxere certi pedes, eadem illa ſententia velut lacerto excuſſa torquetur. De contemptu pecuniæ multa dicuntur, & longiſſimis orationibus hoc præcipitur, ut homines in animo, non in patrimonio putent eſſe divitias: eum eſſe locupletem, qui [12] paupertati ſuæ aptus eſt, & parvo ſe divitem fecit: magis tamen feriuntur animi, cum carmine ejuſmodi dicta ſunt:

Is

10 *Omnibus natura dedit*] Explico in Manud. 2. Diſſert. 10. *Idem.*

11 *Ut dicebat Cleanthes*] Merito ille, qui verſibus pleraque ſcripſit: & ſuum igitur factum commendabat. *Idem.*

12 *Paupertati ſuæ aptus eſt*] Ad eam ſe accommodat, & aptat. non ultra modum vireſque ejus cupit, aut ſumit. *Idem.*

13 *Ipſi*

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Quod vult habet, qui velle quod ſatis eſt poteſt.

Cum hæc atque ejuſmodi audimus, ad confeſſionem veritatis adducimur. Illi enim quibus nihil ſatis eſt, admirantur, acclamant, odium pecuniæ indicunt. Hunc illorum affectum ubi videris, urge, hoc preme, hoc onera, relictis ambiguitatibus, & ſyllogiſmis, & cavillationibus, & ceteris acuminis irriti ludicris. Dic in avaritiam, dic in luxuriam. cum profeciſſe te videris, & animos audientium affeceris, inſta vehementius. Veriſimile non eſt, quantum proficiat talis oratio remedio intenta, & tota in bonum audientium verſa. Facillime enim tenera conciliantur ingenia ad honeſti rectique amorem. Adhuc docilibus leviterque corruptis injicit manum veritas, ſi advocatum idoneum nacta eſt. Ego certe, cum Attalum audirem, in vitia, in errores, in mala vitæ perorantem, ſæpe miſertus ſum generis humani, & illum ſublimem altioremque humano faſtigio credidi. [13] Ipſe regem ſe eſſe dicebat: ſed plus quam regnare mihi videbatur, cui liceret cenſuram agere regnantium. Cum vero commendare paupertatem cœperat, & oſtendere, quam quidquid uſum excederet, pondus eſſet ſupervacuum & grave ferenti: ſæpe exire è ſchola pauperi libuit. Cum cœperat voluptates noſtras traducere, laudare caſtum corpus, ſobriam menſam, puram mentem, non tantum ab illicitis voluptatibus, ſed etiam ſupervacuis: libebat circumſcribere gulam & ventrem. Inde mihi quædam permanſere, Lucili. Magno enim in omnia impetu veneram: deinde ad civitatis vitam reductus, ex bene cœptis pauca ſervavi. Inde oſtreis boletiſque in omnem vitam renuntiatum eſt. Nec enim cibi, ſed oblectamenta ſunt, ad edendum ſaturos cogentia: quod gratiſſimum eſt edacibus, & ſe ultra quam capiunt farcientibus, facile deſcenſura, facile reditura. Inde in omnem vitam unguento abſtinemus: quo-

13 *Ipſe regem ſe*] Stoïco paradoxo. de quo Manud. 3. Diſſert. 13. *Lipſius.*

quoniam optimus odor in corpore eſt nullus. Inde vino caret ſtomachus: inde in omnem vitam balneum fugimus. [14] Decoquere corpus, atque exinanire ſudoribus, inutile ſimul delicatumque credimus. Cetera projecta redierunt: ita tamen, ut, quorum abſtinentiam interrupi, modum ſervem, & quidem abſtinentiæ proximiorem. neſcio an difficiliorem: quoniam quædam abſcinduntur facilius animo, quam temperantur. Quoniam cœpi tibi exponere, quantum majori impetu ad philoſophiam juvenis acceſſerim, quam ſenex pergam, non pudebit fateri, quem mihi amorem Pythagoræ [15] injecerit Sotion. Docebat, [16] quare ille animalibus abſtinuiſſet, quare poſtea Sextius. Diſſimilis utrique cauſſa erat, ſed utrique magnifica. Hic homini ſatis alimentorum citra ſanguinem eſſe credebat, & crudelitatis conſuetudinem fieri, ubi in voluptatem eſſet adducta laceratio. Adjiciebat, contrahendam materiam eſſe luxuriæ: colligebat, bonæ valetudini contraria eſſe alimenta varia, & noſtris aliena corporibus. At Pythagoras [17] omnium inter omnia cognationem eſſe dicebat, & aliorum commercium in alias atque alias formas tranſeuntium. Nulla (ſi illi credas) anima interit, nec ceſſat quidem, niſi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfunditur. [18] Viderimus per quas temporum vices, & quando pererratis pluri-

14 *Decoquere corpus*] In balneis, & præſertim Laconicis: ad quæ ſpectant ſequentia. *Lipſius.*

15 *Injecerit Sotion*] Senecæ præceptor, de quo in epiſt. 49. & ego in Manud. 1. Diſſert. 12. *Idem.*

16 *Quare animalibus*] Exſtant diſſertationes duæ Plutarchi, *de eſu carnium*, pro Pythagoræ ſenſu, ſane quam argutæ. In altera etiam Stoicos tangit, qui cum delicias ſpernant & rejiciant, non item hanc cibi immanitatem. Vide, ſodes. *Idem.*

17 *Omnium inter omnia cognationem*] Ob illam animarum, etiam in bruta corpora, migrationem. Ceterum & prior illa ratio, quæ continentiam & valetudinem ſpectat, vere movit Pythagoram: quod in Laërtio aliiſque leges. Ἐντεῦθεν γὰρ καὶ σώματος ὑγίειαν, καὶ ψυχῆς ὀξύτητα περιγίνεσθαι. *Hinc enim & corporis ſanitatem, & mentis ſagacitatem provenire.* Idem.

18 *Viderimus per quas temporum vices*] Videntur prætermiſiſſe viri docti, quaſi parum intereſſet: nam membranæ & Tarviſina, Veneta, Frobeniana editiones, *Videbimus*. At hoc Senecæ eſſe recordaberis ex dictis de Ira, 3, 14. Epiſt. 110. *Poſtea videbimus, an tanquam diis vacet, ut privatorum negotia procurent: interim illud ſcito.* Epiſt. 116.

Digitized by Google

pluribus domiciliis, in hominem revertatur: interim ſceleris hominibus ac parricidii metum fecit, cum poſſint in parentis animam inſcii incurrere, & ferro morſuve violare, in quo cognatus aliquis ſpiritus hoſpitaretur. Hæc cum expoſuiſſet Sotion, & impleſſet argumentis ſuis, Non credis, inquit, animas in alia corpora [19] atque alia deſcribi? & migrationem eſſe, quam dicimus eſſe mortem? Non credis in his pecudibus feriſve, [20] aut aqua merſis, illum quondam hominis animum morari? Non credis nihil perire in hoc mundo, ſed mutare regionem? nec tantum cæleſtia per certos circuitus verti, ſed animalia quoque per vices ire, & animos per orbem agi? Magni iſta crediderunt viri. itaque judicium quidem tuum ſuſtine: ceterum omnia tibi integra ſerva. Si vera ſunt iſta, abſtinuiſſe animalibus innocentia eſt: ſi falſa, frugalitas eſt. [21] Quod iſtic crudelitatis tuæ damnum eſt? Alimenta tibi leonum & vulturum eripio. His inſtinctus, abſtinere animalibus cœpi: & anno peracto non tantum facilis erat mihi conſuetudo, ſed dulcis. [22] Agiliorem mihi animum eſſe credebam: nec tibi hodie affirmaverim an fuerit. Quæris, quomodo deſierim? In Tiberii Cæſaris principatum juventæ tempus inciderat: [23] alienigenarum ſacra movebantur: ſed inter argumenta ſuperſtitionis ponebatur [24] quorumdam animalium abſtinentia. Patre itaque meo rogante, qui non calumniam timebat,

116. *Quærenti an ſapiens amaturus eſſet, de ſapiente, inquit, videbimus, mihi & tibi, qui adhuc à ſapiente longe abſumus, non eſt committendum.* Gronovius.

19 *Atque alia deſcribi*] Id eſt, diſtribui. *Lipſius.*

20 *Aut aqua merſis*] Id eſt, piſcibus: nam & iis vel maxime abſtinebant: Plutarchus. *Idem.*

21 *Quod iſtic crudelitatis*] Sententia eſſet. quid ita crudelitas tua hæc damna & ſtragem facit? Sed parum pro mente Senecæ: & magis fuerit, *Quod iſtic, niſi crudelitati tuæ, damnum eſt?* Coërcetur ſævitia tua in hac abſtinentia: quid aliud amittis? Poſſit &, *crudelitatis*, legi. *Idem.*

22 *Agiliorem mihi animum*] Tecum ſentiam: & aſſidua hæc κρεωφαγία, nimis Europæis uſurpata, brutos facit. *Idem.*

23 *Alienigenarum ſacra*] Sive, ut ego olim, *alienigena tum ſacra.* Nam vox, *gentium*, infarcta eſt præter libros. Judæi autem & Ægyptii, ſub Tiberio, urbe pulſi, & aliquot millia in Sardiniam ablegata. Tacitus, 2 Annal. atque ego ibi. *Idem.*

24 *Quorumdam animalium abſtinentia*] Ut luis. *Idem.*

mebat, ſed [25] philoſophiam oderat, ad priſtinam conſuetudinem redii: nec difficulter mihi, ut inciperem melius cœnare, perſuaſit. Laudare ſolebat Attalus culcitam, quæ reſiſteret corpori: tali utor etiam ſenex, in qua veſtigium apparere non poſſit. Hæc retuli, ut probarem tibi, quam vehementes haberent tirunculi impetus primos ad optima quæque, ſi quis exhortaretur illos, ſi quis impelleret. Sed aliquid præcipientium vitio peccatur, qui nos docent diſputare, non vivere: aliquid diſcentium, qui propoſitum adferunt ad præceptores ſuos, non animum excolendi, ſed ingenium. Itaque quæ philoſophia fuit, facta philologia eſt. Multum autem ad rem pertinet, quo propoſito ad quam rem accedas. Qui grammaticus futurus, Virgilium ſcrutatur, non hoc animo legit illud egregium,

—— Fugit irreparabile tempus.

Vigilandum eſt: niſi properamus, relinquimur. agit nos, agiturque velox dies: inſcii rapimur. omnia in futurum diſponimus, & inter præcipitia lenti ſumus. Sed ut obſervet, quoties Virgilius de celeritate temporum dicit, hoc uti verbo illum, FUGIT.

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit. ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Ille qui ad philoſophiam ſpectat, hæc eadem quo debet, abducit. Numquam Virgilius, inquit, dies dicit ire, ſed fugere; quod currendi genus concitatiſſimum eſt: & optimos quoſque primos rapi. Quid ergo ceſſamus nos ipſi concitare, ut velocitatem rapidiſſimæ rei poſſimus æquare? Meliora prætervolant, deteriora ſuccedunt. [26] Quemadmodum

25 *Philoſophiam oderat*] Hunc ipſum patris averſum ab ea animum oſtendit & tangit, Conſol. ad Helviam cap. 16. Tamen aliter ipſe pater in Præfatione lib. 2. Controv. ubi hortatur Melam filium ad hoc ſtudium, & quietem. Et ſane aperta & indecora ſit patris hæc inſectatio. Itaque ambigo cum Jac. Lectio, an non verius: *qui non philoſophiam oderat, ſed calumniam timebat.* Lipſius.

26 *Quemadmodum ex amphora*] Talia in epiſt. 1. vide. Tale & in Anthologia lib. 1.

modum ex amphora primum quod eſt ſinceriſſimum effluit, graviſſimum quodque turbidumque ſubſidit: ſic in ætate noſtra, [27] quod optimum, in primo eſt. Id exhauriri in aliis potius patimur, ut nobis fæcem reſervemus. Inhæreat iſtud animo, & tanquam miſſum oraculo placeat:

Optima quaque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit. ——

Quare optima? quia reſtat quod incertum eſt. Quare optima? quia juvenes poſſumus diſcere, poſſumus facilem animum, & adhuc tractabilem, ad meliora convertere: quia hoc tempus idoneum eſt laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. Quod ſupereſt, ſegnius & languidius eſt, & propius à fine. Itaque toto hoc agamus animo, & omiſſis ad quæ divertimus, in rem unam laboremus: ne hanc temporis perniciſſimi celeritatem, quam retinere non poſſumus, relicti demum intelligamus. Primus quiſque tanquam optimus dies placeat, & [28] redigatur in noſtrum. quod fugit, occupandum eſt. Hoc non cogitat ille, qui grammatici oculis carmen iſtud legit, ideo optimum quemque primum eſſe diem, quia ſubeunt morbi, quia ſenectus premit, & adhuc adoleſcentiam cogitantibus ſupra caput eſt: ſed ait, Virgilium ſemper una ponere morbos & ſenectutem. non mehercule immerito: ſenectus enim inſanabilis morbus eſt. Præterea, inquit, hoc ſenectuti cognomen impoſuit, triſtem illam vocat:

ſub-

Ἂν ἐγκαταλειφθῇ μικρὸν ἐν ἀγγείῳ ποτὲ οἶνος,
Εἰς ὄξυ τρέπεται τοῦτο τὸ λειπόμενον.
Οὕτως ἀναλώσας τὸν ὅλον βίον, εἰς βαθὺ δ' ἐλθὼν
Γῆρας, ὁ πρεσβύτης γίγνεται ὀξύχολος.
Si quid de vino meliori in vaſe relictum eſt,
Mox vitium ducit, & peraceſcit idem.
Sic qui jam vita pervenit ad ultima, ipſe
Sumit acorem, & fit triſtis ab ingenio. Lipſius.

27 *Quod optimum eſt, in primo eſt*] Nec male *in prima*, inquit Lipſius. Sed melius nihil mutare, ubi non eſt eſt opus. Vide quæ ad Livii lib. 10. cap. 14. *Gronovius.*

28 *Redigatur in noſtrum*] Uſurpemus & fruamur. Dies enim ita fiunt noſtri (poëta vetus: *Hic meus eſt, dixere, dies:*) alieni & nihil ad nos, qui elabuntur. *Lipſius.*

29 *Anci-*

—— ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus.

Non eſt quod mireris, ex eadem materia ſuis quemque ſtudiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum. Cum Ciceronis libros de Rep. prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philoſophiæ deditus: alius alio curam ſuam mittit. Philoſophus admiratur, contra juſtitiam dici tam multa potuiſſe. Cum ad hanc eamdem lectionem philologus acceſſit, hoc ſubnotat, duos Romanos reges eſſe, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Servii matre dubitatur: [29] Anci pater nullus; Numæ nepos dicitur. Præterea notat, eum quem nos dictatorem dicimus, & in hiſtoriis ita nominari legimus, apud antiquos magiſtrum populi vocatum. Hodieque id extat in Auguralibus libris: & teſtimonium eſt, quod qui ab illo nominatur, magiſter equitum eſt. Æque notat, Romulum periſſe ſolis defectione. Provocationem ad populum etiam à regibus fuiſſe. Id ita in Pontificialibus libris aliqui putant, & Feneſtella. Eoſdem libros cum grammaticus explicuit, primum REAPSE dici ab Cicerone, id eſt, reipſa, in commentarium refert; nec minus SEPSE, id eſt, ſe ipſe. Deinde tranſit ad ea, quæ conſuetudo ſeculi mutavit: tanquam quod ait Cicero, Quoniam ſumus ab ipſa calce, ejus interpellatione revocati: hanc quam nunc [30] in circo cretam vocamus, calcem antiqui dicebant. Deinde Ennianos colligit verſus, & in primis illos de Africano ſcriptos:

—— Cui nemo civis neque hoſtis
Quivit pro factis reddere [31] opræpretium.

Ex

29 *Anci pater nullus*] Non quin re-ipſa fuerit, ſed famæ traditus non exſtat. Obſcuravit eum Numæ claritas: atque ita *Numa nepotem* Livius & Dionyſius dicunt. *Lipſius.*

30 *In circo cretam*] Ab ipſa re, quia, ut Plinius ait, *creta circum producere ſolent, ad victoria notam:* id eſt, metam ea ſignare, ut conſpicua eſſet. Idipſum calce factum: & inde etiam nomen. Lucretius:

— praſcripta ad candida calcis. Idem.

31 *Opræpretium*] Pro *opera:* ut *poplus, poclum*, antiqui, extritis litteris mediis: nec in carmine ſolum, ſed vulgo. *Idem.*

32 Non

Ex eo ſe ait intelligere, apud antiquos [32] non tantum auxilium ſignificaſſe operam, ſed opera. ait enim neminem potuiſſe Scipioni neque civem, neque hoſtem reddere operæpretium. Felicem deinde ſe putat, quod invenerit, unde viſum ſit Virgilio dicere:

—— Quem ſuper ingens
Porta tonat cæli. ——

[33] Ennium hoc ait Homero ſurripuiſſe: Ennio Virgilium. Eſt enim apud Ciceronem in his ipſis de Rep. hoc Epigramma:

Si fas endo plagas cæleſtum aſcendere cuiquam:
Mi ſoli cæli maxima porta patet.

Sed ne & ipſe, dum aliud ago, in philologum aut grammaticum dilabar, illud admoneo, auditionem philoſophorum, lectionemque, ad propoſitum beatæ vitæ trahendam: non ut verba priſca aut ficta captemus, & tranſlationes improbas figuraſque dicendi, ſed ut profutura præcepta, & magnificas voces, & animoſas, quæ mox in rem transferantur. Sic iſta diſcamus, ut quæ fuerunt verba, ſint opera. Nullos autem pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quam qui philoſophiam velut aliquod artificium venale didicerunt: qui aliter vivunt, quam vivendum eſſe præcipiunt. Exempla enim ſeipſos inutilis diſciplinæ circumferunt, nulli non vitio quod inſequuntur, obnoxii. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quam gubernator in tempeſtate nauſeabundus. Tenendum eſt, rapiente fluctu, gubernaculum, luctandum cum ipſo mari, eripienda ſunt vento vela: quid me poteſt adjuvare rector navigii attonitus & vomitans? Quanto majore putas vitam tempeſtate jactari, quam ullam ratem? non eſt loquendum, ſed gubernandum. Omnia quæ dicunt, quæ turba

32 *Non tantum auxilium*] Ut in Comœdiis ſæpe. Da mihi hanc operam. *Lipſius.*

33 *Ennium hoc ait Homero*] Apud quem domus Olympi eſt, & portas ſuas habet. ut Iliad. θ.

Πρώτῃσιν δὲ πύλῃσι πολυπτύχου Οὐλύμποιο.

In portis primis ſeſe replicantis Olympi. Idem.

turba audiente jactant, aliena ſunt. dixit illa Plato, dixit Zeno, dixit Chryſippus, & Poſidonius, & ingens agmen tot ac talium. Quomodo probare poſſint ſua eſſe, monſtrabo: faciant quæ dixerint. Quoniam quæ volueram ad te perferri, jam dixi, nunc deſiderio tuo ſatisfaciam, & in alteram epiſtolam integrum quod exegeras transferam: ne ad rem ſpinoſam, & auribus erectis curioſiſque audiendam, laſſus accedas.

Epist. CIX.

Quæſtiuncula, An ſapiens ſapienti, & quomodo, proſit? Cauſſa dubitandi, quia omnia ſumma in ſapiente, nec adjectioni locus. Reſpondet tamen prodeſſe, & diſtincte exſequitur. In fine deteſtatur argutias inutiles.

AN ſapiens ſapienti proſit, ſcire deſideras. Dicimus plenum omni bono eſſe ſapientem, & ſumma adeptum: quomodo prodeſſe aliquis poſſit ſummum bonum habenti, quæritur. Proſunt inter ſe boni: exercent enim virtutes, & ſapientiam in ſuo ſtatu continent. deſiderat uterque aliquem, cum quo conferat, cum quo quærat. Peritos luctandi, uſus exercet: muſicum, qui paria didicit, monet. Opus eſt & ſapienti, agitatione virtutum. Ita quemadmodum ipſe ſe movet, ſic movetur ab alio ſapiente. Quid ſapiens ſapienti proderit? impetum illi dabit, occaſiones actionum honeſtarum commonſtrabit. Præter hæc, aliquas ſuas cogitationes exprimet, docebit quæ invenerit. Semper enim ſapienti reſtabit quod inveniat, & quo animus ejus excurrat. Malus malo nocet; facit pejorem, iram, metum incitando, triſtitiæ aſſentiendo, voluptates laudando: & tunc maxime laborant mali, ubi plurium vitia miſcuere, & in unum collata nequitia eſt: ergo ex contrario, bonus bono proderit. Quomodo? inquis. Gaudium illi afferet, fiduciam confirmabit, ex conſpectu mutuæ tranquillitatis creſcet utriuſque lætitia. Præterea, quarumdam illi rerum noti-

Digitized by Google

notitiam tradet. non enim omnia ſapiens ſcit: etiamſi ſciret, breviores vias rerum aliquis excogitare poſſit, & has indicare, per quas facilius totum opus circumfertur. Proderit ſapienti ſapiens: non ſcilicet tantum ſuis viribus, ſed ipſius quem adjuvat. Poteſt quidem ille etiam relictus ſibi, explicare partes ſuas. Utetur propria velocitate: ſed nihilominus adjuvat etiam, qui currentem hortatur. Non prodeſt tantum ſapiens ſapienti, ſed ſibi ipſi. Objicies. Detrahe illi vim propriam, & ille nihil agit. Iſto modo dicas licet, non eſſe in melle dulcedinem. [1] Nam ipſe ille qui eſt, eſſe debet ita aptatus lingua palatoque ad hujuſmodi guſtum, ut ille tali ſapore capiatur, non offendatur. Sunt enim quidam, quibus morbi vitio mel amarum videatur. Oportet utrumque talem eſſe, ut & ille prodeſſe poſſit, & huic profecturo idonea materia ſit. In ſummum, inquit, producto calorem calefieri ſupervacuum eſt: & in ſummum producto bonum ſupervacuum eſt, quod proſit. Numquid inſtructus omnibus rebus agricola, ab alio inſtrui quærit? Numquid armatus miles quantum in aciem exituro ſatis eſt, amplius arma deſiderat? Ergo nec ſapiens. ſatis enim vitæ inſtructus, ſatis armatus eſt. Qui in ſummo eſt calore, ei non opus eſt adjecto, ut ſummum teneat. Ipſe ſe, inquit, calor continet. Ad hæc reſpondeo. Primum multum intereſt inter iſta, quæ comparas. Calor enim unus eſt: prodeſſe varium eſt. Deinde calor non adjuvatur adjectione caloris, ut caleat: ſapiens non poteſt in habitu ſuæ mentis ſtare, niſi amicos aliquos ſimiles ſui admiſit, cum quibus virtutes ſuas communicet. Adjice nunc, quod omnibus inter ſe virtutibus amicitia eſt. Itaque prodeſt, qui [2] virtutes alicujus pares ſuis amat, amandaſque invicem præſtat. Similia delectant: utique ubi honeſta ſunt, & pro-

EPIST. CIX. 1 *Nam ipſe ille qui eſt*] Valet, qui edit. *Lipſius.*

2 *Virtutes alicujus pares ſuis*] Nam Stoicum dogma erat, & virtutes inter ſe pares, & omnes item ſapientes: neminem alterum excellere. Vide Manuduct. 2. Diſſert. 19. *Idem.*

3 *Sum-*

probare ac probari ſciunt. Etiamnum. Sapientis animum perite movere nemo alius poteſt, niſi ſapiens: ſicut hominem movere rationaliter non poteſt, niſi homo. Quomodo ergo ad rationem movendam ratione opus eſt: ſic, ut moveatur ratio perfecta, opus eſt ratione perfecta. Prodeſſe dicuntur, & qui media nobis largiuntur, pecuniam, gratiam, incolumitatem, alia in uſus vitæ cara aut neceſſaria: in his dicetur etiam ſtultus ſapienti prodeſſe. Prodeſſe autem eſt, animum ſecundum naturam movere virtute ſua, aut ejus qui movebitur. Hoc non ſine ipſius quoque, qui proderit, bono fiet. neceſſe eſt enim, alienam virtutem exercendo, exerceat & ſuam. Sed ut removeas iſta, quæ aut ſumma bona ſunt, aut [3] ſummorum efficientia, nihilominus prodeſſe inter ſe ſapientes poſſunt. Invenire enim ſapientem, ſapienti per ſe res petenda eſt: quia natura bonum omne carum eſt bono: & ſic quiſque conciliatur bono, quemadmodum ſibi. Neceſſe eſt, ex hac quæſtione, argumenti cauſſa, in alteram tranſeam. Quæritur enim, an deliberaturus ſit ſapiens: an in conſilium aliquem advocaturus: quod facere illi neceſſarium eſt, cum ad hæc civilia & domeſtica venitur, & (ut ita dicam) mortalia. In his ſic illi opus eſt alieno conſilio, quomodo medico, [4] quomodo gubernatori, quomodo advocato, & litis ordinatori. Proderit ergo ſapiens aliquando ſapienti: ſuadebit enim: ſed in illis quoque magnis ac divinis, ut diximus, communiter honeſta tractando, & animos cogitationeſque miſcendo, utilis erit. Præterea ſecundum naturam eſt & amicos complecti, & amicorum actu, ut ſuo proprioque lætari. Nam ſi hoc non fecerimus, ne virtus quidem nobis permanebit, quæ in exercendo ſe, uſu valet. Virtus autem ſuadet præſentia bene collocare, in futurum conſulere, deliberare, & inten-

3 *Summorum efficientia*] Nota de bonis *efficientibus:* quæ explico Manud. 2. Diſſert. 22. *Lipſius.*

4 *Quomodo gubernatori, quomodo advocato*] Ad perfectam hujus loci explanationem utiliter conſules Cujacium lib. 18. cap. 23. Obſervat.

5 *Illud*

intendere animum: facilius intendet explicabitque qui aliquem ſibi aſſumpſerit. Quærit itaque aut perfectum virum, aut proficientem, vicinumque perfecto. Proderit autem ille perfectus, ſi conſilium communi prudentia juverit. Aiunt homines plus in alieno negotio videre, quam in ſuo: hoc illis evenit, quos amor ſui excæcat, quibuſque diſpectum utilitatis, timor in periculis excutit. Incipiet ſapere ſecurior, & extra metum poſitus. Sed nihilominus quædam ſunt, quæ etiam ſapientes in alio, quam in ſe, diligentius vident. Præterea [5] illud quod dulciſſimum honeſtiſſimumque eſt, idem velle atque idem nolle, ſapiens ſapienti præſtabit. Egregium opus pari jugo ducet. Perſolvi quod exegeras, quamquam in ordine rerum erat, quas moralis philoſophiæ voluminibus complectimur. Cogita, quod ſoleo frequenter tibi dicere: In iſtis nos nihil aliud quam acumen exercere. Toties enim illo revertor: Quid iſta me res juvat? fortiorem faciet, juſtiorem, temperatiorem? Nondum exerceri vacat: adhuc medico mihi opus eſt. Quid me doces ſcientiam inutilem? magna promiſiſti: exigua video. Docebas intrepidum fore, etiamſi circa me gladii micarent, etiamſi mucro tangeret jugulum: dicebas ſecurum fore, etiamſi circa me flagrarent incendia, etiamſi ſubitus turbo toto navem meam mari raperet. [6] Hæc mihi præſta tu, ut voluptatem, ut gloriam contemnam: poſtea docebis implicita ſolvere, ambigua diſtinguere, obſcura perſpicere: nunc doce, quod neceſſe eſt.

EPIST.

5 *Illud quod dulciſſimum honeſtiſſimumque eſt*] Nec membranæ nec quiſquam Pall. retinet τὸ *quod*. Ergo & dele verbum ſubſtantivum hoc modo: *Præterea illud dulciſſimum honeſtiſſimumque, idem velle atque idem nolle, ſapiens ſapienti præſtabit*. Tarviſina & Veneta: *Præterea illud dulciſſimum eſt honeſtiſſimum: idem velle* &c. Ubi τὸ *eſt* pro *&* ſcriptum eſſe apparet. *Gronovius*.

6 *Hæc mihi præſta tu, ut voluptatem*] Putarem: *Hæc mihi præſta: tum ut vol.* Lipſius.

EPIST.

EPIST. CX.

Genios ſingulis datos: quos faventes habet, qui Bonam mentem habet. Vota noſtra & judicia improba eſſe, res non ex vero æſtimantium. Vana optari, vana timeri. Remedium utriuſque à Philoſophia: quo nos vocat ſpretis ſupervacuis. Luxum denique producit, & caſtigat, Attali egregia oratione.

EX Nomentano meo te ſaluto, & jubeo te habere mentem bonam, [1] hoc eſt, propitios deos omnes: quos habet placatos & faventes, quiſquis [2] ſibi ſe propitiavit. Sepone in præſentia, quæ quibuſdam placent. [3] Unicuique noſtrum pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ, ex eorum numero quos Ovidius ait, de plebe deos. Ita tamen hoc ſeponas volo, ut memineris majores noſtros, qui crediderunt hoc, Stoïcos fuiſſe: ſingulis enim [4] & Genium & Junonem dederunt. Poſtea videbimus, an tantum diis vacet, ut privatorum negotia procu-

EPIST. CX. 1 *Hoc eſt, propitios deos*] Imo bonus & beatus non aliud eſt quam εὐδαίμων Græcis, id eſt, *εὖ δαίμονα ἔχων, bonum Deum Geniumque habens.* in Manud. 2. Diſſert. 19. *Lipſius.*

2 *Sibi ſe propitiavit*] Quod bonus fecit, qui in tranquillo & pacato ſemper eſt, non ſibi, non aliis infeſtus. Utrumque iſtud, mali. *Idem.*

3 *Unicuique noſtrum pædagogum*] Viæ & vitæ hujus ducem. Ita in tabula Cebetis: *Senex ſuperne ſtat, chartam manu tenens una, & altera neſcio quid monſtrans: atque is eſt Genius. Mandat autem in vitam ingredientibus, quid faciendum ſit, & cui via ſe committere debeant; ſi velint eſſe ſalvi.* Ecce Pædagogum. & plura ego ex profeſſo Phyſiol. 1. Diſſert. 19. *Idem.*

4 *Et Genium & Junonem dederunt*] Hoc ita accipe, non ut ſinguli utrumque habuerint, ſed ut alterum: & clarius eſſet, *aut Genium aut Junonem.* Nam Viris Genii attribuebantur, fœminis Junones. Itaque mulieres Junonem invocabant, aut advocabant. ut illa apud Petronium: *Junonem meam iratam habeam.* In Tibullo, amator ad ſuam: *Hæc per ſancta tuæ Junonis numina juro.* In Satyrico; *Et per Junonem domini jurante miniſtro:* ſcilicet illo molli & pathico, qui fœminam ſe ferret & exhiberet. *Idem.* Sciendum hanc Stoïcorum opinionem eſſe unam ex iis, quæ omnium fere aſſenſu receptæ poſtea fuerunt, præſertimque poëtarum: unde legimus apud Horatium:

Scit genius natale comes qui temperat aſtrum,
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum
Quodque caput.

Fortaſſe autem ea quæ Socrates de ſuo dæmonio dicere ſolitus erat, huic opinioni originem dederunt. hæc Stephanus Prood. lib. 1. cap. 3.

5 Sive

Digitized by Google

procurent: interim illud ſcito, [5] ſive aſſignati ſumus, [6] ſive negleƈti, & fortunæ dati, nulli te poſſe imprecari quidquam gravius, quam ſi imprecatus fueris, ut ſe habeat iratum. Sed non eſt, quare cuiquam, quem dignum pœna putaveris, optes, ut infeſtos deos habeat: habet, inquam, etiamſi videtur eorum cura & favore produci. Adhibe diligentiam tuam, & intuere, quid ſint res noſtræ, non quid vocentur: & ſcies plura mala [7] contingere nobis, quam accidere. Quoties enim felicitatis cauſſa & initium fuit, quod calamitas vocabatur? Quoties magna gratulatione excepta res gradum ſibi ſtruxit in præceps, & aliquem jam eminentem allevavit etiamnum, tanquam ibi adhuc ſtaret, unde tuto caderet? ſed ipſum illud cadere non habet in ſe mali quidquam, ſi exitum ſpeƈtes, ultra quem natura neminem dejicit. Prope eſt rerum omnium terminus, prope eſt, inquam, & illud unde [8] felix ejicitur, & illud unde [9] infelix emittitur. Nos utraque extendimus, & longa, ſpe ac metu facimus. Sed ſi ſapis, omnia humana [10] conditione metire: ſimul & quod gaudes, & quod times contrahe. Eſt tanti, diu nihil gaudere, ne quid diu timeas. Sed quare iſtuc malum adſtringo? non eſt quod quidquam timendum putes. Vana ſunt iſta quæ nos movent, quæ attonitos habent. Nemo noſtrum quid veri eſſet, excuſſit, ſed metum alter alteri tradidit. Nemo auſus eſt ad id quo perturbatur accedere, & naturam ac bonum timoris ſui noſſe. Itaque res falſa & inanis habet adhuc fidem, quia non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere: jam apparebit quam brevis, quam incerta, quam tuta timeantur. Talis eſt animorum noſtrorum confuſio, qualis Lucretio viſa eſt:

Nam

5 *Sive aſſignati ſumus*] Suo quiſque Deo. ſicut *aſſignare ſervum aut libertum*, in Juris libris. *Lipſius*.

6 *Sive negleƈti*] Ut nemo curam noſtri gerat, Providentia non ſit. *Idem*.

7 *Contingere nobis*] Ex voto & optato. *Idem*.

8 *Felix ejicitur*] Invitus & reluƈtans abit. *Idem*.

9 *Infelix emittitur*] A miſeriis liberandus. *Idem*.

10 *Conditione metire*] Si licebit, ſi longum erit, ſi eveniet. Nihil tibi promitte in alterutra ſorte. *Idem*.

11 *Ultra*

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: ita nos in luce timemus.

Quid ergo? Non omni puero ſtultiores ſumus, qui in luce timemus? Sed falſum eſt, Lucreti: non timemus in luce. omnia nobis fecimus tenebras: nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat. tota vita incurſitamus, nec ob hoc reſiſtimus, aut circumſpectius pedem ponimus. Vides autem quam ſit furioſa res, in tenebris impetus. At mehercule id agimus, ut longius revocandi ſimus: & cum ignoremus quo feramur, velociter tamen illo quo intendimus, ire perſeveramus. Sed luceſcere, ſi velimus, poteſt. Uno autem modo poteſt, ſi quis hanc humanorum divinorumque notitiam acceperit: ſi illa ſe non perfuderit, ſed infecerit: ſi eadem, quamvis ſciat, retractaverit, & ad ſe ſæpe retulerit: ſi quæſierit quæ ſint bona, quæ ſint mala: quibus hoc ſit falſo nomen adſcriptum: ſi quæſierit de honeſtis, de turpibus, de providentia. Nec intra hæc humani ingenii ſagacitas ſiſtitur. proſpicere & [11] ultra mundum libet, [12] quo feratur, [13] unde ſurrexerit, in quem exitum tanta rerum velocitas properet. Ab hac divina contemplatione abductum animum in ſordida & humilia pertraximus, ut avaritiæ ſerviret, ut relicto mundo terminiſque ejus, & dominis cuncta verſantibus, terram rimaretur, & quæreret quid ex illa mali effoderet, non contentus oblatis. Quidquid nobis bono futurum erat, Deus & parens noſter in proximo poſuit. Non exſpectavit inquiſitionem noſtram: ultro dedit: nocitura altiſſime preſſit. Nihil niſi de nobis queri poſſumus. ea quibus periremus, nolente rerum natura & abſcondente, protulimus. Addiximus animum voluptati: cui indulgere, initium omnium malorum eſt. Tradidimus ambitioni & famæ, ceteris æque vanis & inani-

11 *Ultra mundum libet*] Ubi Vacuum eſt. *Lipſius.*

12 *Quo feratur*] Illo ipſo Vacuo, in quo volvitur. Niſi accipis, *quo* & ad quem finem feratur: nullum, quia in ſe redit. *Idem.*

13 *Unde ſurrexerit*] A quibus principiis. *Idem.*

14 *Qua-*

inanibus. Quid ergo nunc te hortor ut facias? nihil novi: nec enim novis malis remedia quæruntur: ſed hoc primum, ut tecum ipſe diſpicias, quid ſit neceſſarium, quid ſupervacuum. Neceſſaria tibi ubique occurrent: ſupervacua & ſemper, & toto animo [14] quærenda ſunt. Non eſt autem quod te nimis laudes, ſi contempſeris aureos lectos, & gemmeam ſupellectilem: quæ eſt enim virtus, ſupervacua contemnere? tunc te admirare, cum contempſeris neceſſaria. Non magnam rem facis, quod vivere ſine recto apparatu potes: quod non deſideras [15] milliarios apros, nec [16] linguas phœnicopterorum, & alia portenta luxuriæ, jam tota animalia faſtidientis, & certa membra ex ſingulis eligentis. Tunc te admirabor, ſi non contempſeris etiam ſordidum panem: ſi tibi perſuaſeris, herbas, ubi neceſſe eſt, non pecori tantum, ſed homini naſci: ſi ſcieris cacumina arborum explementum eſſe ventris, in quem ſic pretioſa congerimus, tanquam recepta ſervantem. ſine faſtidio implendus eſt. Quid enim ad rem pertinet, quid accipiat, perditurus quidquid acceperit? Delectant te diſpoſita, quæ terra marique capiuntur. alia eo gratiora, ſi recentia perferuntur ad menſam: alia, ſi diu paſta & coacta pingueſcere, fluunt, ac vix ſaginam continent ſuam. Delectat te nitor horum, arte quæſitus. At mehercule iſta ſolicite ſcrutata, varieque condita, cum ſubierint ventrem, una atque eadem fœditas occupabit. Vis ciborum voluptatem contemnere? exitum ſpecta. Attalum memini cum magna admiratione omnium hæc dicere: Diu mihi, inquit, impoſuere divitiæ. ſtupebam, ubi aliquid ex illis alio atque alio loco fulſerat: exiſtimabam ſimilia eſſe quæ laterent, his quæ oſtenderentur. Sed [17] in quodam apparatu vidi totas opes

14 *Quærenda ſunt*] Ut longe poſita, nec oblata. *Lipſius.*

15 *Milliarios apros*] Saginatos, grandes, mille librarum. In Poliorceticis de hoc luxu affatim dixi. *Idem.*

16 *Linguas phœnicopterorum*] Apicio judice eximii ſaporis. Vide Martialis epigramma 71. Suetonium Vitellio, cap. 13. *Idem.*

17 *In quodam apparatu*] Circenſi, ut apparet ex ſequentibus: nam & *Ordinem*, & *Pompam* nominat. *Idem.*

opes urbis, cælatas ex auro & argento, & his quæ pretium auri argentique vicerunt, exquiſitos colores, & veſtes ultra non tantum noſtrum, ſed ultra finem hoſtium advectas. Hinc puerorum perſpicuos cultu atque forma greges, hinc feminarum, & alia quæ res ſuas recognoſcens ſummi imperii fortuna protulerat. Quid hoc eſt, inquam, aliud quam irritare cupiditates hominum per ſe incitatas? Quid ſibi vult iſta pecuniæ pompa? ad diſcendam avaritiam convenimus. At mehercules minus cupiditatis iſtinc effero, quam attuleram. Contempſi divitias, non quia ſupervacuæ, ſed quia puſillæ ſunt. Vidiſtine, quam intra paucas horas ille ordo, quamvis lentus diſpoſituſque, tranſierit? hoc totam vitam noſtram occupabit, quod totum diem occupare non potuit? Acceſſit illud quoque. tam ſupervacuæ mihi viſæ ſunt habentibus, quam fuerant ſpectantibus. Hoc itaque ipſi mihi dico, quoties tale aliquid præſtrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus ſplendida, [18] cohors culta ſervorum, [19] lectica formoſis impoſita calonibus: Quid miraris? quid ſtupes? Pompa eſt. Oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur: & dum placent, tranſeunt. Ad veras potius te converte divitias: diſce parvo eſſe contentus: & illam vocem magnus atque animoſus exclama: [20] Habeamus aquam, habeamus polentam, Jovi ipſi de felicitate [21] controverſiam faciamus. Faciamus, oro te, etiam ſi iſta defue-

18 *Cohors culta ſervorum*] Ad multitudinem reſpicit. & bene item *cohors*, quia militari habitu erant, ut in epiſt. 47. *Lipſius.*

19 *Lectica formoſis*] Nam & ſervos lecticarios eligebant proceros, pulchros. Electorum meorum 1. cap. 19. *Idem.*

20 *Habeamus aquam*] Sunt Epicuri verba, apud Stobæum iſta: Ἐπίκουρος ὁ Γαργήττιος κέκραγε λέγων· ᾧ ὀλίγον οὐχ ἱκανόν, τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν. ἔλεγε δὲ, ἑτοίμως ἔχειν καὶ τῷ Διὶ ὑπὲρ εὐδαιμονίας ἀγωνίζεσθαι, μᾶζαν ἔχων καὶ ὕδωρ. *Epicurus Gargettius exclamat dicens: Cui parum non ſufficit, ei nihil ſufficit. Additque, Paratum ſe cum Jove de felicitate certare, ſi polentam habeat & aquam.* Clemens Alexandrinus adſpexit libro 2 Strom. Ἐπίκουρος ἐν τῷ μὴ πεινῆν, μηδὲ διψῆν, μήτε ῥιγοῦν τὴν εὐδαιμονίαν τιθέμενος, τὴν ἰσόθεον ἐκπέμπεται φωνὴν, ἀσεβῶς εἰπὼν, ἐν τούτοις κἂν Διῒ περὶ μάχεσθαι. *Epicurus in non famendo, non ſitiendo, non frigendo felicitatem ponens, vocem illam Deo æqualem emiſit, impie dicens, In iſtis ſe vel cum Jove certaturum.* Adde Ælianum Var. Hiſt. 4. c. 13. noſtrum Senecam ep. 25. *Idem.*

21 *Controverſiam faciamus*] Puto rectius,

deſuerint. Turpe eſt, beatam vitam in auro & argento reponere: æque turpe eſt in aqua & polenta. Quid ergo faciam, ſi iſta non fuerint? Quæris, quod ſit remedium inopiæ: [22] famem fames finit. Alioqui quid intereſt, magna ſint, an exigua, quæ ſervire te cogunt? quid refert quantum ſit, quod tibi poſſit negare fortuna? Hæc ipſa aqua & polenta in alienum arbitrium cadit: liber eſt autem, non in quem parum licet fortunæ, ſed in quem nihil. Ita eſt: nihil deſideres oportet, ſi vis Jovem provocare, nihil deſiderantem. Hæc nobis Attalus dixit: natura omnibus edixit. Quæ ſi voles frequenter cogitare, id ages, ſi ſis felix, non ut videaris: & ut tibi videaris, non aliis.

EPIST. CXI.

Cavillos, vanam & humilem philoſophiam eſſe: veram illam de moribus, firmam, altam. Huc eundum.

QUid vocentur Latine ſophiſmata, quæſiſti à me. Multi tentaverunt illis nomen imponere, nullum hæſit: videlicet quia res ipſa non recipiebatur à nobis, nec in uſu erat, nomini quoque repugnatum eſt. Aptiſſimum tamen videtur mihi, quo Cicero uſus eſt: [1] Cavillationes vocat. quibus quiſquis ſe tradidit, quæſtiunculas quidem vafras nectit: ceterum ad vitam nihil proficit, neque fortior fit, neque temperantior, neque elatior. At ille qui philoſophiam in remedium ſuum exercuit, ingens fit animo, plenus fiduciæ, inexuperabilis, & major adeunti. Quod in magnis evenit montibus, quorum proceritas minus apparet longe intuentibus; cum acceſſeris, tunc manifeſtum fit, quam in arduo ſumma ſint: talis eſt, mi Lucili, verus, & rebus, non artificiis, philoſophus. In edito ſtat admirabilis, celſus,

rectius, *faciemus.* Totum enim illud una vox eſt: ſi iſta adſint, non invidebimus Jovi. *Gronovius.*

22 *Famem fames finit*] Nam mors ſupervenit. *Lipſius.*

EPIST. CXI. 1 *Cavillationes vocat*] Vox quidem in Cicerone, ſed vix pro iſto ſenſu: magis pro dicteriis, & argutiis. Poteſt in aliis libris, qui fuerunt. *Idem.*

celſus, magnitudinis veræ. Non exſurgit in plantas, nec ſummis ambulat digitis, eorum more qui mendacio ſtaturam adjuvant, longioreſque quam ſunt, videri volunt: contentus eſt magnitudine ſua. Quid ni contentus ſit eo uſque creviſſe, quo manum fortuna non porrigit? ergo & ſupra humana eſt. Par ſibi in omni ſtatu rerum, ſive ſecundo curſu vita procedit, ſive fluctuatur per adverſa ac difficilia. Hanc conſtantiam cavillationes iſtæ, de quibus paulo ante loquebar, præſtare non poſſunt. Ludit iſtis animus, non proficit: & philoſophiam à faſtigio deducit in planum. Nec te prohibuerim aliquando iſta agere, ſed tunc cum voles nihil agere. Hoc tamen habent in ſe peſſimum, dulcedinem quandam ſui faciunt, & animum ſpecie ſubtilitatis inductum tenent, ac remorantur: cum tanta rerum moles vacet, cum vix tota vita ſufficiat, ut hoc unum diſcas, vitam contemnere. Quid regere? inquis. ſecundum opus eſt. Nam nemo illam bene rexit, niſi qui contempſerat.

Epist. CXII.

Deſperat de amico reformando, vetere annorum & vitiorum.

CUpio mehercule amicum tuum formari, ut deſideras, & inſtitui: ſed valde durus capitur, imo potius, quod eſt moleſtius, valde mollis capitur, & conſuetudine mala ac diutina fractus. Volo tibi [1] ex noſtro artificio exemplum referre. Non quælibet inſitionem vitis patitur. ſi vetus & exeſa eſt, ſi infirma graciliſque: aut non recipiet ſurculum, aut non alet, nec applicabit ſibi, nec in qualitatem ejus naturamque tranſibit. Itaque ſolemus ſupra terram præcidere: ut, ſi non reſponderit, tentari poſſit ſecunda fortuna, & iterum repetita infra terram inſeratur. Hic de quo ſcribis & mandas, non habet vires. indulſit vitiis: ſimul & emarcuit, & induruit. Non poteſt recipere rationem,

Epist. CXII. 1 *Ex noſtro artificio*] Nam ipſe cultor horti, & vinearum eximie. Supra, epiſt. 104. *Lipſius.*

Epist.

nem, non poteſt nutrire. At cupit ipſe. Noli credere. non dico illum mentiri tibi: putat ſe cupere. Stomachum illi fecit luxuria: cito tamen cum illa redibit in gratiam. Sed dicit ſe offendi vita ſua. Non negaverim. quis enim non offenditur? homines vitam ſuam & amant ſimul, & oderunt. Tunc itaque de illo feremus ſententiam, cum fidem nobis fecerit, inviſam jam ſibi eſſe luxuriam. nunc illis male convenit.

EPIST. CXIII.

Quæſtio, An Virtutes ſint Animalia? Stoice aſſerit eſſe: itemque Vitia, & Affectus. Poſt ridendam nobis hodie diſputatiunculam, à talibus avocat, ad utilia vitæ vocat.

DEſideras tibi ſcribi à me, quid ſentiam de hac quæſtione jactata apud noſtros: An juſtitia, an fortitudo, prudentia, ceteræque virtutes, animalia ſint. Hac ſubtilitate effecimus, Lucili cariſſime, ut exercere ingenium inter irrita videamur, & diſputationibus nihil profuturis otium terere. Faciam quod deſideras, & quid noſtris videatur, exponam. Sed me in alia ſententia profiteor eſſe. Puto quædam eſſe, [1] quæ decent phæcaſiatum palliatumque. Quæ ſint ergo, quæ antiquos moverint, dicam. Animum conſtat animal eſſe: cum ipſe efficiat, ut ſimus animalia, & cum ab illo animalia nomen hoc traxerint. Virtus autem nihil aliud eſt, quam [2] animus quodammodo ſe habens: ergo animal eſt. Deinde: Virtus agit aliquid: agi autem nihil ſine impetu poteſt:

EPIST. CXIII. 1 *Quæ decent phæcaſiatum*] Id eſt Græcum. cujus gentis, Phæcaſia, & Pallium; ut Romanorum, Calcei & Toga. Vide de Benefic. 7. cap. 21. Alii hic deeſſe ſuſpicantur, non mihi viſum. Continuo ſententiam: Ego aliud ſentio, nec Græcis illis Stoïcis aſſentio. quare? decore quædam illi, homines conceſſu omnium arguti & ſcholaſtici; quæ nos minime, Romani & graves, & ſerio philoſophi. *Lipſius.*

2 *Animus quodammodo ſe habens*] Stoïcorum hoc crebrum, in compendio ſic tangere potius, quam ponere. Ut: Quid eſt *Animus? Spiritus quodammodo ſe habens:* & plura, quæ occurrunt. Quia ſcilicet locus hic non eſt definiendi, & tantum exempli gratia tale ponitur. *Idem.*

Digitized by Google

poteſt: ſi impetum habet, qui nulli eſt, niſi animali, animal eſt. Si animal eſt, inquit, [3] virtus, habet ipſam virtutem. Quid ni? habet ſeipſam, Quomodo ſapiens omnia per virtutem gerit, ſic virtus per ſe. Ergo, inquit, & omnes artes animalia ſunt, & omnia quæ cogitamus, quæque mente complectimur. Sequitur, ut multa animalium millia habitent in his anguſtiis pectoris, & ſinguli multa ſimus animalia, aut multa habeamus animalia. Quæris, quid adverſus iſta reſpondeatur? Unaquæque res ex iſtis animal erit, multa animalia non erunt. Quare? dicam, ſi mihi accommodaveris ſubtilitatem & intentionem tuam. Singula animalia ſingulas debent habere ſubſtantias: iſta omnia unum animum habent. Itaque ſingula eſſe poſſunt, multa eſſe non poſſunt. Ego & animal ſum & homo, non tamen duos eſſe dices. Quare? quia ſeparati eſſe debent. Ita dico, alter ab altero debet eſſe diductus, ut duo ſint. [4] Quidquid unum multiplex eſt, ſub unam cadet naturam: itaque unum eſt. Et animus meus animal eſt, & ego animal ſum, duo tamen non ſumus. quare? quia animus mei pars eſt. Tunc aliquid per ſe numerabitur, cum per ſe ſtabit: ubi vero alterius membrum erit, non poterit videri aliud. Quare? dicam, quia quod aliud eſt, ſuum oportet eſſe, & proprium, & totum, & intra ſe abſolutum. Ego in alia eſſe me ſententia profeſſus ſum. Non enim tantum virtutes animalia erunt, ſi hoc recipitur: ſed oppoſita quoque illis vitia & affectus, tamquam ira, timor, luctus, ſuſpicio. Ultra res iſta procedet. omnes ſententiæ, omnes cogitationes animalia erunt: quod nullo modo recipiendum eſt. Non enim quidquid ab homine fit, homo eſt. Juſtitia quid eſt? inquit. Animus quodammodo ſe habens. Itaque ſi animus animal eſt, & juſtitia. Minime. hæc enim habitus animi

3 *Habet ipſam virtutem*] Neſcio an, *ipſa virtute*. Id eſt, Si virtus animal, per virtutem eſt animal. Quod fatetur, & reſpondet. Ita ſtatim legas: *habet ſeipſa*. Lipſius.

4 *Quidquid unum multiplex*] Alii, *in unum*: unde haud male, *in uno*. Idem.

5 *Inter*

animi eſt, & quædam vis. Idem animus in varias figuras convertitur, & non toties animal aliud eſt, quoties aliud facit: nec illud quod fit ab animo, animal eſt. Si juſtitia animal eſt, ſi fortitudo, ſi ceteræ virtutes: utrum deſinunt animalia eſſe ſubinde, ac rurſus incipiunt, an ſemper ſunt? Deſinere virtutes non poſſunt: ergo multa animalia, imo innumerabilia in hoc animo verſantur. Non ſunt, inquit, multa: quia ex uno religata ſunt, & partes unius ac membra ſunt. Talem ergo faciem animi nobis proponimus, qualis eſt Hydræ, multa habentis capita, quorum unumquodque per ſe pugnet, per ſe noceat. Atqui nullum ex illis capitibus animal eſt, ſed animalis caput: ceterum ipſa unum animal eſt. Nemo in Chimæra leonem eſſe animal dixit, aut draconem: hæ partes erant ejus: partes non ſunt animalia. Quid eſt, quo colligas juſtitiam animal eſſe? agit, inquit, aliquid, & prodeſt: quod autem agit aliquid, & prodeſt, impetum habet: quod autem impetum habet, animal eſt. Verum eſt, ſi ſuum impetum habet: ſuum autem non habet, ſed animi. Omne animal donec moriatur, id eſt quod cœpit: homo donec moriatur, homo eſt: equus item, & canis: tranſire enim in aliud non poſſunt. Juſtitia, id eſt, animus quodammodo ſe habens, animal eſt. Credamus. Deinde animal eſt fortitudo, id eſt, animus quodammodo ſe habens. Quis animus? Ille qui modo juſtitia erat? tenetur in priore animali: in aliud animal ei tranſire non licet. In eo illi, in quo primum eſſe cœpit, perſeverandum eſt. Præterea unus animus duorum animalium eſſe non poteſt, multo minus plurium. Si juſtitia, fortitudo, temperantia, ceteræque virtutes animalia ſunt: quomodo unum animum habebunt? Singulos habeant oportet, aut non ſunt animalia. Non poteſt unum corpus plurium animalium eſſe: hoc & ipſi fatentur. Juſtitiæ quod eſt corpus? animus. Fortitudinis quod eſt corpus? idem animus. Atqui unum corpus eſſe duorum animalium non poteſt. Sed idem animus, inquit, juſtitiæ habitum induit,

& fortitudinis, & temperantiæ. Hoc fieri poſſet, ſi quo tempore juſtitia eſſet, fortitudo non eſſet: quo tempore fortitudo eſſet, temperantia non eſſet. Nunc vero omnes virtutes ſimul ſunt. Ita quomodo erunt ſingula animalia, cum unus animus ſit, qui plus quam unum animal non poteſt facere? Denique nullum animal pars eſt alterius animalis: juſtitia autem pars eſt animi: non eſt ergo animal. Videor mihi in re confeſſa perdere operam. Magis enim indignandum de iſto, quam diſputandum eſt. Nullum animal alterius pars eſt. Circumſpice omnium corpora: nulli non & color proprius eſt, & figura ſua, & magnitudo. [5] Inter cetera, propter quæ mirabile divini artificis ingenium eſt, hoc quoque exiſtimo, quod in tanta copia rerum numquam in idem incidit: etiam quæ ſimilia videntur, cum contuleris, diverſa ſunt. Tot fecit genera foliorum, nullum non ſua proprietate ſignatum. tot animalia: [6] nulli ſimilitudo cum altero convenit. Utique aliquid intereſt. Exegit à ſe, ut quæ alia erant, & diſſimilia eſſent, & imparia. Virtutes, ut dicitis, omnes pares ſunt: ergo non ſunt animalia. Nullum non animal per ſe aliquid agit. Virtus autem per ſe nihil agit, ſed cum homine. Omnia animalia aut rationalia ſunt, ut homines, ut dii; aut irrationalia, ut pecora. Virtutes utique rationales ſunt: atqui nec homines ſunt, nec dii: ergo non ſunt animalia. Omne rationale animal nihil agit, niſi primum ſpecie alicujus rei irritatum eſt, deinde impetum cepit, deinde aſſenſio confirmavit hunc impetum. Quid ſit aſſenſio, dicam. Oportet me ambulare: tunc demum ambulo, cum hoc mihi dixi, & approbavi hanc opinionem meam. oportet me ſedere: tunc demum ſedeo. hæc aſſenſio in virtute non eſt. [7] Puta enim pruden-

5 *Inter cetera, propter quæ*] Pulcherrima nota. & certe mira divini artificis vis & ingenium, qui tot varia, & ipſa paria diſparia fecit. Inter tot millies millenos homines, qui duo vultu undique adſimilant? tale in aliis, mirandum, ſtupendum, divinum. *Lipſius.*

6 *Nulli ſimilitudo*] Omnes fere ſcripti, *nullius magnitudo*, Fuerit: *nullius imagini, puto, cum altero convenit.* Idem.

7 *Puta enim prudentiam animal eſſe*] Sic quidem Pincianus & unus Codicum

prudentiam animal eſſe: quomodo aſſentietur? Oportet me ambulare. [8] hoc natura non recipit: prudentia enim ei cujus eſt proſpicit, non ſibi. Nam nec ambulare poteſt, nec ſedere: ergo aſſenſionem non habet: quod aſſenſionem non habet, rationale animal non eſt. Virtus ſi animal eſt, rationale eſt: rationale autem non eſt, ergo nec animal. Si virtus animal eſt: virtus autem bonum eſt: omne bonum animal eſt. Hoc noſtri fatentur. Patrem ſervare, bonum eſt: & ſententiam prudenter in ſenatu dicere, bonum eſt: & juſte decernere, bonum eſt. Ergo & patrem ſervare, animal eſt: & prudenter dicere, animal eſt. eo uſque res excedet, ut riſum tenere non poſſis. Prudenter tacere, & cœnare bene, bonum eſt: ita & tacere & cœnare, animal eſt. Ego mehercule titillare non deſinam; & ludos mihi ex iſtis ſubtilibus ineptiis facere. Juſtitia & fortitudo ſi animalia ſunt, certe terreſtria ſunt. Omne animal terreſtre alget, eſurit, ſitit: ergo juſtitia alget, fortitudo eſurit, clementia ſitit. Quid porro non interrogabo illos, quam figuram habeant iſta animalia, hominis, an equi, an feræ? Si [9] rotundam illis, qualem Deo, dederint formam: quæram, an & avaritia, & luxuria, & dementia æque rotundæ ſint? ſunt enim & ipſæ animalia. Si has quoque corrotundaverint: etiamnum interrogabo, an prudens ambulatio animal ſit, nec ne? confiteantur neceſſe eſt. Deinde dicant, ambulationem eſſe animal, & quidem rotundum. Ne putes autem me primum ex noſtris, non ex præſcripto loqui, ſed meæ ſententiæ eſſe: inter Cleanthem, & diſcipulum

cum Gruteri. Sed prorſus contra mentem Senecæ: præſumit enim id, quod eſt in quæſtione, & ſerio auctor negat. Recte vero alii mss. & Eraſmus & priores editt. *Puta enim prudentiam eſſe.* ſcilicet in qua exemplum tentare velimus: habeatne, quod proprium eſt opus animalis. Ponamus prudentiam: faciamus periculum in prudentia. *Gronovius.*

8 *Hoc natura non recipit*] Priſci, *non præcipit*. Forte: *hoc natura non præcipit?* cum interrogatione, quæ aſſerendi vim habeat. Non enim hoc Prudentia jubet aut curat, ſed ipſa Natura ad id facta. *Lipſius.*

9 *Rotundam illis, qualem Deo*] Mundo, qui Stoicorum ſecundarius Deus. *Idem.*

10 *Ipſum*

pulum ejus Chryſippum, non convenit quid ſit ambulatio. Cleanthes ait: ſpiritum eſſe à principali uſque in pedes permiſſum: Chryſippus,[10] ipſum principale.[11] Quid eſt ergo, cur non ipſius Chryſippi exemplo ſibi quiſque ſe vindicet, & iſta tot animalia, quot mundus ipſe non poteſt capere, derideat? Non ſunt, inquit, virtutes multa animalia, & tamen animalia ſunt. Nam quemadmodum aliquis & poëta eſt & orator, & tamen unus: ſic virtutes iſtæ animalia ſunt, ſed multa non ſunt. Idem eſt animus & juſtus, & prudens, & fortis, ad ſingulas virtutes quodammodo ſe habens. Sublata eſt quæſtio: convenit nobis. Nam & ego interim fateor, animum animal eſſe: poſtea viſurus, quam de iſta re ſententiam feram. Actiones ejus animalia eſſe nego. Alioquin &[12] omnia verba erunt animalia, & omnes verſus. Nam ſi ſermo prudens bonum eſt: bonum autem omne animal eſt: ſermo ergo animal eſt. Prudens verſus, bonum eſt: bonum autem omne animal eſt: verſus ergo animal eſt. Itaque,

Arma virumque cano,

animal eſt:[13] quod non poſſunt rotundum dicere, cum ſex pedes habeat.[14] Textorium, inquis, totum mehercule iſtud

10 *Ipſum principale*] Nam in ea parte, ut Laërtius ait, Stoïcis *καὶ φαντασίαι καὶ ὁρμαὶ γίγνονται. & phantaſia, & appetitiones ſive impetus, gignuntur.* Cum Cleanthe faciat, quod Seneca *Movendi vim* inter *partes miniſtras* recenſet, epiſt. 92. Hæc illuſtranda ex 3 Phyſiolog. Diſſert. 17. & 18. *Lipſius.*

11 *Quid eſt ergo cur*] Alii diſtinguunt & legunt: *ipſum principale quod eſt. Ergo cur.* Si placet, tum malim: *ipſum principale quid eſſe.* Idem.

12 *Omnia verba*] Quæ ſunt iis corpora, ſicut ipſa vox: ſed non animalia. *Idem.*

13 *Quod non poſſunt rotundum dicere*] Videtur Seneca jocari in Stoïcos ſuos, quibus mundus erat & animal & Deus, de quo Varro; *Quomodo poteſt,* inquit, *rotundus eſſe ſine capite, ſine præputio?* hæc enim duo intelligit in corpore humano Varro maxime rotunda & quaſi tornata. Sed Platoni etiam mundus animal eſt & Deus: quem tamen propterea carere auribus & oculis & manibus & pedibus in Timæo ſcribit, quod nihil ei hujuſmodi inſtrumentis opus ſit, omnia ſuo complexu arcenti & continenti. ut huc potius reſpexiſſe Senecam & Varronem putem. hæc Gentilis lib. 2 Parerg.

14 *Textorium, inquis*] Quod texas, retexas: implices, & ſolvas. It res in orbem. Vide an non diſtinguendum: *Textorium, inquis, totum. Mehercule iſtud eſt.* Nam illa Lucilio tribuuntur objectanti: Seneca reſpondet, & probat. *Lipſius.*

15 *Illud*

iſtud eſt, quod cummaxime agitur. diſſilio riſu, cum mihi propono ſolœciſmum animal eſſe, & barbariſmum, & ſyllogiſmum, & aptas illis facies, tamquam pictor, aſſigno. Hæc diſputamus, attractis ſuperciliis, fronte rugoſa. Non poſſum hoc loco dicere [15] illud Cæcilianum: O triſtes ineptias! ridiculæ ſunt. Quin itaque potius aliquid utile nobis ac ſalutare tractamus, & quærimus quomodo ad virtutes venire poſſimus, quæ nos ad illas via adducat. Doce me, non an fortitudo animal ſit: ſed nullum animal felix eſſe ſine fortitudine, niſi contra fortuita convaluit, & omnes caſus antequam exciperet, meditando prædomuit. Quid eſt fortitudo? munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile: quod qui circumdedit ſibi, ſecurus in hac vitæ obſidione perdurat. Utitur enim ſuis viribus, ſuis telis. Hoc loco tibi Poſidonii noſtri ſententiam referre volo: Non eſt quod unquam fortunæ armis putes eſſe te tutum: tuis pugna contra ipſam. fortuita non armant. Itaque contra hoſtes inſtructi, contra ipſam inermes ſunt. Alexander quidem Perſas, & Hyrcanos, & Indos, & quidquid gentium uſque in Oceanum extendit Oriens vaſtabat, fugabatque: ſed ipſe modo [16] occiſo amico, [17] modo amiſſo, jacebat in tenebris, alias ſcelus, alias deſiderium ſuum mœrens; victor tot regum atque populorum, iræ triſtitiæque ſuccubuit. Id enim egerat, ut omnia potius haberet in poteſtate, quam affectus. O quam magnis homines erroribus tenentur, qui jus dominandi trans maria cupiunt permittere: feliciſſimoſque ſe judicant, ſi multas per milites provincias obtinent, & novas veteribus adjungunt, ignari quod ſit illud [18] ingens parque diis regnum! Imperare ſibi, maximum imperium eſt. Doceat me, quam ſacra res ſit juſtitia, alienum bonum ſpectans, nihil ex ſe petens, niſi uſum ſui.

15 *Illud Cæcilianum*] E comœdia veteri: etſi meus & alii libri, *illud Cæliani*. ut putes, *Cælianum*, fuiſſe, à noto illo oratore. *Lipſius*.

16 *Occiſo amico*] Clyto. *Idem*.

17 *Modo amiſſo*] Hephæſtione. *Idem*.

18 *Ingens paratumque regnum*] Meus & plerique ſcripti, *ingens parqueris regnum*. Optime in quibuſdam: *parque diis regnum*. Idem.

ſui. Nihil ſit illi cum ambitione famaque: ſibi placeat. Hoc ante omnia ſibi quiſque perſuadeat, Me juſtum eſſe gratis oportet. Parum eſt. adhuc illud perſuadeat tibi, Me in hanc pulcherrimam virtutem ultro etiam impendere juvet: ut tota cogitatio à privatis commodis quam longiſſime averſa ſit. Non eſt quod ſpectes, quod ſit juſtæ rei præmium majus, quam juſtum eſſe. Illud adhuc tibi affige, quod paulo ante dicebam: nihil ad rem pertinet, quam multi æquitatem tuam noverint. Qui virtutem ſuam publicari vult, non virtuti laborat, ſed gloriæ. Non vis eſſe juſtus ſine gloria? at mehercules ſæpe juſtus eſſe debebis cum infamia. Et tunc, ſi ſapis, mala opinio bene parta delectat.

Epist. CXIV.

Eloquentiam alias aliam eſſe, & placere: uti mores publici ſunt, ſeveri, ſoluti, fracti. Ab animo colorem illam ſumere: idque exemplo Mæcenatis docet. Illum igitur curandum & formandum eſſe: à quo ſenſus & verba deinde recta. Obiter contra luxuriam.

Quare quibuſdam temporibus provenerit corrupti generis oratio, quæris: & quomodo in quædam vitia inclinatio ingeniorum facta ſit, ut aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta, & in morem cantici ducta. Quare alias ſenſus audaces, & fidem egreſſi placuerint, alias abruptæ ſententiæ & ſuſpicioſæ, in quibus plus intelligendum eſt, quam audiendum: quare aliqua ætas fuerit, quæ tranſlationis jure uteretur inverecunde. Hoc, quod audire vulgo ſoles, quod apud Græcos in proverbium ceſſit; [1] talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Quemadmodum autem uniuſcujuſque actio dicenti ſimilis eſt, ſic genus dicendi

Epist. CXIV. 1 *Talis hominibus oratio*] Solonis dictum vetus: Τὸν λόγον εἴδωλον τῶν ἔργων. *Sermonem imaginem factorum eſſe.* Platonis: Οἷος ὁ λόγος, τοιοῦτος ὁ τρόπος. *Qualis oratio, talis vita.* Lipſius.

dicendi aliquando imitatur publicos mores. [2] Si diſciplina civitatis laboravit, & ſe in delicias dedit, argumentum eſt luxuriæ publicæ, orationis laſcivia: ſi modo non in uno aut in altero fuit, ſed approbata eſt, & recepta. Non poteſt alius eſſe ingenio, alius animo color. Si ille ſanus eſt, ſi compoſitus, gravis, temperans, ingenium quoque ſiccum ac ſobrium eſt: illo vitiato, hoc quoque afflatur. Non vides, ſi animus elanguit, trahi membra, & pigre moveri pedes? ſi ille effeminatus eſt, in ipſo inceſſu apparere mollitiem? ſi ille acer eſt & velox, concitari gradum? ſi furit, aut (quod furori ſimile eſt) iraſcitur, turbatum eſſe corporis motum, nec ire, ſed ferri? Quanto hoc magis accidere ingenio putas, quod totum animo permixtum eſt? ab illo fingitur, illi paret, inde legem petit. Quomodo Mæcenas vixerit, notius eſt, quam ut narrari nunc debeat: quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia ſua latere noluerit. Quid ergo? non oratio ejus æque ſoluta eſt, quam ipſe diſcinctus? non tam inſignita illius verba ſunt, quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor? Magni ingenii vir fuerat, ſi illud egiſſet via rectiore, ſi non vitaſſet intelligi, ſi non etiam in oratione difflueret. Videbis itaque eloquentiam ebrii hominis involutam, & errantem, & licentiæ plenam. [3] Mæcenas in cultu ſuo. [4] Quid turpius amne, ſilviſque ripa comanti-

2 *Si diſciplina civitatis laboravit*] Malim *laborat*, quomodo fere eſt in Pal. quart. inquit Gruterus. At dedita opera veteres in quibuſdam verbis id tempus malunt. Ut de Vita beata c. 7. *nunquam recta mens vertitur: nec ſibi odio eſt, nec quicquam mutavit optima.* Lib. 2 de Beneſ. 29. *ut naturam oderint, quod infra deos ſumus, quod non in æquo illis ſtetimus.* Epiſt. 20. *deliciis permaduimus, & omnia dura ac difficilia judicamus.* Epiſt. 49. *Efficias ut quicquid publice expavimus, ſciat non eſſe timendum.* Hac ipſa epiſtola: *cum ille paululum vacillavit, ſimul dubitant.* Cicero 3 Tuſcul. *Ut medici, toto corpore curando, minimæ etiam parti, ſi condoluit medentur.* Columella 7, 11. *ſi naturalis defuit aqua, vel inducitur fluens, vel infoſſi lacus ſignino conſternuntur.* Eodem libro cap. 9. *ſin autem defuit cuſtos, velut injuria repulſa, peregrinam regionem petit.* Quare potius *defuit* quam *deeſt*? Sed hæ ſunt deliciæ veterum, quarum magnam partem parum obſervamus. *Gronovius.*

3 *Mæcenas in cultu ſuo*] Libri *de cultu ſuo.* Lipſius.

4 *Quid turpius*] Fecerat Muretus, *Quid purius*, ſenſum credo ſecutus. ſed adverſus omnibus libris: qui præferunt

mantibus? Vide ut alveum [5] lintribus arent, verſoque vado [6] remittant hortos. Quid ſi quis feminæ [7] cirro criſpatæ, & labris [8] columbatur? Incipitque ſuſpirans, [9] ut cervice laxa feratur. [10] nemo [11] tyranni, irremediabilis factio rimantur, epulis, lagenaque tentant domos, & ſæpe mortem exigunt. [12] Genium feſto vix ſuo teſtem, [13] tenuis cerei fila & crepacem molam, focum mater aut uxor [14] inveſtiunt. Non

ſunt quod vulgavi. Fortaſſe, *Mæcenatis in cultu ſuo quid turpius?* tum verſus:

Amne ſilviſque ripa comantibus.

Sunt enim verſiculi fere (quod obſerves) undecim ſyllabarum. *Lipſius.*

5 *Lintribus arent*] Ut Virgilius:

—— *vaſtum maris æquor arandum eſt.* Idem.

6 *Remittant hortos*] Scaliger ille eximius faciebat, *remigant hortos:* ut dicat quod Virgilius,

—*virideſque ſecat placido æquore ſilvas.*

Sed verſus vacillet: & legam ego, *remiſciant hortos.* Videſne, inquit, ut arent alveum tenuem inter hortos, & remis ſublatis hortos ipſos verberent? *Idem.*

7 *Cirro criſpatæ*] Cujus cirri penduli criſpentur, & annulati ſint à calamiſtro. *Idem.*

8 *Columbatur*] Recte, & nota oſcula columbina; tamen in meo palam, *colubratur.* quod non abhorreat à Mæcenatis ſermone, & ſcimus beſtias illas arcte jungi, & Plauti verbo, limari. Quin & duplex lingua eſt colubrorum, & idem Plautus alibi luſit. *Fac me proſerpentem beſtiam, duplicem linguam ut habeam.* Idem.

9 *Ut cervice laxa feratur*] Scaliger, *ferantur.* Sed hoc verbi nuſquam in ſcriptis, qui præferunt omnes, *ſanantur*, aut quidam *fanantur.* Quod poſtremum arripio, novatore illo dignum: atque à *fano* derivo, & interpretor Furere atque inſanire. Nonne ab eo *Fanatici?* Lege tamen ſingulari numero, *fanatur*, ex ſenſu: & paullo ante, *& cervice lapſa*, quod item nonnulli libri. nam labi & jactari cervix ſolet in furore. *Idem.*

10 *Nemo tyranni*] Priſci libri, *nemore*, quidam *ne mori*, alii *nec more:* quod ultimum probem, ſed cum prioribus jungam, ut ultra morem bacchetur. *Idem.*

11 *Tyranni irremediabilis*] *Irremediabilem*] ἀνήκεστον, implacabilem atque inſanabilem capimus: ſed in ſententia reliqua hæremus. Scaliger putat, direptionem domus deſcribi, cum à tyranno milites immiſſi omnia eſculenta ac poculenta prædam ſuam faciunt. Mihi videbantur deſcribi ſatellites, aut miniſtri togatæ tyrannidis. qui in conviviis & poculis inſidiantur, verba ibi liberiora captant, & exitium inde ſtruunt. Hæc factitata, vel è Tacito liquet, & ipſe Seneca de Beneficiis. Sane verba illuc eunt. *Idem.*

12 *Genium feſto*] Deparcum hominem deſcribit, qui nec Genium Genii feſto placat. *Idem.*

13 *Tenuis cerei*] Mihi rectum. lumen ibi tenue, cereus vix ceratus. Magnus ille vir, *tenuis Cereris*, & ad farinam refert. *Idem.*

14 *Inveſtiunt*] Idem interpretatur, *fovent & calfaciunt*, vultque à *Veſta* ambitioſe formatum. Ego cenſebam, à *veſte* potius: & ſignificari in avari illius ædibus, ipſo Genii feſto, exiguum focum, quem aſſiderent & cingerent mater aut uxor: & demiſſæ, ut ſolent, veſtibus tegerent. Hæc in partibus: ipſos verſus ordinatos (pro meo judicio) dabo: præfatus, non continuos fuiſſe, ſed particulas electas à Se-

Digiti

Non ſtatim hæc cum legeris, hoc tibi occurret, hunc eſſe qui [15] ſolutis tunicis in urbe ſemper inceſſerit? Nam etiam cum abſentis partibus Cæſaris fungeretur, ſignum à diſcincto petebatur. Hunc eſſe qui in tribunali, in roſtris, in omni públíco cœtu ſic apparuerit, ut [16] pallio velaretur caput, excluſis utrimque auribus, non aliter [17] quam in Mimo divites fugitivi ſolent? Hunc eſſe cui, cummaxime civilibus bellis ſtrepentibus, & ſolicita urbe & armata, comitatus hic fuerit in publico: ſpadones duo, magis tamen viri quam ipſe? Hunc eſſe, qui [18] uxorem millies duxit: cum unam habuerit? Hæc verba tam improbe ſtructa, tam negligenter abjecta, tam contra conſuetudinem omnium poſita,

à Seneca, in quibus novitas vel affectatio eminerent. Itaque argumenta palam diſſident, nec hærent. Fateor tamen ex longiore uno carmine eſſe, cui titulus *de Cultu ſuo*. Commation unum, de Cymbis inter hortos:

Amne, ſilviſque ripa comantibus,
Vides ut alveum lintribus arent,
Verſoque vado remi iciant hortos!

Commation alterum, Venereum:

Quid, ſiquis fœmina cirro-criſpata
Labris colubratur?

Tertium, de Bacchabunda:

——— *incipitque ſu-*
Spirans, & cervice lapſa ſanatur,
Nec more.

Quartum, ſuper tyrannide:

Tyranni irremediabilis factio
Rimantur epulis, lagenaque tentant
Domos, & ſæpe mortem exigunt.

Quintum:

Geniumque feſto vix ſuo teſtem,
Tenuis cerei fila, & crepacem molam.
Focum mater aut uxor inveſtiunt.

Sed quid aliud agimus? in Seneca pergamus. *Lipſius.*

15 *Solutis tunicis*] Notum & decantatum eſt. Poëta de illo:

Improbe, quid tandem tunicæ nocuère ſolutæ?
Aut tibi ventoſi quid nocuere ſinus?

ubi & de toga laxa fatetur. *Idem.*

16 *Pallio velaretur caput*] Quod imbecilli aut delicatuli ſolent. Nam reliqui capite intecto. Docui in Amphitheatro, cap. 20. atque ibi de ipſo hoc loco. *Idem.*

17 *Quam in Mimo divites fugitivi*] Imo divites non fugiunt, ſed eorum ſervi. Scribo, *divitis*, igitur: aut *divite*, ut is titulus fuerit Mimi. *Idem.* In Comœdiis autem & mimis ſervuli fugitivi, conjecto in humeros pallio & capite velato exprimebantur. Vel lege: *non aliter quam in mimo divite fugitivi ſolent.* Ad rem ipſam quod attinet, delicatorum fuiſſe aut imbecillium capite incedere palliato, haurimus etiam ex Plutarcho, ubi ſuperbiam Pompeiani liberti Demetrii taxans, *Domino ſtante ipſius*, inquit, *accumbebat* δὲ οὗτος κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον. qui locus bene allucet illi Senecæ; ſicut & huic Petronii deſcribentis accubitum molliſſimi omnium Malchionum: *Pallio coccino adraſum incluſerat caput.* & Plauti verſum auſim illuc trahere: *Tum iſti Græci palliati, capite operto qui ambulant.* Sceenice enim tangit delicatos & molles iſtos, quod etiam alias ſolet per occaſionem. vide d. cap. 20. Lipſii.

18 *Uxorem millies duxit*] Terentiam ſuam. cum qua aſſidua jurgia, divortia, iterumque conjugia. Vide de Provid. c. 3. *Lipſius.*

ſita, oſtendunt, mores quoque non minus novos & pravos, & ſingulares fuiſſe. Maxima laus illi tribuitur manſuetudinis: pepercit gladio, ſanguine abſtinuit: nec ulla alia re, quid poſſet, quam licentia oſtendit. Hanc ipſam laudem ſuam corrupit iſtis orationis portentoſiſſimæ deliciis. Apparet enim mollem fuiſſe, non mitem. Hoc iſtæ ambages compoſitionis, hoc verba tranſverſa, hoc ſenſus magni quidem ſæpe, ſed enervati dum exeunt, cuivis manifeſtum facient. motum illi felicitate nimia caput: quod vitium hominis eſſe interdum, interdum temporis ſolet. Ubi luxuriam late felicitas fudit, cultus primum corporum eſſe diligentior incipit; deinde ſupellectili laboratur; deinde in ipſas domos impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum reſpondeat nitor; deinde ad cœnas lautitia transfertur, & illic commendatio ex novitate & ſoliti ordinis commutatione captatur. ut ea [19] quæ claudere cœnam ſolent, prima ponantur; ut quæ advenientibus dabantur, exeuntibus dentur. Cum aſſuevit animus faſtidire quæ ex more ſunt, & illi pro ſordidis ſolita ſunt; etiam in oratione quod novum eſt, quærit: & modo antiqua verba atque exoleta revocat & profert: modo fingit, & ignota deflectit: modo id quod nuper increbuit, pro cultu habetur, audax tranſlatio, ac frequens. Sunt qui ſenſus præcidant, & hinc gratiam ſperent, ſi ſententia pependerit, & audienti ſuſpicionem ſui fecerit: ſunt qui illos detineant, & porrigant: ſunt qui non uſque ad vitium accedant (neceſſe eſt enim hoc

19 *Quæ claudere cœnam*] Non lactucæ tantum, de quibus Martialis:

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi cur noſtras inchoet illa dapes? Lipſius,

Sed de aliis etiam deliciis noſter intellegit. quas aperit Plutarchus 8 Conviv. Quæſt. cap. 9. ubi notat, *ordinem quoque ciborum cauſſam morbis dediſſe. Quippe menſæ*, inquit, *quæ prius appellabantur frigidæ: oſtreorum, echinorum, crudorum olerum* (inter quæ lactuca) *ab ultimo agmine ad frontem traducta, locum nunc obtinent primum.* Idem.

20 *Coro-*

hoc facere, aliquid grande tentanti) ſed qui ipſum vitium ament. Itaque ubicumque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque à recto deſciviſſe, non erit dubium. Quomodo conviviorum luxuria, quomodo veſtium, ægræ civitatis indicia ſunt: ſic orationis licentia (ſi modo frequens eſt) oſtendit animos quoque, à quibus verba exeunt, prociđiſſe. Mirari quidem non debes corrupta excipi, non tantum à [20] corona ſordidiore, ſed ab hac [21] turba quoque cultiore. Togis enim inter ſe iſti, non judiciis diſtant. Hoc magis mirari potes, quod non tantum vitioſa, ſed & vitia laudantur. Nam illud ſemper factum eſt: nullum ſine venia placuit ingenium. Da mihi quemcumque vis magni nominis virum. dicam, quid illi ætas ſua ignoverit, quid in illo ſciens diſſimulaverit. Multos dabo, quibus vitia non nocuerint: quoſdam, quibus profuerint. Dabo, inquam, maximæ famæ & inter miranda propoſitos: quos ſi quis corrigit, delet. Sic enim vitia virtutibus immixta ſunt, ut illas ſecum tractura ſint. Adjice nunc, quod oratio certam regulam non habet. Conſuetudo illam civitatis, quæ numquam in eodem diu ſtetit, verſat. Multi ex alieno ſeculo petunt verba: duodecim tabulas loquuntur: Gracchus illis, & Craſſus, & Curio, nimis culti & recentes ſunt: ad Appium uſque, & ad Coruncanum redeunt. Quidam contra, dum nihil niſi tritum & uſitatum volunt, in ſordes incidunt. Utrumque diverſo genere corruptum eſt, tam mehercules, quam ſi vellent ſplendidis uti, ac ſonantibus, & poëticis; neceſſaria, & in uſu poſita vitare: tam hunc dicam peccare, quam illum. Alter ſe juſto plus colit, alter ſe juſto plus negligit: [22] ille & crura, [23] hic nec alas quidem vellit. Ad compoſitionem tranſeamus. quot genera tibi dabo in hac, quibus peccetur? Quidam perfectam &

20 *Corona ſordidiore*] Pullata plebe. *Lipſius*.

21 *Turba quoque cultiore*] Nitida & ſplendenti: Senatore & Equite. *Idem*.

22 *Ille & crura*] Quod effœminati ſolent. *Idem*.

23 *Hic nec alas*] Atque ita hircum olet. *Idem*.

& aſperam probant; diſturbant de induſtria, ſi quid placidius effluxit: nolunt ſine ſalebra eſſe juncturam; virilem putant & fortem, quæ aurem inæqualitate percutiat. Quorumdam non eſt compoſitio: modulatio eſt: adeo blanditur, & molliter labitur. Quid de illa loquar, in qua verba differuntur, & diu exſpectata vix ad clauſulas redduntur? Quid de illa in exitu lenta, qualis Ciceronis eſt, devexa, & molliter deſinens, nec aliter quam ſolet, ad morem ſuum pedemque reſpondens? Non tantum in genere ſententiarum vitium eſt, ſi aut puſillæ ſunt & pueriles, aut improbæ, & plus auſæ quam pudore ſalvo licet: ſed ſi floridæ ſunt, & nimis dulces, ſi in vanum exeunt, & ſine effectu, nihil amplius quam ſonant. Hæc vitia unus aliquis inducit, ſub quo tunc eloquentia eſt: ceteri imitantur, & alter alteri tradunt. Sic Salluſtio vigente, amputatæ ſententiæ, & verba ante exſpectatum cadentia, & obſcura brevitas, fuere pro cultu. Arruntius vir raræ frugalitatis, qui hiſtorias belli Punici ſcripſit, fuit Salluſtianus, & in illud genus nitens. Eſt apud Salluſtium: Exercitum argento fecit: id eſt, pecunia paravit. Hoc Arruntius amare cœpit: poſuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco: Fugam noſtris fecere. Alio loco: Hiero Rex Syracuſanorum, bellum facit. Et alio loco: Quæ audita Panormitanos dedere Romanis fecere. Guſtum tibi dare volui. Totus his contexitur liber. Quæ apud Salluſtium rara fuerunt, apud hunc crebra ſunt, & pene continua, nec ſine cauſſa. ille enim in hæc incidebat: at hic illa quærebat. Vides autem quid ſequatur, ubi alicui vitium pro exemplo eſt. Dixit Salluſtius: [24] Aquis hiemantibus. Arruntius in primo libro belli Punici ait; Repente hiemavit tempeſtas. Et alio loco, cum dicere vellet frigidum annum fuiſſe, ait: Totus hiemavit annus. Et alio loco: Inde ſexaginta onerarias, leves, præter militem & neceſſarios nautarum, hiemante Aqui-

24 *Aquis hiemantibus*] De mari eſt. & tale hoc Horatii:

—— & atrum
Defendens piſces hiemat mare. Lipſius.

25 *Aut*

Aquilone miſit. Non deſinit omnibus locis hoc verbum inſulcire. Quodam loco Salluſtius dicit: Inter arma civilia æqui boni famas petit. Arruntius non temperavit, quominus primo ſtatim libro poneret: Ingentes eſſe famas de Regulo. Hæc ergo & hujuſmodi vitia, quæ alicui impreſſit imitatio, non ſunt indicia luxuriæ, nec animi corrupti. Propria enim eſſe debent, & ex ipſo nata, ex quibus tu æſtimes alicujus affectus. Iracundi hominis iracunda oratio eſt: commoti nimis incitata, delicati tenera & fluxa. Quod vides iſtos ſequi, qui [25] aut vellunt barbam, [26] aut intervellunt: qui labra preſſius tondent & abradunt, ſervata & [27] ſubmiſſa cetera parte: qui [28] lacernas coloris improbi ſumunt, qui [29] perlucentem togam: qui nolunt facere quidquam quod hominum oculis tranſire liceat. Irritant illos, & in ſe advertunt: volunt vel reprehendi, dum conſpici. Talis eſt oratio Mæcenatis, omniumque aliorum, qui non caſu errant, ſed ſcientes volenteſque. Hoc à magno animi malo oritur. Quomodo in vino non ante lingua titubat, quam mens ceſſit oneri, & inclinata [30] vel prodita eſt: ita iſta oratio (quid aliud quam ebrietas?) nulli moleſta eſt, niſi animus labat. Ideo ille curetur: ab illo ſenſus, ab illo verba exeunt, ab illo nobis eſt habitus, vultus, inceſſus. Illo ſano ac valente, oratio quoque robuſta, fortis, virilis eſt: ſi ille procubuit, & cetera ſequuntur ruinam.

—— Rege incolumi, mens omnibus una eſt.
Amiſſo, rupere fidem.

Rex

25 *Aut vellunt barbam*] De Brevit. vit. cap. 12. *Lipſius.*

26 *Aut intervellunt*] Tertullianus de Cultu fœm. cap. 8. *Proprias preſtigias forma & hic ſexus* (virilis) *ſibi agnoſcit, barbam acrius cadere, intervellere.* Idem.

27 *Submiſſa cetera parte*] Puto magis, *certa parte:* nempe extrema, & quam μύστακα vocamus. *Idem.*

28 *Lacernas coloris improbi*] Purpurei aut coccinei. Ideo autem *improbus,* quia nondum tritus, & impudentiæ vel audaciæ aliquid habebat. *Idem.*

29 *Perlucentem togam*] Sericam aut bombycinam, fœminarum exemplo. *Idem.*

30 *Vel perdita eſt*] Amiſiſſe enim mentem dicitur, qui ejus uſum. Atque hoc melius, quam *prodita:* ut alii. *Idem.*

Rex noſter eſt animus. hoc incolumi, cetera manent in officio, parent & obtemperant: [31] cum ille paulum vacillavit, ſimul dubitant. Cum vero ceſſit voluptati, artes quoque ejus, actuſque marcent, & omnis ex languido fluidoque conatus eſt. Quoniam hac ſimilitudine uſus ſum, perſeverabo. Animus noſter modo rex eſt, modo tyrannus. rex, cum honeſta intuetur, ſalutem ſibi commiſſi corporis curat, & illi nihil imperat turpe, nihil ſordidum: ubi vero impotens, cupidus, delicatus eſt, tranſit in nomen deteſtabile ac dirum, & fit tyrannus. Tunc illum excipiunt affectus impotentes, inſtantque: qui initio quidem gaudet, ut ſolet populus largitione nocitura fruſtra plenus, & quæ non poteſt haurire, contrectat. Cum vero magis ac magis vires morbus exedit, & in medullas nervoſque deſcendere deliciæ: conſpectu eorum, quibus ſe nimia aviditate inutilem reddidit, lætus, pro ſuis voluptatibus habet ſpectaculum alienarum, ſubminiſtrator libidinum teſtiſque, quarum ſibi uſum ingerendo abſtulit; nec illi tam gratum eſt abundare jucundis, quam acerbum, quod non omnem illum apparatum per gulam ventremque tranſmittit: non cum omni exoletorum feminarumque turba convolutatur: mœretque, quod magna pars ſuæ felicitatis excluſa corporis anguſtiis, ceſſat. Numquid enim, mi Lucili, hic furor eſt, quod nemo noſtrum mortalem ſe cogitat? quod nemo

31 *Cum ille paulum vacillavit, ſimul nutant*] Libri omnes, *dubitant*. Legerem, *titubant*. *Idem*. Sic voluit & juſſit Muretus. At ſcripti & editi veteres omnes: *ſimul dubitant*. Nimirum non mentis & cogitationis ſolum dubitatio eſt, ſed ad quodcunque etiam ſtatus incertum & ambiguum ſignificandum idem verbum adhibetur. Noſter, de Quinto Haterio epiſt. 40. *Nunquam dubitavit, nunquam intermiſit*. Agamemnone: *Incerta dubitat unda, cui cedat malo*. Livius lib. 21. *ſi fortuna dubitabit, in prælio potius quam in fuga mortem oppetere*. Apud Ovidium lib. 3 de Ponto, eleg. 1. *Quid trepidas & adire times?* In ms. erat: *Quid dubitas*. Nec video cur more plurimorum ad inanimata non poſſit transferri, ut ſit idem quod titubare, nutare. Lib. 6 Nat. Quæſt. 9. *Tunc chaſmata, tunc hiatus vaſti aperiuntur: aut cum diu dubitaverunt, ſuper ea ſe, quæ ſuperſunt, ſtantque, componunt*. Ita enim reſtituimus volentibus omnibus ſcriptis: nam vulgo obtinet Pinciani conjectura, *nutavere*. Gronovius.

32 *Ad-*

mo imbecillum? imo quod nemo noſtrum unum eſſe ſe cogitat? Adſpice culinas noſtras, & concurſantes inter tot ignes coquos noſtros, unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? [32] Adſpice veterana noſtra, & plena multorum ſeculorum vindemiis horrea: unum putas videri ventrem, cui tot conſulum regionumque vina conduntur? Adſpice quot locis vertatur terra, [33] quot millia colonorum arent, fodiant: unum putas videri ventrem, cui & in Sicilia, & in Africa ſeritur? Sani erimus, & modica concupiſcemus, ſi unuſquiſque ſe numeret: metiatur ſimul corpus, ſciatque, nec multum capere, nec diu poſſe. Nihil tamen æque tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis ævi, & hujus incerti. Quidquid facies, reſpice ad mortem.

EPIST. CXV.

Contra nimis ſermonis aut ſtili anxios: & minuti hoc animi eſſe. Cum fiducia ſcribendum loquendumque, ſine quaſito ornatu. Quem in animo potius ſpecta. O qualis ille, ubi Virtutes eum excoluerunt! omnes in amorem rapiat, ſi conſpici poſſit. At externus iſte ſplendor falſus, aut nihili eſt: item aurum omne

&

32 *Adſpice veteraria noſtra*] Alii, *veterana.* quomodo in Scholiaſte Horatii: *Jocalariter amphoram, quam habebat in veterano, alloquitur.* Veterana igitur, ubi vina vetera, aut ut veteraſcerent, reponebant: Apothecas alio nomine, aut & Horrea dicta. Horatius:

Parcius deripere horreo
Ceſſantem Bibuli conſulis amphoram.
Lipſius.

Vera profecto lectio, quæ fuit in codice Pinciani, *veterana.* Quam mire firmat Scholiaſtes Horatii ad lib. 3. od. 21. *Jocalariter amphoram quam habebat in veterano, alloquitur.* Noſter lib. 4 Nat. Quæſt. 13. *vina diffundere veterana.* Infulſum putat vir doctus, ſub hac voce *vina* intelligi, cum apothecam ſignificat. At nihil certius, etiam cum locus dicitur, id intelligi, & *vina veterana,* vel *veteranum vinum* appellari apothecam per metonymiam contenti pro continente. Talia ſunt complura etiam urbium nomina à populis, qui inhabitant: ut *Leontini*, *OEniadæ*, *Andes*, *Pariſii*, *Bituriges*: ſic *condita* dicuntur pro horreis, in quibus, quæ adſervantur, ſunt condita. *Gronovius.*

33 *Quot millia colonorum*] Deus bone, nota opes unius privati hominis: & addeſis quæ in Admirandis lib. 2. dixi. *Lipſius.*

& pecunia, quæ miramur. Non faciunt hæc felices, aut ſecuros: imo & miſeros, & miſerandos.

NImis anxium eſſe te circa verba & compoſitionem, mi Lucili, nolo: habeo majora quæ cures. Quære quid ſcribas, non quemadmodum: & hoc ipſum, non ut ſcribas, ſed ut ſentias: ut illa quæ ſenſeris, magis applices tibi, [1] & veluti ſignes. Cujuſcumque orationem videris ſolicitam & politam, ſcito, animum quoque non minus eſſe puſillis occupatum. Magnus ille remiſſius loquitur, & ſecurius: quæcumque dicit, plus habent fiduciæ, quam curæ. Noſti complures juvenes, barba & coma nitidos, [2] de capſula totos: nihil ab illis ſperaveris forte, nihil ſolidum. Oratio vultus animi eſt: [3] ſi circumtonſa eſt, & fucata, & manufacta, oſtendit illum quoque non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti. Non eſt ornamentum virile, concinnitas. Si nobis animum boni viri liceret inſpicere, ô quam pulcram faciem, quam ſanctam, quam ex magnifico placidoque fulgentem videremus? hinc juſtitia, illinc fortitudine, hinc temperantia prudentiaque lucentibus. Præter has frugalitas, & continentia, & tolerantia, & libertas, comitaſque, & (quis credat?) in homine rarum humanitas bonum, ſplendorem illi ſuum affunderent. Tum providentia, tum elegantia, & ex iſtis magnanimitas eminentiſſima, quantum, dii boni! decoris illi, quantum ponderis, gravitatiſque adderent: quanta eſſet cum gratia auctoritas? Nemo illum amabilem, qui non ſimul venerabilem diceret. Si quis viderit

EPIST. CXV. 1 *Et veluti ſignes*] Signo impreſſo munias, ne elabantur, ne eripiantur. Metaphora à vaſis, quæ ſignare ſolemus cuſtodiæ. *Lipſius.*

2 *De capſula totos*] Mihi placeat. & eſt ipſum, quod noſter ſermo habet, *de arcula prodire.* Scilicet veſtes, & quæ munda haberi volumus, capſa aut arca clauduntur: toti ab ea ſunt, quorum habitus ſic politus, ut prodire ſe recenter clamet. Adde de Tranquill. cap. 1. Doctiſſimus tamen Scaliger *deſcapulatos* legit: eoſque accipit,

Effluit effuſo quis toga laxa ſinu. Idem.

3 *Si circumtonſa eſt*] Perpolita, curioſe reciſa, & velut rotundata. Nam ſic in coma ſolent. Varro in Fragmento: *Alii ſunt circumtonſi: & torti atque unctuli, ut mangonis videantur eſſe ſervi.* Idem.

4 Ut

derit hanc faciem altiorem fulgentioremque, quam cerni inter humana conſuevit, nonne velut numinis occurſu obſtupefactus reſiſtat, & [4] ut fas ſit vidiſſe, tacitus precetur? Tum advocante ipſum vultus benignitate productus, adoret ac ſupplicet: & diu contemplatus multum exſtantem, ſupraque menſuram ſolitorum inter nos adſpici, elatam, oculis miti quidem, ſed nihilominus vivido igni flagrantibus, tunc demum illam Virgilii noſtri vocem verens atque attonitus emittat:

O quam te memorem virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem ſonat. ——
Sis felix, noſtrumque leves quæcumque laborem.

Aderit, levabitque, ſi colere eam voluerimus. Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec [5] auro argentoque ſuſpenſo, nec in theſauros [6] ſtipe infuſa, ſed pia & recta voluntate. Nemo, inquam, non amore ejus arderet, ſi nobis illam videre contingeret. Nunc enim multa [7] obſtrigillant, & aciem noſtram aut ſplendore nimio repercutiunt, aut obſcuro retinent. [8] Sed ſi quemadmodum viſus oculorum quibuſdam medicamentis acui ſolet, & repurgari: ſic & nos, ſi aciem animi liberare impedimentis voluerimus, poterimus perſpicere virtutem, etiam obrutam corpore, etiam paupertate oppoſita, & humilitate & infamia objacentibus. Cernemus, inquam, pulcritudinem illam,

4 *Ut fas ſit vidiſſe*] Solennis in occurſu Deorum precatio. Apud Livium lib. 1. Proculus conſpecto Romulo, *venerabundus adſtitit, precibus petens, ut contra intueri fas eſſet.* Et L. Vitellius in Dione, cum Caligula rogaſſet, *Ecquid cum Luna congredientem ſe vidiſſet? abjectis in terram oculis, Nam vobis Dii Domine, inquit, ſolis inter vos licet videre.* Lipſius.

5 *Auro argentoque ſuſpenſo*] Inter donaria. *Idem.*

6 *Stipe infuſa*] Varro: *Diis, cum theſauris aſſem dant, ſtipem dicunt.* Ade noſtrum de Benef. 7. c. 4. *Idem.*

7 *Obſtrigillant*] Obſtant, ſe opponunt. Vide Nonium Marcellum in eo verbo. *Idem.*

8 *Sed quemadmodum viſus*] Omnes Pall. *Sed ſi quemadmodum.* Mediam particulam deleverunt, qui ſuperfluam putarent, quando ſequitur, *ſic & nos ſi aciem.* Atqui elegans eſt ejus repetitio propter interjecta. Qualem particulæ, *ut*, notavimus ad Livium: & quarumcumque aliarum vocum ad lib. 1 de ira, 3. *Gronovius.*

illam, quamvis ſordido obtectam. Rurſus æque malitiam, & [9] ærumnoſi animi veternum perſpiciemus: quamvis multus circa divitiarum radiantium ſplendor impediat, & intuentem, hinc honorum, illinc magnarum poteſtatum falſa lux verberet. Tunc intelligere nobis licebit, quam contemnenda miremur, ſimillimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio eſt. Parentibus quippe, nec minus fratribus, præferunt parvo ære empta monilia. Quid ergo inter nos & illos intereſt, [10] ut Ariſto ait, niſi quod nos circa tabulas & ſtatuas inſanimus, carius inepti? Illos reperti in littore calculi leves, & aliquid habentes varietatis, delectant, nos ingentium maculæ columnarum: ſive ex Ægyptiis arenis, ſive ex Africæ ſolitudinibus advectæ, porticum aliquam vel capacem populi cœnationem ferunt. Miramur parietes tenui marmore inductos: cum ſciamus quale ſit, quod abſconditur. oculis noſtris imponimus. Et cum [11] auro tecta perfundimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? ſcimus enim ſub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantum parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur: omnium iſtorum quos incedere altos vides, [12] bracteata felicitas

9 *Ærumnoſi animi veternum*] Quod hoc conjugium *malitiæ* & *ærumnarum*? *Ærumnoſus*, qui dura multa perfert, & quidem indigne. Sic Hercules, Ulyſſes, Attilius Regulus *ærumnoſi*: etſi in poſtremo diſputent Paradoxa Stoïca. Fortunæ id, non vitii, vocabulum. Lego: *æruginoſi animi veternum*. Horatius interpres, de arte: *hæc animos ærugo & cura peculi Quum ſemel imbuerit.* Lib. 1. Sat. 4. *hic nigræ ſuccus lolliginis, hæc eſt Ærugo mera.* Idem bene pingit veternum illum ac ſitum æruginoſi & invidia tædioque omnium rerum laborantis & ſe comedentis animi lib. 1. Sat. 8.

Sed quia mente minus validus, quam corpore toto,
Nil audire velim, nil diſcere, quod levet ægrum,
Fidis offendar medicis, iraſcar amicis,
Cur me funeſto properent arcere veterno:
Quæ nocuere, ſequar: fugiam, quæ profore credam:
Romæ Tibur amem ventoſus, Tibure Romam.

Martialis 2, 61. *miſeraque ærugine captus Adlatras nomen.* Et lib. 10, 33. *viridi tinctos ærugine verſus.* Utitur proprie noſter, quum *æruginoſas lamellas* appellat in libro de Brev. vitæ cap. 12. *Gronovius.*

10 *Ut Ariſto ait*] Ariſto ille Chius, Zenonis diſcipulus. *Lipſius.*

11 *Auro tecta perfundimus*] Interiora tecta, id eſt lacunaria, è ſequentibus: etſi ſuperiora etiam ſolent, & tegulas ipſas inaurare. *Idem.*

12 *Bracteata felicitas*] Manet in imagine. ſicut illic auri tenuis bractea, ſive lamina, inducitur: ſic in noſtra iſta felicitate ſolidum non eſt, ſpecies tantum

licitas eſt. Inſpice, & diſces [13] ſub iſta tenui membrana dignitatis, quantum mali lateat. Hæc ipſa res tot magiſtratus, [14] tot judices detinet, quæ magiſtratus & [15] judices facit, pecunia; quæ ex quo in honore eſſe cœpit, verus rerum honor cecidit: mercatoreſque & venales invicem facti, quærimus, non quale ſit quidque, ſed quanti. Ad mercedem pii ſumus, ad mercedem impii. Honeſta, quamdiu aliqua illis ſpes ineſt, ſequimur: in contrarium tranſituri, ſi plus ſcelera promittant. Admirationem nobis parentes auri argentique fecerunt: & teneris infuſa cupiditas altius ſedit, crevitque nobiſcum. Deinde totus populus in alia diſcors, in hoc convenit: hoc ſuſpiciunt, hoc ſuis optant, hoc diis velut rerum humanarum maximum, cum grati videri volunt, conſecrant. Denique eo mores redacti ſunt, ut paupertas maledicto probroque ſit, contempta divitibus, inviſa pauperibus. Accedunt inde carmina poëtarum, quæ affectibus noſtris facem ſubdant, quibus divitiæ velut unicum vitæ decus ornamentumque laudantur. Nihil illis melius nec dare videntur Dii immortales poſſe, nec habere.

Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro.

Ejuſdem currum adſpice.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſumma
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Denique quod optimum videri volunt ſeculum, aureum ap-

tantum & velut cruſta. *Lipſius.* Veteres gloſſæ *bracteam*, tenuem auri argentique laminam interpretantur. inde *bractearii.* in l. 2. Cod. de exc. artif. quos *bracteatores* vocat Firmicus lib. Math. apud Plin. lib. 16. cap. 44. *bracteas ligni* legimus. apud Prudentium Hymno 10. *fulgorem bractealem.* Sed & Plinius in Panegyr. *mentis aurea dictum bracteatum vocat.* Juretus ad lib. 1. epiſt. 26. Symmachi.

13 *Sub iſta tenui membrana*] Alluſum videatur ad dictum Antigoni regis, qui mulierculæ admiranti felicitatem ejus dixit: *O mulier ſi ſcias quantum mali ſub faſcia iſta* (diademate) *lateat, nec humi jacentem tollas.* Lipſius.

14 *Tot judices detinet*] In litibus cognoſcendis & finiendis. *Idem.*

15 *Judices facit*] Non tangit ambitum, aut quod emerint dignitatem: ſed ſignificat ex cenſu & opibus fieri, quod Romæ obtinebat. *Idem.*

16 *Sa-*

appellant. Nec apud tragicos deſunt, qui lucro innocentiam, [16] ſalutem, opinionem bonam mutant.

[17] *Sine me vocari peſſimum, ut dives vocer.*
An dives, omnes quærimus: nemo, an bonus.
[18] *Non quare, & unde: quid habeas, tantum rogant.*
[19] *Ubique tanti quiſque, quantum habuit, fuit.*
Quid habere nobis turpe ſit, quæris? nihil.
Aut dives opto vivere, aut pauper mori.
Bene moritur, qui, dum moritur, lucrum facit.
[20] *Pecunia ingens generis humani bonum,*
Cui non voluptas matris, aut blanda poteſt
Par eſſe prolis, non ſacer meritis parens.
Tam dulce ſi quid Veneris in vultu micat,
Merito illa amores cælitum atque hominum movet.

Cum hi noviſſimi verſus in tragœdia Euripidis pronuntiati eſſent, totus populus ad ejiciendum & actorem & carmen conſurrexit uno impetu: donec Euripides in medium ipſe proſiluit, petens, ut exſpectarent, viderentque quem admirator auri exitum faceret. Dabat in illa fabula [21] pœnas Bellerophontes, quas in ſua quiſque dat. Nulla enim avaritia

16 *Salutem, opinionem*] Retineo *ſalutem*, etſi libri vacillant. Nam ſequentia verba dicunt, etiam vitam & ſalutem ſperni præ lucro. Quid verba? res î ꝑſa cotidie. *Lipſius.*

17 *Sine me vocari*] Non ſunt uniùs poëtæ, ſed plurium, hi verſus: extremi autem Euripidis, ut dicam. *Idem.* Si haberemus ipſum, unde hæc vertit Seneca, ſciremus, rectiuſne legeretur: *Sine.* Patior facile, ut ille apud Horatium: *populus me ſibilat, at mihi plaudo Ipſe domi.* Quamvis poteſt alterum tolerari, ut Dives ille turpis hæc reſpondeat perſonæ, quæ hanc amici famam ægre ferat, & ſe forte alicubi defendiſſe dixerit. *Gronovius.*

18 *Non quare & unde*] Satyricus:
Unde habeas quærit nemo, ſed oportet habere. Lipſius.

19 *Ubique tanti*] Idem:
— tanti, quanti habeas, ſis. Idem.

20 *Pecunia ingens*] Hæc ex Euripide ſive ipſe, ſive alius. Græci quidem in Stobæi Serm. 89.
Ὦ χρυσὲ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς.
Ὡς οὐδὲ μήτηρ ἡδονὰς τοίας ἔχει,
Οὐ παῖδες ἀνθρώποισιν, οὐ φίλος πατήρ.
Εἰ δ' ἡ Κύπρις τοιοῦτον ὀφθαλμοῖς ὁρᾷ,
Οὐ θαῦμ' ἔρωτας μυρίους αὐτὴν τρέφειν.
Vertit liberius, ſed elegantiſſime, & puto, ipſe. Moneo Græcos, etiam in 4 libro Athenæi legi, & verſu auctiores: ſed quem Seneca hic neglexit. *Idem.*

21 *Pœnas Bellerophontes*] Si poëtarum eſt ille Bellerophontes, neſcio quid illi cum auro. Ambitione an ſuperbia cælum affectaſſe lego, & Pegaſo jam ſubvolantem, excuſſum à Jove & occiſum: de avaritia, quæ hîc tangitur, quærendum eſt. *Idem.*

21 Qui

ritia ſine pœna eſt, quamvis ſatis ſit ipſa pœnarum. O quantum lacrimarum, ô quantum laborum exigit! quam miſera deſideratis, quam miſera partis eſt! Adjice quotidianas ſolicitudines, quæ pro modo habendi quemque diſcruciant. Mȧjore tormento pecunia poſſidetur, quam quæritur. Quantum damnis ingemiſcunt, quæ & magna incidunt, & majora videntur! denique ut nihil illis fortuna detrahat, quidquid non acquiritur, damnum eſt. At felicem illum homines, & divitem vocant, & conſequi optant, quantum ille poſſidet. Fateor. Quid ergo? tu ullos eſſe conditionis pejoris exiſtimas, quam qui habent & miſeriam, & invidiam? Utinam qui divitias appetituri eſſent, cum divitibus deliberarent! utinam honores petituri, cum ambitioſis, & ſummum adeptis dignitatis ſtatum! profecto vota mutaſſent: cum interim illi nova ſuſcipiunt, [22] qui priora damnaverant. Nemo enim eſt cui felicitas ſua, etiamſi curſu venit, ſatisfaciat. Queruntur & de conſiliis, & de proceſſibus ſuis: maluntque ſemper, quæ reliquerunt. Itaque hoc tibi philoſophia præſtabit, quo equidem nihil majus exiſtimo: numquam te pœnitebit tui. Ad hanc tam ſolidam felicitatem, quam tempeſtas nulla concutiat, non perducent te apte verba contexta, & oratio fluens leniter. Eant ut volent. dum animo compoſitio ſua conſtet, dum ſit magnus, [23] & opinionum ſecurus, & ob ipſa quæ aliis diſplicent, ſibi placens: qui profectum ſuum vita æſtimet, & [24] tantum ſcire ſe judicet, quantum non cupit, quantum non timet.

EPIST.

22 *Qui priora damnaverant*] Alias, *cum priora*. Sed ego arbitror fuiſſe, *quos priora*. Nam homines damnantur votorum, cum eorum compotes ſunt, & debent exſolvere. Sane hoc dicit Seneca. adeo non pœnitet ambitionis, ut qui votis ad honorem talem venerit, alia ſuſcipiat ut iterum perveniat, altiuſque adſcendat. At vulgata lectio pœnitentiam priorum inducit, minime hic pro Auctoris mente. *Lipſ.*

23 *Et opinionum ſecurus*] Quid alii de illo opinentur. Editi tamen olim, & quidam ſcripti, *opinionum ſuarum ſecurus:* quod plane diverſum eſſet, ſignaretque firmum & certum decretorum. *Idem.*

24 *Tantum ſcire ſe*] Id eſt, Scientiam omnem factis & profectu æſtimet. valde aut minus doctum, prout timet, cupit; non timet, non cupit. *Idem.*

EPIST.

Digitized by Google

Epist. CXVI.

Contra Peripateticos, exſcindendos Affectus, non temperandos eſſe: neque à Natura induci. A mollitie ſententiam adverſam naſci.

Utrum ſatius ſit, modicos habere affectus, an nullos, ſæpe quæſitum eſt. Noſtri illos expellunt: Peripatetici temperant. Ego non video, quomodo ſalubris eſſe aut utilis poſſit ulla mediocritas morbi. Noli timere. nihil eorum, quæ tibi non vis negari, eripio: facilem me, indulgentemque præbebo rebus, ad quas tendis, & quas aut vitæ neceſſarias, aut utiles, aut jucundas putes: detraham vitium. Nam cum tibi cupere interdixero, [1] velle permittam: ut eadem illa intrepidus facias, ut certiore conſilio, ut voluptates illas magis ſentias. Quid ni? ad te magis perventuræ ſunt, ſi illis imperabis, quam ſi ſervies. Sed naturale eſt, inquis. ut deſiderio amici torquear: [2] da jus lacrimis tam juſte cadentibus. Naturale eſt opinionibus hominum tangi, & adverſis contriſtari: quare non permittas mihi hunc tam honeſtum malæ opinionis metum? Nullum vitium eſt ſine patrocinio: nulli non initium eſt verecundum & exorabile, ſed ob hoc latius funditur. Non obtinebis ut deſinat, ſi incipere permiſeris. Imbecillis eſt primo omnis affectus, deinde ipſe ſe concitat, & vires, dum procedit, parat: excluditur facilius, quam expellitur. Quis negat omnes affectus à quodam [3] quaſi naturali fluere principio? curam nobis noſtri natura mandavit: ſed huic ubi nimium indulſeris, vitium eſt. Voluptatem natura neceſſariis rebus admiſcuit, non ut illam peteremus, ſed ut ea ſine quibus

Epist. CXVI. 1 *Velle permittam*] Voluntas enim Stoïcis bona, & inter ἀπαθείας eſt, ut noto Manud. 3. Diſſert. 5. *Lipſius.*

2 *Da tempus lacrimis*] Editi & ſcripti, *datus lacrimis:* mutavitque à ſe Muretus. Sed verius erat, *da jus lacrimis:* quare? quia, ut ſequitur, juſtæ. *Idem.*

3 *Quaſi naturali*] Non enim vere naturali: nam ſic boni eſſent. Nos in Ethicis. *Idem.*

4 Si

Digitized by Google

quibus non poſſumus vivere, gratiora nobis illius faceret acceſſio: [4] ſi ſuo veniat jure, luxuria eſt. Ergo [5] intrantibus reſiſtamus: quia facilius, ut dixi, non recipiuntur quam exeunt. Aliquatenus, inquis, dolere, aliquatenus timere permitte. ſed illud aliquatenus longe producitur, nec ubi vis, accipit finem. Sapienti non ſolicite cuſtodire ſe tutum eſt: & lacrimas ſuas & voluptates, ubi volet, ſiſtet. Nobis quia non eſt regredi facile, optimum eſt omnino non progredi. Eleganter mihi videtur Panætius reſpondiſſe adoleſcentulo cuidam quærenti, An ſapiens amaturus eſſet? De ſapiente, inquit, videbimus: mihi & tibi, qui adhuc à ſapiente longe abſumus, non eſt committendum, ut incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam, vilem ſibi. Sive enim nos reſpexit, humanitate ejus irritamur; ſive contempſit, ſuperbia accendimur. Æque facilitas amoris, quam difficultas nocet: facilitate capimur, cum difficultate certamus. Itaque conſcii nobis imbecillitatis noſtræ, quieſcamus. Nec vino infirmum animum committamus, nec formæ, nec adulationi, nec ullis rebus blande trahentibus. Quod Panætius de amore quærenti reſpondit, hoc ego de omnibus dico. Quantum poſſumus nos, à lubrico recedamus: in ſicco quoque parum fortiter ſtamus. Occurres hoc loco mihi illa publica contra Stoicos voce: Nimis magna promittitis, nimis dura præcipitis. nos homunciones ſumus, omnia nobis negare non poſſumus. Dolebimus, ſed parum: concupiſcemus, ſed temperate: iraſcemur, ſed placabimur. Scis quare non poſſumus iſta? quia nos poſſe non credimus. Imo mehercules, aliud eſt in re. Vitia noſtra, quia amamus, defendimus, & malumus excuſare illa, quam excutere. Satis natura homini dedit roboris, ſi illo utamur, ſi vires noſtras colligamus, ac totas pro nobis, certe non contra nos concitemus. Nolle in cauſſa eſt: non poſſe prætenditur.

Epist.

4 *Si ſuo veniat jure*] Non ut acceſſoria, ſed principalia: non ut miniſtra, ſed domina. *Lipſius.*

5 *Intrantibus reſiſtamus*] Vide 1 de Ira, cap. 7. & 8. *Idem.*

Digitized by Google

EPIST. CXVII.

Quæſtiuncula, An, cum Sapientia bonum ſit, etiam ſapere? Stoici iſtud vulgo negant: alii aſſerunt, & ipſe iſtis pronior. Denique amolitur hæc ſupervacua, & ad formationem morum ſerio vocat.

MUltum mihi tibique negotii concinnabis, &, dum neſcis, in magnam me litem ac moleſtiam impinges, qui mihi tales quæſtiunculas ponis, in quibus ego nec diſſentire à noſtris ſalva gratia, nec conſentire ſalva conſcientia poſſum. Quæris, an verum ſit, quod Stoicis placet, Sapientiam bonum eſſe, ſapere bonum non eſſe? Primum exponam, quid Stoicis videatur: tum dicere ſententiam audebo. Placet noſtris, quod bonum eſt, eſſe corpus: quia quod bonum eſt, facit: quidquid facit, corpus eſt. Quod bonum eſt, prodeſt: faciat autem aliquid oportet, ut proſit: ſi facit, corpus eſt. Sapientiam bonum eſſe dicunt: ſequitur, ut neceſſe ſit illam corporalem quoque dicere. At ſapere non putant ejuſdem conditionis eſſe. Incorporale eſt & accidens alteri, id eſt, ſapientiæ: itaque nec facit quidquam, nec prodeſt. Quid ergo, inquiunt, non dicimus, Bonum eſt ſapere? dicimus, referentes ad id ex quo pendet, id eſt, ad ipſam ſapientiam. Adverſus hos quid ab aliis reſpondeatur, audi, antequam ego [1] incipio ſecedere, & in alia parte conſidere. Iſto modo, inquiunt, nec beate vivere bonum eſt. Velint nolint, reſpondendum eſt, beatam vitam bonum eſſe, & beate vivere bonum non eſſe. Etiamnum quoque noſtris illud opponitur. Vultis ſapere? ergo expetenda res eſt, ſapere: ſi expetenda res eſt, bonum eſt. Coguntur noſtri verba torquere, & unam ſyllabam expetendo interponere, quam ſermo noſter inſeri non ſinit. Ego illam,

EPIST. CXVII. 1 *Incipio ſecedere*] A ſenatu ſumptum, ubi diſceſſione à conſule permiſſa, in hanc aut illam ſubſelliorum partem ibant. Hoc erat, Pedibus in ſententiam ire. *Lipſius.*

2 *Ad-*

illam, ſi pateris, adjungam. Expetendum eſt, inquiunt, quod bonum eſt: [2] adexpetendum, quod bono contingit: quod, cum bonum conſecuti ſumus, non petitur tanquam bonum, ſed petito bono accedit. Ego non idem ſentio, & noſtros judico in hoc deſcendere: quia jam primo vinculo tenentur, & mutare illis formulam non licet. Multum dare ſolemus [3] præſumptioni omnium hominum. Apud nos [4] veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri: tanquam deos eſſe, inter alia ſic colligimus, quod omnibus de diis opinio inſita eſt: nec ulla gens uſquam eſt adeo extra leges moreſque projecta, ut non aliquos deos credat. Cum de animarum æternitate diſſerimus, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum, [5] aut timentium inferos, [6] aut colentium. Utor hac publica perſuaſione: neminem invenies, qui non putet & ſapientiam bonum, & ſapere. Non faciam [7] quod victi ſolent, ut provocem ad populum: noſtris incipiemus armis confligere. Quod accidit alicui, utrum extra id cui accidit eſt, an in eo cui accidit? Si in eo eſt cui accidit, tam corpus eſt, quam illud cui accidit. Nihil enim accidere ſine tactu poteſt: quod tangit, corpus eſt. Si extra eſt, poſtquam acciderat, receſſit: quod receſſit, motum habet: quod motum habet, corpus eſt. Speres me dicturum, non eſſe aliud curſum, aliud currere: nec aliud calorem, aliud calere: nec aliud lucem, aliud lucere. Concedo iſta alia eſſe, ſed non ſortis alterius. Si valetudo indifferens eſt: & valere indifferens eſt. Si forma indifferens eſt: & formoſum eſſe indifferens eſt. Si juſtitia

2 *Adexpetendum*] Expetendum, eſt αἱρετόν· adexpetendum, προσαιρετόν. Lipſius.

3 *Præſumptioni*] Id eſt, præceptæ opinioni. προλήψει. Idem.

4 *Veritatis argumentum*] Merito. nam ipſa veritas Græcis dicta ἀλήθεια, ὡς τὸ μὴ λῆθον· *quod non lateat*, ſitque omnibus nota. *Idem.*

5 *Aut timentium inferos*] Quaſi pœnæ illic pendendæ: ergo animæ vivunt ſentiuntque. *Idem.*

6 *Aut colentium*] Quia Deos manes illic ponebant, & venerabantur. Superſunt igitur. *Idem.*

7 *Quod victi ſolent*] In arena & gladiatoriis pugnis. ubi qui ſuccubuerat, populi opem & miſericordiam implorabat. Ego in Saturnal. 2. cap. 22. *Idem.*

tia bonum eſt: & juſtum eſſe bonum eſt. Si turpitudo malum eſt: & turpem eſſe malum eſt. tam mehercules quam ſi lippitudo malum eſt, & lippire malum eſt. Hoc ut ſcias, neutrum eſſe ſine altero poteſt. Quod ſapit, ſapiens eſt: quod ſapiens eſt, ſapit. Adeo non poteſt dubitari, an quale illud ſit, tale hoc ſit, ut quibuſdam utrumque unum videatur atque idem. Sed illud libenter quæſierim: Cum omnia aut bona ſint, aut mala, aut indifferentia, ſapere in quo numero ſit? Bonum negant eſſe. malum utique non eſt: ſequitur, ut medium ſit. Id autem medium atque indifferens vocamus, quod tam malo contingere quam bono poteſt: tanquam pecunia, forma, nobilitas. Hoc, ut ſapiat, contingere niſi bono non poteſt: ergo indifferens non eſt. Atqui ne malum quidem eſt, quod contingere malo non poteſt: ergo bonum eſt. Quod niſi bonus non habet, bonum eſt: ſapere non niſi bonus habet: ergo bonum eſt. Accidens eſt, inquit, ſapientiæ. Hoc ergo quod vocas ſapere, utrum facit ſapientiam, an patitur? ſive facit illud, ſive patitur, utroque modo corpus eſt. Nam & [8] quod fit, & quod facit, corpus eſt. ſi corpus eſt, bonum eſt: unum enim deerat illi, quo minus bonum eſſet, quod incorporale erat. Peripateticis placet, nihil intereſſe inter ſapientiam & ſapere, cum in utrolibet eorum & alterum ſit. Numquid enim quemquam exiſtimas ſapere, niſi qui ſapientiam habet? Numquid quemquam qui ſapiat, non putas habere ſapientiam? Dialectici veteres iſta diſtinguunt: ab illis diviſio uſque ad Stoicos venit. Qualis ſit hæc, dicam. Aliud eſt ager, aliud agrum habere. Quid ni? cum habere agrum ad habentem, non ad agrum pertineat. Sic aliud eſt ſapientia, aliud ſapere. Puto concedes duo eſſe hæc, id quod habetur, & eum qui habet: habetur ſapientia: habet, qui ſapit. Sapientia eſt mens perfecta, vel ad ſummum optimumque perducta: ars enim vitæ eſt. Sapere

8 *Quod fit, & quod facit, corpus eſt*] Vide Phyſiol. 2. Diſſert. 4. *Lipſius.*

9 *Non*

pere quid eſt? non poſſum dicere, mens perfecta, ſed id quod contingit perfectam mentem habenti. Ita alterum eſt, mens bona: alterum, quaſi habere mentem bonam. Sunt, inquit, naturæ corporum: tanquam, hic homo eſt, hic equus: has deinde ſequuntur motus animorum enuntiativi corporum. Hi habent proprium quiddam, & à corporibus ſeductum: tanquam, video Catonem ambulantem: hoc ſenſus oſtendit, animus credit. Corpus eſt quod video, cui & oculos, & animum intendi. Dico deinde, Cato ambulat: [9] non corpus quidem eſt quod nunc loquor, ſed enuntiativum quiddam de corpore: quod alii effatum vocant, alii enuntiatum, alii edictum. Sic cum dicimus [10] ſapientiam, incorporale quiddam intelligimus: cum dicimus, Sapit: de corpore loquimur. Plurimum autem intereſt, utrum illud dicas, an de illo. Putemus in præſentia iſta duo eſſe: nondum enim quid mihi videatur, pronuntio: quid prohibet, quo minus aliud quidem ſit, ſed nihilominus bonum? Dicebas paulo ante, aliud eſſe agrum, aliud habere agrum. Quid ni? in alia enim natura eſt qui habet, in alia quod habetur. illa terra eſt, hic homo eſt. At in hoc de quo agitur, ejuſdem naturæ ſunt utraque, & qui habet ſapientiam, & ipſa quæ habetur. Præterea illic aliud eſt quod habetur, alius qui habet: hic in eodem eſt, & quod habetur, & qui habet. Ager jure poſſidetur: ſapientia natura. ille abalienari poteſt, & alteri tradi: hæc non diſcedit à domino. Non eſt itaque quod compares inter ſe diſſimilia. Cœperam dicere, poſſe iſta duo eſſe, & tamen utraque bona. Sapientia, & ſapiens duo ſunt: & utrum-

9 *Non corpus quidem eſt*] Hoc illud quod notat Empiricus lib. 1 adverſ. Mathem. cap. 3. *Incorporeum aliquid apud Stoïcos dici λεκτόν* quod noſter hic vertit *Effatum*, *Edictum*, *Enunciatum*. Vide Phyſiol. 2. Diſſert. 5. *Lipſius.*

10 *Sapientiam, incorporale quiddam intelligimus*] O falſum! pro Stoïcis quidem aut Seneca. Hæc omnia planiſſime iis corpora, Scientia, Sapientia, Veritas, Virtus: & docui in loco. Non dubie legendum, *corporale quiddam*, cum meis etiam libris: & puto in aliis ſic fuiſſe. ſed omiſerunt dicere, quia inopinatus hic ſenſus. *Idem.*

utrumque bonum eſſe concedis. Quomodo nihil obſtat, quo minus & ſapientia bonum ſit, & habens ſapientiam: ſic nihil obſtat, quo minus & ſapientia bonum ſit, & habere ſapientiam, id eſt, ſapere. Ego in hoc volo ſapiens eſſe, ut ſapiam. Quid ergo? non eſt id bonum, ſine quo nec illud bonum eſt? Vos certe dicitis, ſapientiam, ſi ſine uſu detur, accipiendam non eſſe. Quis eſt uſus ſapientiæ? Sapere: hoc eſt in illa pretioſiſſimum: quo detracto, ſupervacua fit. Si tormenta mala ſunt, torqueri malum eſt: adeo quidem, ut illa non ſint mala, ſi quod ſequitur, detraxeris. Sapientia habitus perfectæ mentis eſt: ſapere, uſus perfectæ mentis. Quomodo poteſt uſus ejus bonum non eſſe, quæ ſine uſu bonum non eſt? Interrogo te, an ſapientia ſit expetenda. fateris. Interrogo, an uſus ſapientiæ ſit expetendus. fateris. negas enim te illam recepturum, ſi uti ea prohibearis. quod expetendum eſt, bonum eſt. Sapere, ſapientiæ uſus eſt: quomodo eloquentiæ, loqui: quomodo oculorum, videre: ergo ſapere, ſapientiæ uſus eſt. uſus autem ſapientiæ expetendus eſt: ſapere ergo expetendum eſt: ſi expetendum eſt, bonum eſt. Olim ipſe me damno, qui illos imitor dum accuſo, & verba apertæ rei impendo. Cui enim dubium poteſt eſſe, quin ſi æſtus malum eſt, & æſtuare malum ſit? ſi algor malum eſt, malum ſit algere? ſi vita bonum eſt, & vivere bonum eſt? Omnia iſta circa ſapientiam, non in ipſa ſunt: at nobis in ipſa commorandum eſt, etiamſi quid evagari libet, amplos habet illa ſpatioſoſque receſſus. De deorum natura quæramus, [11] de ſiderum alimento, de his tam variis ſtellarum diſcurſibus; an ad illarum motus noſtra moveantur corpora, an corporibus omnium, animiſque illinc impetus veniat. An & hæc quæ fortuita dicuntur, certa lege conſtricta ſint, nihilque in hoc mundo repentinum, aut expers ordinis volutetur. Iſta jam à formatione morum receſſerunt:

11 *De ſiderum alimento*] Quod è mari & aquis Stoïci attribuebant. Phyſiol. 2. Diſſert. 14. *Lipſius.*

12 *Quæ*

ſerunt: ſed levant animum, & ad ipſarum quas tractant rerum magnitudinem attollunt. Hæc vero de quibus paulo ante dicebam, minuunt, & deprimunt, nec ut putas exacuunt, ſed extenuant. Obſecro vos, cur tam neceſſariam curam majoribus melioribuſque debitam, in re neſcio an falſa, certe inutili, terimus? Quid mihi profuturum eſt ſcire, an aliud ſit ſapientia, aliud ſapere? quid mihi profuturum eſt ſcire, illud bonum eſſe, hoc non eſſe? Temere me geram, ſubibo hujus voti aleam. tibi ſapientia, mihi ſapere contingat: pares erimus. Potius id age, ut mihi viam monſtres qua ad iſta perveniam. Dic mihi quid vitare debeam, quid appetere: quibus animum labantem ſtudiis firmem: quemadmodum quæ me ex tranſverſo ferunt aguntque, procul à me repellam. Quomodo par eſſe tot malis poſſim: quomodo iſtas calamitates removeam, [12] quæ ad me irruperunt: quomodo illas, [13] ad quas ego irrupi. Doce, quomodo feram ærumnam ſine gemitu meo, felicitatem ſine alieno: quomodo ultimum neceſſarium vitæ terminum non exſpectem, ſed ipſemet, cum viſum erit, profugiam. Nihil mihi videtur turpius, quam optare mortem. Nam ſi vis vivere, quid optas mori? ſi non vis, quid deos rogas, quod tibi naſcenti dederunt? Nam ut quandoque moriaris, etiam invito poſitum eſt: ut cum voles, in tua manu eſt. Alterum tibi neceſſe eſt, alterum licet. Turpiſſimum his diebus principium diſerti mehercules viri legi: Ita, inquit, quamprimum moriar. Homo demens, optas rem tuam. Ita quamprimum moriar. Fortaſſe inter has voces ſenex factus es. Alioqui quid in mora eſt? nemo te tenet, evade qua viſum eſt. Elige quamlibet rerum naturæ partem, qua tibi præberi exitum jubeas. Hæc nempe ſunt elementa, quibus [14] hic mundus adminiſtratur, aqua, terra, [15] ſpiritus. Omnia iſta tam cauſſa vivendi

12 *Quæ ad me irruperunt*] Aliunde, à Deo aut Fato: non accerſitæ. *Lipſius.*

13 *Ad quas ego irrupi*] Ipſe mihi ſtruxi, in quas ſponte me indui. *Idem.*

14 *Hic mundus*] Nempe inferior: & ideo tria tantum nominat. quartum ſuperioris Mundi eſt, ſive Cæli, id eſt Ignis. *Idem.*

15 *Spiritus*] Aër: ſic paſſim ipſe vocat. *Idem.*

 16 *Hæc*

vivendi ſunt, quam viæ mortis. Ita quamprimum moriar. Quamprimum iſtud, quod eſſe vis, quam illi diem ponis? citius fieri quam optas, poteſt. Imbecillæ mentis iſta ſunt verba, & [16] hac deteſtatione miſericordiam captantis. Non vult mori, qui optat. Deos vitam roga, & ſalutem: ſi mori placuit, hic mortis eſt fructus, optare deſinere. Hæc, mi Lucili, tractemus, his formemus animum. Hæc eſt ſapientia, hoc eſt ſapere, non diſputatiunculis inanibus ſubtilitatem vaniſſimam agitare. Tot quæſtiones tibi fortuna poſuit. nondum illas ſolviſti: jam cavillaris. Quam ſtultum eſt, cum ſignum pugnæ acceperis, [17] ventilare? remove iſta luſoria arma, [18] decretoriis opus eſt. Dic qua ratione nulla animum triſtitia, nulla formido perturbet: qua ratione hoc ſecretarum cupiditatum pondus effundam. Agatur aliquid. Sapientia bonum eſt, ſapere non eſt bonum. Sic ſit. negemus, ſapere bonum eſſe: ut hoc totum ſtudium derideatur, tanquam operatum ſupervacuis. Quid ſi ſcires etiam illud quæri, an bonum ſit futura ſapientia? Quid enim dubii eſt, oro te, an nec meſſem futuram jam ſentiant horrea, nec futuram adoleſcentiam pueritia viribus aut ullo robore intelligat? Ægro interim nihil ventura ſanitas prodeſt, non magis, quam currentem luctantemque poſt multos ſecuturum ſenſus otium reficit. Quis neſcit hoc ipſo non eſſe bonum id quod futurum eſt, quia futurum eſt? nam quod bonum eſt, utique prodeſt: niſi præſentia, prodeſſe non poſſunt. Si non prodeſt, bonum non eſt utique: ſi prodeſt, jam eſt. Futurus ſum ſapiens: hoc bonum erit, cum fuero: interim non eſt. Prius aliquid eſſe debet, deinde quale eſſe. Quomodo, oro te, quod adhuc nihil eſt, jam bonum eſt? Quomodo autem tibi magis vis probari, non eſſe

16 *Hac deteſtatione*] Significat hic obteſtationem, nec compoſitio minuit vim verbi ſimplicis, ſed auget. Eſt enim precatio & votum. *Lipſius.*

17 *Ventilare*] Proludere, & brachia atque arma in ſpeciem ventumque jactare. A theatris areniſque ſumptum. Ego in Saturn. 2. cap. 19. *Idem.*

18 *Decretoriis opus eſt*] Veris armis, & quibus de victoria vitaque cernatur. Supra, epiſt. 102. *Idem.*

19 *Edi-*

eſſe aliquid, quam ſi dixero, futurum eſt? nondum enim veniſſe apparet, quod venit. Ver ſecuturum eſt: ſcio nunc hiemem eſſe. æſtas ſecutura eſt: ſcio æſtatem non eſſe. Maximum argumentum habeo nondum præſentis, futurum eſſe. Sapiam, ſpero: ſed interim non ſapio. ſi illud bonum haberem, jam hoc carerem malo. Futurum eſt, ut ſapiam. ex hoc licet nondum me ſapere intelligas. non poſſum ſimul & in illo bono, & in hoc malo eſſe. Duo iſta non coeant, nec apud eundem ſunt una, bonum & malum. Tranſcurramus ſolertiſſimas nugas, & ad illa quæ nobis aliquam opem ſunt latura, properemus. Nemo qui obſtetricem parturienti filiæ ſolicitus accerſit, [19] edictum & ludorum ordinem perlegit. nemo qui ad incendium domus ſuæ currit, tabulam [20] latruncularium perſpicit, ut ſciat quomodo [21] alligatus exeat calculus. At mehercules omnia tibi undique nuntiantur, & incendium domus, & periculum liberorum, & obſidium patriæ, & bonorum direptio: adjice iſtis naufragium, motuſque terrarum, & quidquid aliud timeri poteſt. Inter iſta diſtrictus, rebus, nihil aliud quam animum oblectantibus, vacas? Quid inter ſapientiam, & ſapere interſit, inquiris? nodos nectis ac ſolvis, tanta mole impendente capiti tuo? Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere; & vide, quam multa etiam diligentiſſimis pereant. Aliud valetudo ſua cuique abſtulit, aliud ſuorum: aliud neceſſaria negotia, aliud publica occupaverunt: vitam nobiſcum dividit

19 *Edictum & ludorum ordinem*] Libelli aut tabulæ proponi ſolent in publico, ubi apparatus omnis ludorum deſcriptus: atque id movendæ & alliciendæ plebi. Vide Saturnal. 2. c. 18. Adde de Benef. 6. c. 1. *Lipſius.* Recte. nam ante ludorum pugnas, moris erat, ut editor libellos proponeret, in quibus dies futuri muneris, item nomina & paria gladiatorum: ſcilicet alliciendæ plebi, & exſpectationi commovendæ. Id vocabant *Pronunciare munus.* Suetonius in Julio: *Munus populi pronuntiavit in filiæ memoriam.* Vide præter Lipſium & P. Fabrum lib. 2 Semeſtr. cap. 11.

20 *Latruncularium*] De Brevit. vit. c. 13. de Tranquill. c. 14. *Lipſius.*

21 *Alligatus exeat*] Pugna enim erat, & alterius coloris calculi alteros ad lineam ultimam urgebant: artis, implexum vel obſeſſum evadere. *Idem.*

dividit ſomnus. Ex hoc tempore tam anguſto, & rapido, & & nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum? Adjice nunc, quod aſſueſcit animus delectare ſe potius, quam ſanare: & philoſophiam oblectamentum facere, cum remedium ſit. Inter ſapientiam, & ſapere quid interſit, neſcio: ſcio mea non intereſſe, ſciam iſta, an neſciam. Dic mihi, cum, quid inter ſapientiam & ſapere interſit, didicero, ſapiam? Cur ergo potius inter vocabula me ſapientiæ detines, quam inter opera? Fac me fortiorem, fac me ſecuriorem, fac fortunæ parem, fac ſuperiorem. poſſum autem ſuperior eſſe, ſi fecero omne quod diſco.

EPIST. CXVIII.

Inanes epiſtolas nolle ſe ſcribere: potius monitorum utilium uberes: & jam facit. Suadet ſua, non aliena tractare; à Fortuna nihil petere, nec ab ea pendere. Verum bonum quærendum: & quid illud ſit, definitum. Itemque quid ab Honeſto differat. Omne bonum, ſecundum Naturam eſſe: nec tamen quidquid ſecundum Naturam, Bonum.

EXigis à me frequentiores epiſtolas. Rationes conferamus: ſolvendo non eris. Convenerat quidem, ut tua priora eſſent; tu ſcriberes, ego reſcriberem: ſed non ero difficilis. bene credi tibi ſcio: itaque [1] in anteceſſum dabo. Nec faciam, quod Cicero vir doctiſſimus facere Atticum jubet, ut etiam ſi rem nullam habebit, quod in buccam venerit, ſcribat. Nunquam poteſt deeſſe quod ſcribam, ut omnia illa quæ [2] Ciceronis implent epiſtolas, tranſeam: quis candidatus laboret, quis alienis, quis ſuis viribus pugnet, quis conſulatum fiducia Cæſaris, quis Pompeii, quis

22 *Si fecero*] Scripti & antiquitus cuſi, *ſi dixero*: fuit, *ſi vixero*. Lipſius.

EPIST. CXVIII. 1 *In anteceſſum*] Fori verbum aut argentariorum. valet, ſolvere priuſquam dies ceſſerit. Vide de Benef. 4. c. 32. *Idem*.

2 *Ciceronis implent epiſtolas*] Ad Atticum pleraque iſta libro 1. *Idem*.

3 Quis

[3] quis ab ſe petat: quam durus ſit fenerator Cæcilius, à quo minoris centeſimis propinqui nummum movere non poſſunt. Sua ſatius eſt mala, quam aliena tractare: ſe excutere, & videre, quam [4] multarum rerum candidatus ſit, & non ſuffragari. Hoc eſt, mi Lucili, egregium, hoc ſecurum ac liberum, nihil petere, & tota fortunæ comitia tranſire. Quam putas eſſe jucundum, tribubus vocatis, cum candidati [5] in templis ſuis pendeant, & alius nummos pronuntiet, alius [6] per ſequeſtrum agat, alius eorum [7] manus oſculis conterat, quibus deſignatus contingendam manum negaturus eſt, omnes attoniti, [8] vocem præconis exſpectant; ſtare otioſum, & [9] ſpectare illas nundinas, nec ementem quidquam, nec vendentem? Quanto hic majore gaudio fruitur, qui non prætoria, aut conſularia comitia ſecurus intuetur, [10] ſed magna illa, in quibus [11] alii honores anniverſa-

3 *Quis aperte petat*] Alii libri, *quis arte*; meus & quidam, *apte*. An forte, *abs ſe?* Lipſius.

4 *Multarum rerum candidatus*] Externarum, & inanium: quas adſpernetur judicio & ratione, etſi opinio & inclinatio eo vocent. *Non igitur ſuffragatur:* id eſt, petitioni ſuæ tali non ſubſcribit. *Idem.*

5 *In templis ſuis*] Editio Mureti, *intenti ſuis:* ſane quam licenter. Nam libri omnes, ut edidi. & capere licet vel templum, id eſt tabernaculum candidati, ubi contra ſolem tecti exſpectabant: ſi tamen illud inauguratum, & templum fuit. Scio quidem Conſulem, & qui præerat comitiis tale Tabernaculum habuiſſe, ab Auguribus captum, & religione atque obſervatione quadam ſua: haud memini legere, de Candidatis. niſi hactenus, quod in campo, ut dixi, tabernacula aliqua uſi ad inumbrandum. Varro de Re ruſt. 3. c. 2. *Vis potius villa publica utamur umbra, quam privati candidati tabella* (vel magis, *umbella*) *domificemus nobis?* Ita hæc legenda putem: & de more liquet. Sed nondum de Templo. An ergo magis eſt, Senecæ ævo, cum jam totus ille Campus Martius templis ædificiiſque publicis inſeſſus; Candidatos non ſibi privatim umbracula paraſſe, ſed ad propinqua Templa divertiſſe, ibi eventum comitiorum exſpectantes? Et avide quidem: atque hoc eſt, quod *pependiſſe* eos ſcribit. *Idem.*

6 *Per ſequeſtrum*] Non pronunciet ſolum & promittat, ſed nummos deponat, & apud alium, fidei cauſſa, conſignet. *Idem.*

7 *Manus oſculis conterat*] Vile, & ſervile. Nam illi Dominis ſic ſolent. Electa noſtra altera vide, cap. de Oſculis. *Idem.*

8 *Vocem præconis*] Qui deſignatos renunciet. *Idem.*

9 *Spectare illas nundinas*] Vetus hoc eſt. vitam eſſe ut Panegyrim aut nundinas: quo alii veniant vendendi, alii emendi cauſſa; honeſtiſſimus quiſque ſpectandi tantum: noſter palam aptat. *Idem.*

10 *Sed magna illa*] Totius mundi comitia, præſide Fortuna. *Idem.*

11 *Alii honores anniverſarios*] Tribuna-

verſarios petunt, [11] alii perpetuas poteſtates, alii bellorum eventus proſperos triumphoſque, alii divitias, alii matrimonia ac liberos, alii ſalutem ſuam ſuorumque! quanti animi res eſt, ſolum nihil petere, nulli ſupplicare, & dicere: Nihil mihi tecum fortuna: non facio mei tibi copiam. ſcio apud te Catones repelli, Vatinios fieri: nihil rogo. Hoc eſt [13] privatam facere fortunam. Libet ergo hæc invicem ſcribere, & hanc integram ſemper egerere materiam, circumſpicientibus tot millia hominum inquieta: qui ut aliquid peſtiferi conſequantur, per mala nituntur in malum, petuntque mox fugienda, aut etiam faſtidienda. Cui enim aſſecuto ſatis fuit, quod optanti nimium videbatur? Non eſt, ut exiſtimant homines, avida felicitas, ſed puſilla. itaque neminem ſatiat. Tu iſta credis excelſa, quia longe ab illis jaces: ei vero qui ad illa pervenit, humilia ſunt. Mentior, niſi adhuc quærit adſcendere. Iſtud quod tu ſummum putas, gradus eſt. Omnes autem male habet ignorantia veri. tanquam ad bona feruntur, decepti rumoribus. Deinde mala eſſe, aut inania, aut minora quam ſperaverint, adepti ac multa paſſi vident: majorque pars miratur ex intervallo fallentia, & vulgo magna pro bonis ſunt. Hoc ne nobis quoque eveniat, quæramus [14] quid ſit bonum. Varia ejus interpretatio fuit. Finivit hoc alius alio modo, alius illud aliter expreſſit. Quidam ita finiunt: Bonum eſt, quod invitat animos, quod ad ſe vocat. Huic ſtatim opponitur: Quid ſi invitat quidem, ſed in perniciem? ſcis quam multa mala, blanda ſint. Verum, & veriſimile, inter ſe differunt ita: Quod bonum eſt, vero jungitur: non eſt enim bonum, niſi verum eſt. At quod [15] invitat ad ſe,

bunatus, Præturas, Conſulatus. *Lipſius.*

12 *Alii perpetuas poteſtates*] Regna & Principatus. *Idem.*

13 *Privatam facere fortunam*] Id eſt, redigere in ordinem. *Idem.*

14 *Quid ſit bonum*] Vide Manud. 2. Diſſert. 22. *Idem.*

15 *Invitat ad ſe & allicit facit*] Eſt à divinatione Pinciani, cum ſit in ſcriptis meis ejuſque nec non Eraſmo: *allicere facit*: Gruterus. Vana hæc *facies*, non vera Senecæ, qui uſus fuerat verbo minus vulgato: *At quod invitat ad ſe & allicefacit, veriſimile eſt, ſubrepit.*

ſe, & allicit facie, veriſimile eſt: ſubrepit, ſolicitat, attrahit. Quidam ita finierunt: Bonum eſt, quod appetitionem ſui movet, vel quod impetum animi tendentis ad ſe movet. Et huic idem opponitur: multa enim impetum animi movent, quæ petuntur petentium malo. Melius illi qui ſic finierunt: Bonum eſt, quod ad ſe impetum animi ſecundum naturam movet: & ita demum petendum eſt, cum cœpit eſſe expetendum. Jam & honeſtum eſt: hoc enim perfecte eſt petendum. Locus ipſe me admonet, ut, quid interſit inter bonum honeſtumque, dicam. Aliquid inter ſe habent mixtum, & inſeparabile: nec poteſt bonum eſſe, niſi cui aliquid honeſti ineſt: & honeſtum utique bonum eſt. Quid ergo inter duo intereſt? Honeſtum eſt perfectum bonum, quo beata vita completur, cujus contactu alia quoque bona fiunt. Quod dico, tale eſt. Sunt quædam [16] neque bona, neque mala: tanquam militia, legatio, juriſdictio. Hæc cum honeſte adminiſtrata ſunt, bona eſſe incipiunt, & ex dubio in bonum tranſeunt. Bonum ſocietate honeſti fit, honeſtum per ſe bonum eſt. Bonum ex honeſto fluit, honeſtum ex ſe eſt. Quod bonum eſt, malum eſſe potuit: quod honeſtum eſt, niſi bonum eſſe non potuit. Hanc quidam finitionem reddiderunt: Bonum eſt, quod ſecundum naturam eſt. Attende quid dicam. Quod bonum eſt, & ſecundum naturam eſt: non protinus quod ſecundum naturam eſt, & bonum eſt. Multa quidem naturæ conſentiunt: ſed tam puſilla ſunt, ut non conveniat illis boni nomen. Levia enim ſunt, & contemnenda: nullum nec minimum contemnendum bonum. Nam quamdiu exiguum eſt, bonum non eſt: cum bonum eſſe cœpit, non exiguum eſt. Unde aliquid cognoſcitur bonum? ſi perfecte ſecundum naturam eſt. Fateris, inquis, quod bonum eſt, ſecundum naturam eſſe: hæc ejus pro-

repit. Suetonius in Vitellio: *æquales ſuos omnibus blanditiis tantum non ad ſocietatem imperii allicefactos.* Gronov.

16 *Neque bona, neque mala*] Ea ſunt, Media. *Lipſius.*

Epist.

proprietas eſt. Fateris & alia ſecundum naturam quidem eſſe; ſed bona non eſſe. Quomodo ergo illud bonum eſt, cum hæc non ſint? quomodo ad aliam proprietatem pervenit, cum utique præcipuum illud commune ſit, ſecundum naturam eſſe? ipſa ſcilicet magnitudine. Nec hoc novum eſt, quædam creſcendo mutari. Infans fuit, factus eſt pubes: alia ejus proprietas fit: ille irrationalis eſt, hic rationalis. Quædam incremento non tantum in majus exeunt, ſed in aliud. Non fit, inquit, aliud quod majus fit. Utrum lagenam an dolium impleas vino, nihil refert: in utroque proprietas vini eſt. Exiguum mellis pondus, & magnum, ſapore non differt. Diverſa ponis exempla. in iſtis enim eadem qualitas eſt: quamvis augeantur, manent. Quædam amplificata in ſuo genere, in ſua proprietate perdurant: quædam poſt multa incrementa, ultima demum vertit adjectio, & novam illis, aliamque, quam in qua fuerant, conditionem imprimit. Unus lapis fecit fornicem, ille qui latera inclinata cuneavit, & interventu ſuo vinxit. Summa adjectio quare plurimum facit, vel exigua? quia non auget, ſed implet. Quædam proceſſu priorem exuunt formam, & in novam tranſeunt. Ubi animus aliquid diu protulit, & magnitudinem ejus ſequendo laſſatus eſt, infinitum cœpit vocari; quod longe aliud factum eſt quam fuit, cum magnum videretur, ſed finitum. Eodem modo aliquid difficulter ſecari cogitavimus: noviſſime creſcente difficultate, inſecabile inventum eſt. Sic ab eo quod vix & ægre movebatur, proceſſimus ad immobile. Eadem ratione aliquid ſecundum naturam fuit: hoc in aliam proprietatem magnitudo ſua tranſtulit, & bonum fecit.

Epist. CXIX.

Divitias à nobis peti poſſe, & accipi, nil ſupervacuum petendo. Finem omnium rerum ſpectandum, qui Naturam non excedit. Satis ea habere, non multum, quærit. Oſtendit deinde divites

vites vulgo, omnes pauperes eſſe. Pulcra, & (Deus bone!) vera ſunt.

QUoties aliquid inveni, non exſpecto [1] donec dicas, In commune: ipſe mihi dico. Quid ſit quod invenerim, quæris? ſinum laxa, merum lucrum eſt. Docebo quomodo fieri dives celerrime poſſis, quod valde cupis audire. Nec immerito: ad maximas te divitias compendiaria ducam. [2] Opus erit tamen tibi creditore. ut negotiari poſſis, æs alienum facias oportet: ſed nolo per interceſſorem mutueris, [3] nolo proxenetæ nomen tuum jactent. Paratum tibi creditorem dabo, [4] Catonianum illum: à te mutuum

EPIST. CXIX. 1 *Donec dicas, in commune*] Græcorum erat proverbium, in re quam in via forte inveniſſent, Κοινὸς Ἑρμῆς· *Communis Mercurius*: quaſi dicerent, & mihi pars eſto. Phurnutus, de Mercurio: *Siquis aliquid in itinere invenerit, moris eſt profari, Communi Mercurio: qui certe rei inventæ conſcius eſt, ut qui in viis verſetur.* Lipſius. Integriorem habes formulam apud Phædrum fab. 87. *Eia, inquit, in commune quodcumque eſt lucri.* Nam & ſic Phædri verſus ex Seneca reſtituendus. Vulgo deeſt præpoſitio, nec ſatis bene ſuppoſuerunt viri docti verbum ſubſtantivum. *Gronovius.*

2 *Opus erit tamen creditore*] Quo? ipſo te, ut argutando ſubdit. *Lipſius.*

3 *Nolo proxenetæ nomen tuum*] Græco nomine προξενητὴς, qui eſt velut pararius, conciliator, & interpres: qui partes contracturas medius ipſe jungit. *Idem.* Proxeneta interceſſor eſt, cujus interventu negotia conciliantur; quique nominis faciendi, vel cujuſlibet alterius negotii gerendi cauſſa operam ſuam accommodat, l. 2. & l. ult. ff. de Proxenet. inde *proxeneticum ſalarium* id dicitur, quod pro hujuſmodi opera datur. l. 1. ff. de proxen. hæc Briſſonius lib. 14. de verb. ſign. vide etiam Rævardum ad L 47. de reg. juris.

4 *Catonianum illud: à te mutuum ſumes*] Gruterus: Sic Muretus, meo animo inepte. nam & Eraſmi & mei omnes diſtinguunt, *Catonianum illud à te mutuum ſumes*: ut ſequentia ſcilicet (*Quantulumcumque eſt* &c.) Catonianum creditorem ſignent, non iſta, *à te mutuum ſumes.* At Lipſius: Malim, *Hecatonianum*, cum Pinciano; & ſignificatur ſequens gnome, *Quantulumcumque* &c. Propius ſcopum jaculatur Pontanus Iſacius: vidit enim recte legi, *Catonianum*, & reſpicere Senecam, quod retulit lib. 5. de Benef. cap. 7. *M. Cato ait: Quod tibi deeſt, à te ipſo mutuare.* Unum reſtat, nempe *illud* mutandum eſſe in *illum*, ut ad creditorem referatur. non enim ſententiam illam dat pro creditore: ſed creditorem ipſum ſibi ex M. Catonis ſententia. Lege igitur: *Paratum tibi creditorem dabo, Catonianum illum: à te mutuum ſumes.* Hoc eſt, te ipſum. Quod ſequitur, ipſius eſt Senecæ: itaque mutatis typis exprimendum non fuit in editionibus. Vir doctus nuper prodidit legendum: *à te mutuum ſume.* Sed non hac parte laborabat locus: nam, ut dicebam, non ipſam Catonis ſententiam recitat, ſed in eadem deſignatum creditorem amico demonſtrat. Dabo creditorem tibi facilem & paratum, illum quem Cato dabat,

Digitized by Google

tuum ſumes. Quantulumcumque eſt, ſatis erit, ſi quidquid deerit, id à nobis petierimus. Nihil enim, mi Lucili, intereſt, utrum non deſideres, an habeas. Summa rei in utroque eſt eadem: non torqueberis. Nec illud præcipio, ut aliquid naturæ neges: contumax eſt, non poteſt vinci, ſuum poſcit: ſed ut quidquid naturam excedit, ſcias precarium eſſe, non neceſſarium. Eſurio: edendum eſt. utrum hic panis ſit plebeius, an ſiligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, ſed impleri. Sitio. utrum hæc aqua ſit quam [5] ex lacu proximo excepero, an ea quam [6] multa nive cluſero, ut rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc unum jubet, ſitim exſtingui. Utrum ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an murrheum, an [7] Tiburtinus calix, an manus concava, nihil refert. Finem omnium rerum ſpecta, & ſupervacua dimittes. Fames me appellat: ad proxima quæque tendatur manus: ipſa mihi commendabit, quodcumque comprehendero. Nihil contemnit eſuriens. [8] Quid ſit ergo, quod me delectaverit, quæris? Videtur mihi egregie dictum: Sapiens, divitiarum naturalium eſt quæſitor acerrimus. Inani me, inquis, lance muneras. [9] Quid eſt illud in commune? jam ego [10] paraveram fiſcos: circumſpiciebam in quod me mare negotiaturus immitterem, [11] quod publicum agitarem, quas accerſerem merces. Decipere eſt illud, docere paupertatem, cum divitias promiſeris. Ita tu pauperem judicas, cui nihil deeſt? Suo, inquis, & patientiæ

bat, nempe ſe ipſum cuique: ſic tu quoque à te mutuaberis. *Gronovius.*

5 *Ex lacu proximo*] Propertius:
Ipſa petita lacu nunc mihi dulcis aqua eſt. Lipſius.

6 *Multa nive cluſero*] Teneri poteſt. nam & aqua in vaſe circumdari nive ſolet, ut frigus capiat, nivis ipſius & vitii expers. Hodie etiam faciunt. Tamen alii *eliſero.* Idem.

7 *Tiburtinus calix*] Fictilis. *Idem.*

8 *Quid ſit ergo*] De quo initio dixi, *In commune* debere proferri. *Idem.*

9 *Quid eſt illud inane*] Improba vox, *inane:* & faciam, *in commune:* ut ad ea verba alludat. Si tamen non ſupervacua: & certe in meo eſt, *Quid eſt iſtud? jamne ego.* Idem.

10 *Paraveram fiſcos*] In quos pecuniam conjicerem. *Idem.*

11 *Quod publicum*] Nam vectigalium redempturis prompta ſæpe ad opes via. *Idem.*

12 *Igno-*

Digitized by

tiæ ſuæ beneficio, non fortunæ. Ideo ergo illum non judicas divitem, quia divitiæ ejus deſinere non poſſunt? Utrum malis habere multum, an ſatis? qui multum habet, plus cupit; quod eſt argumentum, nondum illum ſatis habere: qui ſatis habet, conſecutus eſt, quod nunquam diviti contingit, finem. An has ideo non putas eſſe divitias, quia propter illas nemo proſcriptus eſt? quia propter illas nulli venenum filius, nulli uxor impegit? quia in bello tutæ ſunt? quia in pace otioſæ? quia nec habere illas periculoſum eſt, nec operoſum diſponere? An parum habet, qui tantum non alget, non eſurit, non ſitit? plus Jupiter non habet. Nunquam parum eſt, quod ſatis eſt: nunquam multum eſt, quod ſatis non eſt. Poſt Darium & Indos pauper eſt Alexander Macedo: quærit quod ſuum faciat, ſcrutatur maria ignota, in Oceanum claſſes mittit novas, &, ut ita dicam, mundi clauſtra perrumpit. Quod naturæ ſatis eſt, homini non eſt. Inventus eſt qui concupiſceret aliquid poſt omnia. Tanta eſt cæcitas mentium, & tanta initiorum ſuorum unicuique, cum proceſſit, oblivio. Ille modo [12] ignobilis anguli non ſine controverſia dominus, [13] de tanto fine terrarum per ſuum rediturus orbem triſtis eſt. Neminem pecunia divitem fecit: imo contra, nulli non majorem ſui cupiditatem incuſſit. Quæris, quæ ſit hujus rei cauſſa? plus incipit habere poſſe, qui plus habet. Ad ſummam, quam voles mihi ex his quorum nomina [14] cum Craſſo Licinioque numerantur, in medium licet protrahas: afferat cenſum, & quidquid habet, & quidquid

12 *Ignobilis anguli*] Macedoniæ. cui prima claritas à Philippo. *Lipſius.*

13 *De tanto fine terrarum*] Divinet aliquis, *detecto*. Idem.

14 *Cum Craſſo Licinoque*] De Craſſo notum, nec de Licino ignotum. Jungit utrumque & Perſius:

Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes.

Fuit Auguſti prædives libertus, de quo Dio lib. 54. etſi *Λικίνιον*, ſive *Licinium* vocat: Juvenalis Sat. 1. & Scholiaſtes, Sidonius epiſt. 7. libri 5. Carmen de eo epitaphium:

Marmoreo hoc tumulo Licinus jacet, at Cato nullo,
Pompeius parvo. credimus eſſe Deos?

Nominat iterum noſter in epiſt. ſeq. *Idem.*

15 Quam

quid ſperat, ſimul computet: iſte, ſi mihi credis, pauper eſt; ſi tibi, poteſt eſſe. At hic qui ſe ad id quod natura exigit, compoſuit, non tantum extra ſenſum eſt paupertatis, ſed extra metum. Sed ut ſcias, quam difficile ſit res ſuas ad naturalem modum coarctare, hic ipſe quem circa naturam diximus, quem tu vocas pauperem, habet aliquid & ſupervacui. At excæcant populum, & in ſe convertunt opes, ſi numerati multum ex aliqua domo effertur, ſi multum auri tecto quoque ejus illinitur, ſi familia aut corporibus electa, aut ſpectabilis cultu eſt. Omnium iſtorum felicitas in publicum ſpectat: ille quem nos & populo & fortunæ ſubduximus, beatus introrſum eſt. Nam quod ad illos pertinet, apud quos falſo divitiarum nomen invaſit occupata paupertas: ſic divitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cum illa nos habeat. Econtrario dicere debemus: Febris illum tenet. eodem modo dicendum eſt, Divitiæ illum tenent. Nihil ergo monuiſſe te malim, quam hoc, quod nemo monetur ſatis: ut omnia naturalibus deſideriis metiaris, quibus aut gratis ſatis fiat, aut parvo. Tantum miſcere vitia deſideriis noli. Quæris, quali menſa, quali argento, [15] quam paribus miniſteriis, [16] & levibus, afferatur cibus? nihil præter cibum natura deſiderat.

Num tibi, cum fauces urit ſitis, aurea quæris
Pocula? num eſuriens faſtidis omnia, præter
Pavonem rhombumque?

Ambitioſa non eſt fames: contenta deſinere eſt: quo deſinat, non nimis curat. Infelicis luxuriæ iſta tormenta ſunt. quærit quemadmodum poſt ſaturitatem quoque eſuriat; quemadmodum non impleat ventrem, ſed farciat; quemadmodum ſitim prima potione ſedatam revocet. Egregie itaque Horatius negat ad ſitim pertinere, quo poculo

15 *Quam paribus miniſteriis*] Ætate, aut colore paribus. De Brevit. vit. cap. 12. & alibi in his Epiſtolis. *Lipſius.*

16 *Et levibus*] Glabris, ut alibi vocat, & ſine pilis. *Idem.*

17 *Quam*

Digitized by Google

poculo aqua, aut quam eleganti manu miniſtretur. Nam ſi pertinere ad te judicas, [17] quam crinitus puer, & quam perlucidum tibi poculum porrigat, non ſitis. Inter reliqua, hoc nobis natura præſtitit præcipuum, quod neceſſitati faſtidium excuſſit. Recipiunt ſupervacua delectum. Hoc parum decens, [18] illud parum laudatum, oculos hoc meos lædit. Id actum eſt ab illo mundi conditore, qui nobis vivendi jura deſcripſit, ut ſalvi eſſemus, non delicati. Ad ſalutem omnia parata ſunt, & in promptu: [19] deliciis omnia miſere ac ſolicite comparantur. Utamur ergo hoc naturæ beneficio inter magna numerando: & cogitemus, nullo nomine melius illam meruiſſe de nobis, quam quia quidquid ex neceſſitate deſideratur, ſine faſtidio ſumitur.

EPIST. CXX.

Boni notitia quomodo ad nos venerit? obſervatione, & collatione: natura etiam ducente. Venit & ex contrario: id eſt, vitii deteſtatione. Deſcribit Sapientem, & vulgo petenda aut timenda calcantem, etiam ipſam mortem. Denique unum ſemper, & ſibi conſtantem.

EPiſtola tua per plures quæſtiunculas vagata eſt, ſed in una conſtitit, & hanc expediri deſiderat: Quomodo ad nos boni honeſtique notitia pervenerit. Hæc duo apud alios

17 *Quam crinitus puer*] Qui à poculis, muliebri plerumque habitu erant, capillitio fluente & longo. Imo & alii Pædagogiani fere pueri. Unde Martialis:
Crinita, Line, Pædagogæ turba.
Horatius de tali mollicello:
Diſcrimen obſcurum ſolutis
Crinibus, ambiguoque vultu. Lipſius.

18 *Illud parum laudatum*] Sic in omnibus eſt libris veteribus, nec temere mutandum oſtendimus 3 Obſervat. 14. De conjectura fecerat Lipſius, *lautum*. Gronovius.

19 *Deliciis omnia miſere ac ſolicite comparantur*] Nihil moveo. Quia tamen eſt quoque in proximo membro τὸ *omnia*, ſuſpicabar aliquando inſititium hic eſſe, & relictum ab auctore: *Deliciis miſere ac ſolicite comparatur.* Uſu eleganti verbi, quem notavimus ad Livium. Cicero pro Plancio: *deinde cœpit habere comitia ſubito, præter opinionem omnium, ut ne, ſi cogitaſſet quidem quiſpiam largiri, daretur ſpatium comparandi.* Lib. 16. Famil. 11. *Ex hac quoque parte diligentiſſime comparatur.* Ubi corruptæ editiones interpoſitum habent, *bellum*. Idem.

alios diverſa ſunt, [1] apud nos tantum diviſa. Quid ſit hoc, dicam. Bonum putant eſſe aliqui, quod utile eſt. itaque hoc & divitiis, & equo, & vino, & calceo nomen imponunt: [2] tanta ſit apud illos boni vilitas, & adeo uſque ad ſordida deſcendit. Honeſtum putant, cui ratio recti officii conſtat: tanquam pie curatam patris ſenectutem, adjutam amici paupertatem, fortem expeditionem, prudentem moderatamque ſententiam. [3] Iſta duo quidem facimus, ſed ex uno. Nihil eſt bonum, niſi quod honeſtum eſt: quod honeſtum eſt, utique bonum. Supervacuum judico adjicere, quid inter iſta diſcriminis ſit, cum ſæpe dixerim. Hoc unum dicam: Nihil nobis bonum videri, quo quis & male uti poteſt. Vides autem, divitiis, nobilitate, viribus, quam multi male utantur. Nunc ergo ad id revertor, de quo deſideras dici: Quomodo ad nos prima boni honeſtique notitia pervenerit. Hoc nos docere natura non potuit: ſemina nobis ſcientiæ dedit, ſcientiam non dedit. Quidam aiunt nos in notitiam incidiſſe: quod eſt incredibile, virtutis alicui ſpeciem caſu occurriſſe. Nobis videtur obſervatio collegiſſe, & rerum ſæpe factarum inter ſe collatio, per analogiam noſtro intellectu & honeſtum & bonum judicante. Hoc verbum cum Latini grammatici civitate donaverint, ego damnandum non puto, nec in civitatem ſuam redigendum. Utar ergo illo non tamquam recepto, ſed tamquam uſitato. Quæ ſit hæc analogia, dicam. Noveramus corporis ſanitatem: ex hac cogitavimus eſſe aliquam & animi. noveramus corporis vires: ex his collegimus eſſe & animi robur. Aliqua benigna facta, aliqua humana, aliqua fortia, nos obſtupefecerant: hæc cœpimus tamquam perfecta

EPIST. CXX. 1 *Apud nos tantum diviſa*] Quomodo, & quatenus, epiſt. 118. circa medium, copioſe. *Lipſius.*

2 *Tanta eſt apud illos boni vilitas*] Ita Mureti editio, cum habeant Eraſmi, *Tanta ſit.* quomodo & mss. omnes, aut certe, *ſit.* Gruterus. Retinenda eſt media lectio. Sic epiſt. 122. *Interrogas, quomodo hac animo pravitas fiat.* Gronovius.

3 *Iſta duo quidem facimus*] Nempe nos Stoïci. *Lipſius.*

4 Ut

ſecta mirari. Suberant illis multa vitia, quæ ſpecies alicujus conſpicui facti fulgorque celabat: hæc diſſimulavimus. Natura jubet augere laudanda: nemo non gloriam ultra verum tulit. Ex his ergo ſpeciem ingentis boni traximus. Fabricius Pyrrhi regis aurum repulit, majuſque regno judicavit, regias opes poſſe contemnere. Idem, medico Pyrrhi promittente venenum ſe regi daturum, monuit Pyrrhum, caveret inſidias. Ejuſdem animi fuit, auro non vinci, veneno non vincere. Admirati ſumus ingentem virum, quem non regis, non contra regem promiſſa flexiſſent, boni exempli tenacem: quod difficillimum eſt, in bello innocentem: qui aliquod eſſe crederet etiam in hoſte nefas: qui in ſumma paupertate, quam ſibi decus fecerat, non aliter refugit divitias quam venenum. Vive, inquit, beneficio meo, Pyrrhe, & gaude, quod adhuc dolebas, Fabricium non poſſe corrumpi. Horatius Cocles ſolus implevit pontis anguſtias, adimique à tergo ſibi reditum, dummodo iter hoſti auferretur, juſſit: & tam diu reſtitit prementibus, donec revulſa ingenti ruina tigna ſonuerunt. Poſtquam reſpexit, & extra periculum eſſe patriam periculo ſuo ſenſit: Veniat, ſi quis vult, inquit, ſic euntem ſequi: deditque ſe in præceps: & non minus ſolicitus in illo rapido alveo fluminis, [4] ut armatus, quam ut ſalvus exiret, retento armorum victricium decore, tam tutus rediit, [5] quam ſi ponte veniſſet. Hæc & hujuſmodi facta imaginem nobis oſtendere virtutis. Adjiciam quod mirum fortaſſe videatur: mala interdum ſpeciem honeſti obtulerunt, & optimum ex contrario nituit. Sunt enim, ut ſcis, virtutibus vitia confinia, & perditis quoque ac turpibus recti ſimilitudo eſt. Sic mentitur prodigus liberalem: cum plurimum interſit, utrum quis dare ſciat, an ſervare neſciat. Multi, inquam, ſunt, Lucili, qui non donant, ſed projiciunt. non voco ego libe-

4 *Ut armatus*] Ex lege militari, nequis arma abjiceret aut amitteret. *Lipſius.*

5 *Quam ſi ponte*] Tam tuto per aquam, quam ſi per pontem. Male, qui legunt, *ſi è ponte.* Idem.

liberalem, pecuniæ ſuæ iratum. Imitatur negligentia facilitatem, temeritas fortitudinem. Hæc nos ſimilitudo coëgit attendere, & diſtinguere ſpecie quidem vicina, re autem plurimum inter ſe diſſidentia. Dum obſervamus eos, quos inſignes egregium opus fecerat, cœpimus annotare, quis rem aliquam generoſo animo feciſſet & magno impetu, ſed ſemel. Hunc vidimus in bello fortem, in foro timidum, animoſe paupertatem ferentem, humiliter infamiam: factum laudavimus, contempſimus virum. Alium vidimus adverſus amicos benignum, adverſus inimicos temperatum, & publica & privata ſancte ac religioſe adminiſtrantem: non deeſſe ei, & in his quæ toleranda erant, patientiam, & in his quæ agenda, prudentiam. Vidimus ubi tribuendum eſſet, plena manu dantem: ubi laborandum, [6] pertinacem & obnoxium, & laſſitudinem corporis animo ſublevantem. Præterea idem erat ſemper, & in omni actu par ſibi, jam non conſilio bonus, ſed [7] more eo perductus, ut non tantum recte facere poſſet, ſed niſi recte facere non poſſet. Intelleximus in illo perfectam eſſe virtutem: hanc in partes diviſimus. Oportebat cupiditates refrænari, metus comprimi, facienda provideri, reddenda diſtribui: comprehendimus temperantiam, fortitudinem, prudentiam, juſtitiam, & ſuum cuique dedimus officium. Ex quo ergo virtutem intelleximus? Oſtendit illam nobis ordo ejus, & decor, & conſtantia, & omnium inter ſe actionum concordia, & magnitudo ſuper omnia efferens ſeſe. Hinc intellecta eſt illa beata vita, [8] ſecundo defluens curſu, arbitrii ſui tota. Quomodo ergo hoc ipſum nobis apparuit? dicam. Numquam vir ille perfectus adeptuſque virtutem, fortunæ maledixit: numquam accidentia triſtis excepit; civem eſſe ſe univerſi & militem credens, labores velut imperatos ſubiit.

6 *Pertinacem & obnoxium*] Volunt, *obnixum*: ego non mutem. Nam & obnoxius eſt, qui laborum ſubit ſuſcipitque: & ſe dat. *Lipſius.*

7 *More eo perductus*] Cui in habitum ſcientia iverat. *Idem.*

8 *Secundo defluens curſu*] Eſt Stoïcorum εὔροια. Idem.

9 *Ex*

iit. Quidquid inciderat, non tamquam malum aſpernatus eſt,& in ſe caſu delatum, ſed quaſi delegatum ſibi. Hoc qualecumque eſt, inquit, meum eſt. aſperum eſt, durum eſt: in ipſo navemus operam. Neceſſario itaque magnus apparuit, qui numquam malis ingemuit, numquam de fato ſuo queſtus eſt, fecit multis intellectum ſui, & non aliter quam in tenebris lumen effulſit: advertitque in ſe omnium animos, cum eſſet placidus & lenis, & humanis diviniſque rebus pariter æquus. Habebat perfectum animum, ad ſummam ſui adductus, ſupra quam nihil eſt niſi mens Dei, [9] ex qua pars & in hoc pectus mortale defluxit: quod numquam magis divinum eſt, quam ubi mortalitatem ſuam cogitat, & ſcit in hoc natum hominem, ut vita defungeretur: nec domum eſſe hoc corpus, ſed hoſpitium, & quidem breve hoſpitium: quod relinquendum eſt, ubi te gravem eſſe hoſpiti videas. Maximum, inquam, mi Lucili, argumentum eſt animi ab altiori venientis ſede, ſi hæc in quibus verſatur, humilia judicat, & anguſta, ſi exire non metuit. Scit enim quo exiturus ſit, qui unde venerit, meminit. Non videmus, quam multa nos incommoda exagitant, quam male nobis conveniat hoc corpus? Nunc de ventre, nunc de capite, nunc de pectore ac faucibus querimur: alias nervi nos, alias pedes vexant: nunc dejectio, nunc deſtillatio: aliquando ſupereſt ſanguis, aliquando deeſt: hinc atque illinc tentamur, & expellimur. Hoc evenire ſolet in alieno habitantibus. At nos corpus tam putre ſortiti, nihilominus æterna proponimus, & in quantum poteſt ætas humana protendi, tantum ſpe occupamus, nulla contenti pecunia, nulla potentia. Quid hac re fieri impudentius, quid ſtultius poteſt? Nihil ſatis eſt morituris, imo morientibus. quotidie enim propius ab ultimo ſtamus, & illo unde nobis cadendum eſt, hora nos omnis impellit. Vide in quanta cæcitate mens noſtra ſit! Hoc quod futu-

9 *Ex qua pars & in hoc*] Stoïcorum opinio, animos noſtros ex illo divino delibatos eſſe. Phyſiol. 3. Diſſert. 8. *Lipſius.*

ſuturum dico, cummaxime ſit, & pars ejus magna jam facta eſt. nam quod viximus tempus, eo loco eſt, quo erat antequam viximus. Erramus autem, qui ultimum timemus diem: cum tantumdem in mortem ſinguli conferant. Non ille gradus laſſitudinem facit, in quo defecimus, ſed ille profitetur. Ad mortem dies extremus pervenit, accedit omnis. [10] Carpit nos illa, non corripit. Ideo magnus animus, conſcius ſibi melioris naturæ, dat quidem operam, ut in hac ſtatione, qua poſitus eſt, honeſte ſe atque induſtrie gerat: ceterum nihil horum quæ circa ipſum ſunt, ſuum judicat, ſed ut commodatis utitur, peregrinus & properans. Cum aliquem hujus viderimus conſtantiæ, quidni ſubiret nos ſpecies non uſitatæ indolis? utique ſi hanc, ut dixi, magnitudinem [11] veram eſſe oſtendebat. Qualitatis veræ tenor permanet, falſa non durant. Quidam alternis Vatinii, alternis Catones ſunt: & modo parum illis ſeverus eſt Curius, parum pauper Fabricius, parum frugi & contentus vili Tubero: modo Licinum divitiis, Apicium cœnis, Mæcenatem deliciis provocant. Maximum indicium eſt malæ mentis, fluctuatio, & inter ſimulationem virtutum, amoremque vitiorum, aſſidua jactatio.

—— habebat ſæpe ducentos,
Sæpe decem ſervos: modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens: modo, ſit mihi menſa tripes, &
Concha ſalis puri, & toga quæ defendere frigus,
Quamvis craſſa, queat. decies centena dediſſes
Huic parco paucis contento: quinque diebus
Nil erat in loculis.

Omnes

10 *Carpit nos illa*] Paullatim mors ad ſe ducit, non impetu rapit. *Lipſius.*

11 *Veram eſſe oſtendebat. Qualitatis veræ tenor*] Sic & Eraſmus. At Pal. pr. *Qualitas vero tenera.* Sec. *Qualitas vero tenet.* quart. *quas vero tenet.* Col. *qualitas vere tenor.* Adhæſerim fere Pal. tert. *oſtendebat qualitas. Verus tenor.* Hæc eſt animadverſio Gruteri. In qua vides veſtigia veræ lectionis, quam parvula conjectura eruimus: *utique ſi hanc, ut dixi, magnitudinem veram eſſe oſtendebat æqualitas. Veri tenor permanet, falſa non durant.* Lege ſequentia: rem acu nos tetigiſſe fateberis. *Gronovius.*

12 *Unum*

Omnes iſti tales ſunt, qualem hunc deſcribit Horatius: numquam eumdem, nec ſimilem quidem ſibi. adeo in diverſum aberrat. Multos dixi: prope eſt ut omnes ſint. Nemo non quotidie conſilium mutat, & votum. modo uxorem vult habere, modo amicam: modo regnare vult; modo id agit, ne quis ſit officioſior ſervus: modo dilatat ſe uſque ad invidiam; modo ſubſidit, & contrahitur infra humilitatem vere jacentium: nunc pecuniam ſpargit, nunc rapit. Sic maxime coarguitur animus imprudens: alius prodit atque alius, & (quo turpius nihil judico) impar ſibi eſt. Magnam rem puta, [12] unum hominem agere. Præter ſapientem autem nemo unum agit: ceteri multiformes ſumus. Modo frugi tibi videbimur & graves, modo prodigi & vani. Mutamus ſubinde perſonam, & contrariam ei ſumimus, quam exuimus. Hoc ergo à te exige, ut qualem inſtitueris præſtare te, talem uſque ad exitum ſerves. Effice ut poſſis laudari: ſi minus, ut agnoſci. De aliquo, quem vidiſti heri, merito dici poteſt: Hic quis eſt? tanta mutatio eſt.

EPIST. CXXI.

Aliquid pro argutiis prætendit: tum proponit, An omnibus animalibus conſtitutionis ſuæ ſenſus? id eſt, ſponte & natura eant, quo debent & ſunt facta. Dicit eſſe, & exemplis rationibuſque varie docet.

Litigabis, ego video: cum tibi hodiernam quæſtiunculam, in qua ſatis diu hæſimus, expoſuero. Iterum enim clamabis, Hoc quid ad mores? Sed exclama, dum tibi primum alios opponam, cum quibus litiges, Poſidonium & [1] Archidemum. [2] Hi judicium accipient, deinde dicam.

12 *Unum hominem agere*] Qui finis eſt Zenonius, vita conveniens. Vide Manuduct. 2. Diſſert. 15. At Mureti etiam nota hic opportuna. Nam quod in Sacris de Jobo ſcribitur, *Fuit unus vir:* id ita Hieronymus interpretatur. *Non per diverſa mobilis & inſtabilis ferebatur, ſed firmus atque inconcuſſus perſiſtens, erat vir unus.* Eſt plane Zenonium. *Lipſius.*

EPIST. XXI. 1 *Archidemum*] Inter priores Stoïcos fuit. etſi hodie

 minus,

dicam. [3] Non quidquid morale eſt, bonos mores facit. Aliud ad hominem alendum pertinet, aliud ad exercendum, aliud ad veſtiendum, aliud ad docendum, aliud ad delectandum. Omnia tamen ad hominem pertinent, etiamſi non omnia meliorem eum faciunt. Mores alia aliter attingunt. Quædam illos corrigunt & ordinant, quædam naturam eorum & originem ſcrutantur. Cum quæritur, quare hominem natura produxerit, quare prætulerit animalibus ceteris, longe me judicas mores reliquiſſe? falſum eſt. Quomodo enim ſcies, qui habendi ſint, niſi quid homini ſit optimum, inveneris? niſi naturam ejus inſpexeris? Tunc demum intelliges, quid faciendum tibi, quid vitandum ſit, cum didiceris quid naturæ tuæ debeas. Ego, inquis, volo diſcere, quomodo minus cupiam, minus timeam. Superſtitionem mihi excute: doce leve eſſe vanumque hoc, quod felicitas dicitur: [4] unam illi ſyllabam facillime accedere. Deſiderio tuo ſatisfaciam, [5] & virtutes exhortabor, & vitia converberabo, licet aliquis nimium immoderatumque in hac parte me judicet, non deſiſtam perſequi nequitiam, & affectus efferatiſſimos inhibere, & voluptates ituras in dolorem compeſcere, & votis obſtrepere. Quidni? cum maxima malorum optaverimus, & ex

minus, Olim maxime in fama. Vide in Manud. 1. Diſſert. 12. *Lipſius.*

2 *Hi judicium accipient*] Non diffugient, litem tecum conteſtabuntur. *Idem.*

3 *Non quidquid morale*] Melius interrogatione hoc efferas, & claudas, ut ſit affirmantis. Nam ex ſequela hoc velle dicas: Moralia etiam eſſe, quæ ſi non aperte & ſtatim, flexu vel ſubſidio aliquo ducunt ad bonos mores. Tale iſtud. *Idem.*

4 *Unam illi ſyllabam*] Ut fiat *Infelicitas.* Idem.

5 *Et ad virtutes exhortabor*] A Pinciano præpoſitionem arripuit Muretus. Veteres & mſ. *Et virtutes exhortabor.* Quæ vera eſt lectio, probata etiam Grutero. Tacitus lib. 11 Annal. *Hortantibus quibuſdam inediam & lenem exitum.* Quod mutandum non eſſe cum Lipſio, oſtendimus olim ex illo Statii ad Claudiam uxorem: *Hortavere vias.* Juſtinus lib. 14. 1. *Qua voce adeo cunctos in ſtudium partium ſuarum induxit, ut ultro bellum omnes hortarentur, reſciſſuroſque ſe ferro decreta Macedonum adfirmarent.* Sic mſſ. ut ex Bongarſii indice variantium noſcere licet. Vulgo ſubdiderunt, *illum.* Attius apud Chariſium: *Ego tunc pudendam trepidus hortabar fugam.* Ovidius in epiſt. Herus: *cupio non perſuadere quod hortor.* Gronovius.

6 *Ex*

[6] ex gratulatione natum ſit quidquid obloquimur. Interim permitte mihi ea quæ paulo remotiora videntur, excutere. Quærebamus, an eſſet omnibus animalibus [7] conſtitutionis ſuæ ſenſus? Senſum autem eſſe, ex eo maxime apparet, quod membra apte & expedite movent, non aliter quam in hoc erudita. Nulli non partium ſuarum agilitas eſt. Artifex inſtrumenta ſua tractat ex facili: rector navis ſcit gubernaculum flectere: pictor colores quos ad reddendam ſimilitudinem multos varioſque ante ſe poſuit, celerrime denotat, & [8] inter ceram opuſque facili vultu ac manu commeat. Sic animal in omnem uſum ſui mobile. [9] Mirari ſolemus ſcenæ peritos, quod in omnem ſignificationem rerum & effectuum parata illorum eſt manus, & verborum velocitatem geſtus aſſequitur. Quod illis ars præſtat, his natura. Nemo ægre molitur artus ſuos, nemo in uſu ſui hæſit: ad hoc edita, protinus faciunt. Cum hac ſcientia prodeunt, inſtituta naſcuntur. Ideo, inquit, partes ſuas animalia apte movebunt: quia ſi aliter moverint, dolorem

6 *Ex gratulatione natum*] Ex eo quod votorum compotes facti, gratulationes exceperimus, quaſi rebus bonis: at malæ illæ erant. *Lipſius.*

7 *Conſtitutionis ſuæ ſenſus*] Ipſum hoc Stoicum verbum, & ſcitum, Laërtius breviter ex Chryſippo: πρῶτον οἰκεῖον εἶναι παντὶ ζώῳ τὴν αὑτοῦ σύστασιν, καὶ τὴν ταύτης συνείδησιν. *Primum cognatum eſſe omni animali, ſuam ipſius conſtitutionem, & ejus cognitionem ac ſenſum.* Cicero, in Catonis perſona, 3 de Finibus: *Placet iis* (Stoïcis) *quorum ratio mihi probatur, ſimul atque natum ſit animal, ipſum ſibi conciliari & commendari ad ſe conſervandum, & ad ſuum ſtatum* (ita dicit σύστασιν, ſive *Conſtitutionem*) *& ad ea quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus diligenda.* Tractat eumdem locum 5 de Finibus: & erat creber in eorum ſcriptis, quia finem ex eo ducebant. Quomodo, Laërtius tibi dicet in Zenone, initio partis Ethicæ. *Idem.*

8 *Inter ceram opuſque*] Turnebus notat, *ceram* eſſe fucum ſive picturam: quia veteres ceris pingere ſolebant. Ceris dico, varie coloratis. Varro: *Pictores loculatas magnas habent arculas, ubi diſcolores ſunt ceræ.* Idem.

9 *Mirari ſolemus ſcenæ peritos*] Scripti, *ſatiat peritos.* ex quo idem ille doctiſſimus optimuſque Turnebus, *ſaltationis.* Et vero ad Pantomimos, quorum ſaltatio erat, hæc proprie pertinent: qui geſtibus ſolis hiſtorias fabulaſque ſcite exprimebant & agebant. *Idem.* Sic Eraſmus de conjectura, quam priore editione ad marginem poſuit, poſteriore in contextum recepit, cum ante legeretur: *ſatiant peritos.* Gruteri codices una litera minus, *ſatiat.* Turnebus, *ſaltationis.* Egregie ad ſenſum: ſed quia Eraſmus & in ſcripto reperit, *ſatiant*, quis non laudet, *ſaltandi peritos.* Manilius: *Mobilis in ſaltus & ſcenæ mollior arte.* Sic apud Juſtinum *Lariſſæa ſaltatrix*, ſcenica, fidicina. *Gronovius.*

lorem ſenſura ſunt. Ita, ut vos dicitis, coguntur, metuſque illa in rectum, non voluntas movet: quod eſt falſum. Tarda enim ſunt, quæ neceſſitate impelluntur. Agilitas, ſpontaneus motus eſt. Adeo autem non adigit illa ad hoc doloris timor, ut in naturalem motum etiam dolore prohibente nitantur. Sic infans qui ſtare meditatur, & ferre ſe aſſueſcit, ſimul tentare vires ſuas cœpit, cadit: & cum fletu toties reſurgit, donec ſe per dolorem ad id quod natura poſcit, exercuit. Animalia quædam tergi durioris inverſa tamdiu ſe torquent, ac pedes exſerunt, & obliquant, donec ad locum reponantur. Nullum tormentum ſentit ſupinata teſtudo. inquieta eſt tamen deſiderio naturalis ſtatus: nec ante deſinit niti, quatere ſe, quam in pedes conſtitit. Ergo omnibus conſtitutionis ſuæ ſenſus eſt, & inde membrorum tam expedita tractatio: nec ullum majus indicium habemus, cum hac illa ad vivendum venire notitia, quam quod nullum animal ad uſum ſui rude eſt. Conſtitutio eſt, inquit, ut vos dicitis, principale animi quodam modo ſe habens erga corpus. Hoc tam perplexum & ſubtile, & vobis quoque vix enarrabile, quomodo infans intelligit? Omnia animalia dialectica naſci oporteret, ut iſtam finitionem [10] magnæ parti hominum togatorum obſcuram intelligant. Verum erat quod opponis, ſi ego ab animalibus conſtitutionis finitionem intelligi dicerem. Nam ipſa conſtitutio facilius natura intelligitur, quam enarratur. Itaque infans ille, quid ſit conſtitutio, non novit: conſtitutionem ſuam novit: & quid ſit animal neſcit, animal eſſe ſe ſentit. Præterea ipſam conſtitutionem ſuam craſſe intelligit, & ſummatim, & obſcure. Nos quoque animum habere nos ſcimus: quid ſit animus, ubi ſit, qualis ſit, & unde, neſcimus. Qualis ad nos pervenit animi noſtri ſenſus, quamvis naturam ejus ignoremus, ac ſedem, talis ad omnia animalia conſtitutionis ſuæ ſenſus. Neceſſe eſt enim id ſentiant,

10 *Magnæ parti togatorum*] Id eſt, primorum civium. nam hoc ipſo, quod *Togatos* dicit, *Tunicatæ* plebi opponit. Illi autem primores, fere docti. *Lipſius.*

11 Ad

tiant, per quod alia quoque ſentiunt: neceſſe eſt ſenſum ejus habeant, cui parent, à quo reguntur. Nemo non ex nobis intelligit, eſſe aliquid, quod impetus ſuos moveat: quid ſit illud, ignorat. & conatum ſibi eſſe ſcit: quid ſit, aut unde ſit, neſcit. Sicut infantibus, ſic quoque animalibus, principalis partis ſuæ ſenſus eſt non ſatis dilucidus, non expreſſus. Dicitis, inquit, omne animal primum conſtitutioni ſuæ conciliari: hominis autem conſtitutionem rationalem eſſe: & ideo conciliari hominem ſibi, non tamquam animali, ſed tamquam rationali. Ea enim parte ſibi carus eſt homo, qua homo eſt. Quomodo ergo infans conciliari conſtitutioni rationali poteſt, cum rationalis nondum ſit? Unicuique ætati ſua conſtitutio eſt: alia infanti, alia puero, alia ſeni. Omnes enim conſtitutioni conciliantur, in qua ſunt. Infans ſine dentibus eſt: huic conſtitutioni ſuæ conciliatur. enati ſunt dentes: huic conſtitutioni conciliatur. Nam & illa herba, quæ in ſegetem frugemque ventura eſt, alienam conſtitutionem habet tenera, & vix eminens ſulco: aliam cum convaluit, & molli quidem culmo, ſed qui ferat onus ſuum, conſtitit: aliam cum flaveſcit, & [11] ad aream ſpectat, & ſpica ejus induruit: in quamcumque conſtitutionem venit, eam tuetur, in eam componitur. Alia eſt ætas infantis, pueri, adoleſcentis, ſenis: ego tamen idem ſum, qui & infans fui, & puer, & adoleſcens. Sic quamvis alia atque alia cuique conſtitutio ſit, conciliatio conſtitutionis ſuæ eadem eſt. Non enim puerum mihi aut juvenem, aut ſenem, ſed me natura commendat. Ergo infans ei conſtitutioni ſuæ conciliatur, quæ tunc infanti eſt, non quæ futura juveni eſt. Neque enim, ſi aliquid illi majus, in quo tranſeat, reſtat; non hoc quoque in quo naſcitur, ſecundum naturam eſt. Primum ſibi ipſi conciliatur animal: debet enim aliquid eſſe, ad quod alia referantur. Voluptatem peto. cui? mihi. ergo mei curam ago. Dolo-

11 *Ad aream ſpectat*] Quo trituræ gratia ſolent deportari. *Lipſius.*

12 Qua

Digitized by Google

Dolorem refugio. pro quo? pro me. ergo mei curam ago. Si omnia propter curam mei facio, ante omnia eſt mei cura. Hæc animalibus ineſt cunctis: nec inſeritur, ſed innaſcitur. Producit fœtus ſuos natura, non abjicit: & quia tutela certiſſima ex proximo eſt, ſibi quiſque commiſſus eſt. Itaque ut in prioribus dixi, tenera quoque animalia è materno utero vel quoquo modo effuſa, quid ſit infeſtum ipſis, protinus norunt, & mortifera devitant: umbram quoque tranſvolantium reformidant, obnoxia avibus rapto viventibus. Nullum animal ad vitam prodit ſine metu mortis. Quemadmodum, inquit, editum animal intellectum habere, aut ſalutaris aut mortiferæ rei, poteſt? Primum quæritur, an intelligat, non quemadmodum intelligat. Eſſe autem illis intellectum, ex eo apparet, quod nihil amplius, ſi intellexerint, faciant. Quid eſt quare pavonem, quare anſerem gallina non refugiat, cum tanto minorem, & ne notum quidem ſibi, accipitrem fugiat? quare pulli felem timent, canem non timent? Apparet illis ineſſe ſcientiam nocituri, non experimento collectam. nam antequam poſſint experiri, cavent. Deinde, ne hoc caſu exiſtimes fieri, nec metuunt alia quam debent, nec umquam obliviſcuntur hujus tutelæ & diligentiæ. æqualis eſt illis à pernicioſo fuga. Præterea, non fiunt timidiora vivendo. Ex quo quidem apparet, non uſu illa ad hoc pervenire, ſed naturali amore ſalutis ſuæ. Et tardum eſt & varium, quod uſus docet: quidquid natura tradit, & æquale eſt omnibus, & ſtatim. Si tamen exigis, dicam quomodo omne animal pernicioſa intelligere conetur. Sentit ſe carne conſtare: itaque ſentit, quid ſit, quo ſecari caro, quo uri, quo obteri poſſit. Quæ ſunt animalia armata ad nocendum, horum ſpeciem trahit inimicam & hoſtilem. Inter ſe iſta conjuncta ſunt. Simul enim conciliatur ſaluti ſuæ quidque: & [12] quæ juvant, illa petit; læſura formidat. Natu-

12 *Quæ juvant illa petit*] Tentat neſcio quid Gruterus: ſed aliter diſtinguendo & una litera juvandus auctor: *& quæ juvant illam, petit.* Puta ſalutem. *Gronovius.*

13 *Di-*

Naturales à contrariis aſpernationes ſunt. ſine ulla cogitatione, ſine conſilio fit, quidquid natura præcipit. Non vides, quanta ſubtilitas ſit apibus ad fingenda domicilia? quanta [13] dividui laboris obeundi concordia? Non vides quam nulli mortalium imitabilis ſit illa araneæ textura? quanti operis ſit, fila diſponere? alia in rectum immiſſa firmamenti loco, alia in orbem currentia ex denſo rara, quæ minora animalia, in quorum perniciem illa tenduntur, velut retibus implicata teneant. Naſcitur ars iſta, non diſcitur. Itaque nullum eſt animal altero doctius. videbis aranearum pares telas, par [14] in favis angulorum omnium foramen. Incertum eſt & inæquale, quidquid ars tradit: ex æquo venit, quod natura diſtribuit. Hæc nihil magis, quam tutelam ſui, & ejus peritiam tradidit: ideoque etiam ſimul incipiunt, & diſcere & vivere. Nec eſt mirum, cum eo naſci illa, ſine quo fruſtra naſcerentur. Primum hoc inſtrumentum illis natura contulit ad permanendum in conciliatione & caritate ſui. Non poterant ſalva eſſe, ni vellent. Nec hoc per ſe profuturum erat: ſed ſine hoc nulla res profuiſſet. Sed in nullo deprehendes [15] vilitatem ſui, ne negligentiam quidem. Tacitis quoque & brutis, quamvis in cetera torpeant, ad vivendum ſolertia eſt. Videbis quæ aliis inutilia ſunt, ſibi ipſa non deeſſe.

EPIST. CXXII.

Ingenium luxuriæ, adverſa moribus facere. Aliter cœnare, bibere, dormire, ſurgere: & tales aliquot Antipodas facete deſcribit.

DEtrimentum jam dies ſenſit: reſiluit aliquantulum: ita tamen, ut liberale adhuc ſpatium ſit, ſi quis cum ipſo, ut ita dicam, die ſurgat, officioſior, meliorque, quam ſi quis

13 *Dividui laboris*] Nam partiuntur inter ſe munera. *Lipſius.*
14 *In favis angulorum*] Alii libri, *in filis*, quod in Araneis probem. *Idem.*
15 *Vilitatem ſui*] Ut ſe contemnat, vile habeat. *Idem.*

ſi quis illum exſpectat, [1] ut luce prima exeat. Turpis, qui alto ſole ſemiſomnis jacet, cujus vigilia medio die incipit: & adhuc multis hoc antelucanum eſt. Sunt qui officia lucis noctiſque pervertunt: nec ante diducunt oculos heſterna graves crapula, quam appetere nox cœpit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura (ut ait Virgilius) ſedibus noſtris ſubditos econtrario poſuit,

Noſque ubi primus equis oriens afflavit anhelis,
Illis ſera rubens accendit lumina veſper:

talis horum contraria omnibus non regio, ſed vita eſt. Sunt quidam in eadem urbe antipodes, qui, [2] ut M. Cato ait, nec orientem umquam ſolem viderunt, nec occidentem. Hos tu exiſtimas ſcire, quemadmodum vivendum ſit, qui neſciunt quando? & hi mortem timent, in quam ſe vivi condiderunt: tam infauſti ominis, quam nocturnæ aves ſunt? Licet in vino unguentoque tenebras ſuas exigant, licet [3] epulis,& in multa quidem fercula diſcretis, totum perverſæ vigiliæ tempus educant: non convivantur, ſed [4] juſta ſibi faciunt. Mortuis certe interdiu parentatur. At mehercules nullus agenti dies longus eſt. Extendamus vitam: hujus

EPIST. CXXII. 1 *Ut luce prima exeat*] Hæc vera habeo, & pro Romano more ſcripta. Satis notum, ſalutatores cum prima luce, ſæpe ante, exire ſolitos & diſcurrere: qui Officioſi dicebantur, & res ipſa Officium. Ait nunc Seneca: Dies quidem minuit, & tardior lux eſt: tamen vel ſic ſatis longus, ſiquis cum luce ſurgat ſed melioris officii cauſſa, quam ut ſalutatum alios eat. Cujus? ut ſe curet, & ſalvum velit faciatque. *Lipſius.*

2 *Ut M. Cato ait*] Ubi Cato, ſcire non licet: Ciceronem dixiſſe, 2 de Finibus, & item Piſoni objeciſſe legimus, Oratione in ipſum. Sicut & Græcos tale uſurpaſſe: ſed in epulis aut poculis deditos, qui ante occaſum Solem in menſa ſunt, poſt ortum ſtertunt. De iiſdem Catonem dixiſſe opinandum eſt: neque tunc adhuc perverſi iſti Senecæ Antipodes. *Idem.*

3 *Epulis & in multa quidem fercula diſtinctis*] Veteres editiones *diſcoctis*, & ſic unus Pal. Pincianus, *diſtrictis*. At quatuor Gruteri, *diſcretis*. Quam veram eſſe lectionem cenſeo. Epiſt. 65. *quis rerum formator, quis omnia in una maſſa & materia inerti convoluta diſcreverit.* Plinius lib. 2 Nat. hiſt. cap. 8. *ne convolutus aër eandem in partem, æterna mundi vertigine, ignavo globo torpeat, ſed fundatur adverſo ſiderum verbere diſcretus & digeſtus.* Quintilianus lib. 7 Inſtit. Orat. cap. 1. *rerum plurium in ſingulas partitio, ſingularum in partes diſcretus ordo.* Porro *educant* pro vulgato *diducant* in quinque eſt Pall. vetuſtis editionibus, & ſuperius probavimus. *Gronovius.*

4 *Juſta ſibi faciunt*] Vide in ep. 12. *Lipſius.*

5 Et

hujus & officium, & argumentum, actus eſt. circumſcribatur nox, & aliquid ex illa in diem transferatur. Aves, quæ conviviis comparantur, ut immotæ facile pingueſcant, in obſcuro continentur: ita ſine ulla exercitatione jacentibus, tumor pigrum corpus invadit, [5] & ſuper membra iners ſagina ſuccreſcit. Ita iſtorum corpora, qui ſe tenebris dicaverunt, fœda viſuntur. [6] Quippe ſuſpectior illis, quam morbo pallentibus, color eſt: languidi, & evanidi albent, & in vivis caro morticina eſt. Hoc tamen minimum in illis malorum dixerim: quanto plus tenebrarum in animo eſt? ille in ſe ſtupet, ille caligat, invidet cæcis. Quis umquam oculos tenebrarum cauſſa habuit? Interrogas, quomodo hæc animo pravitas fiat, averſandi diem, & totam vitam in noctem transferendi? Omnia vitia contra naturam pugnant: omnia debitum ordinem deſerunt. hoc eſt luxuriæ propoſitum, gaudere perverſis: nec tantum diſcedere à recto, ſed quam longiſſime abire, deinde etiam è contrario ſtare. Non videntur tibi contra naturam vivere, [7] qui jejuni

5 *Et ſuper membra*] Libri alii, *& ſub ipſa umbra:* bono item ſenſu. *Lipſ.*

6 *Quippe non ſpecioſior illis quam*] In exemplari Pinciani & duobus Pall. & editione Tarviſina: *quippe ſuſpectior illis.* Quod vocabulum hac in re ſpernere non audeo. De Ira, 3, 9. *Quibus ſtomachus ſuſpectus eſt, proceſſuri ad res agendas majoris negotii, bilem cibo temperant.* De Benef. 6, 8. *quorundam flagellis quartana diſcuſſa eſt, & metus repentinus animum in aliam curam avertendo ſuſpectas horas ſefellit.* Eodem lib. cap. 16. de medico: *Inter ſolicitos adſedit, ad ſuſpecta tempora occurrit.* Vegetius de re veterin. 3, 1. *Qui (morbus) cum ſemel in gregem vel armentorum vel domitorum inceſſerit jumentorum, ſtatim omnia animalia, quæ levem ſuſpicionem habuerint, de poſſeſſione tollenda ſunt, & diſtribuenda in locis ubi nullum pecus paſcitur, ut nec ſibi invicem nec aliis noceant.* Nec vero neceſſario particula negandi abjicienda eſt, quando eam tres alii retinent. Sed poteſt ſervari, ut intelligas hyſterologiam eſſe Senecæ frequentiſſimam in comparationibus. *Non ſuſpectior quam morbo pallentibus*, eſſet æque ſuſpectus: non morbo pallentibus ſuſpectior quam ipſis: tam morbo pallentibus, quam ipſis ſuſpectus. ut alias ſolet. Simplicius tamen, abeſſe negationem. *Gronovius.*

7 *Qui jejuni bibunt*] Ante de iſtis dictum. & dignus adſcribi Novatiani locus, qui & ſuo ævo duraſſe oſtendit, in Epiſtola de cibis Judaicis: *Nec deſunt, qui cum ſibi Chriſtiani vocem induerint, exempla præbeant intemperantiæ & magiſteria. quorum uſque eo vitia venerunt, ut & jejuni matutino tempore bibant: non putantes Chriſtianum eſſe potare poſt cibum, niſi in vacuas & inanes adhuc venas infuſa ſtatim per* (lege, *poſt*) *ſomnum vina deſcenderint.* Et addit elegantiſſime: *Videas ergo tales novo genere adhuc jejunos, & jam ebrios, non ad popinam*

ni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii tranſeunt? Atqui frequens hoc adoleſcentium vitium eſt, qui vires excolunt, ut [8] in ipſo pene balnei limine, inter nudos bibant, imo potent: & ſudorem, quem moverunt potionibus crebris ac ferventibus, [9] ſubinde deſtringant. Poſt prandium aut cœnam bibere, vulgare eſt: hoc patresfamiliæ ruſtici faciunt, & veræ voluptatis ignari. Merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod libere penetrat ad nervos: illa ebrietas juvat, quæ in vacuum venit. Non videntur tibi contra naturam vivere, qui [10] commutant cum feminis veſtem? Non vivunt contra naturam, [11] qui exſpectant, ut pueritia ſplendeat tempore alieno? Quid fieri vel crudelius, vel miſerius poteſt? numquam vir erit, ut diu virum pati poſſit? & cum illum contumeliæ ſexus eripuiſſe debuerat, ne ætas quidem eripiet? Non vivunt contra naturam, qui hieme concupiſcunt roſam? fomentoque aquarum calentium, &, calorum [12] apta mutatione, bruma

nam currentes, ſed popinam ſecum circumferentes: quorum ſi quiſquis ſalutat, non oſculum dat, ſed propinat. Plutarchus hoc inter cauſſas morborum habet, Quæſt. Conviv. 8. c. 9. *Nec minimum*, inquit, *momentum habent ea quæ Propomata vocantur* (potus qui præbibuntur.) *Veteres enim ante cibum ne aquam quidem ſumebant: nunc jejuni prius onerant ſe vino, tum cibum guſtant, corpore madido & perfuſo.* Lipſius.

8 *In ipſo pane balnei*] Arnobius oſtendit factitaſſe, poſt inſolationem & unctionem, lib. 1. *Numquid ideo dicenda ſunt nubila inimica obductione pendere, quia libidini non permittitur, otioſe rutilare ſe flammis, & cauſſas potionibus præparare?* Idem.

9 *Subinde diſtringant*] Ad Strigiles adſpectum, quibus ſordes & ſudorem defricabant, & linteis deinde tergebant. Græcis eſt ἀποξύεσθαι. Idem.

10 *Commutant cum fœminis veſtem*] Magis placeat, cum aliis libris, *communicant*. Fœminæ autem Sericis Coïſque utebantur: & quidem è viris. *Idem.* P. Faber lib. 1 Semeſtr. cap. 15. videtur hunc locum ſic capere, ut inſectetur eos auctor noſter qui ad mollitiem & luxum in cœnis veſte utebantur muliebri: ex quibus fuit & Senator ille de quo Pomponius in d. l. inter veſtem. ff. de auro & argento legato. *Quintus Mutius ait, ſcire ſe quendam ſenatorem muliebribus cœnatoriis uti ſolitum.* Vide & Lipſium ad lib. 3 Annal. Taciti. plura petenda è Clemente Alexandrino lib. 3 Pædag. cap. 3. videatur & Langlæus lib. 1. cap. 5. Ocii Semeſtris.

11 *Qui exſpectant*] Alias, *ſpectant*: ſed cur non, *expetunt*? Nam quæ exſpectatio hic ſit neſcio, ſed meditatio & cura. Intelligit porro divites, qui glabros ſuos ultra ætatem retinebant: & ita epiſtola 47. ſcripſit, *vini miniſtrum, cum ætate luctari.* Velle videri juvenem ac puerum, cum jam non eſſet. *Lipſius.*

12 *Apta mutatione*] Imo vero, *imitatione*,

Digitized by Google

bruma lilium, florem vernum, exprimunt? Non vivunt contra naturam, qui [13] pomaria in ſummis turribus ſerunt? quorum ſilvæ in tectis domorum ac faſtigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egiſſent? Non vivunt contra naturam, qui fundamenta [14] thermarum in mare jaciunt: nec delicate natare ipſi ſibi videntur, niſi calentia ſtagna fluctu ac tempeſtate feriantur? Cum inſtituerunt omnia contra naturæ conſuetudinem velle, noviſſime in totum ab illa deſciſcunt. [15] Lucet: ſomni tempus eſt. quies eſt: nunc exerceamur, nunc geſtemur, nunc prandeamus. Jam lux propius accedit: tempus eſt cœnæ. Non oportet id facere, quod populus: res ſordida eſt, trita ac vulgari via vivere. Dies publicus relinquatur: proprium nobis ac peculiare mane fiat. Iſti vero mihi defunctorum loco ſunt. quantulum enim à funere abſunt, & quidem acerbo, qui [16] ad faces & cereos vivunt? Hanc vitam agere eodem tempore multos meminimus: inter quos & Atilium Butam prætorium, cui poſt patrimonium ingens conſumptum, Tiberius paupertatem confitenti: Sero, inquit, experrectus es. Recitabat Montanus Julius carmen, [17] tolera-

tatione, ut quidam libri. Imitantur calores æſtivos aut vernos, qui à natura. *Lipſius.*

13 *Pomaria in ſummis*] Horti & ſilvæ in tectis aut ſummis ædibus, ut nos quoque vidimus in urbe regia Bruxellæ. Sed in tectis ſcilicet planis, & ſine faſtigio: ubi terra ſuper trabes, ſive & fornices latericios, aggerebatur. Seneca 1 de Ira cap. ult. appellat, *Nemora ſuſpendere.* Alter Seneca tangit, in Thyeſte: —— *nulla culminibus meis*
Impoſita nutat ſilva.
Et *ſilva in tecta ſcandunt*, apud Plinium lib. 15. cap. 14. Apud Senecam patrem Controv. 5. lib. 5. *Alunt in ſummis culminibus mentita nemora, & navigabilium piſcinarum freta.* Portentum & hoc ultimum nota. *Idem.*

14 *Thermarum in mare*] Quod Baiis, aut illo tractu, fiebat crebro. *Idem.*

15 *Lucet: ſomni tempus*] De his perverſis hominibus, etiam Horatius:
—— *noctes vigilabat ad ipſum*
Mane, diem totum ſtertebat.
Lampridius de Heligabalo: *Trajecit & dierum actus noctibus, & nocturnos diebus, æſtimans hoc inter inſtrumenta luxuriæ: ita ut ſero de ſomno ſurgeret, & ſalutari inciperet, mane autem dormire inceptaret.* Tacitus de C. Petronio: *Namque illi dies per ſomnum, nox officiis & oblectamentis vitæ tranſigebatur.* Idem.

16 *Ad faces & cereos*] Ad quos pueri ſolent efferri. Vide de Brev. vit. in fine. *Idem.*

17 *Tolerabilis poëta*] Seneca pater de illo, in Controv. 1. lib. 7. *Montanus Julius, qui comes fuit, quique egregius poëta:* paullo honeſtius ſentit. Scripſit heroos & elegos. Ideoque Ovidius lib. 4. de Ponto:

lerabilis poëta, & [18] amicitia Tiberii notus, & frigore. Ortus & occaſus libentiſſime inſerebat. itaque cum indignaretur quidam illum tota die recitaſſe, & negaret accedendum ad recitationes ejus, [19] Natta Pinarius ait: Numquid liberalius poſſum agere? Paratus ſum illum audire ab ortu ad occaſum. Cum hos verſus recitaſſet:

Incipit ardentes Phœbus producere flammas,
Spargere ſe rubicunda dies, jam triſtis hirundo
Argutis reditura cibos immittere nidis
Incipit, & molli partitos ore miniſtrat:

Varus eques Romanus L. Vinicii comes, cœnarum bonarum aſſectator, quas improbitate linguæ merebatur, exclamavit: Incipit Buta dormire. Deinde cum ſubinde recitaſſet:

Jam ſua paſtores ſtabulis armenta locarunt,
Jam dare ſopitis nox nigra ſilentia terris
Incipit:

Idem Varus inquit: Quid dicit? jam nox eſt: ibo, & Butam ſalutabo. Nihil erat notius hac ejus vita in contrarium circumacta: quam, ut dixi, multi eodem tempore egerunt. Cauſſa autem eſt ita vivendi quibuſdam, non quia aliquid exiſtiment noctem ipſam habere jucundius, ſed quia nihil juvat obvium, & gravis malæ conſcientiæ lux eſt: & omnia concupiſcenti aut contemnenti, prout magno aut parvo empta ſunt, faſtidio eſt lumen gratuitum. Præterea luxurioſi vitam ſuam eſſe in ſermonibus, dum vivunt, volunt. nam ſi tacetur, perdere ſe putant operam. Itaque male habent, [20] quoties non faciunt, quod excitet famam.

Quique vel imparibus numeris, Montane, vel aquis
Sufficis, & gemino carmine nomen habes. Lipſius.

18 *Amicitia Tiberii notus & frigore*] Quem & amavit valde Tiberius, & poſtea faſtidivit. Calor enim, amor eſt: frigus, remiſſio & neglectus. Exemplis aſſirmavi Animadverſ. in Paterculum, lib. 2. *Idem.*

19 *Natta Pinarius*] Nominatur iſte Tacito, inter Seiani clientes, libro 5. ſi tamen iſte. *Idem.*

20 *Quoties non faciunt, quod excitet famam*] Nec iſtud Senecæ eſt, inquit Gruterus, ſed Pinciani, ita legendum ſuſpicantis, cum haberent membranæ ejus: *quoties faciunt, quod excedat famam.*

Digitized by Google

famam. Multi bona comedunt, multi amicas habent: ut inter iſtos nomen invenias, opus eſt non tantum luxurioſam rem, ſed notabilem facere. In tam occupata civitate, fabulas vulgaris nequitia non invenit. [21] Pedonem Albinovanum narrantem audieramus (erat autem fabulator elegantiſſimus) habitaſſe ſe ſupra domum Sp. Papinii. is erat ex hac turba lucifugarum. Audio, inquit, circa horam tertiam noctis, [22] flagellorum ſonos: quæro, quid faciat? Dicitur rationes accipere. Audio, circa horam ſextam noctis, clamorem concitatum: quæro, quid ſit? Dicitur vocem exercere. Quæro circa octavam horam noctis, quis ſit ille [23] ſonus rotarum? velle geſtari dicitur. Circa lucem diſcurritur, pueri vocantur, cellarii, coqui tumultuantur. Quæro quid ſit? Dicitur [24] mulſum & alicam popoſciſſe, à balneo exiſſe. Excedebat, inquit, cœna ejus diem? minime. valde enim frugaliter vivebat, nihil conſumebat niſi noctem. Itaque crebro dicentibus illum quibuſdam avarum, & ſordidum: Vos, inquit, illum & [25] lychnobium dicetis. Non debes admirari, ſi tantas invenis vitiorum proprietates: varia ſunt, & innumerabiles habent facies: comprehendi eorum

famam. Certe particula negandi in nullo eſt ſive editorum ſive ſcriptorum. Duo Pall. præterea: *quod excidat fama.* Et ita ſcripſit Seneca: *quoties faciunt, quod excidat fama*, hoc eſt, quod fama careat, non obtineat famam. Ut in illo Naſonis: *magnis tamen excidit auſis.* Noſter, epiſt. 71. *eodem loco habuit, pratura & vita excidere.* Epiſt. 99. *Quis ergo furor eſt certiſſimo excidere?* Statius, *Excidat illa dies avo.* Apud Terentium, *uxore excidere.* Gronovius.

21 *Pedonem Albinovanum*] Qui item poëta. *Lipſius.*

22 *Flagellorum ſonos*] Nam diurna ante balneum videntur accepiſſe: & tum ſervi ſæpe vapulabant. Docet Juvenalis, de fœminis Sat. 6.

— longi relegit transverſa diurni,
Et cadit, donec laſſis cadentibus, Exi,
Intonat horrendum. Idem.

23 *Sonus rotarum*] Palam de eſſedo, in quo geſtandus erat. *Idem.*

24 *Mulſum & alicam*] Hæc promulſis, ſive guſtus erat: & ſumebant ſub ipſam cœnam. Jungit & Martialis hæc duo:

Nos alicam, mulſum poterit tibi mittere dives.

Alica autem (ait Plinius) *res Romana eſt, nec pridem excogitata. alioqui non ptiſana potius laudes ſcripſiſſent Græci. Eſſe autem eximie utilem nemo dubitat, ſive eluta detur ex aqua mulſa, ſive in ſorbitiones decocta, ſive in pultem.* Triplicem modum ſumendi notes. Fuit autem optimi tritici pollen, & flos ipſe. *Idem.*

25 *Lychnobium dicetis*] Qui ad lucernam vivit. & aſſentior Pinciano, alluſum eſſe ſimul ad *lychnobium*, quaſi cupediarium & catillonem. *Idem.*

rum genera non poſſunt. Simplex recti cura eſt; multiplex pravi, & quantumvis novas declinationes capit. Idem moribus evenit. naturam ſequentium, faciles ſunt, ſoluti ſunt, exiguas differentias habent: [26] ab his diſtorti plurimum, & omnibus & inter ſe diſſident. Cauſſa tamen præcipua mihi videtur hujus morbi, vitæ communis faſtidium. Quomodo cultu ſe à ceteris diſtinguunt, quomodo elegantia cœnarum, munditiis vehiculorum, ſic volunt ſeparare etiam temporum diſpoſitione. nolunt ſolita peccare, quibus [27] peccandi præmium infamia eſt. Hanc petunt omnes iſti, qui, ut ita dicam, retro vivunt. Ideo, Lucili, tenenda nobis via eſt, quam natura præſcripſit, nec ab illa declinandum. illam ſequentibus, omnia facilia & expedita ſunt: contra illam nitentibus, non alia vita eſt, quam contra aquam remigantibus.

EPIST.

26 *Ab his diſtorti plurimum*] Ita ex unico cod. Pinciani Muretus. Alii ejus, *his diſtorti.* quomodo & Eraſmus protulit, & ſervant Pall. quatuor. Col. *hi diſtorti.* Sic Gruterus. Tu vero ſcribe: *his diſtortis.* hoc eſt, quos ante dixerat, pravis. Nam *pravum* proprie diſtortum, ut notabamus ad Livium. Seneca epiſt. 101. *Tu vero me debilites licet, dum ſpiritus in corpore fracto & inutili maneat: depraves licet, dum monſtroſo & diſtorto temporis aliquid accedat.* Et mox: *adactus ad illud infelix lignum, jam debilis, jam pravus & in fœdum ſcapularum ac pectoris tuber eliſus.* Cicero lib. 5 de Finibus: *in quibus ſi peccatur diſtortione & depravatione quadam aut motu ſtatuve deformi.* Eodemque libro: *Atque ut à corpore ordiar, videſne, ut, ſi qua in membris prava aut debilitata aut imminuta ſint, occultent homines?* Panegyrici incertus auctor ad Conſtantinum: *ille deſpectiſſimæ pravitatis, detortis ſolutiſque membris.* Seneca rurſum de Clementia 1, 7. *Agricolas bonos imitabitur, qui non tantum rectas proceraſque arbores colunt, ſed illis quoque, quas aliqua depravavit cauſa, adminicula, quibus regantur, applicant.* Ut ergo, *pravum recto*, ita *naturam ſequentes diſtortis*, & mores naturam ſequentium moribus diſtortorum ſeu vitioſorum componit. *His diſtortis* variatione captata, pro horum diſtortorum (ut inceperat, *naturam ſequentium*) mores, *& omnibus* in communi, ſi alios homines aliis compares, *& inter ſe*, ſi ipſos ſingulorum mores compares ſecum, *diſſident*. Gronovius.

27 *Peccandi præmium, infamia eſt*] Non muto, & ita habet: qui ad ultima vitiorum venerunt, gaudent ipſa infamia, & illa jactant. Tacitus egregie, de Meſſallina: *Nomen tamen matrimonii concupivit, ob magnitudinem infamiæ cujus, apud prodigos, noviſſima voluptas eſt.* Lipſius.

EPIST.

Digitized by Google

EPIST. CXXIII.

Tenuem aut vilem victum decreto animi, & fame, bonum optandumque fieri. Hoc uſurpandum etiam divitibus: quis ſcit an non opus habituris? Conſuetudo & alieni mores, ne abducant. Sperne & judicia aut voces alienas.

ITinere confectus incommodo magis quam longo, in Albanum meum nocte multa perveni. Nihil habeo paratum, niſi me. Itaque in lecto laſſitudinem pono: hanc coqui, hanc piſtoris moram boni conſulo. Mecum enim de hoc ipſo loquor, quam nihil ſit grave, quod leviter excipias: quam indignandum nihil, niſi ipſe indignando adſtruas. Non habet panem meus piſtor: ſed habet villicus, ſed habet atrienſis, ſed habet colonus. Malum panem, inquis. Exſpecta, bonus fiet: etiam illum tenerum tibi & ſiligineum fames reddet. Ideo non eſt ante edendum, quam illa imperet. Exſpectabo ergo: nec ante edam, quam aut bonum panem habere cœpero, aut malum faſtidire deſiero. Neceſſarium eſt, parvo aſſueſcere. Multæ difficultates locorum, multæ temporum, etiam locupletibus & inſtructis [1] à diis optantem prohibent & occurrunt. Quidquid vult, habere nemo poteſt: illud poteſt, nolle quod non habet: rebus oblatis hilaris uti. Magna pars libertatis eſt, bene moratus venter & contumeliæ patiens. Æſtimari non poteſt, quantam voluptatem capiam ex eo, quod laſſitudo mea ſibi ipſi acquieſcit. Non unctiones, non balneum, non ullum aliud remedium quam temporis quæro. Nam quod labor contraxit, quies tollit: hæc qualiſcumque cœna [2] aditiali jucundior erit. Aliquando enim experimentum

EPIST. CXXIII. 1 *A diis optantem*] Corrupta ſunt. libri variant: meus, *locupletibus cum inſtructis duobus optantem:* alii, *à diebus optantem*. Occurrebat mihi, *à diis optatis:* ſiquis ſagacior, promat. Nam Muretus hic obtenebrat: *inſtructis ac regibus octavam prohibent:* videturque ad horam cœnæ referre, de qua non eſt ſermo. *Lipſius.*

2 *Adjiciali*] Sive *aditiali*, de qua ſupra

mentum animi ſumpſi ſubitum: hoc enim eſt ſimplicius & verius. nam ubi ſe præparavit, & indixit ſibi patientiam, non æque apparet, quantum habeat veræ firmitatis. Illa ſunt certiſſima argumenta, quæ ex tempore dedit, ſi non tantum æquus moleſta, ſed placidus adſpexit: ſi non excanduit, non litigavit, ſi quod dari deberet, ipſe ſibi non deſiderando ſupplevit, & cogitavit, aliquid conſuetudini ſuæ, ſibi nihil deeſſe. Multa quam ſupervacua eſſent, non intelleximus, niſi cum deeſſe cœperunt. Utebamur enim illis, non quia debebamus, ſed quia habebamus. Quam multa autem paramus, quia alii paraverunt? quia apud pleroſque ſunt? Inter cauſſas malorum noſtrorum eſt, quod vivimus ad exempla: nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur. Quod ſi pauci facerent, nollemus imitari: cum plures facere cœperunt, quaſi honeſtius ſit, quia frequentius, ſequimur: & recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus eſt. Omnes jam ſic peregrinantur, ut illos [3] Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen curſorum antecedat. turpe eſt, nullos eſſe, qui occurrentes via dejiciant, qui honeſtum hominem venire magno pulvere oſtendant. [4] Omnes jam mulos habent, qui cryſtallina & murrhina, & cælata magnorum artificum manu portent. turpe eſt, videri, eas te habere ſarcinas, quæ tuto concuti poſſint. Omnium pædagogia [5] oblita facie vehuntur, ne ſol, ne frigus teneram cutem lædat. turpe eſt, neminem eſſe in comitatu puerorum, cujus ſana facies [6] medicamentum

ſupra epiſt. 95. E libris tamen magis eſt ut legas, *diali*: & capias Jovis epulum, in Capitolio. *Lipſius.*

3 *Numidarum præcurrat*] Supra, epiſt. 87. *Curſores & Numidas, & multum ante ſe pulveris agentem.* Nam prava ambitione ſcilicet, ob famam veterem Numidici equitatus, tales in itinere adeſſe ſibi divites iſti volebant, & agmen ducebant. Notavi, & firmavi exemplis ad 2 Hiſt. Taciti. *Idem.*

4 *Omnes jam mulos habent*] Alii, *multos.* nec male Pincianus, *famulos.* Idem.

5 *Oblita facie*] Succo, aut offa, ſive alio contra ſolem medicamento: ne tenera cutis ſcilicet læderetur, aut nigreſceret. *Idem.*

6 *Medicamentum*] Sic appellat & Juvenalis, de fœminis:

Sed quæ mutatis inducitur atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas
Accipit, & madida, facies dicetur, an
Ter-

rum deſideret. Horum omnium ſermo vitandus eſt. hi ſunt, qui vitia tradunt, & alio aliunde transferunt. Peſſimum genus hominum videbatur,[7] qui verba geſtarent: ſunt quidam qui [8] vitia geſtant. Horum ſermo multum nocet. nam etiamſi non ſtatim officit: ſemina in animo relinquit, ſequiturque nos etiam cum ab illis diſceſſerimus, reſurrecturum poſtea malum. Quemadmodum qui audierunt ſymphoniam, ferunt ſecum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad ſeria patitur intendi: ſic adulatorum, & prava laudantium ſermo, diutius hæret quam auditur: nec facile eſt, animo dulcem ſonum excutere. proſequitur & durat, & ex intervallo recurrit. Ideo claudendæ ſunt aures malis vocibus, & quidem primis. Nam cum initium fecerunt, admiſſæque ſunt, plus audent. Inde ad hæc pervenitur verba: Virtus & philoſophia, & juſtitia, verborum inanium crepitus eſt. Una felicitas eſt, bona vita: [9] facere omnia libere, frui patrimonio. hoc eſt vivere, hoc eſt ſe mortalem eſſe meminiſſe. Fluunt dies, & irreparabilis vita decurrit. [10] Dubitamus quod juvat ſapere, & ætati non ſemper voluptates

Tertullianus de Virgin. velandis: *Et faciem moroſiorem lavacro macerant, forſitan & aliquo eam medicamento interpolant.* Lipſius.

7 *Qui verba geſtarent*] Accipio de calumniatoribus, ſuſurronibus, lingulacis. qui ab aliis accepta ſervant, & velut ad alios ferunt, & deponunt. Non enim patiuntur perire verba, ſed ea tollunt & geſtant. *Idem.*

8 *Vitia geſtant*] Transferenda in alios. *Idem.*

9 *Facere omnia libere*] Pincianus vellet è ſuis, *facere, eſſe, bibere.* ut *facere* res Venereas notaret, eſſetque illud Sardanapali, *Lude, ede, bibe:* & ſane noſtri etiam libri illuc eunt. Sed tum ego malim, *Una felicitas eſt, bonam vitam facere: eſſe, bibere, frui.* Felicitas eſt, inquit, agere bonam vitam: quam illam? edere, bibere, & quæ ſequuntur. Ita poſt aliquot lineas *Bonam vitam* appellat, hodierno etiam idiotiſmo noſtro. *Idem.*

19 *Dubitamus quod juvat facere*] Forte, *quoad.* Idem. Quum dixiſſet Pincianus quædam exemplaria ſic habere, continuo id Muretus admiſit. At alii & Eraſmici & omnes Gruteri, *ſapere.* Quo tamen etiam ſpreto Lipſius conjicit, *quoad juvat.* Præterea, quod ponitur in verſiculo ſequenti, *quid juvat,* ſolum habet Muretum auctorem: nec in libris hactenus antiquis inventum eſt. Itaque hos certiſſimos duces ſequemur, legendo: *Dubitamus quod juvat ſapere, & ætati* &c. hoc eſt, ceſſamus ſapientiam voluptate metiri? Et ſcita locutio videtur, neque aliter apud Plautum, *ſapere rem ſuam.* Deinde codices: *frugalitatem ut mortem: frugalitatem ee ut mortem: frugali-*

luptates decerpturæ, interim dum poteſt, dum poſcit, ingerere? Quid juvat frugalitate ultro mortem præcurrere, & quidquid illa ablatura eſt, jam ſibi interdicere? Non amicam habes, non puerum, qui amicæ moveat invidiam. quotidie ſobrius prodis: ſic cœnas, [11] tamquam ephemeridem patri approbaturus. Non eſt iſtud vivere, ſed alienæ vitæ intereſſe. Quanta dementia eſt, heredis ſui res procurare, & ſibi negare omnia, ut tibi ex amico inimicum magna faciat hereditas? Plus enim gaudebit tua morte, quo plus acceperit. Iſtos triſtes & ſuperciliosos alienæ vitæ cenſores, ſuæ hoſtes, publicos pædagogos, aſſis ne feceris: nec dubitaveris, bonam vitam, quam opinionem bonam, malle. Hæ voces non aliter fugiendæ ſunt, quam illæ, quas Ulyſſes niſi alligatus, prætervehi noluit. Idem poſſunt: abducunt à patria, à parentibus, ab amicis, à virtutibus, & in turpem vitam miſeros turpius illidunt. Quanto ſatius eſt, rectum ſequi limitem, & eo ſe perducere, ut ea demum ſint tibi jucunda, quæ honeſta? Quod aſſequi poterimus, [12] ſi fecerimus duo eſſe genera rerum, quæ nos aut invitent, aut fugent. Invitent; ut divitiæ, voluptates, forma, ambitio, cetera blanda & arridentia. Fugent; labor, mors, dolor, ignominia, victus aſtrictior. Debemus itaque exerceri, ne hæc timeamus, ne illa cupiamus. In contrarium pugnemus, & ab invitantibus recedamus, [13] adverſus petentia concitemur. Non vides, quam diverſus ſit

galitatem & ut mortem. Itaque τὸ *ultro* ſuſpectum. Forte fuit: *Frugalitate mavis mortem præcurrere, & quicquid illa ablatura eſt, jam tibi interdicere? Non amicam habes* &c. Gronovius.

11 *Tamquam ephemeridem*] Diarium tuum, & rationes. *Lipſius.*

12 *Si fecerimus duo eſſe genera rerum*] Gruterus. Ita Eraſmus & Pal. pr. ſec. Col. Alii duo, *ſi ſcierimus*, quod longe melius, quam illud alterum. Non putem: eſt enim *facere* hic idem quod fingere docendi cauſſa, conſtituere, proponere. Ut apud Ciceronem, lib. 1 de Nat. Deor. *Plato facit mundum ædificari à Deo.* In Oratore, *Ennio delector, ait quiſpiam* &c. *Pacuvio, inquit alius* &c. *Fac alium Accio. variæ enim ſunt judicia.* Plinius lib. 10. c. 3. cum ſex genera aquilarum diſtinxiſſet: *Illa, quam tertiam fecimus, circa ſtagna aquaticas aves appetit.* Nam hæc vett. libr. ſcriptura eſt, pro qua ſuppoſuerunt, *quam tertiam diximus.* Gronov.

13 *Adverſus petentia concitemur*] Scripti libri, *potentia:* fortaſſis, *impotentias*

ſit aſcendentium habitus, & deſcendentium? qui per pronum eunt, reſupinant corpora: qui in arduum, incumbunt. Nam ſi deſcendas, pondus ſuum in priorem partem dare: ſi aſcendas, [14] retro abducere, cum vitio, Lucili, conſentire eſt. In voluptates deſcenditur: in res aſperas & duras, ſubeundum eſt. hic impellamus corpora, illic refrænemus. Hoc nunc me exiſtimas dicere, eos tantum perniciosos eſſe auribus noſtris, qui voluptatem laudant, qui doloris metum, per ſe formidabilis rei, incutiunt? Illos quoque nocere nobis exiſtimo, qui nos ſub ſpecie Stoicæ ſectæ hortantur ad vitia. Hoc enim jactant: ſolum [15] ſapientem & doctum, eſſe amatorem. [16] ſolus apte ad hanc artem, æque combibendi & convivandi, ſapiens eſt peritiſſimus. Quæramus, ad quam uſque ætatem juvenes amandi ſint. Hæc Græcæ conſuetudini data ſint: nos ad illa potius aures dirigamus: Nemo eſt caſu bonus: diſcenda virtus eſt. Voluptas humilis res & puſilla eſt, & in medio habenda pretio, communis cum mutis animalibus, ad quam minima & contemtiſſima advolant. Gloria vanum & volatile quiddam eſt, auraque mobilius. Paupertas nulli malum eſt, niſi repugnanti. Mors malum non eſt: quid quereris? ſola jus æquum eſt generis humani. Superſtitio error

tia: ſuperba, dura, minantia. ſententiam tale poſcere, clarum eſt. Gruterus, *impetentia*, nec male. *Lipſius.* Miror cur adverſus hanc ab Eraſmo proditam lectionem conjuraverint eruditi. Pincianus *prementia*; Gruterus, *impetentia* aut *perterrentia*; Lipſius *impotentia*; conjectant. At cum in Eraſmicis, in omnibus Pinciani, in tribus Gruteri exſtet, *potentia*, an potuit quicquam mitius aut melius? Itane omnino male *petentia* putant accipi pro impetentibus, invadentibus, fugantibus? Atqui nihil vulgarius. Nota vox retiarii in arena: *non te peto, piſcem peto.* Plinius lib. 7. cap. 1. *leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petit ſerpentes.* Gronovius.

14 *Retro abducere, cum vitio, Lucili*] Nihil hic de vitio: imaginem adhuc per pronum euntis aut in arduum exſequitur. Lege: *nam ſi deſcendas, pondus ſuum in priorem partem dare; ſi aſcendas, retro abducere, præcipitio, Lucili, conſentire eſt.* Ultro ſe præcipitare. *Avoüer ſa ruine*, dicerent Galli. *Idem.*

15 *Sapientem & doctum*] Sic diſtinxi, & jungi illa duo velim: nam *doctus*, Stoica lingua eſt Sapiens, ut monui Manud. 2. Diſſert. 1. Neque enim audio, qui doctum ad *amatorem* referunt, & conjungunt. *Lipſius.*

16 *Solus apte*] Corrupta ſunt. fortaſſis, *Solus æque ad hanc artem combibendi:* ut ſequens illud, *æque*, tollatur. *Idem.*

ror inſanus eſt: amandos timet, [17] quos colit, violat. Quid enim intereſt, utrum deos neges, an infames? Hæc diſcenda, imo ediſcenda ſunt. non debet excuſationes vitio philoſophia ſuggerere. Nullam habet ſpem ſalutis æger, quem ad intemperantiam medicus hortatur.

EPIST. CXXIV.

Contra Epicureos, in Ratione, non Senſu, Bonum eſſe. Itaque infantes nondum ejus capaces: neque plenum eſt, niſi ubi plena Ratio. Quomodo intelligam in me eſſe? ſi extra me nihil quæram.

P*Oſſum multa tibi veterum præcepta referre,*
Ni refugis, tenuiſque piget cognoſcere curas.

Non refugis autem, nec ulla te ſubtilitas abigit. Non eſt elegantiæ tuæ, tantum magna ſectari. Sicut illud probo, quod omnia ad aliquem profectum redigis, & tunc tantum offenderis, ubi ſumma ſubtilitate nihil agitur: quod ne nunc quidem fieri laborabo. Quæritur, utrum ſenſu an intellectu comprehendatur bonum. Huic adjunctum eſt, in mutis animalibus & infantibus non eſſe. Quicumque voluptatem in ſummo ponunt, ſenſibile judicant bonum: nos contra intelligibile, qui illud animo damus. Si de bono ſenſus judicarent, nullam voluptatem rejiceremus: nulla enim non invitat, nulla non delectat. Et econtrario nullum dolorem volentes ſubiremus: nullus enim non offendit ſenſum. Præterea, non eſſent digni reprehenſione, quibus nimium voluptas placet, quibuſque ſummus eſt doloris timor. Atque improbamus gulæ ac libidini addictos; & contemnimus illos qui nihil viriliter auſuri ſunt doloris metu. Quid autem peccant, ſi ſenſibus, id eſt, judicibus boni ac mali, parent? his enim tradidiſtis appetitionis & fugæ arbitrium. Sed videlicet ratio iſti rei præpoſita eſt, quemadmodum

17 *Quos colit, violat*] De Clem. 2. cap. 5. *Religio Deos colit, Superſtitio violat.* Lipſius.

EPIST.

modum debeat de vita, quemadmodum de virtute, de honeſto, ſic & de bono maloque conſtitui. Nam apud iſtos viliſſimæ parti datur de meliore ſententia, ut de bono pronuntiet ſenſus, obtuſa res & hebes, & in homine quam in aliis animalibus tardior. Quid ſi quis velit non oculis, ſed tactu minuta diſcernere? ſubtilior ad hoc nulla acies, quam oculorum, & intentior daretur, bonum malumque dignoſcere. Vides in quanta ignorantia veritatis verſetur, & quam humi ſublimia ac divina projecerit, apud quem de ſummo bono maloque judicat tactus. Quemadmodum, inquit, omnis ſcientia atque ars aliquid debet habere manifeſtum, ſenſu comprehenſum, ex quo oriatur & creſcat: ſic beata vita fundamentum & initium à manifeſtis ducit, & eo quod ſub ſenſum cadit. Nempe vos à manifeſtis beatam vitam ſui initium capere dicitis. Dicimus beata eſſe, quæ ſecundum naturam ſunt: quid autem ſecundum naturam ſit, palam & protinus apparet, ſicut quid ſit integrum. Quid eſt ſecundum naturam? quod contingit & protinus nato, non dico bonum, ſed initium boni. Tu ſummum bonum voluptatem infantiæ donas, ut inde incipiat naſcens, quo conſummatus homo pervenit. Cacumen radicis loco ponis. Si quis diceret illum [1] in materno utero latentem ſexus quoque incerti, tenerum, & imperfectum & informem, jam in aliquo bono eſſe, aperte videretur errare. Atqui quantulum intereſt inter eum qui cummaxime vitam accipit, & illum [2] qui maternorum viſcerum latens onus

EPIST. CXXIV. 1 *In materno utero jacentem vixque inceptum*] Ita quidem Muretus ex ora Eraſmicæ, quæ tamen ipſa tenuerat, *ſexus quoque incertum*, ut teſtatur Gruterus. Etiam Veneta, Tarviſina & Froben. prior: *ſexus quoque inceptum*. Eodem tres remigant Pall. ſed duo: *ſexus quoque incepti*. Ergo lege: *in materno utero latentem*, (nam & ſic omnes Pall.) *ſexus quoque incerti, tenerum*. Senſus manifeſtus. Idem mendum in veteri cod. Valerii Flacci erat, lib. 1 Arg. v. 79. *tandem animi inceptum*. cum dubium non ſit, *incertum* legi debere. *Gronov.*

2 *Qui maternorum viſcerum latens onus eſt*] Sic quoque Eraſmum legiſſe teſtatur Gruterus. In priori Eraſmica legitur, *latens minus eſt*: ut & in Tarviſina ac Veneta. Pall. *unum eſt, imum eſt: vermis eſt*: quod poſtremum margo habet meæ Eraſmicæ, & auctori reſtituendum alicubi dicit ſe probaviſſe Gruterus. Mihi vix probabit. Fortaſſe verius:

onus eſt? Uterque, quantum ad intellectum boni ac mali, æque maturus eſt: & non magis infans adhuc boni capax eſt, quam arbor, aut mutum aliquod animal. Quare autem bonum in arbore animalique muto non eſt? quia nec ratio. ob hoc in infante quoque non eſt: nam & huic deeſt. Tunc ad bonum perveniet, cum ad rationem pervenerit. Eſt aliquod irrationale animal: eſt aliquod nondum rationale: eſt rationale, ſed imperfectum. In nullo horum bonum: ratio illud ſecum affert. Quid ergo inter iſta, quæ retuli, diſtat? Numquam erit bonum in eo quod irrationale eſt: in eo quod nondum rationale eſt, tunc eſſe bonum non poteſt: in imperfecto jam poteſt eſſe bonum, ſed non eſt. Ita dico, Lucili, bonum non in quolibet corpore, non in qualibet ætate invenitur: & tantum abeſt ab infantia, quantum à primo ultimum; quantum ab initio perfectum. ergo nec in tenero modo coaleſcente corpuſculo eſt. Quid ni non ſit? non magis quam in ſemine. Ut ſi dicas, aliquod arboris, aut ſati, bonum novimus: hoc non eſt in prima fronde, quæ emiſſa cummaxime ſolum rumpit. Eſt aliquod bonum tritici: hoc nondum eſt in herba lactente: nec cum folliculo ſe exſerit ſpica mollis, ſed cum frumentum æſtas & debita maturitas coxit. Quemadmodum omnis natura bonum ſuum niſi conſummata non profert: ita hominis bonum non eſt in homine, niſi cum in illo ratio perfecta eſt. Quod autem hoc ſit bonum, dicam. Liber animus eſt ac rectus, alia ſubjiciens ſibi, ſe nulli. Hoc bonum adeo non recipit infantia, ut pueritia non ſperet, adoleſcentia improbe ſperet.

verius: *qui maternorum viſcerum latens humor eſt.* Hoc enim principium humani corporis. Hippocrates περὶ φύσιος ἀνθρώπου. Τὸ δὲ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου ἔχει ἐν ἑωυτῷ αἷμα καὶ φλέγμα καὶ χολὴν διπλῆν, ἤγουν ξανθήν τε καὶ μέλαιναν. καὶ ταῦτ' ἐστὶν αὐτέων ἡ φύσις τοῦ σώματος. Tertullianus de carne Chriſti: *Perora, age, jam ſpurcitias genitalium in utero elementorum humoris & ſanguinis, fœda coagula carnis ex eodem cœno alenda per novem menſes.* Gronovius.

3 *Secun-*

ſperet. Bene agitur cum ſenectute, ſi illuc longo ſtudio intentoque pervenit: ubi hoc & bonum, & intelligibile eſt. Dixiſti, inquit, aliquod bonum eſſe arboris, aliquod herbæ: poteſt ergo eſſe aliquod & infantis. Verum bonum nec in arboribus, nec in mutis animalibus eſt: hoc quod in illis bonum eſt, precario bonum dicitur. Quod eſt? inquis. hoc quod ſecundum naturam cujuſque eſt. Bonum quidem cadere in mutum animal, nullo modo poteſt: felicioris melioriſque naturæ eſt. Niſi ubi rationi locus eſt, bonum non eſt. Quatuor hæ naturæ ſunt, arboris, animalis, hominis, & Dei. Hæc duo quæ irrationalia ſunt, eamdem naturam habent: illa diverſa ſunt, quod alterum immortale, alterum mortale eſt. Ex his ergo unius bonum natura perficit, Dei ſcilicet: alterius cura, hominis. Cetera in ſua natura perfecta ſunt, non vere perfecta, à quibus abeſt ratio. Hoc enim demum perfectum eſt, quod [3] ſecundum univerſam naturam perfectum eſt: univerſa autem natura rationalis eſt: cetera poſſunt in ſuo genere perfecta eſſe. In quo non poteſt beata vita eſſe, nec id poteſt quo beata vita efficitur: beata autem vita bonis efficitur: in muto animali non eſt quo beata vita efficitur: ergo in muto animali bonum non eſt. Mutum animal ſenſu comprehendit præſentia: præteritorum reminiſcitur, cum id incidit, quo ſenſus admonetur: tamquam equus reminiſcitur viæ, cum ad initium ejus admotus eſt. In ſtabulo quidem nulla viæ, quamvis ſæpe calcatæ, memoria eſt. tertium vero tempus, id eſt, futurum, ad muta non pertinet. Quomodo ergo poteſt eorum videri perfecta natura, quibus uſus perfecti temporis non eſt? Tempus enim tribus partibus conſtat: præterito, præſente, & futuro. Animalibus tantum quod breviſſimum eſt in tranſcurſu datum,

3 *Secundum univerſam naturam*] Id eſt, Communem: de qua primo Phyſiologiæ. *Lipſius*.

4 Gra-

tum, præſens: præteriti rara memoria eſt, nec umquam revocatur, niſi præſentium occurſu. Non poteſt ergo perfectæ naturæ bonum in imperfecta eſſe natura. Aut ſi natura habet, hoc habet, quod habent & ſata. Nec illud nego, ad ea quæ videntur ſecundum naturam, magnos eſſe mutis animalibus impetus & concitatos, ſed inordinatos ac turbidos. Numquam autem aut inordinatum eſt bonum, aut turbidum. Quid ergo, inquis, muta animalia perturbate & indiſpoſite moventur? Dicerem illa perturbate & indiſpoſite moveri, ſi natura illorum ordinem caperet: nunc moventur ſecundum naturam ſuam. Perturbatum enim id eſt, quod eſſe aliquando & non perturbatum poteſt. Solicitum eſt, quod poteſt eſſe ſecurum. Nulli vitium eſt, niſi cui virtus poteſt eſſe. Mutis animalibus talis ex ſua natura motus eſt. Sed ne te diu teneam, aliquod erit bonum in muto animali, erit aliqua virtus, erit aliquid perfectum: ſed quale? nec bonum abſolute, nec virtus, nec perfectum. Hæc enim rationalibus ſolis contingunt, quibus datum eſt ſcire, quare, quatenus, quemadmodum. Ita bonum in nullo eſt, niſi in quo ratio. Quo nunc pertineat iſta diſputatio, quæris, & quid animo tuo profutura ſit? Dico. & exercet illum, & acuit, & utique aliquid acturum occupatione honeſta tenet. Prodeſt autem & quod moratur ad prava properantem. Sed illud dico, nullo modo prodeſſe tibi poſſum magis, quam ſi tibi bonum tuum oſtendo, ſi te à mutis animalibus ſeparo, ſi cum Deo pono. Quid, inquam, vires corporis alis & exerces? pecudibus iſtas majores feriſque natura conceſſit. Quid excolis formam? cum omnia feceris, à multis animalibus decore vinceris. Quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel [4] Germanorum nodo vinxeris, vel ut Scythæ ſolent, ſparſeris: in

4 *Germanorum nodo*] De Ira 3.c.26. & nos ad Germaniam Taciti. *Lipſius.*

5 *Homi-*

in quolibet equo denſior jactabitur juba, horrebit in leonum cervice formoſior. Cum te ad velocitatem paraveris, par lepuſculo non eris. Vis tu, relictis in quibus vinci te neceſſe eſt, dum in aliena niteris, ad bonum reverti tuum? Quod hoc eſt? animus ſcilicet emendatus ac purus, æmulator Dei, ſuper humana ſe extollens, nihil extra ſe ſui ponens. Rationale animal es. quod ergo in te bonum eſt? perfecta ratio. Hanc tu ad ſummum finem evoca, in quantum poteſt plurimum creſcere. Tunc beatum eſſe te judica, cum tibi ex te gaudium omne naſcetur. cum in his quæ [s] homines eripiunt, optant, cuſtodiunt, nihil inveneris, non dico quod malis, ſed quod velis. Brevem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum eſſe jam ſentias: Bonum tunc habebis tuum, cum intelliges infeliciſſimos eſſe felices.

L. AN-

s *Homines eripiunt*] Ego jam olim, *cupiunt*. Lipſius.

PRÆFAT.

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ
AD
LUCILIUM
Naturalium Quæſtionum
LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

PRæfatur, altiſſimam & animoſiſſimam philoſophiæ partem eſſe, quæ cæleſtia & Deum contemplatur, ac ſcientia morali potiorem. Eam à meteoris ignitis orditur, deinde ad Coronam, Iridem, & alia apparentia tranſgreditur. Coronam undique in orbem aperiri, quemadmodum circuli ſolent, cum lapis in lacum aut piſcinam dejicitur. Iridem à ſole colorari, & fieri nube formata in modum concavi ſpeculi & rotundi, cui forma ſit partis è pila ſectæ, quod etiam cenſuerat Poſidonius olim. Hic multa de ſpeculis cumulat, & iis quæ radiorum reflexione aut refractione videntur. Ab Arcu ad Virgas & Parelia tranſit, deinde ad nocturnos fulgores, chaſmata, ſtellas diſcurrentes, & leviter aliquid de Cometis delibatum. Specula ei memoriam Hoſtii obſcœniſſimi nebulonis excitaverunt. Inde legitimum uſum ſpeculorum docet & abuſum.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

QUantum inter philoſophiam intereſt, Lucili virorum optime, & ceteras artes: tantum intereſſe exiſtimo in ipſa philoſophia, inter illam partem quæ ad homines, & hanc quæ ad deos ſpectat. Altior eſt hæc, & animoſior: multum permiſit ſibi; non fuit oculis contenta. majus eſſe quiddam ſuſpicata eſt, ac pulcrius, quod extra conſpectum natura poſuiſſet. Denique tantum inter duas intereſt, quantum inter Deum & hominem. Altera docet, quid in terris agendum ſit: altera, quid agatur in cælo. Altera errores noſtros diſcutit, & lumen admovet, quo diſcernantur ambigua vitæ: altera multo hanc ſupra caliginem in qua volutamur excedit; & è tenebris ereptos, illo perducit, unde lucet. Equidem tunc naturæ rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte video, quæ publica eſt, ſed cum ſecretiora ejus intravi: cum diſco, quæ [1] univerſi materia ſit, [2] quis auctor, aut cuſtos: [3] quid ſit Deus, [4] totus in ſe intendat, an [5] ad nos aliquando reſpiciat: [6] faciat quotidie aliquid, an ſemel fecerit: [7] pars mundi ſit, [8] an mundus: [9] liceat illi

1 UNiverſi materia] Illa prima. *Lipſius.* Una omnium materia eſt à parente omnium Deo ex nihilo condita. *Muretus.*

2 *Quis auctor, aut cuſtos*] Deus, ſive Ratio. *Lipſius.* Idem & auctor & cuſtos Deus. *Muretus.*

3 *Quid ſit Deus*] Hoc majus eſt, quam ut ab homine aut quæri debeat, aut percipi poſſit. *Idem.*

4 *Totus in ſe intendat, an ad nos aliquando reſpiciat*] Ut Epicurei. qui Deum nihil alienum agere, ſibi vacare & acquieſcere tantum volebant. *Lipſius.* Et perpetua ſui cognitione fruitur, & humana reſpicit, ut qui propter hominem alia condiderit omnia. *Muretus.*

5 *Ad nos aliquando*] Imo ſemper, & opus ſuum aſſidua, & nulla cura, curat. *Lipſius.*

6 *Faciat quotidie aliquid, an ſemel fecerit*] Novas ſpecies minime: ſemel in ortu mundi fecit. *Idem.* Quæ ſemel fecit, ſemper conſervat: quod ipſum genus quoddam perpetuæ productionis eſt. *Muretus.*

7 *Pars mundi ſit, an mundus*] Anima ipſa illa Mundi. *Lipſius.* Neutrum. neque enim opifex opus ſuum, aut operis ſui pars eſt. *Muretus.*

8 *An mundus*] An & totus (ut Stoïcis) veniat in hoc nomen. *Lipſius.*

9 *Liceat illi hodieque*] Licet Deo quidquid libet. Ipſe autem non mutatur: ſed perpetuo idem eſt: etſi nobis interdum, propter imbecillitatem noſtram, mutari videtur. *Muretus.*

illi hodieque decernere, & ex lege fatorum aliquid derogare; an majeſtatis deminutio ſit, & confeſſio erroris, mutanda feciſſe. Neceſſe eſt enim ei eadem placere, cui niſi optima placere non poſſunt: nec ob hoc minus liber & potens eſt. ipſe enim eſt neceſſitas ſua. Niſi ad hæc admitterer, [10] non fuerat naſci. Quid enim erat, cur in numero viventium me poſitum eſſe gauderem? [11] An ut cibos & potiones percolarem? ut hoc corpus cauſſarium ac fluidum, periturumque niſi ſubinde impleatur, farcirem, & viverem ægri miniſter? ut mortem timerem, cui omnes naſcimur? Detrahe hoc inæſtimabile bonum, non eſt vita tanti, ut ſudem, ut æſtuem. O quam contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſurrexerit! Quamdiu cum affectibus colluctamur, quid magnifici facimus? etiamſi ſuperiores ſumus, [12] portenta vincimus. Quid eſt, cur ſuſpiciamus noſmetipſos, quia diſſimiles deterrimis ſumus? non video quare ſibi placeat, qui [13] robuſtior eſt in valetudinario.

10 *Non fuerat opera pretium naſci*] Quas voces nec in ſuo Pincianus, nec in Pall. Gruterus, nec ego in Britannico inveni, *opera pretium*, tamquam ab homine Latinæ elegantiæ non ſatis perito, inſitas, fidenter ejeci. Multis exemplis alibi cumulatis huic ſermoni inſolentiam demſimus. *Niſi ad hæc admitterer, non fuerat naſci*: hoc eſt, non fuerat cur naſcerer. Nunc ſufficiat ex ipſo auctore & hoc opere lib. 6, 30: *quibus ad cadendum male ſtantibus non erat impelli, ſed agitari.* Ubi perperam Fromondus: Vox, *neceſſe*, aut alia ſimilis videtur excidiſſe. *Gronovius.*

11 *An ut cibos & potiones percolarem*] Hæc eſt quam charadrii vitam vocat Plato in Gorgia. ubi vetus ſcholion habet charadrium eſſe aviculam, cujus adſpectu ſanentur arquati: ejus autem eſſe naturæ, ut ſimul cibum & ſumat & egerat. *Muretus.*

12 *Portenta vincimus*] Iram, libidinem, & fœdos affectus. *Lipſius.*

13 *Robuſtior eſt in valetudinario*] Diſſecui vocem, volentibus mss. & Pinciano, Opſopœo, Grutero; qui ſciebant, *invaletudinarius* pro ægro, quod viro docto placuit, Latinum non eſſe. *Valetudinaria* autem in villis lautiorum erant manſiones & diætæ, quo ægrota mancipia comportabantur, ibique, dum curarentur & conſaneſcerent, habebantur; pluribus, ſi fors ita tuliſſet, communes. Columella lib. 11, 1. *ſive quis ſauciatus in opere noxam ceperit, adhibeat fomenta; ſive alter languidior eſt, in valetudinarium confeſtim deducat, & convenientem ei ceteram curationem adhiberi jubeat.* Ubi forte ſcribendum, *ſive aliter.* Lib. 12, 3. *Et ſi comperit vel ſimulantem languorem, ſine cunctatione in valetudinarium deducat.* Moxque: *Valetudinaria quoque, vel ſi vacent ab imbecillis, identidem aperire & immunditiis liberare, ut cum res exegerit, bene ordinata & ornata & ſalubria languentibus præbeantur.* Sic & valetudinarium in caſtris Higinus in Gromatico: *Fabrica, quæ ideo longius poſita eſt.*

Digitized by Google

rio. Multum intereſt inter vires & bonam valetudinem. Effugiſti vitia animi: non eſt tibi frons ficta, nec in alienam voluntatem ſermo compoſitus, nec cor involutum, nec avaritia, quæ quidquid omnibus abſtulit, [14] ſibi ipſa negat: nec luxuria pecuniam turpiter amittens, quam turpius reparet: nec ambitio, quæ te ad dignitatem [15] niſi per indigna non ducet. Nihil adhuc conſecutus es. multa effugiſti: te nondum. Virtus enim quam affectamus, magnifica eſt. non quia per ſe beatum eſt, malo caruiſſe, ſed quia animum laxat, ac præparat ad cognitionem cæleſtium, dignumque efficit, qui in conſortium Deo veniat. Tunc conſummatum habet plenumque bonum ſortis humanæ, cum calcato omni malo, petit altum, & in interiorem naturæ ſinum venit. Tunc juvat inter ſidera ipſa vagantem divitum pavimenta ridere, & totam cum auro ſuo terram: [16] non illo tantum, dico, quod egeſſit, & ſignandum monetæ

eſt, ut valetudinarium quietum eſſe convaleſcentibus poſſit. Cujus curam agebat *Optio valetudinarii*, commemoratus l. VI. D. de jure immunitatis: *Quibuſdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit: ut ſunt menſores, optio valetudinarii, medici, capſarii & artifices,* Gothofredus hic notat, Budeum legere conjunctim: *valetudinarii medici.* At conjunctim legendum eſt: *optio valetudinarii.* Ut in eadem lege, *Optio fabricæ*, & alibi, *Optio frumenti.* Hunc tranſtulit Seneca hic & l. 1 de Ira, cap. 16. & epiſt. 27. Statim male vir doctus, *inter iſtas vires,* quaſi valetudinarii hominis. Immo ſimpliciter inter vires quoque & bonam valetudinem multum intereſt. Cicero 1 Fam. 9. pulcre alluſit. *Qui me homines quod ſalvum eſſe voluerunt, eſt mihi gratiſſimum. ſed vellem non ſolum ſalutis meæ, quemadmodum medici, ſed etiam, ut aliptæ, virium & coloris rationem habere voluiſſent.* Idem lib. 5 Tuſcul. *ex majori parte pleraſque res nominari, etiam ſi qua pars abeſſet, ut vires, valetudinem.* Et inferius: *illa, quorum ſplendore capiuntur, vires, valetudinem, pulcritudinem.* Gronovius.

14 *Sibi ipſi negat*] Britann. *ſibi ipſa.* Et ſic amat Seneca. Epiſt. 6. *cum ſe ipſi ægros eſſe ſenſerunt.* Epiſt. 52. *quibus ex ſe impetus fuit, qui ſe ipſi protulerunt.* Ita quatuor Gruteri & quem ipſe contuli. Epiſt. 59. *Nunc ipſe te conſule.* Epiſt. 92. *Virtus ad illam per ſe ipſa ſatis eſt.* Et paſſim. *Idem.*

15 *Niſi per indigna*] Ut blandiaris, inſervias, corrumpas. *Lipſius.*

16 *Non illud tantum dico*] Britann. Gallici, duo Pall. *non illo tantum, dico,* &c. *ſed & illo.* Idque reſtituimus. Lib. 6, 16. *Non eſſe terram ſine ſpiritu palam eſt, non tantum illo, dico, quo ſe tenet ac partes ſui jungit, qui ineſt etiam ſaxis mortuiſque corporibus, ſed illo, dico, vitali & vegeto & alente omnia.* Lib. 7, 23. *Nullis ignibus, niſi in ſuo, mora eſt, illis, dico, divinis, quos habet mundus æternos.* Epiſt. 90. *Non de ea Philoſophia loquor, quæ civem extra patriam poſuit, extra mundum Deos, quæ virtutem donavit voluptati; ſed illa, quæ multum* &c. Sic Eraſmi, ſic quatuor Gruteri cum noſtro.

netæ dedit, ſed & illo quod in occulto ſervat poſterorum avaritiæ. Nec poteſt ante contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia, [17] & tonſiles ſilvas, & [18] derivata in domos flumina, quam totum circumeat mundum, & terrarum orbem ſuperne deſpiciens, anguſtum, & magna ex parte opertum mari, etiam qua exſtat, late ſqualidum, & aut uſtum aut rigentem. ſibi ipſe ait: Hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur? O quam ridiculi ſunt mortalium termini! Ultra Iſtrum Dacus non exeat: [19] Strymo Thracas includat: Parthis obſtet Euphrates: Danubius Sarmatica ac Romana diſterminet: Rhenus Germaniæ modum faciat: Pyrenæus medium inter Gallias & Hiſpanias jugum extollat: inter Ægyptum & Æthiopias harenarum inculta vaſtitas jaceat. Si quis formicis det intellectum hominis, nonne & illæ unam aream in multas provincias divident? Cum te in illa vere magna ſuſtuleris; quotiens videbis exercitus ſubrectis ire vexillis, & quaſi magnum aliquid agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo à lateribus affuſum, libebit dicere:

It nigrum campis agmen. ——

Formicarum iſte diſcurſus eſt, in anguſto laborantium. Quid illis & nobis intereſt, niſi exigui menſura corpuſculi? Punctum eſt iſtud in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis: minima, etiam cum illis [20] utrimque Ocea-

noſtro. Pincianus præpoſitionem interpoſuit: *ſed de illa.* Gronovius.

17 *Et tonſiles ſilvas*] Quidam editi, *penſiles:* quod pene eſt ut probem. Adi epiſt. 122. *Lipſius.* Hoc eſt, reciſas, & in pumilionum brevitatem coactas, fiunt enim arbores brevitatis cujuſdam coactæ, & ſerendi & recidendi ſeu tondendi genere. C. Marcium *nemora tonſilia* inveniſſe Plinius eſt auctor.

18 *Derivata in domos flumina*] Sive ad Euripos in hortis; ſive potius in ipſa membra domus, ad varios uſus aut delectationes, etiam in triclinia. Epiſt. 100. vide. *Lipſius.*

19 *Strymo Thracas*] Meus, *Aſtimusſamothracas:* nec longe abeunt alii. Fuerit, *Æmus mons Thracas.* Nam ea veritas, qua longiſſime Thracia ad utramque Mœſiam porrigitur, Æmo continuo monte diſparatur. At Strymon dividit quidem, ſed exigua parte, à Macedonia. *Idem.*

20 *Utrimque Oceanus*] Pincianus faciebat, *undecumque Oceanus.* Cur enim *utrim-*

Oceanus incurrit. Surſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur: at ita ſi minimum ſecum ex corpore tulit, ſi ſordidum omne deterſit, & expeditus leviſque ac contentus modico emicuit. Cum illa tetigit, alitur, creſcit: ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum divinitatis ſuæ, quod illum divina delectant: nec ut alienis intereſt, ſed ut ſuis. Secure ſpectat occaſus ſiderum atque ortus, & tam diverſas concordantium vias. Obſervat ubi quæque ſtella primum terris lumen oſtendat, ubi culmen ejus ſummum, qua curſus ſit, quouſque deſcendat. Curioſus ſpectator excutit ſingula, & quærit. Quid ni quærat? Scit illa ad ſe pertinere. Tunc contemnit domicilii prioris anguſtias. Quantum enim eſt, quod ab ultimis littoribus Hiſpaniæ uſque ad Indos jacet? Pauciſſimorum dierum ſpatium, ſi navem ſuus ventus implevit. At illa regio cæleſtis per triginta annos, [21] velociſſimo ſideri viam præſtat, nuſquam reſiſtenti, ſed æqualiter cito. Illic demum diſcit, quod diu quæſivit: illic incipit Deum noſſe. Quid eſt Deus? Mens univerſi. [22] Quid eſt Deus? Quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo ſua illi redditur, qua nihil majus excogitari poteſt, ſi ſolus eſt omnia, opus ſuum & extra & intra tenet. Quid ergo intereſt inter naturam Dei, & noſtram? Noſtri melior pars, animus eſt: in illo, nulla pars extra animum. totus ratio eſt. Cum interim tantus error mortalia teneat, ut hoc, quo neque formoſius eſt quidquam, nec diſpoſitius, nec in propoſito conſtantius, exiſtiment homines fortuitum & caſu volubile, ideoque tumultuoſum inter fulmina, nubes, tempeſtates, & cetera quibus terræ ac terris vicina pulſantur. Nec hæc intra vulgum dementia eſt, [23] ſapientiam quoque profeſſos contigit. Sunt qui

utrimque tantum? Sed cauſſam huic dictioni eſſe docui, Phyſiol. 2. Diſſert. 17. & nihil igitur mutandum. *Lipſius.*

21 *Velociſſimo ſideri*] Saturno. *Idem.*

22 *Quid eſt Deus*] Hæc omnia explicamus. 1 Phyſiol. Diſſert. 8. & prioribus. *Idem.*

23 *Sapientiam profeſſos*] Epicureos, & alios. *Idem.*

qui putent, ſibi ipſis animum eſſe, & quidem providum ac diſpenſantem ſingula, & ſua, & aliena: hoc autem univerſum, in quo nos quoque ſumus, expers eſſe conſilii, & aut ferri temeritate quadam, aut [24] natura neſciente quid faciat. Quam utile exiſtimas iſta cognoſcere, & rebus terminos ponere? quantum Deus poſſit: [25] materiam ipſe ſibi formet, an data utatur? [26] utrum idea materiæ prius ſuperveniat, an materia ideæ? Deus quidquid vult efficiat, an in multis rebus illum tractanda deſtituant: & à magno artifice prave formentur multa, non quia ceſſat ars, ſed quia [27] id in quo exercetur, ſæpe inobſequens arti eſt? Hæc inſpicere, hæc diſcere, his incubare, nonne tranſilire eſt mortalitatem ſuam, & in meliorem transſcribi ſortem? Quid tibi, inquis, iſta proderunt? Si nihil aliud, hoc certe ſciam, [28] omnia anguſta eſſe, menſus Deum. Sed hæc deinde.

CAP. I. Nunc ad propoſitum veniam opus. [1] Audi quid de ignibus philoſophia velit, quos aër tranſverſos agit. Magna

24 *Natura neſciente*] Natura bruta, & non ſentiente; ut Strato. Nos Phyſiol. 1. Diſſert. 5. *Lipſius.*

25 *Materiam ipſe formet*] Ita hercules. ſed in alia mente Stoici, & plerique omnes philoſophi: Deo ſcilicet coæternam eſſe. *Idem.*

26 *Utrum idea*] Vide ſuper hoc loco 2. Phyſiol. Diſſert. 3. *Idem.*

27 *Id in quo exercetur*] Id eſt Materia. in quam cauſſam malorum & defectuum rejiciebant. Explico Phyſiol. 1. Diſſert. 14. *Idem.*

28 *Omnia anguſta eſſe, ſed hæc*] Quidam codices auctius: *anguſta eſſe verſus Deum.* quæ duo vocabula reſidit Fortunatus. Memmianus & unus Pal. *anguſta eſſe menſus Deum:* quod probat Oplopœus, niſi ſi malimus, *Deum menſis*, dandi caſu. At Gruterus malit editam veterem, ut *verſus Deum*, ſit reſpectu Dei, vel adverſus Deum. Videbimus an hoc Latinum ſit. Interim gaude & hic Seneca reſtituto, lector, & ſcias tu quoque, *omnia anguſta eſſe, menſus Deum.* hoc eſt, contemplatus naturam & opera Dei: quum Deum, inquit auctor, conſideravero & æſtimavero. Ita etiam optimæ membranæ Britannicæ, & piget dubitatum eſſe. De Benefic. 2, 16. *Cum ille, cui donabatur, ſe ipſe menſus, tanti muneris invidiam refugiſſet.* Nat. Quæſt. 4. præfat. *Eluctatus natalium anguſtias, nec ſorte me, ſed animo menſus.* Epiſt. 71. *Non immerito; ad corpus enim reſpiciunt: revertantur ad animum; jam hominem Deo metientur.* Et hoc ex verbis eſt, quo delectantur Annæi. Lucanus:

Metiri ſua regna docet, viresque fateri.

Gronovius.

CAP. I. 1 *Audi quid de ignibus*] Idem argumentum tractatur ab Ariſtotele libro primo Meteorologicon. *Muretus.*

2 *Ari-*

Magna vi illos excuti argumentum eſt, quod obliqui feruntur, & prærapida celeritate. Apparet illos non ire, ſed projici. Ignium multæ variæque facies ſunt. [2] Ariſtoteles quoddam genus illorum [3] Capram vocat. Si me interrogaveris, quare? prior mihi rationem reddas oportet, quare Hœdi vocentur. Si autem, quod commodiſſimum eſt, convenerit inter nos, ne alter alterum interroget, Quid dicit ille? ſatius erit de re ipſa quærere, quam mirari, quid ita Ariſtoteles globum ignis appellaverit Capram. Talis fuit forma ejus, qui, bellum adverſus Perſeum Paulo gerente, [4] lunari magnitudine, apparuit. Nos quoque vidimus non ſemel flammam ingentis pilæ ſpecie, quæ tamen in ipſo curſu ſuo diſſipata eſt. Vidimus circa divi Auguſti exceſſum ſimile prodigium: vidimus cum [5] de Seiano actum eſt: nec Germanici mors ſine denuntiatione tali fuit. Dices mihi: Ergo tu in tantis erroribus es, ut exiſtimes deos mortium ſigna præmittere, & quidquam eſſe in terris tam magnum, quod perire mundus ſciat? Erit aliud iſti rei tempus. Videbimus, an certus omnium rerum ordo ducatur, & alia aliis ita complexa ſint, ut quod antecedit, aut cauſſa ſit ſequentium, aut ſignum. Videbimus, an diis humana ſunt curæ; an ſeries ipſa, quid factura ſit, certis rerum notis nuntiet. Interim illud exiſtimo, hujuſmodi ignes exſiſtere, aëre vehementius trito, cum inclinatio ejus in

2 *Ariſtoteles quoddam genus illorum capram vocat*] Ita loquitur, quaſi Ariſtoteles illius appellationis auctor fuerit. Quod tamen verum non eſt. ſed vulgo ita vocabantur: quod oſtendunt illa philoſophi verba, *καὶ οἱ καλούμενοι ὑπό τινων δαλοὶ καὶ αἶγες.* Cauſſam autem cur capræ vocentur, hanc eſſe aiunt, quod in caprarum morem quaſi barbulas quaſdam pendentes habeant. *Muretus.*

3 *Capram vocat*] Non ipſe primus, ſed ante eum alii, & vulgo, ut bene hic Muretus. Quare autem *Capra?* dubitat Seneca, & tranſit: putant, vel à barbula, quam pendentem præfert; vel quia ſaltant, & locum laſcive mutant, ut capræ. *Lipſius.*

4 *Lunari magnitudine*] Illo bello nihil tale apparuiſſe equidem lego: ſed ipſam Lunam defeciſſe, & id triſte Macedonibus habitum, Livius & Plutarchus tradunt. An alii, ſi forte, non veram hanc Lunam fuiſſe dixerint? An ſpectat ad Senecam, quod in Julio Obſequente eſt, hoc bello: *Lavinii fax ardens in cælo viſa?* Idem.

5 *De Seiano actum*] In Senatu mors ei decreta. *Idem.*

in alteram partem facta eſt, & non ceſſit, ſed intra ſe pugnavit. Ex hac vexatione naſcuntur trabes, & globi, & faces, & ardores. At cum levius colliſus, & (ut ita dicam) ſtrictus eſt, minora lumina excutiuntur, crinemque volantia ſidera ducunt. Tunc ignes tenuiſſimi iter exile deſignant, & cælo producunt. Ideo nulla ſine hujuſmodi ſpectaculis nox eſt. non enim opus eſt ad efficienda iſta magno aëris motu. Denique, ut breviter dicam, eadem ratione fiunt iſta, qua fulmina, ſed vi minore. Quemadmodum nubes mediocriter colliſæ, fulgurationes efficiunt; [6] majore impetu pulſæ, fulmina. Ariſtoteles ejuſmodi rationem reddit: Varia & multa terrarum orbis exſpirat, quædam humida, quædam ſicca, [7] quædam algentia, quædam concipiendis ignibus idonea. Nec mirum eſt, ſi terræ omnis generis & varia evaporatio eſt: cum in cælo quoque non unus appareat color rerum, ſed acrior ſit caniculæ rubor, Martis remiſſior, Jovis nullus, in lucem puram nitore perducto. Neceſſe eſt ergo in magna copia corpuſculorum, quæ terræ ejectant, & in ſuperiorem agunt partem, aliqua in nubes pervenire [8] alimenta ignium, quæ non tantum colliſa poſſint ardere, ſed etiam afflata radiis ſolis. Nam apud nos quoque, ſtramenta ſulphure aſperſa, ignem ex intervallo trahunt. Veri ergo ſimile eſt, talem materiam intra nubes congregatam facile ſuccendi, & majores minoreſve ignes exſiſtere, prout illis fuit plus aut minus virium. Illud enim ſtultiſſimum eſt exiſtimare, aut ſtellas decidere, aut tranſſilire, aut aliquid illis auferri & abradi: nam ſi hoc fuiſſet, jam defuiſſent. Nulla enim nox eſt, qua non plurimæ ire, & in

6 *Majore impetu pulſa fulmina*] Voces aliquot quæ hic accreverant, & ſententiam corrumpebant, veteris libri nixus auctoritate delevi. *Muretus.*

7 *Quædam algentia*] Vetus liber, *alentia*. ex quo fecerant, *calentia*. Ego *algentia* malui. Ut enim humidis ſicca, ſic algentia idoneis ad concipiendos ignes opponuntur. *ἀτμίδα* & *ἀναθυμίασιν* Ariſtoteles vocat: illam poteſtate aquam, hanc poteſtate ignem. *Idem.*

8 *Alimenta ignium*] Cæleſtium ignium. nam ita Stoïci, ſidera & ſtellas vaporibus ali. In Phyſiol. 2. Diſſert. 14. *Lipſius.*

9 *Quid*

& in diverſum videantur abduci. Atqui, quo ſolent, quæque inveniuntur loco: magnitudo ſua ſingulis conſtat. Sequitur ergo, ut infra illas iſta naſcantur: & cito intercidant, quia ſine fundamento ſunt & ſede certa. Quare ergo etiam non interdiu transferuntur? [9] Quid ſi dicam ſtellas interdiu non eſſe, quia non apparent? Quemadmodum illæ latent, & ſolis fulgore obumbrantur: ſic faces quoque tranſcurrunt etiam interdiu, ſed abſcondit eas diurni luminis claritas. Si quando tamen tanta vis emicuit, ut etiam adverſus diem vindicare ſibi ſuum fulgorem poſſint, apparent. Noſtra certe ætas non ſemel vidit diurnas faces, alias ab oriente in occidentem verſas, alias ab occaſu in ortum. Argumentum tempeſtatis nautæ putant, cum multæ tranſvolant ſtellæ. quod ſi ſignum ventorum eſt, ibi eſt, ubi venti ſunt, id eſt, in aëre, qui medius inter lunam & terram eſt. In magna tempeſtate apparent, quaſi ſtellæ velo inſidentes. Adjuvari ſe tunc periclitantes exiſtimant [10] Pollucis & Caſtoris numine. Cauſſa autem melioris ſpei eſt, quod jam apparet frangi tempeſtatem, & deſinere ventos. [11] Aliquando feruntur ignes, non ſedent. Gylippo Syracuſas petenti, viſa eſt ſtella ſuper ipſam lanceam conſtitiſſe. In Romanorum caſtris, viſa ſunt ardere pila, ignibus ſcilicet in illa delapſis: qui ſæpe, fulminum more, animalia ferire ſolent & arbuſta. Sed ſi minore vi mittuntur, defluunt

9 *Quid ſi dicam*] Malim, *dicat*. Lipſius.

10 *Pollucis & Caſtoris numine*] Celebrata ab omnibus poetis & mythologis fabula. Vide Plinium lib. 2. cap. 37. *Muretus*.

11 *Aliquando feruntur ignes, non ſedent*] Caſauboni codex: *Alioquin ferrentur ignes, non ſederent*. Britannicus: *Aliquando feruntur ignes, vel aliquando non ſedent*. Quod verum puto, & vulgato ſcitius eſt. Significat levem motum, & medium aliquod inter ferri & ſedere: quod potius dicendo quid non ſit, quam quid ſit, explicare ſe poſſe indicat. Sic lib. 7, 16. *quibuſdam mendacium obrepit, quibuſdam placet: illi non evitant, hi appetunt*. Sic moleſte geſticulantis oratoris dixit Popilius Lænas *inotioſam actionem*, apud Quintilianum libro 11. Inſt. ne nullam diceret, nec tamen decoram. Neque enim Salmaſii *negotioſam* ibi probare poſſum. De Ira, 2, 35. *Animi motus eos putemus ſaniſſimos validiſſimoſque, qui noſtro arbitrio ibunt, non ſuo ferentur*. Gronovius.

fluunt tantum & inſident, non feriunt nec vulnerant. Alii inter nubes eliduntur, alii ſereno, ſi aër ad exprimendum ignem aptus fuit. [12] Nam ſereno quoque cælo aliquando tonat, ex eadem cauſſa, qua nubilo, aëre inter ſe colliſo. Qui etiam ſi eſt lucidior ac ſiccior, coïre tamen & facere corpora quædam ſimilia nubibus poteſt, quæ percuſſa reddant ſonum. Quandoque igitur fiunt trabes, quandoque [13] clypei, & vaſtorum imagines ignium, ubi in talem materiam incidit ſimilis cauſſa, ſed major.

CAP. II. Videamus nunc, quemadmodum fiat is fulgor, qui ſidera circumnectit. Memoriæ proditum eſt, [1] quo die divus Auguſtus urbem, ex Apollonia reverſus, intravit, circa ſolem viſum coloris varii circulum, qualis eſſe in arcu ſolet: [2] hunc Græci Halo vocant, nos dicere Coronam aptiſſime poſſumus. Quemadmodum fieri dicatur, exponam. Cum in piſcinam lapis miſſus eſt, videmus in multos orbes aquam diſcedere, & fieri primum anguſtiſſimum orbem, deinde latiorem, ac deinde alios majores, donec

12 *Nam ſereno quoque cælo aliquando tonat*] Neque tonat tantum: ſed & fulmen dejicitur. Cicero:

Aut cum terribili perculſus fulmine civis,
Luce ſerenanti vitalia lumina liquit.

Qua ipſa de re ita Julius Obſequens: *Sereno Vargunteius Pombius de cælo exanimatus.* Fortaſſis autem apud Senecam quoque vox *cælo* delenda ſit. At Plinius hunc ipſum M. Herennium decurionem ex Pompeiano municipio vocat. *Muretus.*

13 *Clypei*] Plinius: *Clypeus ardens ab occaſu ad ortum ſcintillans tranſcurrit ſolis occaſu, L. Valerio, C. Mario Coſſ.* Narratur & idem ab Obſequente. *Idem.*

ABſtineo, Lector, & calamum pono, illum tuis commodis quadraginta jam annos operatum. Utinam, quod volui, fecerim! ſed & ſic mihi debes, quia volui. Alii alia; mihi quæ ad vitam & mores, quæ ſcientiam cum prudentia haberent, quæ ſapientiam, placuiſſe fateor, & pro ingenii copia produxiſſe. ultra vetor: à quo? quem ſequi & obſequi prima ſapientia eſt, Deo. Valetudinem fregit, & diu labentem impetu abjecit: pareo, & ſcribere deſino, non bene tibi velle. Tu mihi, & ſalve.

HACTENUS LIPSIUS.

CAP. II. Dixit, de capris, trabibus, facibus, ceteriſque ejuſmodi fulgoribus. Nunc exponit quemadmodum area ſive corona fiat. Videndus Ariſtoteles capite tertio libri tertii Meteorologicon. *Muretus.*

1 *Quo die divus Auguſtus*] Plinius c. 28. lib. 2 Obſequens c. 128. *Idem.*

2 *Hunc Græci Halo vocant*] Brit. *Grati.* Videtur voluiſſe, *Graii.* Gronovius.

3 Non-

Digitized by Google

donec evaneſcat impetus, & in planiciem immotarum aquarum ſolvatur. Tale quiddam cogitemus fieri etiam in aëre. cum ſpiſſior factus, plagam ſentire poteſt, lux ſolis aut lunæ vel cujuſlibet ſideris incurrens, recedere illum in circulos cogit. Nam humor, & aër, & omne quod ex ictu formam accipit, in talem habitum impellitur, qualis eſt ejus quod impellit. Omne autem lumen rotundum eſt: ergo & aër in hunc modum percuſſus lumine, exibit. Ob hoc tales ſplendores Græci Areas vocavère: quia fere terendis frugibus loca deſtinata ſunt rotunda. Non eſt autem quod exiſtimemus, iſtas, ſive areæ, ſive coronæ ſint, in vicinia ſiderum fieri. Plurimum enim abſunt, quamvis cingere ea & coronare videantur. Non longè à terra fit talis effigies: quam viſus noſter ſolita imbecillitate deceptus, circa ipſum ſidus putat poſitam. In vicinia autem ſolis & ſtellarum nihil tale poteſt fieri: quia illic æther tenuis eſt. Nam formæ craſſis demum ſpiſſiſque corporibus imprimi ſolent: in ſubtilibus non habent ubi conſiſtant, aut hæreant. In balneis quoque circa lucernam tale quiddam adſpici ſolet, ob aëris denſi obſcuritatem: frequentiſſime autem auſtro, cum cælum maxime grave & ſpiſſum eſt. [3] Nonnumquam paulatim diluuntur & deſinunt, nonnumquam ab aliqua parte rumpuntur: & inde ventum nautici exſpectant, unde contextus coronæ perit. Si enim à ſeptentrione diſceſſerit, Aquilo erit: ſi ab occidente, Favonius. Quod argumentum eſt, [4] intra eam partem cæli has fieri coronas, intra quam venti quoque ſolent. Superiora autem non habent coronas: quia ne ventos quidem. His argumentis & illud adjice, numquam coronam colligi, niſi ſtabili aëre & pigro. Aliter non ſolet adſpici. Nam qui ſtat aër, impelli & deduci, & in aliquam faciem fingi poteſt. Is autem qui fluit, ne feritur quidem lumine. Non enim for-

3 *Nonnumquam paulatim diluuntur & deſinunt, nonnumquam ab aliqua parte rumpuntur*] Illud Ariſtoteles vocat μαραίνεσθαι, hoc διασπᾶσθαι· qui etiam eadem, quæ hic Seneca, & ob eaſdem cauſſas ſignificari docet. *Muretus.*

4 *Et*

formatur, nec reſiſtit: quia prima quæque pars ejus diſſipatur. Numquam ergo ullum ſidus talem ſibi effigiem circumdabit, niſi cum aër erit denſus atque immotus, & ob hoc cuſtodiens incidentem in ſe rotundi lineam luminis: nec ſine cauſſa. Repete enim exemplum, quod paulo ante propoſui. Lapillus in piſcinam aut lacum & aliquam alligatam aquam miſſus, circulos facit innumerabiles: & hoc idem non facit in flumine. Quare? quia omnem figuram fugiens aqua diſturbat. Idem ergo in aëre evenit, ut ille qui manet, poſſit figurari: at ille qui rapitur & currit, non det ſui poteſtatem, & omnem ictum venientemque formam exturbet. Hæ, de quibus dixi, coronæ, cum dilapſæ ſunt æqualiter, & in ſemetipſis evanuerint, ſignificatur aëris quies & otium & tranquillitas. [4] Cum ab una parte ceſſerunt, illinc ventus eſt unde finduntur. Si ruptæ pluribus locis ſunt, tempeſtas fit. Quare id accidat, ex his quæ jam expoſui, intelligi poteſt. Nam ſi facies univerſa ſubſedit, apparet temperatum eſſe aëra, & ſic placidum. Si ab una parte interciſa eſt, apparet inde aëra incumbere, & ideo illa regio ventum dabit. At cum undique & concerpta & lacerata eſt, manifeſtum eſt à pluribus partibus in illam impetum fieri, & inquietum aëra hinc atque illinc aſſilire. Itaque ex hac inconſtantia cæli tam multa tentantis, & undique laborantis, futura tempeſtas & ventorum prælium apparet. Hæ coronæ noctibus fere circa lunam & alias ſtellas notantur, interdiu raro: adeo ut quidam ex Græcis negaverint eas omnino fieri, cum illos hiſtoriæ coarguant. Cauſſa autem raritatis hæc eſt, quod ſolis fortius lumen eſt, & aër ipſe agitatus ab illo, calefactuſque, ſolutior eſt: lunæ autem inertior vis eſt, & ideo à circumpoſito aëre facilius ſuſtinetur: [5] æque ſidera cetera infirma

4 *Et tunc aquam expecta*] Non erant in libris veteribus: eoque delevi. Addita videntur ab aliquo, ex Ariſtotelis ſententia: qui ita ſcribit: Ἐὰν μὲν γὰρ μήτε καταμερισθῇ, μήτε διασπασθῇ, ἀλλ' ἐαθῇ τὴν φύσιν ἀπολαμβάνειν ἑαυτῆς, ὕδατος εἰκότως σημεῖον ἐστι. Muretus.

5 *Æque ſidera cætera infirma ſunt*] An pro *æque*, legendum *atque*. Nam ſicut

firma ſunt, nec perrumpere aëra vi ſua poſſunt. Excipitur itaque illorum imago, & in materia ſolidiore ac minus cedente verſatur. Debet enim aër nec tam ſpiſſus eſſe, ut excludat ac ſubmoveat à ſe lumen immiſſum, nec tam tenuis & ſolutus, ut nullam venientibus radiis moram præbeat. Hæc noctibus temperatura contingit, cum ſidera conlectum aëra luce levi non pugnaciter nec aſpere feriunt, ſpiſſioremque, quam ſolet eſſe interdiu, inficiunt.

CAP. III. [1] At contra arcus in nocte non fit, niſi admodum raro: quia luna non habet tantum virium, ut nubes tranſeat, & illis colorem ſuffundat, qualem accipiunt ſole perſtrictæ. Sic enim formam arcus diſcoloris efficiunt: quia aliæ partes in nubibus tumidiores ſunt, aliæ ſubmiſſiores: quædam craſſiores, quam ut ſolem tranſmittant; aliæ imbecilliores, quam ut excludant. Hæc inæqualitas alternis lucem umbramque permiſcet, & exprimit illam mirabilem arcus varietatem. Altera cauſſa ejuſcemodi arcus redditur. Videmus, cum fiſtula aliquo loco rupta eſt, aquam per tenue foramen elidi: quæ ſparſa contra ſolem oblique poſitum, faciem arcus repræſentat. Idem videbis accidere, ſi quando volueris obſervare fullonem: cum os aqua implevit, & veſtimenta [2] rediculis diducta leviter aſpergit, apparet varios edi colores in illo aëre aſperſo, quales in arcu fulgere ſolent. Hujus rei cauſſam in humore eſſe ne dubitaveris.

ſicut Lunæ inertior vis non poteſt exagitare neque diſſolvere circumpoſitum aërem, quin coronas accepto lumine accipiat; ita & aliorum ſiderum, quorum æque infirma vis eſt ad diſſolvendum.

CAP. III. Abſoluta tractatione areæ, trabis, facum & ſimilium, ordinem Ariſtotelis ſecutus, de arcu ſive iride diſputare incipit. in cujus cauſſa reddenda Ariſtoteleus eſt. *Muretus.*

1 *At contra arcus in nocte non fit, niſi admodum raro*] Veteres quidem eum noctu numquam fieri opinabantur: ſed raritas eis cauſſa errandi fuit. Ariſtoteles: Καὶ μεθ' ἡμέραν μὲν ἶρις γίγνεται, νύκτωρ δ' ἀπὸ σελήνης, ὡς μὲν οἱ ἀρχαῖοι ᾤοντο, οὐκ ἐγίγνετο. τοῦτο δ' ἔπαθον διὰ τὸ σπάνιον. ἐλάνθανε γὰρ αὐτούς. γίγνεται μὲν γὰρ, ὀλιγάκις δὲ γίγνεται. Addit id fieri tantum plenilunio: atque ita raro, ut ipſe totis quinquaginta annis bis tantum id notaverit. *Idem.*

2 *Ridiculu*] Alii *tendiculis*. Ego veteri libro fidem habui. Eſt autem *ridicula* nomen imminutum à *ridica*. Idem.

taveris. Non ſit enim umquam arcus, niſi nubilo. Sed quæramus quomodo fiat. Quidam aiunt eſſe aliqua ſtillicidia, quæ ſolem tranſmittant, quædam magis coacta, quam ut tranſluceant: itaque ab illis fulgorem reddi, ab his umbram, & ſic utriuſque intercurſu effici arcum, in quo pars fulgeat, quæ ſolem recipit, pars obſcurior ſit, quæ excluſit, & ex ſe umbram proximis fecit. Hoc ita eſſe quidam negant. Poterat enim umbra & lux cauſa videri, ſi arcus duos tantum haberet colores, & ſi ex lumine umbraque conſtaret.

Sed nunc diverſi niteant cum mille colores,
Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit.
Uſque adeo quod tangit idem eſt, tamen ultima diſtant.

Videmus in eo aliquid flammei, aliquid lutei, aliquid cærulei, & alia in picturæ modum ſubtilibus lineis ducta, ut ait Poëta, ut an diſſimiles colores ſint, ſcire non poſſis, niſi cum primis extrema contuleris. Nam commiſſura decipit: uſque adeo mira arte naturæ, quod à ſimillimis cœpit, in diſſimilia deſinit. Quid ergo iſtic duo colores faciunt luminis atque umbræ, cum innumerabilium ratio reddenda ſit? Quidam ita exiſtimant arcum fieri. dicunt in ea parte in qua pluit, ſingula ſtillicidia pluviæ cadentis, ſingula ſpecula eſſe: à ſingulis ergo imaginem reddi ſolis. deinde multas imagines, imo innumerabiles, & devexas, & in præceps tranſeuntes confundi: itaque & arcum eſſe multarum imaginum ſolis confuſionem. Hoc ſic colligunt. Pelves, inquiunt, mille die ſereno pone, & omnes habebunt imaginem ſolis. in ſingulis foliis diſpone ſingulas guttas: ſingulæ habebunt imaginem ſolis. At contra ingens ſtagnum non habebit niſi imaginem unam. Quare? quia omnis circumſcripta lævitas & circumdata ſuis finibus, ſpeculum eſt. Itaque piſcinam ingentis magnitudinis, inſertis parietibus in plures divide: totidem illa habebit imagines ſolis, quot lacus habuerit. Relinque illam ſicut eſt diffuſa: ſemel tibi imaginem reddet. Nihil refert, quam exiguus ſit humor

aut

aut lacus. Si circumſeptus eſt, ſpeculum eſt. Ergo ſtillicidia illa infinita, quæ imber cadens defert, totidem ſpecula ſunt, totidem ſolis facies habent. Hæ contra intuenti perturbatæ apparent, nec diſpiciuntur intervalla, quibus ſingula diſtant, ſpatio prohibente diſcerni. Deinde pro ſingulis apparet una facies turbida ex omnibus. Ariſtoteles idem judicat. Ab omni, inquit, lævitate acies radios ſuos replicat. Nihil autem lævius aqua & aëre. Ergo etiam ab aëre ſpiſſo viſus noſter in nos redit. Ubi vero hebes & infirma eſt acies, [3] qualiſlibet aëris ictu deficit. [4] Quidam hoc genere valetudinis laborant, ut ipſi ſibi videantur occurrere, ut ubique imaginem ſuam cernant. Quare? quia infirma vis oculorum non poteſt ne proximum quidem ſibi aërem perrumpere, ſed reſiſtit. Itaque quod in aliis efficit denſus aër, in his facit omnis. Satis enim valet qualiſcumque, ad imbecillem aciem repellendam: longe autem magis viſum noſtrum nobis remittit, qui craſſior eſt, & pervinci non poteſt, ſed radios luminum noſtrorum moratur, & eo unde exierint, reflectit. Ergo cum multa ſtillicidia ſint, totidem ſpecula ſunt. Sed quia parva ſunt, ſolis colorem ſine figura exprimunt. Deinde cum in ſtillicidiis innumerabilibus, & ſine intervallo cadentibus, reddatur idem color, incipit facies eſſe non multarum imaginum intermiſſarum, ſed unius longæ atque continuæ. Quomodo, inquis, tu mihi multa millia iſtic imaginum eſſe dicis, ubi nullam video? Et quare cum ſolis color unus ſit, imaginum diverſus eſt? Ut & hæc quæ propoſuiſti, refellam, & alia quæ non minus refellenda

3 *Quolibet aëris ictu deficit*] Scribe cum Brit. *qualiſlibet aeris ictu deficit.* Nam inferius, *ſatis enim valet qualiſcumque aër ad imbecillam aciem repellendam.* Vocabulum digniſſimum, quod veteris Latii judicetur. *Gronovius.*

4 *Quidam hoc genere valetudinis laborant*] Ariſtoteles: Οἷον ποτὲ συνέβαινέ τινι πάθος, ἠρέμα καὶ οὐκ ὀξὺ βλέποντι. ἀεὶ γὰρ εἴδωλον ἐδόκει προηγεῖσθαι βαδίζοντι αὐτῷ, ἐξ ἐναντίας βλέπον πρὸς αὐτόν. τοῦτο δ' ἔπασχε διὰ τὸ τὴν ὄψιν ἀνακλᾶσθαι πρὸς αὐτόν. οὕτω γὰρ ἀσθενὴς ἦν καὶ λεπτὴ πάμπαν ὑπὸ τῆς ἀῤῥωστίας, ὥστε ἔνοπτρον ἐγίνετο καὶ ὁ πλησίον ἀὴρ, καὶ οὐκ ἐδύνατο ἀπωθεῖν. Sunt qui hunc Antipherontem fuiſſe dicant, hominem motæ mentis, de quo quiddam legitur etiam in libro de memoria. Mihi hoc ſatis exploratum non eſt. *Muretus.*

5 *Illam*

fellenda ſunt, illud dicam oportet: nihil acie noſtra fallacius, non tantum in his à quibus ſubtiliter pervidendis [5] illam colorum diverſitas ſummovet, ſed & in his quoque, quæ ad manum cernit. Remus integer in tenui aqua fracti ſpeciem reddit. Poma per vitrum adſpicientibus multo majora ſunt. Columnarum intervalla porticus longiores jungunt. Ad ipſum ſolem revertere: hunc quem toto orbe terrarum majorem probat ratio, acies noſtra ſic contraxit, ut ſapientes viri pedalem eſſe contenderint. Quem velociſſimum omnium eſſe ſcimus, nemo noſtrum videt moveri: nec ire crederemus, niſi appareret iſſe. Mundum ipſum præcipiti velocitate labentem, & ortus occaſuſque intra momentum temporis revolventem, nemo noſtrum ſentit procedere. Quid ergo miraris, ſi oculi noſtri imbrium ſtillicidia non ſeparant, & ingenti ſpatio intuentibus minutarum imaginum diſcrimen interit? Illud eſſe dubium nulli poteſt, quin arcus imago ſolis ſit, roſcida & cava nube concepta. Quod ex hoc tibi apparet. Numquam non adverſa ſoli eſt, ſublimis aut humilis, prout ille ſe ſubmiſit, aut ſuſtulit, contrario motu. Illo enim deſcendente altior eſt, alto depreſſior. Sæpe talis nubes à latere ſolis eſt, nec arcum efficit, quia non ex recto imaginem trahit. Varietas autem non ob aliam cauſſam fit, quam quia pars coloris à ſole eſt, pars à nube illa: humor autem modo cæruleas lineas, modo virides, modo purpuræ ſimiles, & luteas aut igneas ducit, duobus coloribus hanc varietatem efficientibus, remiſſo & intento. Sic enim & purpura eodem conchylio non in unum modum exit. Intereſt, quamdiu macerata ſit, craſſius medicamentum, an aquatius traxerit; ſæpius merſa ſit & excocta, an ſemel tincta. Non eſt ergo mirum,

5 *Illam colorum diverſitas*] Præceſſit equidem *ſolis color unus*, *imaginum diverſus*. Tamen videtur ſcripſiſſe: *illam locorum diverſitas*. Huic enim contraria, *quæ ad manum cernuntur*. Nec colorum varietatem vult eſſe cauſam, quare acies noſtra minus ſubtiliter pervideat; ſed locorum diſcrimen ingens eſſe cauſam, cur acies noſtra ſpatio fraudata imagines non ſeparet, multaque millia accipiat pro una. *Gronovius.*

mirum, cum duæ res ſint, ſol & nubes, id eſt, corpus & ſpeculum, ſi tam multa genera colorum exprimuntur, quæ in multis generibus poſſunt aut incitari, aut relangueſcere. Alius enim eſt color ex igneo lumine, alius ex obtuſo & leniore. In aliis rebus vaga inquiſitio eſt, ubi non habemus quod manu tenere poſſimus, & late conjectura mittenda eſt: hic apparet duas cauſſas eſſe arcus, ſolem, nubemque, quia nec ſereno umquam fit, nec ita nubilo, ut ſol lateat. Ergo utique ex his eſt, quorum ſine altero non eſt.

CAP. IV. Jam illud accedit, quod æque manifeſtum eſt, ſpeculi ratione imaginem reddi, quia numquam niſi è contrario redditur: id eſt, niſi ex altera parte ſteterit quod apparet, ex altera quod oſtendit. Rationes quæ non perſuadent, ſed cogunt, à Geometris adferuntur. Nec dubium cuiquam relinquitur, quia arcus imago ſolis ſit male expreſſi, ob vitium figuramque ſpeculi. [1] Nos interim tentemus alias probationes, quæ de plano legi poſſint. Inter argumenta ſic naſcentis arcus pono, quod celerrime naſcitur: ingens enim variumque corpus cælo intra momentum ſubtexitur, & æque celeriter aboletur. nihil autem tam citò redditur, quam à ſpeculo imago. Non enim facit quidquam, ſed oſtendit. Parianus Artemidorus adjicit, & quale genus nubis eſſe debeat, quod talem ſolis imaginem reddit. Si ſpeculum, inquit, concavum feceris, quod ſit ſectæ pilæ pars, ſi extra medium conſtiteris, quicumque juxta te ſteterint, univerſi à te videbuntur, propiores tibi quam ſpeculo. Idem, inquit, evenit, cum rotundam & cavam nubem intuemur à latere, ut ſolis imago à nu-

CAP. IV. 1 *Nos interim tentemus alias probationes*] Quouſque feremus illud Mureti, ure, ſeca? Britannicus plane: *Nos interim repetamus alias probationes, quæ de plano legi poſſint.* Quod ex Memmiano etiam notavit Opſopœus, niſi quod ille *tentemus*. Et videtur illud factum ex prava medii ævi ſcriptura *temptemus*. Porro hoc volebant libri ſub illa umbra: *de Platone.* Vide Gruterum. Qui hanc lectionem Senecæ eſſe negat, quid Seneca ſit, neſcit. *Gronovius.*

à nube diſcedat, propiorque nobis ſit, & in nos magis converſa. Color igitur igneus à ſole eſt, cæruleus à nube: ceteri utriuſque mixturæ.

Cap. V. Contra hæc illa dicuntur. De ſpeculis duæ opiniones ſunt: alii enim in his ſimulacra cerni putant, id eſt, corporum noſtrorum figuras, à noſtris corporibus emiſſas ac ſeparatas: alii imagines aiunt non eſſe in ſpeculo, ſed ipſa adſpici corpora, retorta oculorum acie, & in ſe rurſus reflexa. Nunc nihil ad rem pertinet, quomodo videamus quodcumque videmus: ſed quomodo imago ſimilis debet è ſpeculo reddi. Quidnam eſt tam diſſimile, quam ſol, & arcus, in quo neque color, neque figura ſolis, neque magnitudo apparet? Arcus enim longior ampliorque eſt, longeque ea parte, qua fulget, rubicundior quam ſol; ceteris vero coloribus diverſus. Deinde cum velis ſpeculum aëri comparare, des oportet mihi eamdem lævitatem corporis, eamdem æqualitatem, eumdem nitorem. Atqui nullæ nubes habent ſimilitudinem ſpeculi. per medias ſæpe tranſimus, nec in illis nos cernimus. Qui montium ſumma conſcendunt, ſpectant nubem: nec tamen imaginem ſuam in illa cernunt. Singula ſtillicidia ſingula ſpecula ſunt. Concedo: ſed illud nego, ex ſtillicidiis conſtare nubem. Habet enim quædam ex quibus fieri ſtillicidia poſſunt, non ipſa. Nec aquam quidem habet nubes, ſed materiam futuræ aquæ. Concedam etiam tibi & guttas innumerabiles in nubibus eſſe, & illas faciem reddere: non tamen omnes unam reddunt, ſed ſingulæ ſingulas. Deinde inter ſe ſpecula conjunge: in unam imaginem non coïbunt: ſed quæque particula in ſe rei ſimilitudinem claudet. Sunt quædam ſpecula ex multis minutiſque compoſita: quibus ſi unum oſtenderis hominem, populus apparet, unaquaque parte faciem ſuam exprimente. Hæc cum ſint conjuncta & ſimul collocata, nihilominus ſeducunt imagines ſuas, & ex uno turbam efficiunt. Ceterum catervam illam non confundunt, ſed diremptam in facies ſingulas diſtrahunt.

arcus

arcus uno circumſcriptus eſt ductu; una totius eſt facies. Quid ergo? non & aqua, rupta fiſtula, ſparſa, & remo excuſſa, habere quiddam ſimile his quos videmus in arcu, coloribus ſolet? Verum eſt: ſed non ex hac cauſſa, ex qua tu videri vis: quia unaquæque ſtilla recipit imaginem ſolis. Citius enim cadunt ſtillæ, quam ut concipere imaginem poſſint. Standum eſt, ut id quod imitantur, excipiant. Quid ergo fit? Colorem, non imaginem ducunt: alioquin, ut ait Nero Cæſar diſertiſſime,

Colla Cytheriacæ ſplendent agitata columbæ:

& variis coloribus pavonum cervix, quoties aliquo deflectitur, nitet. Numquid ergo dicemus ſpecula ejuſmodi plumas, quarum omnis inclinatio in colores novos tranſit? Non minus nubes diverſam ſpeculis naturam habent, quam aves quas retuli, & chamæleontes, & reliqua animalia, quorum color aut ex ipſis mutatur, cum ira vel cupidine accenſa, cutem ſuam variant humore ſuffuſo, aut poſitione lucis, quam prout rectam vel obliquam receperint, ita colorantur. Quid enim ſimile ſpeculis habent nubes: cum illa non perluceant, hæ tranſmittant lucem? Illa denſa & coacta, hæ raræ ſint? illa ejuſdem materiæ tota, hæ è diverſis temere compoſitæ, & ob hoc diſcordes, nec diu cohæſuræ? Præterea videmus, ortu ſolis partem quandam cæli rubere: videmus nubes aliquando ignei coloris. Quid ergo prohibet, quomodo hunc colorem unum accipiunt ſolis occurſu, ſic multos ab illis trahi, quamvis non habeant ſpeculi potentiam? Modo, inquit, inter argumenta ponebas, ſemper arcum contra ſolem excitari, quia nec à ſpeculo quidem imago redderetur, niſi adverſo. Hoc, inquit, commune nobis eſt. Nam quemadmodum opponendum eſt ſpeculo id, cujus imaginem in ſe transferat: ſic ut nubes infici poſſint; ita ſolis ad hoc opus eſt radiorum idoneus ictus. Hæc dicuntur ab iis qui videri volunt nubem colorari. Poſidonius, & hi qui ſpeculari ratione effici judicant viſum, hoc reſpondent: Si ullus eſſet in arcu color,

 per-

Digitized by Google

permaneret, & viſeretur eo manifeſtius, quo propius. Nunc imago arcus ex longinquo clara eſt: interit, cum in vicino eſt. Huic contradictioni non conſentio, cum ipſam ſententiam probem. Quare? dicam. Quia coloratur quidem nubes: ſed ita, ut color ejus non undique appareat. Nam ne ipſa quidem undique apparet. Nubem enim nemo qui in ipſa eſt, videt. Quid ergo mirum, ſi color ejus non videtur ab eo, à quo ipſa non viſitur? Atqui, quamvis ipſa non videatur, eſt: ergo & color. Ita non eſt argumentum falſi coloris: quia idem apparere accedentibus deſinit. Idem enim in ipſis evenit nubibus: nec ideo falſæ ſunt, quia non videntur. Præterea cum dicitur tibi, nubem ſole eſſe ſuffectam, non dicitur tibi, colorem illum immixtum eſſe velut duro corpori ac ſtabili & manenti, ſed ut fluido & vago, & nihil amplius quam perbrevem ſpeciem recipienti. Sunt etiam quidam colores, qui ex intervallo vim ſuam oſtendunt. [1] Purpuram Tyriam, quo melior ſaturiorque eſt, eo oportet altius teneas, ut fulgorem ſuum oſtendat. Non tamen ideo non habet illa colorem: quia quem optimum habet, non quomodocumque explicetur, oſtendit. In eadem ſententia ſum, qua Poſidonius, ut arcum judicem fieri nube formata in modum concavi ſpeculi & rotundi, cui forma ſit partis è pila ſectæ. Hoc probari, niſi Geometræ adjuverint, non poteſt: qui argumentis nihil dubii relinquentibus docent, ſolis illam eſſe effigiem, non ſimilem. Neque enim omnia ad verum ſpecula reſpondent. Sunt, quæ videre extimeſcas; tanta deformitate corruptam faciem viſentium reddunt, ſervata ſimilitudine in pejus. Sunt, quæ cum videris, placere tibi vires tuæ poſſint: in tantum lacerti creſcunt, & totius corporis ſupra humanam magnitudinem habitus augetur. Sunt, quæ dextras facies oſtendant,

ſunt

CAP. V. 1 *Purpuram Tyriam*] Huc referendum eſt illud dictum Auguſti, quod his verbis à Macrobio exponitur: *Cum de Tyria purpura, quam emi juſſerat, obſcuritate quereretur: dicente venditore, Erige altius & ſuſpice: his uſus eſt ſalibus: Quid ergo? ut me populus R. dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum?* Muretus.

CAP.

ſunt quæ ſiniſtras, ſunt quæ torqueant vel evertant. Quid ergo mirum eſt, ejuſcemodi ſpeculum quo ſolis ſpecies vitioſa reddatur, in nube quoque fieri?

CAP. VI. Inter cetera argumenta & hoc erit, quod numquam major arcus dimidio circulo apparet: & quod eo minor eſt, quo altior eſt ſol.

— [1] *Et bibit ingens*
Arcus, —

ut ait Virgilius noſter, cum adventat imber: ſed non eaſdem, undecumque apparuit, minas affert. A meridie ortus magnam vim aquarum vehet. Vinci enim non potuerunt valentiſſimo ſole; tantum eſt illis virium. Si circa occaſum refulſit, rorabit, & leviter impluet. Si ab ortu circave ſurrexit, ſerena promittit. Quare tamen, ſi imago ſolis eſt arcus, longe ipſo ſole major apparet? Quia eſt alicujus ſpeculi natura talis, ut majora multo quam videat, oſtendat, & in portentoſam magnitudinem augeat formas: alicujus invicem talis eſt, ut minuat. Illud mihi dic, quare in orbem eat facies, niſi orbi redditur? Dices fortaſſe, unde ſit ille color varius: unde talis figura ſit, non dices, niſi aliquod exemplar, ad quod formetur, oſtenderis. Nullum autem aliud, quam ſolis eſt, à quo fatearis illi colorem dari. ſequitur ut detur & forma. Denique inter me & te convenit, colores illos quibus regio cæli depingitur, à ſole eſſe. Illud unum inter nos non convenit: tu dicis illum colorem eſſe, ego videri. Qui ſive eſt, ſive videtur, à ſole, tu non expedies, quare ſubito deſinat, cum omnes fulgores paulatim diſcutiantur. Pro me eſt & repentina ejus facies, & repentinus interitus. Proprium enim eſt ſpeculi hoc, quod non per partes ſtruitur, quod apparet, ſed ſtatim totum fit. Æque cito omnis imago in illo aboletur, quam componitur. Nihil enim aliud ad iſta efficienda vel removenda opus eſt,

CAP. VI. 1 *Et bibit ingens Arcus*] Hinc urbaniſſime dictum eſt à Palinuro Plautino, qui anum, ſenio incurvam, bibentem videret:

— *ecce autem bibit arcus: pluet,*
Credo, hercle hodie. Muretus.

eſt, quam oſtendi & abduci. Non eſt propria in iſta nube ſubſtantia, nec corpus; ſed mendacium, & ſine re ſimilitudo. Vis ſcire hoc ita eſſe? Deſinet arcus, ſi obtexeris ſolem. Oppone, inquam, ſoli alteram nubem: hujus varietas peribit. At major eſt aliquanto arcus, quam ſol. Dixi modo, fieri ſpecula, quæ multiplicent omne corpus quod imitantur. Illud adjiciam, omnia per aquam videntibus longe eſſe majora. Litteræ quamvis minutæ & obſcuræ, per vitream pilam aqua plenam majores clarioreſque cernuntur. Poma formoſiora quam ſint videntur, ſi innatant vitro. Sidera ampliora per nubem adſpicienti videntur: quia acies noſtra in humido labitur, nec apprehendere, quod vult, fideliter poteſt. Quod manifeſtum fiet, ſi poculum impleveris aqua, & in id conjeceris annulum. Nam cum in ipſo fundo jaceat annulus, facies ejus in ſummo aquæ redditur. Quidquid videtur per humorem, longe amplius vero eſt. Quid mirum, majorem reddi imaginem ſolis, quæ in nube humida viſitur, cum de cauſſis duabus hoc accidat? quia in nube eſt aliquid vitro ſimile, quod poteſt perlucere, eſt aliquid & aquæ: quam ſi nondum habet, tamen jam apparet ejus natura, in quam ex ſua vertatur.

CAP. VII. Quoniam, inquis, vitri feciſti mentionem, ex hoc ipſo contra te argumentum ſumam. [1] Virgula ſolet fieri vitrea, ſtricta, vel pluribus angulis in modum clavæ toroſa: hæc ſi ex tranſverſo ſolem accipit, colorem talem qualis in arcu videri ſolet, reddit: ut ſcias hic non imaginem ſolis eſſe, ſed coloris imitationem ex repercuſſu. In hoc argumento multa ſunt pro me. Primum, quod apparet quiddam læve eſſe debere, ſimile ſpeculo, quod ſolem reper-

CAP. VII. 1 *Virgula ſolet fieri vitrea, ſtricta*] Non capio, quid ſibi velit vox poſtrema. An mendum eſt, & reponendum, *ſtriata?* Videtur velle quod ſequitur: *totidem redderet ſoles, quot habuiſſet inſecturas.* Nam inſecturæ nihil aliud quam ſtriæ. Varro de re ruſtica, 1. cap. 29. *Qua aratrum vomere lacunam ſtriam ve fecit, ſulcus vocatur.* Certe & apud Appuleium lib. 11. legebatur, *ſquamea cervicu ſtricto tumere,* antequam viri docti reſtituerent, *ſtriato.* Gronovius.

Digitized by Google

repercutiat: deinde, quod apparet non fieri ullum colorem, ſed ſpeciem falſi coloris, qualem (ut dixi) columbarum cervix & ſumit & ponit, utcumque deflectitur. hoc autem & in ſpeculo eſt, cujus nullus videtur color, ſed ſimulatio quædam coloris alieni. Unum tamen hoc ſolvendum eſt, quod non viſitur in illa virgula ſolis imago, cujus bene exprimendæ capax non eſt. Ita conatur quidem reddere imaginem, quia lævis eſt materia, & ad hoc habilis: ſed non poteſt, quia enormiter facta eſt. Si apte fabricata foret, totidem redderet ſoles, quot habuiſſet inſecturas. Quæ quia non diſcernuntur inter ſe, non ſatis in vicem ſpeculi nitent: inchoant tantum imagines, nec exprimunt: & ob ipſam viciniam turbant, & in ſpeciem coloris unius adducunt.

CAP. VIII. At quare arcus non implet orbem, ſed dimidia pars ejus videtur, cum plurimum porrigitur, incurvaturque? Quidam ita opinantur. Sol cum ſit multo altior nubibus, à ſuperiore tantum illas percutit parte, ſequitur ut inferior pars earum non tangatur lumine. Ergo cum ab una parte ſolem accipiant, unam partem ejus tantum imitantur, quæ numquam dimidia major eſt. Hoc argumentum parum potens eſt. Quare? quia quamvis ſol à ſuperiori parte ſit, totam tamen percutit nubem. Ergo & tingit. Quid ni? cum radios tranſmittere ſoleat, & omnem denſitatem perrumpere. Deinde contrariam [1] rem propoſito ſuo dicunt. Nam ſi ſuperior eſt ſol, & ideo tantum ſuperiori parte nubium affunditur, numquam terra tenus deſcendit arcus. Atqui uſque in humum demittitur. Præterea numquam non contra ſolem eſt arcus. Nihil ad rem pertinet, ſupra infrave ſit: quia totum, quod contra eſt, latus verberatur. Deinde aliquando arcum & occidens facit,

CAP. VIII. *Rem propoſito ſuo dicunt*] Nihil agnoſco quod hi *dicant* contrarium ſibi. Forte: *Deinde contrariam rem propoſito ſuo vident*. Appello, inquit, ipſorum experientiam. Non vident enim arcum terratenus deſcendere? ſolem verberare latus nubium, quum fit arcus? arcum & ab occidente fieri? Atqui hæc propoſito illorum contraria ſunt. *Gronovius.*

cit, cum certe ex inferiore parte nubes ferit, terris propinquus. Atqui & tunc dimidia pars eſt, quamvis ſolem nubes ex humili & ſordido accipiant. Noſtri qui ſic in nube, quomodo in ſpeculo, lumen reddi volunt, nubem cavam faciunt, & ſectæ pilæ partem: quæ non poteſt totum orbem reddere, quia ipſa eſt pars orbis. Propoſito accedo, argumento non conſentio. Nam ſi in concavo ſpeculo tota facies oppoſiti orbis exprimitur, & in ſemiorbe nihil prohibet adſpici totam pilam. Etiamnum diximus circulos apparere ſoli lunæque in ſimilitudinem arcus circumdatos: quare in illis circulus jungitur, in arcu numquam? Deinde quare ſemper concavæ nubes ſolem accipiunt, nec aliquando planæ & tumentes? [2] Ariſtoteles ait, poſt autumnale æquinoctium, qualibet hora diei arcum fieri, æſtate non fieri, niſi aut incipiente aut inclinato jam die. Cujus rei cauſſa manifeſta eſt. Primum, quia medio die ſol calidiſſimus nubes evincit: nec poteſt ab his imaginem ſuam recipere, quas ſcindit. At matutino tempore, & vergens ad occaſum, minus virium habet: & ideo à nubibus & ſuſtineri & repercuti poteſt. Deinde cum arcum facere non ſoleat, niſi adverſus his, in quibus facit, nubibus: cum breviores dies ſunt, ſemper obliquus eſt. Itaque qualibet diei parte, etiam cum altiſſimus eſt, habet aliquas nubes, quas ex adverſo ferire poteſt. At temporibus æſtivis ſupra noſtrum verticem fertur. Itaque medio die excelſiſſimus terras rectiore adſpicit linea, quam ut ullis nubibus poſſit occurri. Omnes enim tunc ſub ſe habet.

Cap. IX. Nunc dicendum eſt de virgis, quas non minus pictas variaſque, & æque pluviarum ſigna ſolemus accipere. In quibus non multum operæ conſumendum eſt: quia virgæ nihil aliud quam imperfecti arcus ſunt. Nam facies quidem illis eſt picta, ſed nihil curvati habent. In rectum jacent. Fiunt autem juxta ſolem fere in nube humida,

2 *Ariſtoteles ait, poſt autumnale æquinoctium*] Vide Ariſtotelem capite 5. lib. 3 Meteorologicon. *Muretus.*

Cap.

mida, & jam ſe ſpargente. Itaque idem eſt in illis qui in arcu color, tantum figura mutatur: quia nubium quoque, in quibus extenduntur, alia eſt.

CAP. X. Similis varietas in coronis eſt: ſed hoc differunt, quod coronæ ubique fiunt, ubicumque ſidus eſt: arcus non niſi contra ſolem: virgæ non niſi in vicinia ſolis. Poſſum & hoc modo differentiam omnium reddere. Coronam ſi diviſeris, arcus erit: ſi direxeris, virga. In omnibus color multiplex eſt, ex cæruleo fulvoque varius. Virgæ ſoli tantum adjacent. Arcus ſolares lunareſque omnes ſunt. Coronæ omnium ſiderum.

CAP. XI. Aliud quoque virgarum genus apparet, cum radii per anguſta foramina nubium tenues, intenti diſtanteſque inter ſe diriguntur: & ipſi ſigna imbrium ſunt. Quomodo nunc me hoc loco geram? Quid eas vocem? imagines ſolis? Hiſtorici ſoles vocant, & binos ternoſque apparuiſſe memoriæ tradunt. Græci parelia appellant: quia in propinquo fere à ſole viſuntur, aut quia accedunt ad aliquam ſimilitudinem ſolis. Non enim totum imitantur, ſed imaginem ejus, figuramque. Ceterum nihil habent ardoris, hebetes ac languidi. His quod nomen imponimus? An facio quod Virgilius, qui dubitavit de nomine, deinde id de quo dubitaverat, poſuit?

—— & quo te nomine dicam,
Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.

Nihil ergo prohibet illas parelia vocari. Sunt autem imagines ſolis in nube ſpiſſa & vicina, in modum ſpeculi. Quidam parelion ita definiunt, Nubes rotunda, & ſplendida, ſimiliſque ſoli. Sequitur enim illum, nec unquam longius relinquit, quam fuit cum apparuerit. Numquis noſtrum miratur, ſi ſolis effigiem in aliquo fonte aut placido lacu vidit? Non, ut puto. Atqui tam in ſublimi facies ejus poteſt, quam inter nos, reddi: ſi modo idonea eſt materia, quæ reddat.

CAP. XII. Quoties defectionem ſolis volumus deprehendere,

Digitized by Google

hendere, ponimus pelves, quas aut oleo aut pice implemus: quia pinguis humor minus facile turbatur, & ideo quas recipit imagines, ſervat. Apparere autem imagines non poſſunt, niſi in liquido & immoto. Tunc ſolemus notare, quemadmodum ſe luna ſoli opponat, ut illum tanto majorem, ſubjecto corpore abſcondat, modo ex parte, ſi ita contigit, ut latus incurrerit, modo totum. Hæc dicitur perfecta defectio, quæ ſtellas quoque oſtendit, & intercipit lucem, tunc ſcilicet, cum uterque orbis ſub eodem libramento ſtetit. Quemadmodum ergo utriuſque imago in terris adſpici poteſt: ita in aëre, cum [1] ſit coactus aër & limpidus, conſtitit, ut faciem ſolis acciperet, quam & aliæ nubes accipiunt, ſed tranſmittunt, ſi aut mobiles ſunt, aut raræ, aut ſordidæ. Mobiles enim ſpargunt illam, raræ emittunt, ſordidæ turpeſque non ſentiunt, ſicut apud nos imaginem maculoſa non reddunt.

CAP. XIII. Solent & bina fieri parelia, eadem ratione. Quid enim impedit quo minus tot ſint, quo nubes fuerunt aptæ ad exhibendam effigiem ſolis? Quidam in illa ſententia ſunt, quotiens duo ſimulacra talia exſiſtunt, ut judicent, unum eſſe ſolis, alterum imaginis. Nam apud nos quoque cum plura ſpecula diſpoſita ſunt ita, ut alteri ſit conſpectus alterius, omnia implentur, & una imago à vero eſt, ceteræ imaginum effigies ſunt. Nihil enim refert quid ſit, quod ſpeculo oſtendatur. Quidquid enim videt, reddit. Ita illic quoque in ſublimi, ſi nubes fors aliqua diſpoſuit, ut inter ſe adſpiciant, altera nubes ſolis imaginem, altera imaginis reddit. Debent autem hæ nubes, quæ hoc præſtant, denſæ eſſe, læves, ſplendidæ, plane naturæ ſolis. Ob hoc omnia quæ hujuſmodi ſunt ſimulacra, candida ſunt, & ſimilia lunaribus circulis: quia ex percuſſu oblique accepto ſole reſplendent. Nam ſi infra ſolem nubes fuerit,

CAP. XII. 1 *Sit coactus aër & limpidus*] Lego: *cum ſic coactus aër.* Antea dixit *liquidum & immotum*, quem nunc *coactum & limpidum*. Gronovius.

CAP.

rit, & propior, ab eo diſſipatur: longe autem poſita radios non remittit, nec imaginem efficit. Quia apud nos quoque ſpecula cum à nobis procul abducta ſunt, faciem non reddunt, quia acies noſtra non habet uſque ad nos recurſum. Pluviarum autem & hi ſoles (utar enim hiſtorica lingua) indicia ſunt: utique ſi à parte Auſtri conſtiterunt: unde maximæ nubes ingraveſcunt: cum utrimque ſolem cinxit talis effigies, ([1] ſi Arato credimus) tempeſtas ſurgit.

CAP. XIV. Tempus eſt, alios quoque ignes percurrere, quorum diverſæ figuræ ſunt. Aliquando emicat ſtella, aliquando ardores ſunt, aliquando fixi & hærentes, nonnunquam volubiles. Horum plura genera conſpiciuntur. Sunt Bothynoë, cum velut corona cingente introrſus ingens cæli receſſus eſt ſimilis effoſſæ in orbem ſpeluncæ. [1] Sunt Pithiæ, cum magnitudo vaſti rotundique ignis dolio ſimilis, vel fertur, vel in uno loco flagrat. [2] Sunt Chaſmata, cum aliquod cæli ſpatium diſcedit, & flammam dehiſcens velut in abdito oſtentat. Colores quoque horum omnium plurimi ſunt. Quidam ruboris acerrimi, quidam evanidæ ac levis flammæ, quidam candidæ lucis, quidam micantes, quidam æqualiter & ſine eruptionibus aut radiis fulvi. Videmus ergo

Stellarum longos à tergo albeſcere tractus.

Hæ

CAP. XIII. 1 *Si Arato credimus*] Arati hac de re verſus hi ſunt:

Οὐ γὰρ τ' ἀμφοτέρωθεν ὁμῶ σφέι μίσγον ἔχωσιν
Ἠέλιον κεῖται περίλαι, σχεδὸν ὠκεανοῖο
Γίγνεται ἀμβολίη, διόθεν χειμῶνος ἰέντος. Muretus.

CAP. XIV. 1 *Sunt Pithya, cum magnitudo*] Aut *Titha aut Pithita* ſcripſiſſe Senecam veriſimile eſt: illo Græcus auctor & Appuleius de mundo; hoc Plinius, utuntur. Sic & cap. 15. velim: *Dubium, an inter hos ponantur trabes & pithita, raro viſi.* Hoc vult Pal. ms. arguens νοθείας τὰς, *quæ ſunt:* etſi ille etiam *raro viſæ.* Sed genus maſculinum eſt. *Gronovius.*

2 *Sunt Chaſmata*] Adducit hunc locum Senecæ Briſſonius lib. 3. de verbor. ſign. ideo interpretari Servium in 9 Æneid. *Chaſma diruptionem & cæli receſſum.* at apud J. C. *Chaſma hiatum terræ ſignificat, quo agri nonnunquam abſorbentur.* l. 47. §. ult. ff. de leg. 1. l. 4. §. 1. ff. de cenſibus. l. 10. ff. de peric. & commo. l. 11. §. ſi locupleti. ff. de minorib.

CAP.

Digitized by Google

Hæ velut ſtellæ exſiliunt & tranſvolant, videnturque longum ignem porrigere, propter immenſam celeritatem: cum acies noſtra non diſcernat tranſitum earum, ſed quacumque cucurrerunt, id totum igneum credat. Tanta enim eſt velocitas motus, ut partes ejus non diſpiciantur, ſed tantum ſumma prendatur. Intelligimus magis, qua appareat ſtella, quam qua eat. Itaque velut igne continuo totum iter ſignat: quia viſus noſtri tarditas non ſubſequitur momenta currentis, ſed videt ſimul & unde exſilierit, & quo pervenerit. Quod fit in fulmine, longus nobis videtur ignis ejus: quia cito ſpatium ſuum tranſilit, & oculis noſtris occurrit univerſum per quod dejectus eſt. At ille non eſt extenti corporis, per omne qua venit. Neque tam longa & extenuata in impetum valent. Quomodo ergo proſiliunt? Attritu aëris ignis incenſus, vento præceps impellitur: non ſemper tamen vento attrituve fit. Nonnumquam ex aliqua opportunitate aëris naſcitur. Multa enim ſunt in ſublimi ſicca, calida, terrena, inter quæ oritur, & pabulum ſuum ſubſequens defluit, ideoque velociter rapitur. At quare color diverſus eſt? Quia refert, quale ſit id quod incenditur, & quam vehemens quo incenditur. Ventum autem ſignificat ejuſmodi lapſus, & quidem ab ea parte qua erumpit.

CAP. XV. Fulgores, inquis, quomodo fiunt, quos Græci Sela appellant? Multis, ut aiunt, modis. Poteſt illos ventorum vis edere, poteſt ſuperioris cæli fervor. Nam cum late fuſus ſit ignis, inferiora aliquando, ſi ſunt idonea accendi, corripit. Poteſt ſtellarum motus curſu ſuo excitare ignem, & in ſubjecta tranſmittere. Quid porro? non poteſt fieri ut aër vim igneam uſque in æthera elidat, ex qua fulgor ardorve ſit ſtellæ, vel ſimilis excurſus? Ex his fulgoribus quædam in præceps eunt, ſimilia proſilientibus ſtellis: quædam certo loco permanent, & tantum lucis emittunt, ut fugent tenebras, & diem repræſentent, donec conſumpto alimento, primum obſcuriora ſint, deinde flammæ

modo,

modo, quæ in ſe cadit, per aſſiduam diminutionem redigantur in nihilum. Ex his quædam in nubibus apparent, quædam ſupra nubes, cum aër ſpiſſus ignem, quem propior terris diu paverat, uſque in ſidera expreſſit. Horum aliqua non patiuntur moram, ſed tranſcurrunt aut exſtinguuntur ſubinde qua reluxerant. Hi fulgores dicuntur: quia brevis facies illorum & caduca eſt; nec ſine injuria decidens: ſæpe enim fulminum noxas ediderunt. Ab his tecta videmus icta ſine fulmine, quæ Aſtrapoplecta Græci vocant. At quibus longior mora & fortior ignis eſt, motumque cæli ſequens, aut proprios curſus agunt, Cometas noſtri putant: de quibus dicendum eſt. Horum genera ſunt pogoniæ, lampades, & cypapariſſiæ, & alia omnia: quorum ignis in exitu ſparſus eſt. Dubium, an inter hos ponantur trabes, & pithiæ, quæ raro ſunt viſæ. Multa enim conglobatione ignium ſe conjungens illorum orbis aliquanto matutini amplitudinem ſolis exſuperat. Inter hæc ponas licet, & quod frequenter in hiſtoriis legimus, cælum ardere viſum: cujus nonnumquam tam ſublimis ardor eſt, ut inter ipſa ſidera videatur: nonnumquam tam humilis, ut ſpeciem longinqui incendii præbeat. Sub Tiberio Cæſare, cohortes in auxilium Oſtienſis coloniæ cucurrerunt, tamquam conflagrantis: cum cæli ardor fuiſſet per magnam partem noctis, parum lucidus, craſſi fumidique ignis. De his nemo dubitat quin habeant flammam quam oſtendunt: certa illis ſubſtantia eſt. De prioribus quæritur, de arcu dico & coronis, an decipiant aciem, & mendacio conſtent: an illis quoque verum ſit quod apparet. Nobis non placet, in arcu aut coronis ſubeſſe aliquid corporis certi: nihil enim judicamus in ſpeculis, niſi fallaciam eſſe, nihil aliud quam alienum corpus mentientibus. Non enim eſt in ſpeculo, quod oſtenditur. Alioquin non exiret, nec alia protinus imagine obduceretur: nec innumerabiles modo interirent, modo exciperentur formæ. Quid ergo? Simulacra iſta ſunt, & inanis verorum corporum imitatio: ſuntque

que iſta à quibuſdam ita compoſita, ut poſſint detorquere in pravum. Nam (ut dixi) ſunt ſpecula, quæ faciem proſpicientium obliquent: ſunt, quæ in infinitum augeant, & humanum habitum excedant, modumque noſtrorum corporum.

Cap. XVI. Hoc loco volo tibi narrare fabellam, ut intelligas, quam nullum inſtrumentum irritandæ voluptatis libido contemnat, & ingenioſa ſit ad incitandum furorem ſuum. Hoſtius quidam fuit [1] obſcœnitatis uſque in ſcenam productæ. Hunc divitem avarum, ſeſtertii millies ſervum, divus Auguſtus indignum vindicta judicavit, cum à ſervis occiſus eſſet: [2] & tamen non pronuntiavit jure cæſum videri. Non erat ille tantummodo ab uno ſexu impurus, ſed tam virorum quam feminarum avidus fuit. Fecitque ſpecula ejus notæ, cujus modo retuli, imagines longe majo-

Cap. XVI. 1 *Obſcœnitatis uſque in ſcenam producta*] Par obſcœnitati ſcenicæ aut theatrali, interpretatur Fromondus. Immo longe major. Nec hoc dicit Seneca. Ad infamiam & notitiam publicam potius quam ad rei modum hæc verba pertinent. Videlicet adeo notæ, ut impune hiſtrionum & mimorum dictis traduceretur. *Seſtertii millies ſervum* ſtatim legendum eſſe ſatis nuper probavimus. Errore calculi labitur Fromondus, *millies ſeſtertium* faciendo ſex millionum ac præterea ducentorum quinquaginta millium florenorum Belgicorum: id enim eſſet *bis millies quadringenties quadragies*: eſt autem illud vicies quinquies centenum millium Philippum ſeu ſcutatorum, vel duorum ſemi millionum. Nam ſcriptores de re nummaria millionem fere accipiunt, ut Itali, pro ſcutatorum decies, florenorum tricies centenis millibus. Ille millionem poſuit, pro decies centenis millibus florenorum: quaſi eſſent 6250000 flor. cum ſunt 7500000. Statim lege omnino cum amico Gruteri: *& tantum non pronuntiavit jure cæſum videri.* non *tamen*, quod ille perperam mavult. Dicit enim parum abfuiſſe, quin ita pronuntiaret. Improbavit enim exemplum: hominem merito periiſſe cenſuit, quia non vindicavit. *Gronovius.*

2 *Et tamen non pronuntiavit jure cæſum videri*] Notanda cum Cujacio (lib. 3 Obſerv. cap. 26.) veterum judicum in cognitionibus modeſtia, qui etiam ea quæ jurati cognoviſſent, non eſſe facta, ſed *videri* pronuntiarent. cujus moris exempla ex l. Divi. §. recte. & §. quod ſi ex ſervitute. ff. de lib. cauſ. l. qui tamen. §. ſi arbiter. ff. de recept. arbit. ut etiam ex aliis pluribus auctoribus colligi poteſt. Interim notandum de cæde facta, ita ſecundum reum pronuntiari ſolitum, *jure cæſum videri* eum, qui cæſus erat. Sidonius Apollin. lib. 3. Epiſt. ad Secundum: *Cum nihil amplius ego quam veniam poſtularem, pronuntians more majorum, reos tantæ temeritatis jure cæſos videri.* Tacit. lib. 4 Annal. *pronuntiemus ultro jure cæſum videri.* plura exempla vide apud Briſſonium lib. 5 de Formulis.

3 *Bra-*

Digitized by Google

majores reddentia, in quibus digitus [3] brachii menſuram & longitudine & craſſitudine excederet. Hæc autem ita diſponebat, ut cum virum ipſe pateretur, averſus omnes admiſſarii ſui motus in ſpeculo videret, ac deinde falſa magnitudine ipſius membri tamquam vera gauderet. In omnibus quidem balneis agebat ille dilectum [4] & aperta menſura legebat viros: ſed nihilominus mendaciis quoque inſatiabile malum delectabat. I nunc, & dic, ſpeculum munditiarum cauſſa repertum. Fœda dictu ſunt, quæ portentum illud lacerandum ore ſuo dixerit, feceritque, cum illi ſpecula ab omni parte opponerentur, ut ipſe flagitiorum ſuorum ſpectator eſſet: & quæ ſecreta quoque conſcientia premuntur, & quæ accuſatus quiſque feciſſe ſe negat, non in os tantum, ſed in oculos ſuos ingereret. At hercules ſcelera conſpectum ſuum reformidant. In perditis quoque, & ad omne dedecus expoſitis, tenerrima eſt oculorum verecundia. Ille autem, quaſi parum eſſet, inaudita & incognita pati, oculos ſuos ad illa advocavit: nec quantum peccabat videre contentus, ſpecula ſibi per quæ flagitia ſua divideret, diſponeretque, circumdedit: & quia non tam diligenter intueri poterat, cum compreſſus erat, & caput merſerat, inguinibuſque alienis obhæſerat, opus ſibi ſuum per imagines offerebat. Speculabatur illam libidinem oris ſui, ſpectabat ſibi admiſſos pariter in omnia viros. Nonnunquam inter marem & feminam diſtributus, & toto corpore patientiæ expoſitus, ſpectabat nefanda. Quidnam homo impurus reliquit, quod in tenebris faceret? Non pertimuit diem, ſed ipſos

3 *Brachii menſuram & longitudine & craſſitudine excederet*] Verba *& craſſitudine* una litera amplius exhibuit unicus tantum Pal. cæteri, Eraſmi, Opſopœi, Gruteri, illis carent. Nihilominus Gruterus ejecerit potius, *& longitudinem*. Britannicus quoque noſter, *longitudinem*, habet; prædictiſque, ut cæteri, deficitur. Lege: *in quibus digitus brachii menſuram & longitudine excederet*. Sic enim facile dat intelligi auctor: non tantum craſſitudine. Mox quod pro *aperta menſura* Schottus legebat *apta*, confirmatur à Britannico codice. *Gronovius*.

4 *Et aperta menſura legebat viros*] Schottus *apta*, Obſerv. 5, 35. Malim: *& ad certam menſuram*. Juvenalis: *ad menſuram inguinis hartis*. Idem.

5 *Con-*

ipſos concubitus portentoſos ſibi ipſe oſtendit, ſibi ipſe approbavit. Quid? non putas, eo ipſo habitu voluiſſe pingi? Eſt aliqua etiam proſtitutis modeſtia: & illa corpora, publico objecta ludibrio, aliquid, quo infelix patientia lateat, obtendunt: adeo quodammodo lupanar quoque verecundum eſt. At illud monſtrum obſcœnitatem ſuam, ſpectaculum fecerat, & ea ſibi oſtentabat, quibus abſcondendis nulla ſatis alta nox eſt. Simul, inquit, & virum & feminam patior: nihilominus illa quoque ſupervacua mihi parte, alicujus [5] contumelia marem exerceo. Omnia membra ſtupris occupata ſunt. Oculi quoque in partem libidinis veniant, & teſtes ejus exactoreſque ſint. Etiam ea quæ ab aſpectu corporis noſtri poſitio ſubmovit, arte viſantur, ne quis me putet neſcire, quid faciam. Nihil egit natura, quod humanæ libidini miniſteria tam maligna dedit, quod aliorum animalium concubitus melius inſtruxit. Inveniam, quemadmodum morbo meo imponam & ſatisfaciam. [6] Quo nequitiam meam, ſi ad naturæ modum pecco? Id genus ſpeculorum circumponam mihi, quod incredibilem imaginum magnitudinem reddat. Si liceret mihi, ad verum iſta perducerem: quia non licet, mendacio

5 *Contumelia marem exerceo*] Gol. *majorem.* Lege: *nihilominus illa quoque ſupervacua mihi parte alioqui contumeliam majorem exerceo.* Putabat enim ſupervacaneam, niſi ſic illa quoque uteretur homo deteſtabilis. *Gronovius.*

6 *Quo nequitiam meam, ſi*] Fortunatus & Gruterus malunt cum quibuſdam codd. *Quo nequitia mea.* Alterum illud longe elegantius. Ovidius l. 2. Amor. eleg. 19. *Quo mihi fortunam, quæ nunquam fallere curet?* ita legendum è mss. non *Quo fortuna mihi.* Et lib. 3. eleg. 4. *Quo tibi formoſam, ſi non niſi caſta placebat?* Et ſic meliores libri, neque audimus alios. Valerius Maximus, 9, 13. *Quo tam late patens imperium? quo tantum liberorum numerum? quo denique tam arcta benevolentia conſtrictam Romanorum amicitiam?* Juvenalis Sat. 8. *Quo mihi te ſolitum falſas ſignare tabellas In templis, quæ fecit avus?* Idem Sat. 14. *Sed quo divitias hac per tormenta coactas?* Martialis lib. 5. epigr. 53. *Quo tibi vel Nioben, Baſſe, vel Andromachen?* Sic optimi libri, & Gruterus; vellemque ſecutus eſſet Farnabius. Noſter de Tranquill. animi, cap. 9. *Quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum dominus vix tota vita ſua indices legit?* Hoc opere lib. 3. cap. 18. *Quo coctum piſcem? quo exanimem? in ipſo ferculo exſpiret.* Sic enim bonæ membranæ: & intellexerunt docti viri: ſed nos primi reſtituimus. *Idem.*

Cap.

cio paſcar. Obſcœnitas mea, plus quam capit, videat, & patientiam ſuam ipſa miretur. Facinus indignum. Hic forte ſſe cito, & antequam videret, occiſus eſt. Ad ſpeculum ſuum immolandus fuit.

CAP. XVII. Derideantur nunc philoſophi, quod de ſpeculi natura diſſerant, quod inquirant, quid ita facies noſtra nobis, & quidem in nos obverſa, reddatur. Quid ſibi rerum natura voluit, quod cum vera corpora dediſſet, etiam ſimulacra eorum adſpici voluit. Quorſus pertinuerit, hanc comparare materiam, excipiendarum imaginum potentem. Non in hoc ſcilicet, ut ad ſpeculum barbam faciemque velleremus, aut ut faciem viri poliremus. In nulla re illa negotium luxuriæ conceſſit: ſed primum omnium, quia imbecilli oculi ad ſuſtinendum cominus ſolem, ignoraturi erant formam ejus, hebetato illum lumine oſtendit. Quamvis enim eum orientem occidentemque contemplari liceat: tamen habitum ejus, ipſum qui verus eſt, non rubentis, ſed candida luce fulgentis, neſciremus, niſi in aliquo nobis humore lævior & adſpici facilior occurreret. Præterea duorum ſiderum occurſum, [1] Quo interpolari dies ſolet, non videremus, nec ſcire poſſemus, quid eſſet, niſi liberius humi ſolis lunæque imagines videremus. Inventa ſunt ſpecula, ut homo ipſe ſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta: primo ſui notitia, deinde & ad quædam conſilium. Formoſus, ut vitaret infamiam: deformis, ut ſciret redimendum eſſe virtutibus, quidquid corpori deeſſet: juvenis, ut flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi: ſenex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, noſmetipſos videndi. Fons cuique perlucidus aut læve ſaxum imaginem reddit.

Nuper

CAP. XVII. 1 *Quo interpolari dies*] Scribendum eſſe, *interpellari*, multis alibi probamus. *Gronovius.*

—— Nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis ſtaret mare: ——

Qualem fuiſſe cultum putas ad hoc ſpeculum ſe comentium? Ætas illa ſimplicior, & fortuitis contenta nondum in vitium beneficium detorquebat, nec inventum naturæ in libidinem luxumque rapiebat. Primo faciem ſuam cuique caſus oſtendit: deinde cum inſitus ſui mortalibus amor, dulcem adſpectum formæ ſuæ faceret, ſæpius ea deſpexere, in quibus prius effigies ſuas viderant. Poſtquam deterior populus ipſas ſubiit terras, effoſſurus obruenda, ferrum primo in uſu fuit, & id homines impune eruerant, ſi ſolum eruiſſent. Tunc demum alia terræ mala, quorum lævitas aliud agentibus ſpeciem ſuam obtulit, quam hic in poculo, ille in ære ad alios uſus comparato vidit. & mox proprius huic miniſterio præparatus eſt orbis: nondum argenti nitor, ſed fragilis viliſque materia. Tunc quoque cum antiqui illi viri incondite viverent, ſatis nitidi, ſi ſqualorem opere collectum adverſo flumine eluerent, cura comere capillum fuit, ac prominentem barbam depectere: & in hac re quiſque ſibi, alterique operam dabat invicem. Conjugum quidem manu crinis ille, quem effundere olim mos viris fuit, attrectabatur: ſed illum ſibi ſine ullo artifice formoſi quatiebant, non aliter quam jubam generoſa animalia. Poſtea rerum jam potiente luxuria, ſpecula totis paria corporibus auro argentoque cælata ſunt, denique gemmis adornata: & pluris unum ex his feminæ conſtitit, quam antiquarum dos fuit illa, quæ publice dabatur imperatorum pauperum filiabus. An tu exiſtimas, ex auro nitidum habuiſſe Scipionis filias ſpeculum, cum illis dos fuiſſet æs grave? O paupertas felix, quæ tanto titulo locum fecit! Non feciſſet illis Senatus dotem, ſi habuiſſent. At quiſquis ille fuit, cui ſoceri loco ſenatus fuit, intellexit, ſe accepiſſe dotem, quam fas non eſſet reddere. Jam libertinorum virgunculis

Digitized by Google

culis in unum ſpeculum non ſufficit illa dos, quam dedit ſenatus pro Scipione. Proceſſit enim immodeſtius, paulatim opibus ipſis invitata luxuria: & incrementum ingens vitia acceperunt. Adeoque omnia indiſcreta ſunt perverſiſſimis artibus, ut quidquid mundus muliebris vocabatur, ſarcinæ viriles ſint: minus dico, etiam militares. Jam ſpeculum ornatus tantum cauſſa adhibitum, nulli non vitio neceſſarium factum eſt.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

DOctrinam rei naturalis, in eam quæ cæleſtia, meteora, & terrena pertractat, partitur. De aëre aliquid præmittit, quia meteororum & omnium ſublimium locus communis eſt. Eum ex diſtantibus corpuſculis, ut pulverem, conſtructum non eſſe. Diviſio ejus in tres regiones. In aëre, fulgura, fulmina, tonitrua concipi. Anaxagoras refutatus, qui fulmina credit ſiderum emunctiones & diſtillationes eſſe. Ariſtotele etiam, Anaximene, Anaximandro, Diogene Apolloniate rejectis, ſuſtinet nubium colliſione fieri & elidi: maximam tamen eorum vim penes ſidera eſſe, quorum ingens, ait, & confeſſa potentia eſt. Vi ſubterranei ignis, inſulam majorum ævo in mari Ægeo, & alteram ſua memoria enatam eſſe. Tonitruorum & fulminum diviſiones, tam ex phyſica ratione, quam vana diſciplina Thuſcorum. Fulminum & auguriorum ſignificationes non averti ſacrificiis, ſed hæc ægra mentis ſolatia eſſe. fata enim nulla prece aut miſericordia commoveri: quædam tamen à Diis immortalibus ita ſuſpenſa relicta eſſe, ut in bonum vertant, ſi admota Diis preces fuerint, ſi vota ſuſcepta. Quia vero melius fulmina non timere, quam noſſe, ad contemptum fulminum & mortis digreditur. Hanc qui non timet, nec fulmina, nec naufragia, nec bella, nec feras metuet. Mortem autem cur tantopere metuamus? Omnes ad eam proditi ſumus, & melius eſt ultroneum ire, quam invitum trahi.

CAPUT I.

OMnis de univerſo quæſtio in cæleſtia, ſublimia, & terrena dividitur. Prima pars naturam ſiderum ſcrutatur, & magnitudinem, & formam ignium quibus mundus includitur: [1] ſolidum ne ſit cælum, ac firmæ concretæque materiæ, an ex ſubtili tenuique nexum: agatur, an agat: & infra ſe ſidera habeat, an in contextu ſui fixa: [2] quemadmodum ſol anni vices ſervet: an retro flectat: cetera deinceps his ſimilia. Secunda pars tractat inter cælum terramque verſantia. Hæc ſunt nubila, imbres, nives, & humanas motura tonitrua mentes: quæcumque aër facit patiturve. Hæc ſublimia dicimus, quia editiora imis ſunt. Tertia illa pars de agris, terris, arbuſtis, ſatis quærit, & (ut Juriſconſultorum verbo utar) de omnibus quæ ſolo continentur. Quomodo, inquis, de terrarum motu quæſtionem eo poſuiſti loco, quo de tonitruis fulgoribuſque dicturus? Quia cum motus terræ fiat ſpiritu, ſpiritus autem ſit aër agitatus, & ſi ſubeat terras, non ibi ſpectandus eſt: cogitetur in ea ſede, in qua illum natura diſpoſuit. Dicam quod magis videbitur mirum: inter cæleſtia & de terra dicendum erit. Quare? inquis. quia cum propria terræ excutimus ſuo loco, utrum lata ſit & inæqualis, & enormiter projecta, an tota in formam pilæ ſpectet, & in orbem partes ſuas cogat, alliget aquas, an aquis alligetur ipſa: animal ſit an iners corpus, & ſine ſenſu, plenum quidem ſpiritus, ſed alieni; & cetera hujuſmodi quotiens in manus venerint, terram

CAP. I. Diſputaturus de fulguratione, tonitruo, fulmine, terræmotu, quædam de vi & poteſtate aëris ei diſputationi neceſſaria præmunit. *Muretus.*

1 *Solidumne ſit cælum*] Ut ſignificat Homerus, cum illud aheneum eſſe dicit. *Idem.*

2 *Quemadmodum ſol anni vices ſervet*] Eſt Mureti, ſed nihilo melius vulgata: *quemadmodum anni vices ſervet ſolem.* Quam etiam firmant mss. Sed una litera ſuperflua eſt. Scribendum: *quemadmodum anni vice ſervet ſolem, an retro flectat.* Nempe cælum, quod in ſuperioribus etiam intelligitur. *Flectit*, ubi pervenit ad tropicos. *Gronovius.*

ram ſequentur, & in imis collocabuntur. At ubi quæretur, quis terræ ſit ſitus, qua parte mundi ſubſederit, quomodo adverſus ſidera cælumque poſita ſit, hæc quæſtio cedit ſuperioribus, & (ut ita dicam) meliorem conditionem ſequitur.

CAP. II. Quoniam dixi de partibus, in quas omnis rerum naturæ materia dividitur, quædam in commune ſunt dicenda, & hoc primum præſumendum, inter ea corpora, à quibus unitas eſt, aëra eſſe. Quid ſit hoc & quare præcipiendum fuerit, ſcies, ſi paulo altius repetiero, & dixero [1] aliquid eſſe continuum, aliquid commiſſum. Continuatio eſt partium inter ſe non intermiſſa conjunctio. Unitas eſt ſine commiſſura continuatio, & duorum inter ſe conjunctorum corporum tactus. Numquid dubium eſt, quin ex his corporibus quæ videmus tractamuſque, quæ aut ſentiuntur aut ſentiunt, quædam ſint compoſita? Illa conſtant aut nexu, aut acervatione: ut puta funis, frumentum, navis. Rurſus non compoſita: ut arbor, lapis. Ergo concedas oportet, ex his quoque quæ ſenſum quidem effugiunt, ceterum ratione prenduntur, eſſe in quibuſdam unitatem corporum. Vide, quomodo auribus tuis parcam. Expedire me poteram, ſi philoſophorum lingua uti voluiſſem, ut dicerem unita corpora: hoc cum tibi remittam, tu invicem mihi refer gratiam. Quare iſtud? ſi quando dixero unum, memineris me non ad numerum referre, ſed ad naturam corporis, nulla ope externa, ſed unitate ſua cohærentis. Ex hac nota corporum aër eſt.

CAP. III. Omnia quæ in notitiam noſtram cadere poſſunt, mundus complectitur. Ex his quædam ſunt partes, quædam materiæ loco relicta. Deſiderat omnis natura materiam, ſicut ars omnis quæ manu conſtat. Quid, ſi hoc apertius faciam? Pars eſt noſtri, manus, oſſa, nervi, oculi:

CAP. II. *Aliquid eſſe continuum, aliquid commiſſum*] Ex hac Stoïcorum diſciplina ſumpta ſunt, quæ diſputantur à Pomponio in l. Rerum mixtura. D. de uſurp. & uſucapionibus. *Muretus.*

CAP.

oculi: materia, ſuccus retenti cibi iturus in partes. Rurſus, quaſi pars noſtri eſt ſanguis: qui tamen & materia eſt. Præparat enim & alia: & nihilominus in numero eſt eorum, quibus totum corpus efficitur.

CAP. IV. Sic mundi pars eſt aër, & quidem neceſſaria. hic eſt enim qui cælum terramque connectit, qui ima ac ſumma ſic ſeparat, ut tamen jungat. Separat, quia medius intervenit: jungit, quia utrique per hoc inter ſe conſenſus eſt. Supra ſe dat, quidquid accipit à terris. Rurſus vim ſiderum in terrena transfundit. Quam ſic partem mundi voco, ut animalia & arbuſta. Nam genus animalium arbuſtorumque, pars eſt univerſi: quia in conſummationem totius aſſumptum: & quia non eſt ſine hoc univerſum. Unum autem animal, & una arbor, quaſi pars eſt: quia quamvis perierit, tamen id ex quo perit, totum eſt. Aër autem, ut dicebam, & cælo & terris cohæret. Utrique innatus eſt. Habet autem unitatem, quidquid alicujus rei nativa pars eſt. Nihil enim naſcitur ſine unitate.

CAP. V. Terra & pars eſt mundi, & materia. Pars quare ſit, non puto te interrogaturum, aut æque interroges, quare cælum pars ſit: quia ſcilicet non magis ſine hoc, quam ſine illa univerſum eſſe poteſt, quod cum his univerſum eſt, ex quibus, id eſt, tam ex illo, quam ex iſta, alimenta omnibus animalibus, omnibus ſatis, omnibus ſtellis dividuntur. Hinc quidquid eſt virium ſingulis, hinc ipſi mundo tam multa poſcenti ſubminiſtratur: hinc profertur quo ſuſtineantur tot ſidera, tam exercitata, tam avida, per diem noctemque, ut in opere, ita & in paſtu. Et omnium quidem rerum natura, quantum in nutrimentum ſui ſatis ſit, apprehendit. Mundus autem, quantum in æternum deſiderabat, invaſit. Puſillum tibi exemplum magnæ rei ponam. Ova tantum complectuntur humoris, quantum ad effectum animalis exituri ſatis eſt.

CAP. VI. Aër continuus terræ eſt, & ſic appoſitus, ut ſtatim ibi futurus ſit, unde illa diſceſſit. Pars eſt totius

Digitized by Google

mundi: ſed idem tamen, [1] quidquid terra in alimentum miſit, recipit: ut ſcilicet materia, non pars intelligi debeat. Ex hoc omnis inconſtantia tumultuſque eſt. Hunc quidam ex diſtantibus corpuſculis, [2] ut pulverem ſtruunt, plurimumque à vero recedunt. Numquam enim contexti niſi per unitatem corporis niſus eſt, cum partes conſentire ad intenſionem debeant, & conferre vires. Aër autem, ſi in atomos inciditur, ſparſus eſt. Teneri vero disjecta non poſſunt. Intenſionem aëris oſtendent tibi inflata, nec ad ictum cedentia. Oſtendent pondera, per magnum ſpatium ablata, geſtante vento. Oſtendent voces, quæ remiſſæ clatæque ſunt, prout aër ſe concitavit. Quid enim eſt vox, niſi intenſio aëris, ut audiatur, linguæ formata percuſſu? Quid curſus & motus omnis, nonne intenti ſpiritus opera ſunt? Hic facit vim nervis, & velocitatem currentibus. Hic cum vehementer concitatus ipſe ſe torſit, arbuſta ſilvaſque convellit, & ædificia tota corripiens in altum frangit. Hic mare per ſe languidum & jacens incitat. Ad minora veniamus. Quis enim ſine intenſione ſpiritus cantus eſt? cornua & tubæ, & ea quæ aliqua preſſura majorem ſonitum reddunt, quam qui ore reddi poteſt, nonne aëris intenſione partes ſuas explicant? Conſideremus quam ingentem vim per occultum agant parvula admodum ſemina: & quorum exilitas in commiſſura [3] lapidum locum invenit, in

CAP. VI. *Quicquid terra in alimentum miſit*] Satis bono, ut videtur, ſenſu, de quovis terræ proventu poteſt accipi: omnes enim aër recipit. Sed tamen membranæ Britannicæ ſtrictius faciunt: *quicquid terra in alimentum cæleſtium miſit*. Non, quaſi non & cætera, ſed quod, ut hujus potiſſimum mentionem faceret, præſens materia requirebat. Confirmatur his verbis capite præcedente: *Supra ſe dat, quicquid accipit à terris: rurſus vim ſiderum in terrena transfundit*. Sed & mox ſequentibus: *Ex hoc omnis inconſtantia ejus tumultuſque eſt*. Ita auctiores voce *ejus* eædem præſtantes membranæ. Non ex quovis alimento è terra proveniente tumultus & varietas aëris, ſed ex illo quod cæleſtia paſcit, nimirum vaporibus. *Gronovius*.

2 *Ut pulverem ſtruunt*] Fortunati codices, Palatini, Britannicus, Veneta editio Eraſinique: *ferunt*. Lege *terunt*. hoc eſt, minutiſſime tritum & friabilem eſſe ſentiunt. *Idem*.

3 *Lapidum vix inveniat*] Mureti τὸ *vix & inveniat*: altero carent mss. pro altero *invenit*. Lege: *quam ingentem vim per occultum agant parvula admodum ſemina: & quorum exilitas in commiſſura*

in tantum convaleſcunt, ut ingentia ſaxa diſtrahant, & monumenta diſſolvant, ſcopulos rupeſque, radices minutiſſimæ, ac tenuiſſimæ. Hoc quid eſt aliud, quam intenſio ſpiritus, ſine qua nil validum, & contra quam nil validius eſt? Eſſe autem unitatem in aëre, vel ex hoc intelligi poteſt, quod corpora noſtra inter ſe cohærent. Quid enim aliud eſt quod tenet ea, quam ſpiritus? Quid eſt aliud quo animus noſter agitetur? Quis eſt illæ motus, niſi intenſio? Quæ intenſio, niſi ex unitate? Quæ unitas, niſi hæc eſſet in aëre? quid autem aliud producit fruges & ſegetem imbecillam, ac virentes erigit arbores, ac diſtendit in ramos, aut in altum erigit, quam ſpiritus intenſio & unitas?

CAP. VII. Quidam aëra diſcerpunt, & in particulas diducunt, ita ut illi inane permiſceant. Argumentum autem exiſtimant non pleni corporis, ſed multum vacui habentis, quod avibus in illo tam facilis motus, quod maximis minimiſque per illum tranſcurſus eſt. Sed falluntur. Nam aquarum quoque ſimilis facilitas eſt, nec de unitate illarum dubium eſt, quæ ſic corpora accipiunt, ut ſemper in contrarium acceptis refluant. Hanc noſtri circumſtantiam, Græci autem ἀντίστασιν appellant, quæ in aëre quoque ſicut in aqua fit. Circumſtat enim omne corpus à quo impellitur. Nihil autem opus erit inani admiſto. Sed hoc alias.

CAP. VIII. Nunc autem eſſe quamdam in rerum natura vehementiam, magni impetus, eſt colligendum. Nihil enim non intenſione vehementius eſt: [1] & tam mehercule

ſura lapidum locum invenit, in tantum convaleſcunt, ut ingentia ſaxa diſtrahant & monumenta diſſolvant. Gronovius.

CAP. VIII. 1 *Et tamen mehercules per aliud*] Pal. & exemplar Brit. Eraſmi: *& tam mehercule quam nihil intendi ab alio poterit.* Optime, & ex Senecæ more. Sic lib. 2, 6. de clementia: *Imbecilles oculos eſſe ſcias, qui ad alienam lippitudinem & ipſi ſuffunduntur: tam mehercule quam morbum eſſe, non hilaritatem, ſemper arridere ridentibus.* Epiſt. 90. *Hominis enim non ſapientis inventa ſunt: tam mehercules quam navigia* &c. M. Seneca Controv. 27. *Neceſſe fuit patrem cadere, tam Hercules, quam neceſſe fuit ſpoliare templa, virgines rapere.* Dialogus de cauſſis corr. eloq. *imagines ac tituli & ſtatuæ, quæ neque ipſa tamen negliguntur, tam Hercule, quam*

 divitiæ

cule quam nihil intendi ab alio poterit, niſi per ſemetipſum fuerit intentum. Dicimus enim, eodem modo non poſſe quidquam ab alio moveri, niſi aliquid fuerit mobile ex ſemetipſo. Quid autem eſt, quod magis credatur ex ſemetipſo habere intenſionem, quam ſpiritus? Hunc intendi quis negabit, cum viderit jactari terram cum montibus, ² tecta, muroſque plures, & magnas cum populis urbes, cum totis maria littoribus? Oſtendit intenſionem ſpiritus, velocitas ejus & diductio. Oculus ſtatim per multa millia aciem ſuam intendit: vox una totas urbes ſimul percutit: lumen non paulatim prorepit, ſed ſemel univerſis infunditur rebus.

Cap. IX. Aqua autem ſine ſpiritu quemadmodum poſſet intendi? Numquid dubitas, ¹ quin ſparſio illa quæ ex fundamentis mediæ arenæ creſcens in ſummam altitudinem amphitheatri pervenit, cum intenſione aquæ fiat? Atqui nec tolleno magis, nec ullum aliud tormentum aquam

divitiæ & opes. Plinius lib. 7. cap. 39. *ſed hoc pretium belli, non hominis fuit, tam Hercules, quam libidinis, non formæ.* Noſter de Provident. cap. 3. *Hoc quoque patieris probari tibi, quædam incommoda pro his eſſe, quibus accidunt: tam mehercules, quam quædam, quæ laudantur & appetuntur, contra eos eſſe, quos delectaverunt.* Sed & ante duo Gruteri, & omnes Fortunati cum Britannico: *nihil enim non intenſione.* Gronovius.

2 *Tecta muroſque plures & magnas*] Vox *plures* hic turbat & cenſet Opſopœus copulandam potius cum nomine *urbes*, ſicuti factum in Manutii & Eraſmi editionibus. Videtur legendum: *tecta muroſque & turres & magnas cum populis urbes.* Idem.

Cap. IX. 1 *Quin ſparſio illa quæ* &c.] Nempe tubi ſeu fiſtulæ in imo & ſummo theatro diſpoſitæ erant, ea arte & fine, ut odoratum quendam odorem ejacularentur leviter, & inſpergerent in ſedentes. is humore *croco* plerunque. Senecæ Epiſt. 90. *Utrum tandem ſapientiorem putas, qui invenit quemadmodum in immenſam altitudinem crocum latentibus fiſtulis exprimat?* Apuleius lib. 10 Metamorph. *ſparſionem* illam vocat *odoratum imbrem.* quia è fiſtulis ſtillabat per minuta quædam foramina is liquor in modum imbris. Nec è fiſtulis ſolum hic imber, ſed è *ſtatuis* etiam expreſſus, velut humanus quidam ſudor. Lucanus hoc clare indicat:

Utque ſolet pariter totis ſe effundere ſignis
Corycii preſſura croci; ſic omnia membra
Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus.

Fluxiſſe eum per gradus Spartianus in Hadriano teſtatur: *In honorem Traiani balſama & crocum per gradus fluere juſſit.* ubi de *balſamo* item notabis, etſi minus id crebrum. Vide hac de re Lipſium lib. de Amphith. cap. 16. Brodæum lib. 5. c. 6. Miſcell. Scaligerum ad lib. 1. Propertii, Torrentium ad Suetonii Neronem, & Marcilium ad Epigram. 2. lib. 11. Martial.

Cap.

Digitized by Google

aquam poterit mittere aut agere, quam ſpiritus. Huic ſe commodat: hoc inſerto & cogente attollitur, & contra naturam ſuam multa conatur, & aſcendit, nata defluere. Quid navigia ſarcina depreſſa, parum oſtendunt, non aquam ſibi reſiſtere quo minus mergantur, ſed ſpiritum? Aqua enim cederet: nec poſſet pondera ſuſtinere, niſi ipſa ſuſtineretur. Diſcus ex loco ſuperiore in piſcinam miſſus, non deſcendit, ſed reſilit. quemadmodum, niſi ſpiritu referente? Vox autem qua ratione per parietum munimenta tranſmittitur, niſi quod ſolido quoque aër ineſt, qui ſonum extrinſecus miſſum & accipit & remittit? ſcilicet ſpiritu non aperta tantum intendens, ſed etiam abdita & incluſa. Quod illi facere expeditum eſt, quia nuſquam diviſus, ſed per ipſa quibus ſeparari videtur, coït ſecum. Interponas licet muros & mediam altitudinem montium, per omnia iſta prohibetur nobis eſſe pervius, non ſibi. id enim intercluditur tantum, per quod illum nos ſequi poſſumus.

CAP. X. Ipſe quidem tranſit [1] per ipſum quo ſcinditur, & media non circumfundit tantum, & utrimque cingit, ſed permeat, ab æthere lucidiſſimo aër, in terram uſque diffuſus: agilior quidem, tenuiorque, & altior terris, nec minus aquis: ceterum æthere ſpiſſior graviorque, frigidus per

CAP. X. 1 *Per ipſum quod ſcinditur*] Recte quidem Fromondus, *quo*, ut & olim Fortunatus: ſed longe major labes hæc verba infeſtat. Doceant enim me vulgatæ lectionis architecti & patientes, quid hic intereſſe poſſit inter *circumfundere* & *cingere*: & annon utrumque ſit minus, quam quod erat dicendum: nempe non modo circumdare & arcte complecti interpoſitos muros & montes aërem, ſed etiam in his pervium invenire. Ergo ἄλλην δρυῶν βαλανιζόν. Tu vero tolle notam & numerum decimi capitis à verbo *permeat*, & retroage ante præcedentem periodum: omnia vero ita concipe: *X. Ipſe quidem tranſit per ipſum, quo ſcinditur, & media non circumfundit tantum & utrimque cingit, ſed permeat: ab æthere lucidiſſimo in terram uſque diffuſus: agilior quidem tenuiorque* &c. Hæc in dubiis hactenus tota lectio eſt Regii codicis, & eodem palam ducit alius Britannicus Eraſmo viſus, nec non Palatini Grutero: niſi quod noſtro arbitrio vocem *aër* delevimus inſertam, poſtquam vitiari locus prava diſtinctione cœpit: nam in regio poſt τὸ *permeat* novem continua vocabula deerant, neceſſaria tamen & aliis libris ſervata: ſecus forſitan hujus auctoritate in voce illa delenda uti potuiſſemus. Veneta quoque editio & Eraſmi conſentiunt cum ſcriptis. *Gronovius.*

2 *Repli-*

per ſe & obſcurus. lumen illi calorque aliunde ſunt; ſed per omne ſpatium ſui ſimilis non eſt: mutatur enim à proximis. Summa pars ejus eſt ſicciſſima calidiſſimaque, & ob hoc etiam tenuiſſima, propter viciniam æternorum ignium, & illos tot motus ſiderum, aſſiduumque cæli circumactum. Illa pars ima & vicina terris, denſa & caliginoſa eſt: quia terrenas exhalationes receptat. Media pars temperatior, ſi ſummis imiſque conferas, quantum ad ſiccitatem tenuitatemque pertinet: ceterum utraque parte frigidior. Nam ſuperiora ejus calorem vicinorum ſiderum ſentiunt: inferiora quoque tepent, primum terrarum halitu, qui multum ſecum calidi affert, deinde quia radii ſolis replicantur, & quouſque redire potuerunt, [2] duplicato calore benignius ſovent. Deinde etiam illo ſpiritu, qui omnibus animalibus, arbuſtiſque ac ſatis calidus eſt. Nihil enim viveret ſine calore. Adjice nunc ignes, non tantum manu factos & certos, ſed opertos terris: quorum aliqui eruperunt, innumerabiles in abſcondito flagrant & obſcuro ſemper. Etiamnum tot partes ejus fertiles rerum, habent aliquid teporis: quoniam ſterile eſt frigidum, calor autem gignit. Media ergo pars aëris ab his ſubmota in frigore ſuo manet. Natura enim aëris gelida eſt.

CAP. XI. Qui cum ſic diviſus ſit, ima ſui parte maxime varius & inconſtans & mutabilis eſt. [1] Circa terram plurimum audet, plurimum patitur, exagitat & exagitatur: nec tamen eodem modo totus afficitur, ſed aliter alibi: ac partibus inquietus eſt ac turbidus. Cauſſas autem illius mutationis & inconſtantiæ alias terra præbet, cujus poſi-

2 *Replicato calore benignius*] Ipſa vicinia coarguit τὸ *replicato*. Regius: *duplicato*. Ut & Eraſmi & duo Pall. Sic lib 4, 8. *Altera quod radii Solis à terra reſiliunt & in ſe recurrunt. Horum duplicatio proxima quaque à terris calefacit.* Quod video etiam adnotaſſe Opſopœum. Veneta & Eraſmi quoque *reduplicato*. Gronovius.

CAP. XI. 1 *Circa terram plurimum agit*] Sic conjecit Fortunatus: at omnes mss. & Veneta & Eraſmi: *plurimum audet:* neque fuit mutandum. Ovidius in epiſt. Helenæ: *Nec tu plus cernis, ſed plus temerarius audes.* Statius Surrentino Pollii: *Hic præceps minus audet hiems.* Idem.

CAP.

poſitiones huc aut illo verſæ, magna ad aëris temperiem momenta ſunt: alias ſiderum curſus. Ex quibus ſoli plurimum imputes. Illum ſequitur annus: ad illius flexum hiemes æſtateſque vertuntur. Lunæ proximum jus eſt. Sed & ceteræ quoque ſtellæ non minus terrena quam incumbentem ſpiritum terris afficiunt, & ortu ſuo occaſuve contrario, modo frigora, modo imbres, aliaſque terrarum injurias turbidæ movent. Hoc neceſſarium fuit præloqui, dicturo de tonitruo ac fulminibus & fulgurationibus. Nam quia in aëre fiunt, naturam ejus explicare oportebat: quo facilius appareret, quid facere aut pati poſſet.

CAP. XII. Tria ſunt ergo quæ accidunt, fulgurationes, fulmina, & tonitrua: quæ una facta, ſerius audiuntur. Fulguratio oſtendit ignem: fulminatio emittit. Illa (ut ita dicam) comminatio eſt, & conatio ſine ictu: iſta, jaculatio cum ictu. Quædam ſunt ex his, de quibus inter omnes convenit: quædam, in quibus diverſæ ſententiæ ſunt. Convenit illis, omnia iſta in nubibus & è nubibus fieri: etiamnum convenit, & fulgurationes & fulminationes, aut igneas eſſe, aut ignea ſpecie. Ad illa nunc tranſeamus, in quibus lis eſt. Quidam putant ignem eſſe in nubibus, quidam ad tempus fieri: nec prius eſſe, quam mitti. Nec inter illos quidem quid proferat ignem, convenit. Alius enim à lumine illum colligit. Quidam autem radios ſolis intercurrentis recurrentiſque, ſæpius in ſe relatos, ignem excitare dicit. Anaxagoras ait illum ex æthere diſtillare, & ex tanto ardore cæli multa decidere, quæ nubes diu incluſa cuſtodiant. Ariſtoteles multo ante ignem colligi non putat, ſed eodem momento exſilire, quo fiat. Cujus ſententia talis eſt: Duæ mundi partes in imo jacent, terra & aqua: utraque ex ſe reddit aliquid. Terrenus vapor ſiccus eſt, & fumo ſimilis, qui ventos, tonitrua, & fulmina facit: aquarum halitus humidus eſt, & imbres & nives creat. Sed ſiccus ille terrarum vapor, unde ventis origo eſt, quia coacervatus eſt, cum coïtu nubium vehementer impactarum à latere eliditur:

tur: deinde, ubi latius ferit nubes proximas, plaga & cum ſono incutitur, qualis in noſtris ignibus redditur, cum flamma vitio lignorum virentium crepat. Et ut ille ſpiritus habens aliquid humidi ſecum, conglobatuſque, rumpitur flamma: eodem modo ſpiritus ille, quem paulo ante exprimi colliſis nubibus dixi, impactus aliis, nec rumpi nec exſilire ſilentio poteſt. Diſſimilis autem crepitus fit, ob diſſimilem impactionem nubium. [1] Quare? aliæ majorem ſinum habent, aliæ minorem. Ceterum illa vis expreſſi ſpiritus ignis eſt, qui fulgurationis nomen habet, levi impetu accenſus & varius. Ante autem videmus fulgurationem, quam ſonum audiamus: quia oculorum velocior eſt ſenſus, & multum aures antecedit.

CAP. XIII. Falſam autem eſſe opinionem eorum, qui ignem in nubibus ſervant, per multa colligi poteſt. Si de cælo cadit, quomodo non quotidie fit, cum tantumdem illic ſemper ardeat? Deinde nullam rationem reddiderunt, quare ignis, quem natura ſurſum vocat, defluat. Alia enim conditio noſtrorum ignium eſt, ex quibus favillæ cadunt, quæ ponderis ſecum aliquid habent. Ita non deſcendit ignis, ſed præcipitatur & deducitur. Huic ſimile nihil accidit in igne puriſſimo, in quo nihil eſt quod deprimatur: aut ſi ulla pars ejus deciderit, in periculo totus eſt: quia totum poteſt excidere, [1] quod poteſt carpi. Deinde illud quod quotidie levitas cadere prohibet, ſi illud in abdito ſuo tenet grave, quomodo illic eſſe potuit, unde caderet? Quid ergo? Non aliqui ignes in inferiora ferri ſolent, ſicut hæc ipſa

CAP. XII. 1 *Quare aliæ majorem ſonitum*] Probo lectionem ab Opſopœo propinatam, *aliæ majorem ſinum habent*: & confirmo ex hujus libri cap. 57. *Ergo ubi calidi fumidique natura emiſſa terris in nubes incidit, & diu in illarum ſinu volutata eſt, noviſſime erumpit.* Sed τὸ *Quare* non mutem in *quia*: mutem vero diſtinctionem: *Diſſimilis autem crepitus fit ob diſſimilem impactionem nubium. Quare? aliæ majorem ſinum habent, aliæ minorem.* Gronovius.

CAP. XIII. 1 *Quod poteſt carptim*] Recte reprehendit Muretum Gruterus, qui ſic fecerit, quum in mss. editiſque prius eſſet, *quod poteſt carpi*. id eſt. particulis minui. Juſtinus lib. 15. *Sed Ptolemæus & Caſſander, ceterique factionis alterius duces, cum carpi ſe ſingulos ab Antigono viderent.* Idem.

2 *Fato*

ipſâ de quibus quærimus fulmina? [2] Fato enim non eunt, ſed feruntur. Aliqua illos potentia deprimit, quæ non eſt in æthere. Nihil enim injuria illic cogitur, nihil rumpitur, nihil præter ſolitum evenit. Ordo rerum eſt, & expurgatus ignis in cuſtodia mundi, ſummas ſortitus oras, operas pulcherrime circumit: hinc diſcedere non poteſt, ſed ne ab externo quidem exprimi: quia in æthere nulli incerto corpori locus eſt. Certa enim & ordinata non pugnant.

CAP. XIV. [1] Vos, inquam, dicitis, cum cauſſas ſtellarum tranſvolantium redditis, poſſe aliquas partes aëris ad ſe [2] trahere ignem, ex æthere decidentem, & ex eo ſuperiori-

2 *Fato enim non eunt*] Libri quidam: *Fateor, non eunt tamen, ſed feruntur.* Quod magnopere probat Gruterus. Neque reprehendo. Forte tamen: *Jacta enim non eunt, ſed feruntur.* Gronovius.

CAP. XIV. 1 *Vos, inquam, dicitis*] Britannicus, *inquit.* rectiſſime: non enim Seneca hæc dicit è ſua mente, ſed proponit interrogationem illorum, qui cum Anaxagora ignem fulgurum ex æthere deſtillare & ex tanto ardore multa decidere, quæ nubes diu incluſa cuſtodiant, ſentirent. *Idem.*

2 *Trahere ignem ex æthere decidentem*] Deſperato loco inſignem faciemus medicinam. Omitto, quæ multa Eraſmus, Opſopœus, Gruterus: ſolum audiamus doctiſſimum Fromondum: Omnes ſentiunt hic aliquid turbatum. Eraſmus credit, *ſuperioribus locis*, immiſſum ab interprete. Unde Opſopœus reciſis aliis omnibus ſimpliciter legit: *ad ſe trahere ignem ex æthere, & ſic incendi.* Concinne ſatis. Vulgata tamen lectio non eſt intolerabilis, ſi cum Eraſmo binas illas ſpurias voces expungis. Immo & ſic eſt intolerabilis: mentitur enim, Senecam, & qui ei adhærent, ſtatuere ignem ex æthere decidere: quod prorſus negaverat capite præcedente: *Ita non deſcendit ignis, ſed præcipitatur & deducitur. Huic ſimile nihil accidit in igne puriſſimo, in quo nihil eſt, quod deprimatur: aut ſi ulla pars ejus deciderit, in periculo totus eſt.* Deinde quod objicitur hac interrogatione, non negat Seneca, ſed concedit & aliud eſſe dicit: non potuit igitur illud eſſe ignem ex æthere decidere, quod nunquam conceſſiſſet. Proponamus lectionem Regii: *poſſe aliquas partes aëris ad ſe trahere ignem ex locis ſuperioribus & ſic incendi.* A qua minimum differunt Fortunati, Britannicus alter, Memmianus codices. Iſte quidem: *trahere ignem ex his locis ſuperioribus, ardere an ſic accendi.* Ille vero: *trahere ignem ex his locis ſuperioribus, & ex eo ardore ſic accendi.* Poſtremus denique: *trahere ignem ex ſuperioribus locis ardore & ſic accendi.* Quibus quintum ſe jungit unus è Pall. omnes *ex æthere decidentis* ignari. His igitur auctoribus ita reſtituendum eſt: *poſſe aliquas partes aëris ad ſe trahere ignem ex locis ſuperioribus, & hoc ardore incendi.* Hæc eſt ipſa Senecæ ſententia tantum eo ambigue propoſita, quod ἀντὶ τοῦ *ignem* ille dixiſſet *calorem*: ſed nec ſic reprehendit verba, tantum explicat mox, quando & *ignem traxiſſe* poſſunt dici, quæ, late incendio pervagante, quædam inſulæ, poſtquam diu concaluerant, ex ſe concipiunt flammam. Qua ſimilitudine ad illuſtrandam ſententiam ſuam utitur. Nunc autem ſic reſpondet: plurimum intereſſe,

Digitized by Google

rioribus locis ardore hic accendi. Sed plurimum intereſt, utrum aliquis dicat ignem ex æthere decidere, quod natura non patitur: an dicat, ex ignea vi calorem in ea, quæ ſubjecta ſunt, tranſilire, an hic accendi. Non enim illinc ignis cadit, quod non poteſt fieri, ſed hic naſcitur. Videmus certe, apud nos late incendio pervagante, quaſdam inſulas, quæ diu concaluerant, ex ſe concipere flammam. Itaque veriſimile eſt, in aëre ſummo, qui naturam rapiendi ignis habet, aliquid accendi calore ætheris ſuperpoſiti. Neceſſe eſt enim, ut & imus æther habeat aliquid aëri ſimile, & ſummus aër non ſit diſſimilis imo ætheri: quia non ſit ſtatim [3] ex diverſo in diverſum tranſitus. Paulatim iſta confinio vim ſuam miſcent ita, ut dubitare poſſis, an aër, an hic jam æther ſit.

Cap. XV. Quidam ex noſtris exiſtimant, aëra, cum in ignem & aquam mutabilis ſit, non trahere aliunde cauſſas flammarum novas: ipſe enim ſe movendo accendit, & cum denſos compactoſque nubium ſinus diſſipat, neceſſario vaſtum in tam magnorum corporum diruptione reddit ſonum. Illa porro nubium difficulter cedentium pugna, aliquid confert ad concitandum ignem: ſic, quemadmodum ferro aliquid manus ad ſecandum confert: ſed ſecare, ferri eſt.

Cap. XVI. Quid ergo inter fulgurationem & fulmen intereſt?

tereſſe, utrum aliquis dicat *ignem ex æthere decidere*, (quod volunt ſectatores Anaxagoræ, quodque reſpuit Seneca) an dicat *ex ignea vi* (ætheris aut ſuperiorum locorum) *calorem in ea, quæ ſubjecta ſunt, tranſilire.* Hæc ipſa opinio auctoris, quæ ei, tanquam faventi alteri, contra quam diſputabat, objiciebatur. Quod adhæret, *an hic accendi*, ſic quidem conceptum nullo modo poteſt ferri: poteſt, ſi legas, *ac hic accendi:* hic, nempe in ſubjectis, ſeu aëre. tamen nihil ejus habet Regius, perinde ut nec Pall. nec Gallici. Oſtendit deinde, cur ſit aliud: tum enim non illinc ex locis ſuperioribus decidere, ſed hic in ſubjacentibus, poſtquam concaluerunt, naſci dicitur. In quibus ut expreſſa ſunt, nihil vitii, ſecus atque Opſopœus, agnoſco. Nam repetere, *quod non poteſt fieri*, cum dictum eſſet, *quod natura non patitur*, eſt urgere ictum refutationis, non ταυτολογεῖν. Gronovius.

3 *Ex diverſo in adverſum tranſitur*] Fortunati, Pall. Gallici, Britannicus, Regius, Veneta. Eraſmi: *in diverſum.* Et verum eſt. Centies Seneca *diverſum* uſurpat pro adverſo, & jam ei reſtituimus, de Ira, lib. 2. cap. 23. *Idem.*

Cap.

intereſt? dicam. Fulguratio, eſt late ignis explicitus: Fulmen, eſt coactus ignis, & impetu jactus. Solemus duabus manibus inter ſe junctis aquam concipere, & compreſſa utrimque palma [1] in modum ſiphonis exprimere. Simile quiddam & illic fieri puta. Nubium inter ſe compreſſarum anguſtiæ medium ſpiritum emittunt, & hoc ipſo inflammant, & tormenti modo ejiciunt. Nam balliſtæ quoque & ſcorpiones tela cum ſono expellunt.

CAP. XVII. Quidam exiſtimant, ipſum ſpiritum per frigida atque humida euntem, ſonum reddere. Nam ne ferrum quidem ardens ſilentio tingitur. Sed quemadmodum, ſi in aquam fervens maſſa deſcendit, cum multo murmure exſtinguitur: ita, ut Anaximenes ait, ſpiritus incidens nubibus tonitrua edit, & dum luctatur, per obſtantia & interciſa vadens, ipſa ignem fuga accendit.

CAP. XVIII. Anaximandrus omnia ad ſpiritum retulit. Tonitrua, inquit, ſunt nubis ictæ ſonus. Quare inæqualia ſunt? quia & ipſe ictus inæqualis eſt. Quare & ſereno tonat? quia tunc quoque [1] per craſſum & ſiccum aëra ſpiritus proſilit. At quare aliquando non fulgurat & tonat?

CAP. XVI. 1 *In modum ſiphonis*] Membranæ meæ tres *ſimphonis*: at citat & *ſiſonis* Briſſonius lib. 2. c. 8. Select. antiq. adducitque Iſidorum lib. ult. Etymolog. cap. 6. vocantem *ſiſones vaſa qua aquas ſufflando funderent*, quibus adverſus incendia Orientales populi utebantur. eorum meminit & Columella lib. 3. cap. 10. Plinius Epiſt. ad Trajanum de incendio Nicomedienſi. Ulpianus l. quæſitum. §. acetum. ff. de inſtruct. vel inſtrum. paſſim autem in ædibus *ſiphones* fuiſſe, qui ſubterraneis meatibus ductam aquam exprimerent, Strabo lib. 5. teſtis eſt.

CAP. XVIII. 1 *Per craſſum & ſiccum aëra*] Veneta, *per curſum & ſiccum*. Eraſmus, *per ſudum & ſiccum*. Memmii membrana, *per craſſum & ſciſſum*. Nicotii, *per quaſſum aëra*. Lectionem tamen noſtram exemplar Britannicum aſſerit: nec ego deſeram. Interpolatum enim ab iis credo, qui nullum eundem aëra craſſum & una ſiccum eſſe credebant. Sic Fromondus. Non putem. Quæritur, quare & ſereno tonet? Ad hoc reſponderi non poteſt, quia ſereno aër eſt craſſus. Quomodo enim craſſus aer ſereno? immo tum minime. Nec ſiccitas aëris proprie cauſſa poteſt ſtatui ſonitus in tonitribus. Quid ergo? Scribendum eſt, partim ex Nicotii, partim ex Memmii, quicum conſentit Regius membranis: *quia tunc quoque per quaſſum & ſciſſum aëra ſpiritus proſilit*. Etiam ſudo concutitur ac ſcinditur aër, cum ſpiritus è nubibus promicat, atque hæc concuſſio diruptioque violenta aëris cauſa eſt tonitrus. *Gronovius*.

riat? quia tenuior & infirmior ſpiritus, qui in flammam non valuit, in ſonum valuit. Quid eſt ergo ipſa fulguratio? aëris diducentis ſe, corruentiſque jactatio; languidum ignem, nec exiturum aperiens. Quid eſt fulmen? acrioris denſioriſque ſpiritus curſus.

CAP. XIX. Anaximandrus ait, omnia iſta ſic fieri, ut ex æthere aliqua vis in inferiora deſcendit. Ita ignis impactus nubibus frigidis ſonat. At cum illas interſcindit, fulget: & minor vis ignium, fulgurationes facit, major fulmina.

CAP. XX. Diogenes Apolloniates ait, quædam tonitrua igne, quædam ſpiritu fieri. Illa ignis facit, quæ ipſe antecedit & nuntiat: illa ſpiritus, quæ ſine ſplendore crepuerunt. Utrumque ſine altero fieri, & eſſe aliquando, concedo: ita tamen, ut non diſcreta illis poteſtas ſit, ſed utrumque ab utroque effici poſſit. Quis enim negabit ſpiritum magno impetu latum, cum efficit ſonum, effecturum & ignem? [1] Quis & hoc non concedet, aliquando ignem quoque rumpere poſſe nubes, & non exſilire, ſi plurimarum acervo nubium, cum paucas perſcidiſſet, oppreſſus eſt? Ergo & ignis ibit in ſpiritum, perdetque fulgorem & ſpeciem, [2] dum ſecuta in terra incendit. Adjice nunc,

CAP. XX. 1 *Quis & hoc non concedet*] Pal. *Quis autem non & hoc concedet.* Alter: *Quis enim non & hoc.* Col. *Quis non & hoc.* quod potius videtur Grutero. Noſter Britannicus: *Quiſnam non & hoc concedet.* Gronovius.

2 *Dum ſecuta in terra incendit*] Locus eſt ab omnibus depoſitus, inquit Opſopœus; mendi compertiſſimus, ſed deſperatæ ab omnibus emendationis; Fromondus. Qui tamen propius verum tetigiſſe putat legendo: *dum perſecuta infra incedit.* Nam mss. fere aut *ſecata in terra*, aut *ſecata* vel *ſecuta infra.* Quod non deſperavit, omnino probamus: ſed videtur potius ſcripſiſſe auctor, *dum ſecta interim incendit.* Ait contra Diogenem Apolloniatem, non diſcretam eſſe ſpiritus & ignis poteſtatem, & utrumque ab altero effici: ſic ſpiritum impetu vehementi latum flabro ſuo ignem excitaturum; & ignem ruptis & ſectis quibuſdam nubibus, ſi ſinibus & voluminibus plurimarum opprimatur, iturum in ſpiritum, & auribus potius, quam oculis terreſtrium deprehenſum iri, qui tamen interea illas nubes, quas paucas perſcidit, vere incendit, ibique ignis erat. *Secta* ſunt quæ ante dixit, *ſciſſuri aërem.* Et hic, *cum paucas perſcidiſſet.* Infra cap. 29. *Debent ergo nubes utrimque diſſecari & cava & inteaca.* Idem.

CAP.

nunc, quod neceſſe eſt, ut impetus fulminis & præmittat ſpiritus, & agat ante ſe, & à tergo trahat ventum, cum tam vaſto ictu aëra inciderit. Itaque omnia, antequam feriantur, intremiſcunt vibrata vento, quem ignis ante ſe preſſit.

CAP. XXI. Dimiſſis nunc præceptoribus, incipiamus per nos moveri, & à confeſſis tranſeamus ad dubia. Quid enim confeſſi eſt? Fulmen ignem eſſe: æque fulgurationem, quæ nihil aliud eſt, quam flamma; futura fulmen, ſi plus virium habuiſſet. Non natura iſta, ſed impetu diſtant. Eſſe illum ignem, calor oſtendit: qui ſi non eſſet, oſtendit effectus. Magnorum enim ſæpe incendiorum cauſſa fulmen fuit. Silvæ illo crematæ, & urbium partes: etiam quæ non percuſſa ſunt, tamen aduſta cernuntur: quædam vero velut fuligine colorantur. [1] Quid, quod omnibus fulguritis odor ſulphureus eſt? Ergo & utramque rem ignem eſſe conſtat, & utramque rem inter ſe meando diſtare. Fulguratio eſt fulmen, non in terras uſque perlatum. Et rurſus licet dicas, fulmen eſſe fulgurationem, uſque in terras perductam. Non ad exercendum verba hæc diutius pertracto: ſed ut iſta cognata eſſe, & ejuſdem notæ ac naturæ, probem. Fulmen eſt quiddam plus, quam fulguratio. Vertamus iſtud. Fulguratio eſt pene fulmen.

CAP. XXII. Quoniam conſtat eſſe utramque rem ignem,

CAP. XXI. 1 *Quid quod omnibus fulguritis*] Ita ſcribi voluit Fortunatus, quod Feſtus & Nonius fulmine tacta vel exuſta *fulgurita* dicerent, non *fulgurata*, quomodo erat in mss. ejus. Et vero cum ſit in omnibus meis item *fulguratis*, illud hic retinebimus, dum melior aliqua membrana cedere jubeat loco. Sic Gruterus. Vide an ea poſſit eſſe Britannica Regia: nam quibuſdam in locis certe, omnibus, quæ adhuc ſunt collatæ, meliorem eſſe, proceſſu harum notarum patebit. In illa igitur, *omnibus fulginatis*. quod non poſſum non magnopere probare. *Fulgur* & *Fulgen* dicebant antiqui, ut *femur* & *femen*: ſed rectos alterorum vocabulorum mature repudiarunt. Apud Claudianum lib. 2. de raptu: *& criſtæ pacato fulgine vertant*: habent quidam libri antiqui, pro eo quod eſt vulgo, *placato fulgure*. *Fulginatus* porro à *fulgen*, ut *turbinatus* à *turben*, quemadmodum & dicebant pro *turbo*. Gronovius.

ignem, videamus quemadmodum apud nos fieri ſoleat ignis. Eadem enim ratione & ſupra fit. Duobus modis: uno, ſi excitatur ſicut ex lapide percuſſo: altero, ſi attritu invenitur, [1] ſicut cum duo ligna inter ſe diutius trita ſunt. Non omnis hoc tibi materia præſtabit, ſed idonea eliciendis ignibus: ſicut laurus, hederæ, & alia in hunc uſum nota paſtoribus. Poteſt ergo fieri, ut nubes quoque ignem eodem modo vel percuſſæ reddant; vel attritæ. [2] Videamus quantis procellæ viribus ruant, quanto vertantur impetu turbines. Id in quod tormentum obvium fit, diſſipatur, & rapitur, & longe à loco ſuo projicitur. Quid ergo mirum, ſi tanta vis ignem excutit, vel aliunde, vel ſibi? Vides enim quantum fervorem ſenſura corpora ſunt, horum tranſitu trita, exanimata. Nihil tamen tantum in his debet credi, ac in vi ſiderum, quorum ingens & confeſſa potentia eſt.

Cap. XXIII. Sed fortaſſe nubes quoque in nubes incitatæ, fremente vento, & leviter urgente, ignem evocabunt, qui exſplendeſcat, nec exſiliat. Minore enim vi ad fulgurandum opus eſt, quam ad fulminandum. Superioribus collegimus, in quantum fervorem quædam attrita perducerentur. Cum autem aër mutabilis in ignem, maximis

Cap. XXII. 1 *Sicut cum duo ligna inter ſe diutius trita ſunt*] Lignorum attritu excitari ignem, multi graves ſcriptores prodiderunt. Thucydides: *Ἤδη γὰρ ἐν ὄρεσιν ὕλη τριφθεῖσα ὑπ' ἀνέμων πρὸς αὐτὴν, ἀπὸ ταυτομάτου πῦρ καὶ φλόγα ἀνῆκε.* Lucretius:

Emicat interdum flammai fervidus ardor,
Mutua dum inter ſe rami ſtirpeſque teruntur.

Vitruvius: *Interea quodam in loco ab tempeſtatibus & ventis denſæ crebritatibus arbores agitatæ & inter ſe terentes ramos, ignem excitaverunt.* Inde apud veteres ignaria ex ligno: quæ ex qua materia optime parentur, docet Plinius cap. 40. lib. 16. Lucianus: *Αὐτοὶ δὲ τὰ πυρεῖα συντρίψαντες, καὶ ἀνακαύσαντες, δεῖπνον ἐκ τῶν παρόντων ἐποιούμεθα.* Muretus.

2 *Videamus quantis procellæ*] Malit Gruterus, *videmus*, ut Fortunati, ſecus atque Eraſmi & Pall. libri. Sed nihil mutandum: jubet enim videri, hoc eſt, obſervari, attendi. Sed recte ſtatim Gruterus probat, quod eſt in omnibus ſcriptis: *Id in quod tormentum obvium fit, diſſipatur.* Mox regius Britannicus: *ſenſura ſunt corporum vita horum tranſitu vita exanimata.* Fortaſſe legendum: *Vides enim? quantum fervorem ſenſura ſunt corporum ictu horum tranſituve exanimata.* Corpora exanimata dicit *corporum exanimata*, ut *nigra lanarum*. Gronovius.

Cap.

maximis viribus ſuis in ignem converſus, atteratur, credibile eſt & veriſimile, ignem caducum excuti, & cito interiturum, quia non ex ſolida materia oritur, nec in qua poſſit conſiſtere. Tranſit itaque: tantumque habet moræ, quantum itineris [1] & curſus; ſine alimento conjectus eſt.

CAP. XXIV. Quomodo, inquis, cum dicatis hanc ignis eſſe naturam, ut petat ſuperiora, fulmen tamen terram petit? an falſum eſt, quod de igne dixiſtis? Eſt enim illi æque ſurſum iter, atque deorſum. Utrumque verum poteſt eſſe. Ignis enim natura in verticem ſurgit, & ſi nihil illum prohibet, aſcendit. Sicut aqua natura defertur: ſi tamen aliqua vis acceſſit, quæ illam in contrarium ageret, illo intenditur, unde imbre dejecta eſt. Fulmen autem [1] cadit eadem neceſſitate, qua excutitur. Id his ignibus accidit quod arboribus: quarum cacumina ſi tenera ſunt, ita deorſum trahi poſſunt, ut etiam terram attingant, [2] ſed cum permiſeris, in locum ſuum exſilient. Itaque non eſt, quod eum ſpectes cujuſque rei habitum, qui illi non ex voluntate eſt. Si ignem permittis ire quo velit, cælum, id eſt, leviſſimi cujuſque ſedem repetet: ubi eſt aliquid, quod eum ferat, & ab impetu ſuo avertat, [3] id non natura, ſed ſervitus ejus fit.

CAP.

CAP. XXIII. 1 *Et curſus ſine alimento*] Immo *curtus* legendum, aut valde fallor, inquit Fromondus. Certe falleris. Diſtinguendum enim: *Tranſit itaque, tantumque habet moræ, quantum itineris & curſus; ſine alimento conjectus.* Gronovius.

CAP. XXIV. 1 *Cadit eadem neceſſitate*] Sic quidem Eraſmi editio: at Fortunati nec non mei tres deſtituuntur voce, *cadit*. Gruterus. Et hactenus accedit illis noſter Britannicus, ſed mox ſimilem habet, cum alterutra omnino requiratur: *Fulmen autem eadem neceſſitate, qua excutitur, decidit.* Infra cap. 53. *Praterea quocunque decidit fulmen, ibi odorem ſulphuris eſſe certum eſt.* Statim ante Britannicus cum duobus Pall. *quæ illum in contrarium circumageret:* nam & ipſa in verticem volvitur, ubi obſtaculum invenit. Neque aliter vetus Veneta & Eraſmi editio. *Idem.*

2 *Sed cum permiſeris*] Lego, *remiſeris.* Hippolyto. *Pinus coacto vertice attingens humum Cælo remiſſum findat in geminas trabes.* Idem.

3 *Id non natura, ſed ſervitus ejus fit*] Malit Fromondus, *ſervitute*, vel *ſervitutis jure fit.* Alterum oppido elegantius. Sic Juſtinus lib. 21, 5. *tamen ſimulatio hac vitiorum, non natura erat.* Ut ſine dubio legendum: *non natura*, viditque etiam Freinshemius. Non naturam, ſed ſervitutem ejus eſſe vel fieri dicit, quod agitur cuique non ex ingenio ſuo, ſed alieno imperio vel coactu. *Idem.*

Cap. XXV. Dicis, inquit, nubes attritas edere ignem, cum ſint humidæ, imo udæ: quomodo ergo poſſunt gignere ignem, quem non magis veriſimile eſt ex nube, quam ex aqua generari?

Cap. XXVI. Ignis qui naſcitur, primum in nubibus non eſt aqua, ſed aër ſpiſſus, ad gignendam aquam præparatus, nondum in illam mutatus, ſed jam pronus & vergens. Non eſt quod eam exiſtimes [1] tunc colligi, ſed effundi. Simul & fit, & cadit. Deinde ſi conceſſero humidam eſſe nubem, conceptis aquis plenam: nihil tamen prohibet, ignem ex humido quoque educi, imo ex ipſo (quod magis mireris) humore. [2] Quidam negaverunt, in ignem quidquam poſſe mutari, priuſquam mutatum eſſet in aquam. Poteſt ergo nubes, ſalva, quam continet, aqua ignem parte aliqua ſui reddere: ut ſæpe alia pars ligni ardet, alia ſudat. Nec hoc dico, non contraria inter ſe iſta eſſe, & alterum altero perimi: ſed ubi valentior ignis, quam humor eſt, vincit. Rurſus ubi copia humoris exſuperat, tunc ignis ſine effectu eſt. Itaque non ardent virentia. Refert ergo, quantum aquæ ſit. Exigua enim non reſiſtit, nec ignem impedit. Quid ni? Majorum noſtrorum memoria, ut Poſidonius tradit, cum inſula in Ægeo mari ſurgeret, [3] ſpumabat interdiu mare, & fumus ex alto ferebatur. Nam demum prodebat ignem, non continuum, ſed ex intervallis emicantem, fulminum more, quotiens ardor inferius jacentis ſuperum pondus evicerat. Deinde ſaxa revoluta, rupeſque partim illæſæ, quas ſpiritus, antequam verteretur, expulerat, partim exeſæ, & in levitatem pumicis verſæ: noviſſime cacumen exuſti montis emicuit. Poſtea altitudini adjectum, & ſaxum illud in magnitudinem inſulæ crevit. Idem noſtra memoria, Valerio Aſiatico con-

Cap. XXVI. 1 *Tunc colligi, ſed effundi*] Senſus jubet: *Non eſt quod eam exiſtimes tunc colligi, dein effundi.* Gronovius.

2 *Quidam negaverunt*] Theophraſtus quidem diſerte ſcribit, *ἄνευ ὑγρότητος οὐδὲν ἐστι καυστόν*. Eſt enim humor, ignis alimentum. *Muretus.*

3 *Spumabat interdiu mare*] Forte: *ſpumabat ante diu mare.* Gronovius.

4 *Adeo*

conſule iterum accidit. Quorſus hæc retuli? ut appareret, nec exſtinctum ignem mari ſuperfuſo, nec impetum ejus, gravitate ingentis undæ prohibitum exire. Ducentorum paſſuum fuiſſe altitudinem Aſclepiodotus Poſidonii auditor tradidit, per quam, diruptis aquis, ignis emerſit. Quod ſi immenſa aquarum vis, ſubeuntem ex imo flammarum vim non potuit opprimere: quanto minus in aëre exſtinguere ignem poterit, nubium tenuis humor & roſcidus? [4] Adeo res iſta non habet ullam moram, quæ contra cauſſas ignium ſit; quos non videmus emicare, niſi impendente cælo. Serenum ſine fulmine eſt. Non habet iſtos metus dies purus, nec nox quidem, niſi obſcura nubibus. Quid ergo? Non aliquando etiam apparentibus ſtellis, & nocte tranquilla fulgurat? Sed ſcias licet nubes illic eſſe, unde ſplendor effertur: quas videri à nobis terrarum tumor non ſinit. Adjice nunc, quod fieri poteſt, [5] ut nubes ſudæ & humiles attritu ſuo ignem reddant: qui in ſuperiora expreſſus, in parte ſincera puraque cæli viſatur: ſed fit in ſordida.

CAP. XXVII. Tonitrua diſtinxere quidam ita, ut dicerent, unum eſſe genus, cujus ſit grave murmur, quale terrarum motum antecedit, clauſo vento & fremente. Hoc quomodo illis videatur fieri, dicam. Cum ſpiritum intra ſe clauſere nubes, in concavis partibus earum volutatus aër, ſimilem agit mugitibus ſonum, raucum & æqualem, & continuum. Itaque etiam ubi illa regio humida eſt, exitum claudit. Ideo hujuſmodi tonitrua venturi prænuntia imbris

4 *Adeo res iſta non adfert ullam moram*] Regius, Veneta & Eraſmi: *non habet*. Nec debuit mutari. Epiſt. 101. *Pecunia quoque circa paupertatem plurimam moram habet, dum ex illa ereptat.* Lib. 6. hujus operis cap. 1. *felicitatem, cujus ex omnibus rebus humanis velociſſima eſt levitas, habituram in aliquo pondus & moram credimus.* Lib. 7, 12. *Præterea ſi quid tale accideret, non haberet moram, ſed exſtingueretur cito.* Auctor de bello Alexandrino: *magnam autem moram & difficultatem adſcenſum in naves habere.* Gronovius.

5 *Ut nubes ſudæ & humiles*] Ita reſtitutum à Pinciano. Vetus lectio: *nubes ſumma & humiles*, ego, *ſordidæ & humiles*, prætulerim, inquit Fromondus. Lege; *nubes imæ & humiles.* Idem.

imbris ſunt. Aliud genus eſt acre, [1] quod acerbum magis dixerim, quam ſonorum: qualem audire ſolemus, cum ſuper caput alicujus dirupta veſica eſt. Talia eduntur tonitrua, cum globata diſſolvitur nubes, & ſpiritum, quo diſtenta fuerat, emittit. Hoc proprie fragor dicitur, ſubitus & vehemens: quo edito concidunt homines, & exanimantur, quidam vero vivi ſtupent, & in totum ſibi excidunt, quos vocamus attonitos, quorum mentes ſonus ille cæleſtis loco pepulit. Hic fieri illo quoque modo poteſt, ut incluſus aër cava nube & motu ipſo extenuatus diffundatur. Deinde cum majorem ſibi locum quærit, à quibus involutus eſt, ſonum patitur. Quid autem? non quemadmodum illiſæ manus inter ſe plauſum edunt, ſic illiſarum inter ſe nubium ſonus poteſt eſſe magnus, quia magna concurrunt?

CAP. XXVIII. Videmus, inquit, nubes impingi montibus, nec ſonum fieri. Primum omnium non quocumque modo illiſæ ſunt, ſonant, ſed ſi apte ſunt compoſitæ ad ſonum edendum. Averſæ inter ſe manus colliſæ non plaudunt, ſed palma cum palma collata plauſum facit. Et plurimum intereſt, utrum cavæ concutiantur, an planæ & extentæ. Deinde non tantum nubes ire oportet, ſed agi magna vi, & procelloſa. Etiam mons [1] non ſcindit nubem, ſed dirigit, & primam quamque partem ejus ſolvit. Ne veſica quidem, quocumque modo ſpiritum emiſit, ſonat. Si ferro diviſa eſt, ſine ullo aurium ſenſu exit. Rumpi illam oportet, ut ſonet, non ſecari. Idem de nubibus dico: niſi multo impetu diſſiluere, non ſonant: Adjice nunc,

CAP. XXVII. 1 *Quod crepitum magis d. quam ſonum*] Inſpice varietates apud Gruterum: nec difficile erit animadvertere legendum: *quod acerbum magis dixerim quam ſonorum.* Epiſt. 56. *quoties retentum ſpiritum remiſerunt, ſibilos & acerbiſſimas reſpirationes.* Gronovius.

CAP. XXVIII. 1 *Non ſcindit nubem, ſed dirigit*] Quidam libri, *digerit.* Recte: id eſt, ordinat & diſpenſat, & ut quæque pars ad ſe venit, explicat. Lib. 7, 22. *nubeſque modo congregantur, modo digeruntur, numquam immota jacent.* Idem.

CAP.

nunc, quod nubes in monte actæ, non franguntur, ſed circumfunduntur in aliquas partes montis, arboris ramos, frutices, aſpera ſaxa & eminentia. Et ita diſcutiuntur, & ſi quem habent ſpiritum, multifariam emittunt: qui niſi univerſus erumpit, nec crepat. Hoc ut ſcias, ventus qui circa arborem funditur, ſibilat, non tonat. Lato (ut ita dicam) ictu, & totum globum ſemel diſſipante opus eſt, ut ſonitus erumpat: qualis auditur cum tonat.

CAP. XXIX. Præter hæc natura aptus eſt aër ad voces. Quid ni? cum vox nihil aliud ſit, quam ictus aër. Debent ergo nubes utrimque diſſecari, & cavæ & intentæ. Vides enim quanto vocaliora ſunt vacua quam plena, quanto intenta quam remiſſa. Ita tympana & cymbala ſonant: quia illa repugnantem ex ulteriore parte ſpiritum pulſant, hæc ad ipſum aërem acta, niſi concavo, non tinniunt.

CAP. XXX. Quidam, inter quos Aſclepiodotus eſt, judicant ſic, quorumdam quoque corporum concurſu tonitrua & fulmina excuti poſſe. Ætna aliquando multo igne abundavit: ingentem vim arenæ urentis effudit. Involutus eſt dies pulvere, populoſque ſubita nox terruit. Illo tempore aiunt plurima fuiſſe tonitrua & fulmina: quæ concurſu aridorum corporum facta ſunt, non nubium: quas veriſimile eſt, in tanto fervore aëris, nullas fuiſſe. Aliquando Cambyſes ad Ammonem miſit exercitum: quem arena Auſtro mota, & more nivis incidens, texit, deinde obruit. Tunc quoque veriſimile eſt fuiſſe tonitrua fulminaque, attritu arenæ ſeſe affricantis. Non repugnat propoſito noſtro iſta opinio. Diximus enim, utriuſque naturæ corpora efflare terras, & ſicci aliquid & humidi in toto aëre vagari. Itaque ſi quid tale intervenit, nubem facit ſolidiorem craſſioremque, quam ſi tantum ſimplici ſpiritu intexeretur. Illa frangi poteſt, & edere ſonum: iſta quæ dixi, ſive incendiis vaporantibus aëra repleverunt, ſive ventis terras verrentibus, neceſſe eſt nubem faciant antequam ſonum. Nubem autem tam arida quam humi-

da conſerunt. Eſt autem nubes (ut diximus) ſpiſſitudo aëris craſſi.

CAP. XXXI. [1] Ceterum mira fulminis, ſi intueri velis, opera ſunt, nec quidquam dubii relinquentia, quin divina inſit illis & ſubtilis potentia. Loculis integris ac illæſis conflatur argentum. Manente vagina, gladius liqueſcit. Et inviolato ligno, circa pila ferrum omne diſtillat. Stat fracto dolio vinum, nec ultra triduum rigor ille durat. Illud æque inter annotanda ponas licet, quod & hominum, & ceterorum animalium quæ icta ſunt, caput ſpectat ad exitum fulminis: quod omnium percuſſarum arborum contra fulmina haſtulæ ſurgunt. Quid, quod malorum ſerpentium, & aliorum animalium, quibus mortifera vis ineſt, cum fulmine icta ſunt, venenum omne conſumitur? Unde, inquit, ſcis? In venenatis corporibus vermis non naſcitur. Fulmine icta, intra paucos dies verminant.

CAP. XXXII. Quid, quod futura portendunt: nec unius tantum aut alterius rei ſigna dant, ſed ſæpe totum fatorum ſequentium ordinem nuntiant, & quidem decretis evidentibus, longeque clarioribus, quam ſi ſcriberentur? Hoc autem inter nos & Tuſcos, quibus ſumma perſequendorum fulminum eſt ſcientia, intereſt. Nos putamus, quod nubes colliſæ ſunt, ideo fulmina emitti. Ipſi exiſtimant, nubes collidi, ut fulmina emittantur. Nam cum omnia ad Deum referant, in ea ſunt opinione, tamquam, non quia facta ſunt, ſignificent, ſed quia ſignificatura ſunt, fiant: eadem tamen ratione fiunt, ſive illis ſignificare propoſitum eſt, ſive conſequens. Quomodo ergo ſignificant, niſi à Deo mittantur? Quomodo aves non

CAP. XXXI. 1 *Ceterum mira fulminis*] Quædam iis conſimilia narrat & Plinius lib. 2. cap. 51. Mihi hoc contigit, ut paucis menſibus antequam Hippolytus Cardinalis Ferrarienſis, qui ita de me meritus eſt, ut perpetuo animæ ipſius bene precari debeam, ex hac vita diſcederet, fulmen, in palatium ipſius decidens, ad mea uſque cubicula pervenerit. Ibi gladii qui ad lectum unius è famulis meis pendebat, mucronem ipſum ita colliquefecit, ut in globulum converterit, vagina prorſus illæſa. *Muretus.*

non in hoc motæ, ut nobis occurrerent, dextrum auſpicium, ſiniſtrumve fecerunt. Et illas, inquit, Deus movit. Nimis illum otioſum, & puſillæ rei miniſtrum facis, [1] ſi aliis ſomnia, aliis exta diſponit. Iſta nihilominus divina ope geruntur. Sed non à Deo pennæ avium reguntur, nec pecudum viſcera ſub ipſa ſecuri formantur. Alia ratione fatorum ſeries explicatur, indicia venturi ubique præmittens, ex quibus nobis quædam familiaria, quædam ignota ſunt. Quidquid fit, alicujus rei futuræ ſignum eſt: fortuita, & ſine ratione vaga, divinationem non recipiunt. Cujus rei ordo eſt, etiam prædictio eſt. Cur ergo aquilæ hic honor datus eſt, ut magnarum rerum faceret auſpicia: aut corvo, aut pauciſſimis avibus: ceterarum ſine præſagio vox eſt? Quia quædam in artem nondum redacta ſunt. Quædam vero ne redigi quidem poſſunt, ob nimium remotam converſationem. Ceterum nullum animal eſt, quod non motu & occurſu ſuo prædicat aliquid. Non omnia ſcilicet, ſed quædam notantur. Auſpicium eſt obſervantis. Ad eum itaque pertinet, qui in ea direxerit animum. Ceterum & illa quæ pereunt. Quinque ſtellarum poteſtatem Chaldæorum obſervatio excepit. Quid tu? tot millia ſiderum judicas otioſa lucere? Quid eſt porro aliud, quod errorem incutiat peritis natalium, quam quod paucis nos ſideribus aſſignant: cum omnia quæ ſupra nos ſunt, partem ſibi noſtri vindicent? Submiſſiora forſitan in nos propius vim ſuam dirigunt: & ea quæ frequentius mota, aliter nos, aliter cetera animalia proſpiciunt. Ceterum & illa quæ aut immota ſunt, aut propter velocitatem univerſo mundo parem immotis ſimilia, non extra jus dominium-

CAP. XXXII. 1 *Si aliis ſomnia, aliis exta diſponit*] Non *ſomnia, ſed omina* ex avibus captantur. Et ad has reſpicere oſtendit ſtatim: *non à Deo pennæ avium reguntur, nec pecudum viſcera ſub ipſa ſecuri formantur.* Sententia eadem. Appuleius de Deo Socratis: *Neque enim pro majeſtate deûm cæleſtium fuerit, ut eorum quiſquam vel Annibali ſomnium fingat, vel Flaminio hoſtiam irritet, vel Accio Nævio avem veliſicet.* Gronovius.

2 *Aliud*

niumque noſtri ſunt. [2] Aliud adſpice, & diſtributis rem efficis, tractas. Non magis autem facile eſt, ſcire quid poſſint, quam dubitari debet, an poſſint.

Cap. XXXIII. Nunc ad fulmina revertamur: [1] quorum ars in tria dividitur: quemadmodum exploremus, quemadmodum interpretemur, quemadmodum exoremus. [2] Prima pars ad formulam ſpectat; ſecunda, ad divinationem; tertia, ad propitiandos deos: quos bona rogare oportet, mala deprecari. Rogare, ut promiſſa firment: deprecari, ut remittant minas.

Cap. XXXIV. Summam eſſe vim fulminum judicant: quia quidquid alia portendunt, interventus fulminis tollit. Quidquid ab hoc portenditur, fixum eſt, nec [1] alterius oſtenti ſignificatione minuitur. Quidquid extra, quid-

2 *Aliud adſpice & diſtributis rem efficis*] Recte quidem Faber *efficis*: ſed cætera quomodo cohærent? Fromondus: *Illud adſpice, & diſtributis rem efficis tracta*. Sed hoc quoque per ſe ſenſum habet: conjunctum illis, quæ præcedunt & ſequuntur, nihil habet appoſiti. Veteres libri nos deſerunt. In Regio erat: *alius*. Succurrit; *Aliter adſunt, & diſtributis rem efficis tractant*. Nempe illa aut immota aut immotis ſimilra ſidera, quorum nondum poteſtatem obſervatio excepit, haud dubie ditione in nos non carent, ſed aliter, atque illa per vim ſuam rebus humanis interſunt, & deſcriptis atque partitis vicibus funguntur. *Gronovius.*

Cap. XXXIII. 1 *Quorum ars in tria dividitur*] Mirum cur non & pro quarto addiderit artem fulminum eliciendorum, ſive evocandorum, de qua eſt apud Ovidium lib. 3. Faſtorum; & apud Plinium cap. 54. lib. 2. & alios. ſed illam fortaſſis, tamquam nimis perículoſam, abjecerant. Poſſem multa notare ad ea quæ ſequuntur, de variis generibus fulminum. Sed me, ut verum fatear, ineptiarum piget. *Muretus.*

2 *Prima pars ad formulam ſpectat*] Fromondus interpretatur ritum, quo augur ex arce, capite velato, lituo regiones cæli & templa, ut vocabant, ad captandum augurium contemplabatur & notabat. Tu intellige ad deſcriptionem, definitionem. *Inſpectionem* dicit *ſuum cuique diſtribuentem*, epiſt. 89. Sic lib. 5, 1. *Nunc ad ipſam rem accedamus, poſtquam de formula ſatis diſputatum eſt*. Epiſt. 95. *Quando omnia quæ præſtanda ſunt ac vitanda, dicam, cùm poſſim breviter hanc formulam humani officii tradere?* i. finitionem, regulam. Epiſt. ult. *Brevem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum eſſe jam ſenties*. Tractum à formulis juriſconſultorum. *Gronovius.*

Cap. XXXIV. 1 *Alterius oſtenti ſignificatione mutatur*] Ex Eraſmi ora, ut teſtatur Gruterus, irrepſit: nam veteres editi & ſcripti, *minuitur*. Quod eodem ſenſu & quidem elegantius eſt dictum, pro mutare, tollere. Terentius Andria: *nec tu ex ea cauſſa minueris quæ facis*. Ubi Nannio mira difficultas in verbo *minueris*, quod totam ſententiam vel infuſcet vel perturbet; itaque re diligenter penſitata exiſtimare ſcribendum *timueris*, 1 Miſcel. 1.

Et

quidquid aves minabuntur, ſecundo fulmine abolebitur. Quidquid fulmine denuntiatum eſt, nec extis, nec ave contraria refellitur. In quo mihi falli videntur. Quare? Quia vero verius nihil eſt. Si aves futura cecinerunt, non poteſt hoc auſpicium fulmine irritum fieri: aut ſi poteſt, non futura cecinere. Non enim nunc avem comparo & fulmen, ſed duo veri ſigna: quæ ſi verum ſignificant, paria ſunt. Itaque ſi fulminis interventus ſubmovet extorum vel augurum judicia, male inſpecta exta, male obſervata auguria ſunt. Non enim refert, utrius rei major potentiorve natura ſit, [2] ſi utraque res veri attulit ſignum, quantum ad hoc par eſt. Si dicas, flammæ vim majorem eſſe, quam fumi, non mentieris: ſed ad indicandum ignem, idem valet flamma, quod fumus. Itaque, ſi hoc dicunt, quoties exta aliud ſignificabunt, aliud fulmina, fulminum erit auctoritas major, fortaſſe conſentiam: ſed ſi hoc dicunt, quamvis altera ſigna verum prædixerint, fulminis ictus priora delevit, & ad ſe fidem traxit, falſum eſt. Quare? quia nihil intereſt, quam multa auſpicia ſint. fatum unum eſt: quod ſi bene primo auſpicio intellectum eſt, ſecundo

Et ſunt editiones contra omnium ſcriptorum auctoritatem ſic male correctæ. Sed, *minueris*, eſt mutaveris, omiſeris, deſieris agere. Hecyra: *Sed non minuam meum conſilium*. Cicero 1 de Offic. *cum plerique arbitrentur, res bellicas majores eſſe, quam urbanas, minuenda eſt hæc opinio.* Lib. 2 de Oratore: *Omninoque perficiendum eſt, ut hæc opinio minuatur.* Sic apud Cæſarem, *minuere controverſias*, pro tollere, finire. *Gronovius.*

2 *Sed utra vim attulit*] Concinna hæc & ſatis claro ſenſu ſoli Fromondo: quem vellem explicuiſſet. Quid enim hic de vi? negat Seneca ullam vim fieri, & fruſtra eſſe illos, qui fulmini in auguriis majorem potentiam adſcribant quam avibus: nam fulmen natura potentius eſſe nihil ad rem pertinere: de ſignificatione futurorum hic agi, in qua, niſi omnem artem ſuam velint confutare, oportere agnoſci, parem utriſque vim eſſe ideo, quod verum præcinant. Neſcio unde ſit orta hæc futilis lectio: nam Eraſmi editio, *ſed utra res veri attulit ſignum, quantum ad hoc, par eſt.* Neque aliter prior Veneta, niſi quod lapſu typographi *uter*. Itaque quod ingenio fieri poterat, nunc ſaltem fiat auctoritate codicis Caſauboniani, ut pro *ſed utra* ſcribatur, *ſi utraque*: totumque ſic ſe habeat, *Non enim refert, utrius rei major potentiorve natura ſit: ſi utraque res veri attulit ſignum, quantum ad hoc, par eſt.* Sed & paulo ante Britannicus: *quæ ſi verum ſignificant, paria ſunt.* non, *ſi unum.* Et magis placet. *Idem.*

CAP.

cundo non interit: idem eſt. Ita dico, non refert, idem an aliud ſit, per quod quærimus: quoniam de quo quærimus, idem eſt.

CAP. XXXV. Fatum fulmine mutari non poteſt. Quid ni? Nam fulmen ipſum fati pars eſt. Quid ergo expiationes, procurationeſque, quo pertinent, ſi immutabilia ſunt fata? Permitte mihi illam rigidam ſectam tueri eorum, [1] qui excipiunt iſta, & nihil aliud eſſe exiſtimant, quam ægræ mentis ſolatia. Fata aliter jus ſuum peragunt, nec ulla commoventur prece, non miſericordia flectuntur, non gratia. Servant curſum irrevocabilem, ex deſtinato fluunt. Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in ſe non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem ſuperveniens præcipitat: ſic ordinem rerum fati æterna ſeries rotat, cujus hæc prima lex eſt, ſtare decreto.

CAP. XXXVI. Quid enim intelligis fatum? Exiſtimo neceſſitatem rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat. Hanc ſi ſacrificiis, & capite niveæ agnæ, exorari judicas: divina non noſti. Sapientis quoque viri ſententiam negatis poſſe mutari. Quanto magis Dei? cum ſapiens quid ſit optimum in præſentia ſciat, illius divinitati omne præſens ſit. Agere tamen nunc eorum volo cauſſam, qui procuranda exiſtimant fulmina: & expiationes non dubi-

CAP. XXXV. *Qui excipiunt iſta*] Sibilo aut riſu, aut fortaſſean, *exſibilant*, inquit Fromondus. Alii voluere, *rejiciunt*. Tranſpoſitio paucorum verborum & brevitas Senecæ impedivit doctos homines. Audienda enim hæc, quaſi dictum eſſet: qui excipiunt iſta, tanquam ægræ mentis ſolatia, & nihil aliud eſſe exiſtimant. qui iſta ſic audiunt & æſtimant, ut ludibria, quibus capti ſuperſtitione animi paſcuntur, lactantur, ſpem inanem ſolantur. Ovidius de Ceyce: *Conſulat ut ſacras, hominum oblectamina, ſortes*. De expiationibus autem & procurationibus loquitur, non de fatis, quibus iſta rigida ſecta nunquam obtrectavit. Ut mirer revocare Gruterum: *& nihil aliud exiſtimant fata*. Sed quia ſic omnes codices ante Muretum, quibus & deeſt τὸ *fata* initio ſequentis periodi, videtur ſcribendum: *qui excipiunt iſta, & nihil aliud eſſe exiſtimant vota, quam ægra mentis ſolatia. Illa vero* (intellige fata ex ſuperioribus) *jus ſuum peragunt, nec ulla commoventur prece*. Statim quia iidem omnes codd. *ingeſta ex deſtinato*, legendum forte: *in certa ex deſtinato fluunt*. i. certo ordine, ut ſtatutum eſt. *Gronovius*.

Digitized by Google

dubitant prodeſſe, aliquando ad ſubmovenda pericula, aliquando ad levanda, aliquando ad differenda.

CAP. XXXVII. Quid ſit quod ſequitur, paulo poſt proſequar. Interim hoc habent commune nobiſcum, quod nos quoque exiſtimamus vota proficere, ſalva vi ac poteſtate fatorum. quædam enim à diis immortalibus ita ſuſpenſa relicta ſunt, ut in bonum vertant, ſi admotæ diis preces fuerint, ſi vota ſuſcepta. Ita non eſt hoc contra fatum, ſed ipſum quoque in fato eſt. Aut futurum, inquit, eſt, aut non. Si futurum eſt, etiam ſi non ſuſceperis vota, fiet. Si non eſt futurum, etiam ſi ſuſceperis vota, non fiet. Falſa eſt iſta interrogatio: quia illam mediam inter iſta exceptionem præteris. Futurum, inquam, hoc eſt, ſed ſi vota ſuſcepta fuerint. Hoc quoque neceſſe, inquit, eſt, fato comprehenſum ſit, aut ſuſcipias vota, aut non.

CAP. XXXVIII. Puta me tibi manus dare, & fateri, hoc quoque fato eſſe comprehenſum, ut utique fiant vota. Ideo fient. Fatum eſt, ut hic diſertus ſit, ſed ſi litteras didicerit: ab eodem fato continetur, ut litteras diſcat: ideo diſcet. Hic dives erit, ſed ſi navigaverit. At in illo fati ordine, quo patrimonium illi grande promittitur, [1] hoc quoque protinus fatum eſt, ut naviget: ideo navigabit. Idem dico tibi de expiationibus. Effugiet pericula, ſi expiaverit prædictas divinitus minas. At hoc quoque in fato eſt, ut expiet: ideo expiabit. Iſta nobis opponi ſolent, ut probetur nihil voluntati noſtræ relictum, & omne jus fato traditum. Cum de iſta re agetur, dicam, quemadmodum, manente fato, aliquid ſit in hominis arbitrio. Nunc vero id de quo agitur, explicavi, quomodo ſi fati certus eſt ordo, expiationes procurationeſque prodigiorum, pericula avertant: quia cum fato non pugnant, ſed ipſa lege fati fiunt. Quid

CAP. XXXVIII. 1 *Hoc quoque protinus fatum eſt*] Omnes ſcripti, *adfatum eſt*. Id videtur eſſe, quod *confatale* Ciceroni in libro de Fato: *At ſi ita fatum ſit, Naſcetur OEdipus Laio, non poterit dici, ſive fuerit Laius cum muliere, ſive non fuerit: copulata enim res eſt & confatalis.* Gronovius.

CAP.

Quid ergo, inquis, aruſpex mihi prodeſt? Utique enim expiare, etiam non ſuadente illo, mihi neceſſe eſt. Hoc prodeſt, quod fati miniſter eſt. Sic cum ſanitas videatur eſſe fato, debetur & medico: quia ad nos beneficium fati per hujus manus venit.

CAP. XXXIX. Genera fulminum tria eſſe ait Cæcinna: Conſiliarium, Auctoritatis, & quod Status dicitur. Conſiliarium ante rem fit, ſed poſt cogitationem: cum aliquid in animo verſantibus, aut ſuadetur fulminis ictu, aut diſſuadetur. Auctoritatis eſt, ubi poſt rem factam venit, quam futuram bono malove ſignificat. Status eſt, ubi quietis nec agentibus quidquam nec cogitantibus quidem, fulmen intervenit. Hoc aut minatur, aut promittit, aut monet. Hoc monitorium vocat: ſed neſcio quare non idem ſit, quod conſiliarium. Nam & qui monet, conſilium dat: ſed habet aliquam diſtinctionem. Ideoque ſeparatur à conſiliario: quia illud ſuadet diſſuadetque, hoc ſolam impendentis periculi evitationem continet. Ut cum timemus ignem aut fraudem à proximis, aut inſidias à ſervis. Etiamnum tamen aliam diſtinctionem utriuſque video: Conſiliarium eſt, quod cogitanti factum eſt: monitorium, quod nihil cogitanti. Habet autem utraque res ſuam proprietatem. Suadetur deliberantibus, at ultro monentur.

CAP. XL. Primo omnium non ſunt fulminum genera, ſed ſignificationum. Nam fulminum genera ſunt illa, quod terebrat, quod diſcutit, quod urit. Quod terebrat, ſubtile eſt & flammeum, cui per anguſtiſſimum fuga eſt, ob ſinceram & puram flammæ tenuitatem. Quod diſſipat, conglobatum eſt, & habet admixtam vim ſpiritus coacti & procelloſi. Itaque illud fulmen per id foramen, quod ingreſſum eſt, redit & evadit. Hujus late ſparſa vis, rumpit icta, non perforat. Tertium illud genus, quod urit, multum terreni habet, & igneum magis eſt quam flammeum. Itaque relinquit magnas ignium notas, quæ percuſſis inhæreant. Nullum quidem ſine igni fulmen venit: ſed hoc proprie

prie igneum dicimus, quod manifeſta ardoris veſtigia imprimit. Quod, aut [1] urit, aut fuſcat. Tribus modis urit: aut enim afflat, & levi injuria lædit, aut comburit, aut accendit. Omnia iſta urunt, ſed genere & modo differunt. Quodcumque combuſtum eſt, utique & uſtum eſt. At non omne quod uſtum, utique & combuſtum eſt. Item quod accenſum eſt. poteſt enim illud ipſo tranſitu ignis uſſiſſe. Quis neſcit quædam uri quidem, nec ardere? Nihil autem poteſt ardere, quod non uratur. Unum hoc adjiciam. Poteſt aliquid eſſe combuſtum, quod non ſit accenſum. poteſt accenſum eſſe, nec combuſtum.

CAP. XLI. Nunc ad id tranſeo genus fulminis, quo icta fuſcantur. Hoc aut decolorat, aut colorat. Utrique diſtinctionem ſuam reddam. Decoloratur, id cujus color vitiatur, non mutatur. Coloratur, id cujus alia fit quam fuit facies: tamquam cærulea, vel nigra, vel pallida. Hæc adhuc Etruſcis & philoſophis communia ſunt. In illo diſſentiunt, quod fulmina dicunt à Jove mitti, & tres illi manubias dant. Prima (ut aiunt) monet, & placata eſt, & ipſius conſilio Jovis mittitur. Secundam mittit quidem Jupiter, ſed ex conſilii ſententia. duodecim enim deos advocat. Hoc fulmen boni aliquid aliquando facit, ſed tunc quoque non aliter, quam ut noceat. Ne prodeſt quidem impune. Tertiam manubiam idem Jupiter mittit: ſed adhibitis in conſilium diis, quos ſuperiores & involutos vocant. Quæ vaſtat & includit, & mutat ſtatum privatum utique & publicum, quem invenit. Ignis enim nihil eſſe, quod ſit, patitur.

CAP. XLII. In his prima ſpecie ſi intueri velis, errat antiquitas. Quid enim tam imperitum eſt, quam credere fulmina è nubibus Jovem mittere, columnas, arbores, ſtatuas

CAP. XL. 1 *Urit aut fuſcat tribus modis*] Impeditum hunc locum jam olim, ut videre eſt apud Gruterum, diſtinctione ſanavimus: *hoc proprie igneum dicimus, quod manifeſta ardoris veſtigia imprimit. Quod aut urit aut fuſcat. Tribus modis urit* &c. Gronovius.

tuas ſuas nonnumquam petere, ut, impunitis ſacrilegis, percuſſis ovibus, incenſis aris, pecudes innoxias feriat, & ad ſuum concilium à Jove deos, quaſi in ipſo parum conſilii ſit, advocari: illa læta & placata eſſe fulmina, quæ ſolus excutiat: pernicioſa, quibus mittendis major numinum turba interfuit? Si quæris à me, quid ſentiam, non exiſtimo tam hebetes fuiſſe, ut crederent Jovem, aut non æquæ voluntatis, aut certe minus paratum eſſe. Utrum enim cum emiſit ignes, quibus innoxia capita percuteret, ſcelerata tranſiret, aut noluit juſtius mittere, aut non ſucceſſit? Quid ergo ſecuti ſunt, cum hoc dicerent? Ad coërcendos animos imperitorum, ſapientiſſimi viri judicaverunt inevitabilem metum, ut ſupra nos aliquid timeremus. Utile erat in tanta audacia ſcelerum aliquid eſſe, adverſum quod nemo ſibi ſatis potens videretur. Ad conterrendos itaque eos, quibus innocentia niſi metu non placet, poſuere ſuper caput vindicem, & quidem armatum.

CAP. XLIII. Quare ergo id fulmen quod ſolus Jupiter mittit, placabile eſt: pernicioſum id, de quo deliberavit, & quod aliis quoque diis auctoribus miſit? Quia Jovem, id eſt, regem, prodeſſe etiam ſolum oportet, nocere non, niſi cum pluribus viſum eſt. Diſcant hoc ii, quicumque magnam potentiam inter homines adepti ſunt, ſine conſilio nec fulmen quidem mitti: advocent, conſiderent multorum ſententias, placita temperent, & hoc ſibi proponant, ut aliquid percuti debeat, ne Jovi quidem ſuum ſatis eſſe conſilium.

CAP. XLIV. In hoc quoque tam imperiti non fuere, ut Jovem exiſtimarent tela mutare. poëticam iſta licentiam decent.

Eſt aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum,
Sævitiæ flammæque minus, minus addidit iræ.
Tela ſecunda vocant ſuperi. ——

Illos vero altiſſimos viros error iſte non tenuit, ut exiſtimarent Jovem modo levioribus fulminibus & luſoriis uti: ſed

Digitized by Google

ſed voluerunt admonere eos quibus adverſus peccata hominum fulminandum eſt, non eodem modo omnia eſſe percutienda: quædam frangi debere, [1] quædam elidi & diſtringi, quædam admoveri.

CAP. XLV. Ne hoc quidem crediderunt, Jovem, qualem in Capitolio & in ceteris ædibus colimus, mittere manu fulmina, ſed eundem quem nos Jovem intelligunt, cuſtodem rectoremque univerſi, animum ac ſpiritum, mundani hujus operis dominum & artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic eſt, ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſſa cauſſarum. Vis illum providentiam dicere? recte dices. Eſt enim, cujus conſilio huic mundo providetur, ut inconfuſus eat, & actus ſuos expli-

CAP. XLIV. 1 *Quædam elidi & diſtringi*] Ex margine Cœliana ſic dedit Muretus, in quo veræ lectionis veſtigium eſt: nam pejus libri alii, *eligi & diſtingui*: pejus Andreas Schottus: *elici & exſtingui*. Haud dubie ſcripſit Seneca, *quædam frangi debere*; (hæc ſumma & capitalis pœna) *quædam allidi & deſtringi*; hæc mitior & cum ſenſu aliquo ſupplicii, non tamen ultima;) *quædam admoveri*; hæc minima, quæ fit terrore & oſtentatione pœnæ, ſi quis gravius quid in ſe admittit. *Franguntur peccata* eorum, vel illi peccantes, pœnæ fulmine, qui pro magnitudine ſcelerum maxima ſupplicia excipiunt. *Alliduntur & deſtringuntur* peccantes fulminibus pœnarum, qui illis tanguntur, ſed tamen manu parcente; vulnerantur in re, fama, aut corpore, & leviter mulcantur, non tamen pereunt, diſcutiuntur, franguntur. Epiſt. 8. *Qui hoc faciunt, non evertit fortuna, ſed cernuat & allidit*. Columella, 2, 3. *imbecilliorem agrum quam agricolam eſſe debere: quoniam cum ſit colluctandum cum eo, ſi prævaleat, allidi dominum*. At inter *frangere* & *elidere*, quantum ad eventum, nullum diſcrimen. Ut hic *deſtringere*, ſic *ſtringere* habes in cap. 1. lib. 1. hujus operæ; *At cum levius colliſus, &, ut ita dicam, ſtrictus eſt aër, minora fulmina excutiuntur, crinemque volantia ſidera ducunt*. Quare & male primo loco Gallicus liber *ſtringi*. Denique *admoveri* eſt prope fulmen pœnæ poni, vicinum reddi, non tamen ut ab ipſo tangaris. Lib. 7, 12. *Ideo omnis ſiderum defectio brevis eſt, quia cito illas idem curſus, qui admoverat, abſtrahit*. Fromondi tamen *admoneri* habet ſuam Venerem. Statius in lacrymis Etruſci: *attonitum & venturi fulminis ictus Horrentem, tonitru tantum lenique procella Contentus monuiſſe ſenem*. Judiciis capitalibus Romæ alios dicebant damnatos, alios ambuſtos: damnatos frangi puta; ambuſtos allidi & deſtringi. tertium genus, quod facit Seneca, denuntiatione aut periculo proximorum admoveri fulminibus. Nam *admoveri* eleganter dicuntur & ea, quibus immotis proprie alii vel alia admoventur, & viciniora fiunt, vel fieri videntur: uti notavimus ad Statium, & pluribus poſſemus. Quod ideo dico, ne quis *admoneri* ideo malit, quod fulmina potius prope percuſſis, quam prope percuſſi fulminibus admoventur. Adde A. Gellium lib. 6, 14. de tribus pœnarum cauſis. *Idem*.

explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis. Eſt enim, ex quo nata ſunt omnia, cujus ſpiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipſe enim eſt, totum quod vides, totus ſuis partibus inditus, & ſe ſuſtinens vi ſua. Idem Etruſcis quoque viſum eſt: & ideo fulmina à Jove mitti dixerunt, quia ſine illo nihil geritur.

CAP. XLVI. At quare Jupiter aut ferienda tranſit, aut innóxia ferit? In majorem me quæſtionem vocas: cui ſuus locus, ſuus dies dandus eſt. Interim hoc dico, fulmina non mitti à Jove, ſed ſic omnia diſpoſita, ut ea etiam quæ ab illo non fiunt, tamen ſine ratione non fiant: quæ illius eſt. Vis eorum, illius permiſſio eſt. Nam etſi Jupiter illa nunc non facit, fecit ut fierent. Singulis non adeſt: ſed ſignum, & vim, & cauſſam dedit omnibus.

CAP. XLVII. Huic illorum diviſioni non accedo. Aiunt aut perpetua, aut finita eſſe fulmina, aut prorogativa. Perpetua, quorum ſignificatio in totam vitam pertinet; nec unam rem id enuntiat, ſed contextum rerum per omnem deinceps ætatem futurarum complectitur. Hæc ſunt fulmina, quæ prima accepto patrimonio, & in novo hominis aut urbis ſtatu fiunt. Finita ad diem utique reſpondent. Prorogativa ſunt, quorum minæ differri poſſunt, averti tollique non poſſunt.

CAP. XLVIII. Dicam quid ſit, quare huic diviſioni non conſentiam. Nam & quod perpetuum vocant fulmen, finitum eſt. Æque enim talia ad diem reſpondent. Nec ideo finita non ſunt, quia multum tempus ſignificant. Et quod prorogativum videtur, finitum eſt. Nam illorum quoque confeſſione certum eſt, quouſque impetretur dilatio. Privata enim fulmina negant ultra decimum annum, publica ultra triceſimum poſſe deferri. Hoc modo & iſta finita ſunt: quia ultra quod non prorogentur, incluſum eſt. Omnium ergo fulminum & omnis eventus dies ſtata eſt. Non poteſt enim ulla incerti eſſe comprehenſio. Quæ inſpicienda ſint in fulgure, paſſim & vage dicunt, cum poſ-

ſint

Digitized by Google

ſint ſic dividere, quemadmodum ab Attalo philoſopho, qui ſe huic diſciplinæ dederat, diviſa ſunt, ut inſpiciatur ubi factum ſit, quando, cui, in qua re, quale, quantum. Hæc ſi digerere in partes ſuas voluero, quid poſtea faciam, niſi in immenſum procedam?

CAP. XLIX. Nunc nomina fulminum, quæ à Cæcinna ponuntur, perſtringam: & quid de his ſentiam, exponam. [1] Ait eſſe poſtulatoria, quibus ſacrificia intermiſſa, aut non rite facta repetuntur. Monitoria, quibus docetur, quid cavendum ſit. Peſtifera, quæ mortem exſiliumque portendunt. Fallacia, quæ per ſpeciem alicujus boni nocent. Dant conſulatum, malo futurum gerentibus; & hereditatem, [2] cujus compendium magno ſit luendum incommodo. Deprecanea, quæ ſpeciem periculi ſine periculo afferunt. Peremptalia, quibus tolluntur priorum fulminum minæ. Atteſtata, quæ prioribus conſentiunt. [3] Atterranea, quæ in incluſo fiunt. Obruta, quibus jam prius percuſſa nec procurata feriuntur. Regalia, quorum vi tangitur vel comitium, vel principalia urbis liberæ loca: quorum ſignificatio regnum civitati minatur. Inferna, cum è terra exſiliunt ignes. Hoſpitalia, quæ ſacrificiis ad nos Jovem arceſſunt, & (ut verbo eorum molliori utar) invitant. [4] ſed ſi iraſcente domino invitant, tunc venire cum magno invi-

CAP. XLIX. 1 *Ait eſſe poſtulatoria*] De hiſce fulminum generibus plura nos videre jubet apud Plinium lib. 2. cap. 52. Feſtum Pompeium & Ammianum Marcellinum lib. 23. & Servium in lib. 1 Æneid. Briſſon. lib. de Formulis.

2 *Cujus impendium magno ſit luendum incommodo*] Vox ultima in Caſauboni codice defuit. Ut in Troadibus: *non parvo luit Iras Achillis Græcia, & magno luet.* Sic *magno coli*, de Ira, 2, 13. *magno conſtare*, de Clementia, 1, 29. *magno furere*, 7 de Benef. 9. *Gronovius.*

3 *Atterranea*] Sic fuiſſe in Britannico exemplari notavit Eraſmus. Cæterum alii mire diſcrepant, & monent aliquid ſecretius latere. Noſtrum Britannicum: *Attertanta.* Alia: *Attercanta, Artencata, Atcertanta, Artercanta, Attercanta.* An fuit, *Attegiata, quæ in incluſo fiunt.* Notum eſt illud: *Dirue Maurorum attegias.* Quam vocem mere Latinam docuit Salmaſius. *Idem.*

4 *Sed ſi iraſcente domino invitant*] Quum privato auditorio commiſiſſem hos libros, oſtenderemque ſubeſſe hic aliquid vitii; neque enim *dominum* dici, niſi qui invitaſſet; nec iratum diis haberi poſſe, qui eos, ut Higinus loquitur, adhoſpitaret ſibi: adole-

invitantium periculo affirmat. Auxiliaria, quæ advocata, ſed advocantium bono veniunt.

CAP. L. Quanto ſimplicior diviſio eſt, qua utebatur Attalus noſter, egregius vir, qui Etruſcorum diſciplinam Græca ſubtilitate miſcuerat. Ex fulminibus quædam ſunt, quæ ſignificant id quod ad nos pertinet: quædam aut nihil ſignificant, aut id cujus intellectus ad nos non pervenit. Ex his quæ ſignificant, quædam ſunt læta, quædam adverſa, quædam nec adverſa nec læta. Adverſorum hæ ſpecies ſunt. Aut inevitabilia mala portendunt, aut evitabilia, aut quæ minui poſſunt, aut quæ prorogari. Læta aut manſura ſignificant, aut caduca. Mixta aut partem habent boni, partem mali, aut mala in bonum, aut bona in malum vertunt. Nec adverſa nec læta ſunt, quæ aliquam nobis actionem ſignificant, qua nec terreri nec lætari debemus: ut peregrinationem, in qua nec metus, nec ſpei quidquam ſit.

CAP. LI. Revertar ad ea fulmina, quæ ſignificant quidem aliquid, ſed quod ad nos non pertineat. tamquam, utrum eodem anno idem futurum ſit fulmen, quod factum eſt. Nihil ſignificant fulmina, aut id cujus notitia nos effugit: ut illa quæ in vaſtum mare ſparguntur, aut in deſertas ſolitudines: quorum ſignificatio, vel nulla eſt, vel perit.

CAP. LII. Pauca adhuc adjiciam ad enarrandam vim fulminis, quæ non eodem modo omnem materiam vexat. Valentiora, quia reſiſtunt, vehementius diſſipat: cedentia nonnumquam ſine injuria tranſit. Cum lapide ferroque, & duriſſimis quibuſque, confligit: quia viam neceſſe eſt per illa impetu quærat. Itaque facit viam qua effugiat. teneris & rarioribus parcit, quamquam & flammis opportuna videan-

adoleſcens egregius, quid ſi legamus, inquit, *iraſcentem?* Invenerat, quod quærebamus. Nam Jovem male invocatum iraſci quandoque invitatori ſignificat, & id expertum Tullum Hoſtilium cum regia conflagraſſe putabant. *Gronovius.*

CAP.

videantur: quia tranſitu patente minus ſævit. Loculis itaque, ut dixi, integris, pecunia quæ in his fuerat, conflata reperitur: quia ignis tenuiſſimus per occulta foramina tranſcurrit. Quidquid autem in tigno ſolidum invenit, ut contumax vincit. Non uno autem, ut dixi, modo ſævit: ſed quid quæque vis fecerit, ex ipſo genere injuriæ intelligis, & fulmen opere cognoſcis. Interdum in eadem materia, multa diverſa, ejuſdem vis fulminis facit: ſicut in arbore, quod aridiſſimum eſt, urit: quod ſolidiſſimum & duriſſimum eſt, terebrat & frangit: ſummos cortices diſſipat, interiores libros interioris arboris rumpit ac ſcindit, folia perſtringit ac tundit: vinum gelat, ferrum & æs fundit.

CAP. LIII. Illud eſt mirum, quod vinum fulmine gelatum, cum ad priorem habitum redit, potum aut exanimat, aut dementes facit. Quare id accidat quærenti mihi, illud occurrit. Ineſt fulmini vis peſtifera. Ex hoc aliquem remanere ſpiritum in eo humore quem coëgit gelavitque, veriſimile eſt. Nec enim alligari potuiſſet, niſi aliquod illi eſſet additum vinculum. Præterea olei quoque, & omnis unguenti, teter poſt fulmen odor eſt. Ex quo apparet, ineſſe quamdam ſubtiliſſimo igni, & contra naturam acto, peſtilentem potentiam, qua non tantum icta cadunt, ſed etiam afflata. Præterea quocumque decidit fulmen, ibi odorem ſulphuris eſſe certum eſt: qui quia natura gravis eſt, ſæpius hauſtus alienat. Sed ad hoc vacui revertemur. Fortaſſe enim libebit oſtendere, [1] quantum omnia iſta à philoſophia artium parente fluxere. Illa primum & quæſivit cauſſas rerum, & obſervavit effectus: & quod fulminis inſpectione longe melius eſt, initiis rerum exitus contulit.

CAP. LIV. Nunc ad opinionem Poſidonii revertar. E terra terreniſque omnibus pars humida efflatur, pars ſicca & fumida. Hæc fulminibus alimentum eſt: illa imbribus,

CAP. LIII. *Quantum omnia iſta*] Fortaſſe: *libebit oſtendere, omnia iſta à philoſophia artium parente fluxiſſe.* GRONOVIUS.

bus. Quidquid in aëra ſicci fumoſique pervenit, id includi ſe nubibus non fert, ſed rumpit claudentia. Inde eſt ſonus, quem nos tonitruum vocamus. In ipſo quoque aëre quidquid attenuatur, ſimul ſiccatur & calet. Hoc quoque ſi incluſum eſt, æque fugam quærit,& cum ſono evadit. Et modo univerſam eruptionem facit, eoque vehementius intonat; modo per partes & minutatim. Ergo tonitrua hic ſpiritus exprimit, dum aut rumpit nubes, aut pervolat. Volutatio autem ſpiritus, in nube concluſi, valentiſſimum eſt accendendi genus.

Cap. LV. Tonitrua nihil aliud ſunt, quam ſicci aëris ſonitus, qui fieri, niſi dum aut terit, aut rumpitur, non poteſt. Et ſi colliduntur, inquit, nubes inter ſe,fit is quem deſideras ictus, ſed non univerſus. Neque enim tota totis concurrunt, ſed partibus partes. Nec ſonant mollia, niſi illiſa duris ſint. Itaque non auditur fluctus, niſi impactus. Ignis, inquit, miſſus in aquam, ſonat, dum exſtinguitur. Puta ita eſſe. pro me eſt. Non enim ignis tunc ſonum efficit,ſed ſpiritus per exſtinguentia effugiens. Ut dem tibi,& fieri ignem in nube, & exſtingui, è ſpiritu naſcitur & attritu. Quid ergo? inquit. non poteſt aliqua ex his tranſcurrentibus ſtellis incidere in nubem, & exſtingui? Exiſtimemus poſſe aliquando & hoc fieri. Nunc naturalem cauſſam quærimus & aſſiduam, non raram & fortuitam. Puta me confiteri verum eſſe,quod dicis: aliquando poſt tonitrua emicare ignes, ſtellis tranſverſis & cadentibus ſimiles. Non ob hoc tonitrua facta ſunt: ſed cum hoc fieret, tonitrua facta ſunt. Clidemus ait, fulgurationem ſpeciem inanem eſſe, non ignem. Sic enim per noctem ſplendorem motu remorum videri. Diſſimile eſt exemplum. illic enim ſplendor intra ipſam aquam apparet: hic qui fit in aëre, erumpit & exſilit.

Cap. LVI. Heraclitus exiſtimat fulgurationem eſſe velut apud nos incipientium ignium conatus, & primam flammam incertam,modo intereuntem,modo reſurgentem. Hæc antiqui fulgetra dicebant: tonitrua nos pluraliter dicimus.

Digitized by Google

cimus. Antiqui aut tonitruum dixerunt, aut tonum. Hoc apud Cæcinnam invenio, facundum virum; qui habuiſſet aliquod in eloquentia nomen, niſi illum Ciceronis umbra preſſiſſet. Etiamnum illo verbo utebantur antiqui, correpto, quo nos producta una ſyllaba utimur. Dicimus enim ut ſplendêre, ſic fulgêre. At illis ad ſignificandum hanc è nubibus ſubitæ lucis eruptionem mos erat, media ſyllaba correpta, ut dicerent fulgere.

CAP. LVII. Quid ipſe exiſtimem, quæris? Adhuc enim [1] alienis opinionibus accommodavi manum. Dicam: Fulgurat, cum repentinum late lumen emicuit. Id evenit, ubi in ignem extenuatus in nubibus aër vertitur, nec vires, quibus longius proſiliat, invenit. Non miraris, puto, ſi aëra aut motus extenuat, aut extenuatio incendit. Sic liqueſcit excuſſa glans funda, & attritu aëris velut igne diſtillat. Ideo æſtate plurima fiunt fulmina, quia plurimum calidi eſt. Facilius autem attritu calidorum ignis exiſtit. Eodem modo fit fulgor qui tantum ſplendet, & fulmen quod mittitur. Sed illi levior vis, alimentique eſt minus. Et, ut breviter dicam quod ſentio: Fulmen eſt fulgor intentum. Ergo ubi calidi fumidique natura, emiſſa terris, in nubes incidit, & diu in illarum ſinu volutata eſt, noviſſime erumpit. Et quia vires non habet, ſplendor eſt. At ubi fulgura plus habuere materiæ, & majore impetu arſerunt, non apparent tantum, ſed decidunt.

CAP. LVIII. Quidam utique exiſtimant fulmen reverti: quidam ſubſidere, ubi alimenta prægravaverunt, & fulmen ictu languidiore delatum eſt. At quare fulmen ſubitum apparet, nec continuatur aſſiduus ignis? Quia celerrimi motus eſt: ſimul & nubes rumpit, & aëra incendit. Deinde deſinit flamma quieſcente motu. Non enim eſt aſſiduus ſpiritus curſus, ut ignis poſſit extendi, ſed quoties fortius ipſa

CAP. LVII. 1 *Alienis opinionibus accommodavi manum*] Potius videtur, *commodavi.* Ut epiſt. 70. *non commodabit pœna ſua manum.* Petronius: *pro conſortio ſtudiorum commoda manum.* Gronovius.

ipſa jactatione ſe accendit, fugiendi impetum capit. Deinde cum evaſit, & pugna deſiit, ex eadem cauſſa modo uſque ad terram profertur, modo diſſolvitur, ſi minore vi depreſſus eſt. Quare oblique fertur? Quia ſpiritu conſtat. Spiritus obliquus eſt, flexuoſuſque. Et quia natura ignem ſurſum vocat, injuria deorſum premit, [1] incipit obliquus eſſe. Interdum dum neutra vis alteri cedit, & ignis in ſuperiora nititur, & in inferiora deprimitur. Quare frequenter cacumina montium feriuntur? Quia oppoſita ſunt nubibus, & è cælo cadentibus, per hæc tranſeundum eſt.

Cap. LIX. Intelligo quid jam dudum deſideres, quid efflagites. Malo, inquis, fulmina non timere, quam noſſe. Itaque alios doce, quemadmodum fiant. Ego mihi metum illorum [1] excuti volo, quam naturam indicari. Sequar quo vocas. omnibus enim rebus, omnibuſque ſermonibus aliquid ſalutare miſcendum eſt. Cum imus per occulta naturæ, cum divina tractamus, vindicandus eſt à malis ſuis animus, ac ſubinde firmandus: quod etiam eruditis, & hoc unum agentibus, neceſſarium eſt: non ut effugiamus ictus rerum (undique enim tela in nos jaciuntur) ſed ut fortiter conſtanterque patiamur. Invicti eſſe poſſumus, inconcuſſi non poſſumus: quamquam interim ſpes ſubit, inconcuſſos quoque eſſe nos poſſe. Quemadmodum, inquis? Contemne mortem; & omnia quæ ad mortem ducunt, contempta ſunt: ſive illa bella ſint, ſive naufragia, ſeu morſus ferarum, ſeu ruinarum ſubito lapſu procidentium pondera. Numquid amplius facere poſſunt, quam ut corpus ab anima reſolvant? Hæc nulla diligentia evitat, [2] nulla felicitas donat, nulla

Cap. LVIII. 1 *Incipit obliquus eſſe*] Mss. omnes, *obliquum*, ut referatur ad fulmen. Videtur autem ita concipiendus locus: *Et quia natura ignem ſurſum vocat, injuria deorſum premit, incipit obliquum eſſe interim, dum neutra vis alteri cedit, & ignis in ſuperiora nititur, in inferiora deprimitur.* Niſi mavis retinere *interdum* eodem ſenſu. *Gronovius.*

Cap. LIX. 1 *Excuti malo quam naturam*] Mss. Veneta vetus & Eraſmicæ: *excuti volo:* nec video, quis qua auctoritate mutaverit. Itaque reſtituatur: nam τὸ *quam*, more toties tradito, eſt idem quod *magis quam.* Idem.

2 *Nulla felicitas domat*] Sic quidem Eraſmus, ſed Veneta ante illum & omnes

Digitized by Google

nulla potentia evincit. [3] Alia varia ſorte diſponuntur: mors omnes æque vocat. Iratis diis propitiiſque moriendum eſt: animus ex ipſa deſperatione ſumatur. Ignaviſſima animalia, quæ natura ad fugam genuit, ubi exitus non patet, [4] tentant fugam corpore imbelli. Nullus [5] pernicioſior hoſtis eſt, quam quem audacem anguſtiæ faciunt: longeque violentius ſemper ex neceſſitate, quam ex virtute corruitur. Majora, aut certe paria, conatur animus magnus ac perditus. Cogitemus, nos, quantum ad mortem, proditos eſſe: & ſumus. Ita eſt, Lucili. Omnes reſervamur ad mortem. Totum hunc quem vides populum, [6] quos uſquam cogitas eſſe, cito natura revocabit & condet: nec de re, ſed de die quæritur. Eodem citius tardiuſve veniendum eſt. Quid ergo? Non tibi timidiſſimus omnium videtur, & inſipientiſſimus, qui magno ambitu rogat moram mortis? Nonne contemneres eum, qui inter perituros conſtitutus, beneficii loco peteret, ut ultimus

omnes mss. *donat.* Et multo melius: nulla felicitas, inquit, remittit mortem, & quæ ad mortem ducunt. Nam eo ſenſu hic, *donare.* Ut mox: *Caſus iſte donat metum.* Quod idem Eraſmus & Pincianus & Fortunatus vitiarunt ſuo *demat.* Cæterum de hoc verbo & diximus alibi & etiam dicendum erit. *Gronovius.*

3 *Alia fortuito diſponuntur*] Facinus iterum Mureti Alexandreum. Veneta: *talia varia fortitudine diſponuntur:* neque aliter Eraſmica, niſi quod, *vera:* id quod poſt, vulgatæ ſunt ſequutæ: & potuit Grutero placere. Mss. ut Veneta fere. Opſopœus: *Alia varie fortuna diſponit.* Lego: *Alia varia ſorte diſponuntur: mors omnes æque vocat.* Nec mirere productionem vocis in libris antiquis. Optimus & antiquiſſimus omnium Livii codex alicubi pro *turpius*, quod verum erat, exhibebat *turpitudinibus*. Et obſervavi veteres libros bonæ notæ non ſæpius deficere literis in dubiis locis, quam abundare. *Idem.*

4 *Tentant fugam corpore imbelli*] Hoc quidem etiam faciunt, ubi patet exitus. Sed *ubi exitus non patet, tentant pugnam corpore imbelli* licet. Et ita ſcripſit haud dubie Seneca. *Idem.*

5 *Pernicioſior hoſtis eſt*] Sic Veneta & Eraſmi, &, puto, aliæ, præter proximas, quæ errore, credo, operarum inepte contraxerunt vocem in *pernicior.* Statim, *quam ex virtute corrigimus*, legitur æque ſtulte. nihil hic de correctione, ſed de impetu & concurſu hoſtium. Promiſcui libri veteres, *corrigitur*, habent. ſed haud dubie verum, quod exſtitit in uno Pall. & Caſauboniano, *quam ex virtute corruitur.* Idem.

6 *Quouſque cogitas eſſe*] Duo apud Gruterum, *quem uſque.* Uti Opſopœus notat etiam voluiſſe Claudium Puteanum. Optime regius, *Totum hunc, quem vides populum, quos uſquam cogitas eſſe, cito natura revocabit & condet.* Tacita eſt ἐπανόρθωσις· Hunc, quem cernis populum. quid dixi, hunc populum? immo quos uſquam eſſe mente concipere potes. *Idem.*

7 *Omnium*

timus cervicem præberet? Idem facimus. Magno æſtimamus, mori tardius. In omnes conſtitutum eſt capitale ſupplicium, & quidem conſtitutione juſtiſſima. Nam, quod maximum ſolet eſſe ſolatium extrema paſſuris,[7] quorum eadem cauſſa, ſors eadem eſt. Sequeremur traditi à judice aut magiſtratu, & carnifici noſtro præſtaremus obſequium: quid intereſt, utrum ad mortem juſſi eamus, an ultronei? O te dementem, & oblitum fragilitatis tuæ, ſi tunc mortem times, cum tonat! Ita ne ſalus tua in hoc vertitur? Vives, ſi fulmen effugeris? Petet te gladius, petet lapis, petet febris. Non maximum ex periculis, ſed ſpecioſiſſimum fulmen eſt. Male ſcilicet erit actum tecum, ſi ſenſum mortis tuæ celeritas infinita prævenerit, ſi mors tua procurabitur, ſi ne tunc quidem cum exſpiras, ſupervacuus, ſed alicujus magnæ rei ſignum es. Male ſcilicet tecum agitur, ſi cum fulmine conderis. Sed paveſcis ad cæli fragorem, & ad inane nubilum trepidas, & quoties aliquid effulſit, exſpiras. Quid ergo? Honeſtius judicas dejectione animi perire quam fulmine? Eo itaque fortior adverſus cæli minas ſurge, & cum mundus undique exarſerit, cogita te nihil habere tanta mole perdendum. Quod ſi tibi parari credis illam cæli confuſionem, illam tempeſtatum diſcordiam, ſi propter te ingeſtæ illiſæque nubes ſtrepunt, ſi in tuum exitium tanta vis ignium excutitur: at tu ſolatii loco numera tanti eſſe mortem tuam. Sed non erit huic cogitationi locus. Caſus iſte donat metum. Eſt inter cetera quoque hoc commodum ejus, quod exſpectationem tuam antecedit. Nemo umquam fulmen timuit, niſi qui effugit.

L I-

7 *Omnium cauſſa eadem eſt*] Ut variaverint alii, habes apud Gruterum. Britannicus: *quorum enim cauſſa ſors eadem eſt.* Sic & liber quem vidit Schottus, qui putat, *communis cauſſa,* ſcribere voluiſſe. Unus apud Gruterum & Caſaubonianus: *quorum enim cauſſa & ſors eadem eſt.* Quæ Grutero maxime ſana lectio videtur: tantum miratur, unde iſtud *enim.* Dicam. Corruptum eſt ex, *eadem:* & ſanum eſt, *Nam, quod ultimum ſolet eſſe ſolatium extrema paſſuris, quorum eadem cauſſa, ſors eadem eſt.* Lib. 7, 2. *Itaque ſi omnia terrena ſidera ſunt, his quoque eadem ſors erit.* Et c. 27. *Cometas æternos eſſe & ſortis ejuſdem.* Gronovius.

8 *Damna*

LIBER TERTIUS.

Qui eſt de aquis.

ARGUMENTUM.

INitio dolet tam ſero ad ſtudium naturæ acceſſiſſe, cum ſatius ſit Dei opera, quam Philippi aut Alexandri latrocinia celebrare. Aquarum deinde tractationem, à diviſione in dulces & medicatas, inſtituit. Negat fontes & flumina ex imbribus naſci, quia exprimento proprio didicit maximas pluviarum non ultra decem pedes terram madefacere. Terram igitur potius in aquas mutabilem facit. Thaletem, qui terram aqua, more navigii vehit, ineptire dicit: ſed telluris corpus inſtar humani eſſe, in quo venæ aquarum, ceu ſanguinis, arteriæ ſpiritus ſint conceptacula. Quidam etiam fontes implentur aut deplentur certis horis aut menſibus, quomodo quartana ad horam venit, aut podagra ad tempus reſpondet. Ab aquis ad piſces tranſit, & aliquantulum circa mullos adhæret; quos luxuria Romana Euripis ſub menſas fluentibus exemptos, & vitreis ollis incluſos, vario & maculoſo colore, id eſt, picta & formoſa morte exſpirantes ſpectabat, oculoſque paſcebat ante gulam. Redit dein ad aquas, & de earum medicaminibus & miraculis plurima ex Ariſtotele & aliunde permiſcet. Ad diluvia poſtremo & fatales aquarum inundationes greſſum movet. Ea evenire, cum mare, flumina, cælum in exitium humani generis conſpiraverint. Oceanus deinde & omnis aquarum illa eluvies in ſedes ſuas revocatur, redditurque iterum terris homo inſcius ſcelerum; qui tamen in innocentia ſua non diurnat, & cito redit in nequitiam.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

NOn præterit me, Lucili virorum optime, quam magnarum rerum fundamenta ponam ſenex, qui mundum circuire conſtitui, & cauſſas ſecretaque ejus eruere, atque aliis noſcenda prodere. Quando tam multa conſequar? tam ſparſa colligam? tam occulta perſpiciam? Premit à tergo ſenectus, & objicit annos inter vana ſtudia conſumptos. tanto magis urgeamus, & [1] damna ætatis male exemptæ labor ſarciat. Nox ad diem accedat. Occupationes recidantur: patrimonii longe à domino jacentis cura ſolvatur: ſibi totus animus vacet, & ad contemplationem ſui [2] ſaltem in ipſo fugæ impetu reſpiciat. Faciet, ac ſibi inſtabit, & quotidie brevitatem temporis metietur. Quidquid amiſſum eſt, id diligenti uſu præſentis vitæ recolliget. Fideliſſimus eſt ad honeſta ex pœnitentia tranſitus. Libet mihi exclamare illum poëtæ inclyti verſum:

Tollimus ingentes animos, & maxima parvo
Tempore molimur. ——

Hoc dicerem, ſi puer juveniſve molirer. Nullum enim non tam

1 D*Amna ætatis male exacta*] Gruterus: ita legendum putaverat Pincianus, cujus libri, ut & Eraſmi, *ætatis male exemta*. Et vero etiam quatuor mei, *exemta*. De quo velim iterum diſputet lector. Recte mones. Omnino enim retinenda vetus lectio. *Eximere diem, tempus*, eſt deripere & abſtrahere negotiis, ſive feriarum cauſſa, ſive ne quod opus, aut quod inſtitutum erat, agatur, & perficiatur. Sic Cicero ad Q. Fratrem 2. epiſt. 1. *Tum Clodius rogatus diem dicendo eximere cœpit.* Idem ad Atticum, 4, 3. *Metellus calumnia dicendi tempus exemit, adjuvante Oppio.* Philippica 2. *Horam eximere nullam in tali cive liberando ſine ſcelere non poſſumus.* Sic ſcribendum apud Cæſarem de Bello Civili, 1, 5. *Itaque primis quinque diebus, quibus haberi ſenatus potuit, qua ex die conſulatum iniit Lentulus, biduo exemto comitiali* &c. Vulgo *excepto*: nec advertit editores. Hinc ſumſit Seneca, & *ætatem male exemtam* dixit optimis ſtudiis detractam & vanis traductam. *Gronovius.*

2 *Saltem in ipſo fine reſpiciat*] Mss. *in ipſo fugæ impetu.* Gothofredus conjectat, *in ipſo portu.* At nihil poteſt melius reperiri veteri lectione. Significat illud momentum, quo impetum capit animus ut ex corpore exeat, aufugiat, avolet: quod ſenes, utique ſapientes, qualis tum Seneca, ſemper ſibi præſens eſſe putabunt. Utinam & omnes homines nullo ætatis diſcrimine! *Idem.*

3 *Poſt*

tam magnis rebus tempus anguſtum eſt. Nunc vero ad rem ſeriam, gravem, immenſam, [3] poſt meridianas horas acceſſimus. Faciamus quod in itinere fieri ſolet. Qui tardius exierunt, velocitate penſant moram. Feſtinemus, & opus neſcio an ſuperabile, magnum certe, ſine ætatis excuſatione tractemus. Creſcit animus, quoties cœpti magnitudinem attendit, & cogitat, quantum propoſito, non quantum ſibi ſuperſit. Conſumſere ſe quidam, dum acta regum externorum componunt, quæque paſſi invicem auſique ſunt populi. Quanto ſatius eſt, ſua mala exſtinguere, quam aliena poſteris tradere? Quanto potius deorum opera celebrare, quam Philippi aut Alexandri latrocinia, ceterorumque, qui exitio gentium clari, non minores fuere peſtes mortalium, quam inundatio, qua planum omne perfuſum eſt; quam conflagratio, qua magna pars animantium exaruit? Quemadmodum Hannibal ſuperaverit Alpes, ſcribunt: quemadmodum confirmatum Hiſpaniæ cladibus bellum Italiæ inopinatus intulerit: fractiſque rebus etiam poſt Carthaginem pertinax, reges pererraverit, contra Romanos [4] ducem ſe promittens, etiam ſine exercitu. quemadmodum non deſierit ſenex omnibus angulis bellum quærere. [5] adeo ſine patria pati poterat, ſine hoſte non poterat. Quanto ſatius,

3 *Poſt meridianas horas acceſſimus*] Locutio in eum quadrat, qui grave aliquid & arduum ſero aggreditur, ut docet Turnebus Adverſ. lib. 18. cap. 13. Langlæus Ocii Semeſtr. lib. 1. cap. ult. quibus addatur Adr. Junius centur. 1. adag. 36. quod habet: *In meridie vitæ philoſophantes.*

4 *Ducem ſe promittens etiam ſine exercitu*] Videri poteſt mutuatus à Cæſare, *ire ſe ad ducem ſine exercitu.* Sed placet trium codd. apud Gruterum: *ducem promittens, exercitum petens.* Juſtinus lib. 31. *Ad hoc ſibi centum naves & decem millia peditum & mille equitum poſcebat, promittens hac manu non minus bellum, quam geſſerit, Italiæ reſtauraturum.* Illud, *ducem promittens*, non modo confirmant Petronii, *aliquid aliud promittam*, & Juvenalis *fidibus promittere*, & Calpurnii Flacci decl. 20. *turpem vitam promittere:* ſed & militiæ proprium *promittere manum.* Florus: *ut extraordinariam manum adverſus eos promiſerit gens una Fabiorum.* Apud Juſtinum lib. 8. rogatur Philippus, *ut profeſſum adverſus Phocenſes ducem Græciæ exhibeat.* Hoc eſt, ducem promittat. *Gronovius.*

5 *Adeo ſine patria eſſe pati poterat*] In codice uno apud Gruterum deerat verbum *eſſe*; quod *pati* neſcio an auctoris dici non queat: ut ponatur pro durare, aut tolerare vitam, inquit ille. Eſt profecto, & ſciebas. Marcus pater Controv. 9. *Non poſſum, inquit, pati ſine*

tius, quid faciendum ſit, quam quid factum ſit, quærere; ac docere eos qui ſua permiſere fortunæ, nihil ſtabile ab illa datum eſſe, ejus omnia fluere aura mobilius? neſcit enim quieſcere, [6] lætis triſtia ſuſtinere, & utraque miſcere. Itaque in ſecundis nemo confidat, in adverſis nemo deficiat. alternæ ſunt vices rerum. Quid exſultas? Iſta quibus veheris in ſummum, neſcis ubi te relictura ſint: habebunt ſuum, non tuum, finem. Quid jaces? ad imum delatus es: nunc eſt reſurgendi locus. In melius adverſa, in deterius optata flectuntur. [7] Ita concipienda eſt animo varietas, non privatarum tantum domuum, quas levis caſus impellit, ſed etiam publicarum. Regna ex infimo coorta ſupra imperantes conſtiterunt. Vetera imperia in ipſo flore cecidere. Iniri non poteſt numerus, quam multa ab aliis fracta ſint. nunc cum maxime [8] Deus alia exaltat, alia ſubmittit, nec molliter ponit, ſed ex faſtigio ſuo nullas habitura reliquias jactat. Magna iſta, quia parvi ſumus, credimus. Multis rebus non ex natura ſua, ſed ex humilitate noſtra, magnitudo eſt. Quid præcipuum in rebus humanis eſt? Non claſſibus maria compleſſe, nec in rubri maris littore ſigna fixiſſe,

ſine patre. Me autem ſine te putas pati poſſe? aut patrem quemquam putas pati ſine liberis poſſe? Ita enim illic legendum eſt. Ibidem ſtatim: *Recipiat ſuos: non poſſum ſine te pati.* Et ſequenti: *Potes ſine viro pati: peregrinationes ejus tuliſti.* Noſter Thyeſte: *Immane regnum eſt, poſſe ſine regno pati.* Lucanus lib. 5. *Diſce ſine armis poſſe pati.* Et lib. 9. *Et neſcis ſine rege pati.* Ad quem hoc genus loquendi notavit vir illuſtris: ſed repetenda fuerunt, ut agnoſceres phraſin Annæorum propriam eſſe. *Gronovius.*

6 *Gaudet lætis triſtia ſubſtituere*] Britannicus, Veneta, Eraſmi, *ſuſtinere.* Et male mutatum cenſeo. Livius lib. 26. *Vos omnium primi, milites, poſt Cannenſem cladem vadenti Haſdrubali ad Alpes Italiamque ductu auſpicioque patris mei obſtitiſtis: & hæ ſecunda res illas adverſas ſuſtinuerunt.* Cicero, 4 ad Famil. 13. *Ipſe enim, pari fortuna abjectus, aliorum opibus caſus meos ſuſtentabam.* Pro Cælio: *qua etiam aleret adoleſcentes & parſimoniam patrum ſuis ſumtibus ſuſtentaret.* Idem.

7 *Ita concipienda*] Immo: *Iſta concipienda eſt animo varietas.* Idem.

8 *Deus alia exaltat, alia ſubmittit*] Hoc Æſopus quaſi proprium Dei opus eſſe reſpondit. Et notum eſt illud Heſiodi,

Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ᾽ ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει. Muretus.

xiſſe, nec deficiente terra ad injurias aliorum erraſſe in Oceano, ignota quærentem: ſed animo omne vidiſſe, & qua nulla eſt major victoria, vitia domuiſſe. Innumerabiles ſunt, qui urbes, qui populos habuere in poteſtate: pauciſſimi, qui ſe. Quid eſt præcipuum? Erigere animum ſupra minas & promiſſa fortunæ. Nihil dignum putare quod ſperes. Quid enim habet dignum, quod concupiſcas? [9] qui à divinorum converſatione quoties ad humana recideris, non aliter caligabis, quam quorum oculi in denſam umbram ex claro ſole rediere. Quid eſt præcipuum? Poſſe læto animo adverſa tolerare: quidquid acciderit, ſic ferre, quaſi tibi volueris accidere. Debuiſſes enim velle, ſi ſciſſes omnia ex decreto Dei fieri. Flere, queri, ingemere, deſciſcere eſt. Quid eſt præcipuum? Animus contra calamitates fortis & contumax, luxuriæ non adverſus tantum, ſed & infeſtus: nec avidus periculi, nec fugax, qui ſciat fortunam non exſpectare, ſed facere: & adverſus utramque intrepidus inconfuſuſque prodire, nec illius tumultu, nec hujus fulgore percuſſus. Quid eſt præcipuum? non admittere in animum mala conſilia, puras ad cælum manus tollere: nullum petere bonum, quod ut ad te tranſeat, aliquis dare debet,, aliquis amittere: optare, quod ſine adverſario optatur, bonam mentem: cetera magno æſtimata mortalibus, etiam ſi quis domum caſus attulerit, ſic intueri, quaſi exitura, qua venerint. Quid eſt præcipuum? Altos ſupra fortuita ſpiritus attollere: hominis meminiſſe, ut, ſive felix eris, ſcias hoc non futurum diu; ſive infelix, ſcias hoc te non eſſe, ſi non putes. Quid eſt præcipuum? in primis labris animam habere. Hæc res efficit non è jure Quiritium liberum, ſed è jure naturæ. Liber autem eſt, qui ſervitutem

9 *Qui à divinorum contemplatione*] Sic quidem & Eraſmus. Sed multo magnificentius mss. & Veneta ante illum editio, *converſatione*. Annon eodem modo præfatione lib. 1. *Cum illam non ab hac parte video, qua publica eſt, ſed cum ſecretiora ejus intravi.* Et ibidem: *qui in conſortium Dei veniat.* Marcus, Suaſor. 4. *cum pateant nobis ſidera, & intereſſe numinibus liceat.* Gronovius.

vitutem effugit ſui. Hæc eſt aſſidua ſervitus, & ineluctabilis, & per diem ac noctem æqualiter premens, ſine intervallo, ſine commeatu. Sibi ſervire, graviſſima ſervitus eſt: quam diſcutere facile eſt, ſi deſieris multa te poſcere, ſi [10] deſieris tibi referre mercedem, ſi ante oculos & naturam tuam poſueris & ætatem, licet prima ſit; ac tibi ipſe dixeris: Quid inſanio? quid anhelo? quid ſudo? quid terram verſo? quid forum viſo? Nec multo opus eſt, nec diu. Ad hoc proderit nobis inſpicere rerum naturam. primo diſcedemus à ſordidis, deinde animum ipſum, quo magno ſummoque opus eſt, ſeducemus à corpore. Deinde in occultis exercitata ſubtilitas, non erit in aperto deterior. Nihil autem eſt apertius his ſalutaribus, quæ contra nequitiam noſtram furoremque diſcuntur, quæ damnamus, nec ponimus.

CAP. I. Quæramus ergo de aquis, & inveſtigemus, qua ratione fiant: ſive, ut ait Ovidius,

Fons erat illimis nitidis argenteus undis:

ſive, ut ait Virgilius,

Unde per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arva ſonanti:

ſive ut apud te, Junior cariſſime, invenio,

Eleus Siculis de fontibus exſilit amnis.

[1] quæ ratio aquas ſubminiſtret: quomodo tot flumina ingentia per diem noctemque decurrant: quare alia hibernis aquis intumeſcant, alia in defectu ceterorum amnium creſcant.

10 *Deſieris tibi referre mercedem*] Acutum hoc agnoſco; non vero tortuoſum, niſi in explicatione Fromondi. Tranſlatio eſt à ſervis, quorum operas locabant domini, & quod illi meruiſſent, in reditu & quæſtu habebant. Plautus, Aſinar. 2, 4. *Dromo mercedem retulit*. Eſt igitur fructum tuarum actionum tibi annumerare, cum debeas Deo, naturæ, patriæ, civibus: te reſpicere, & actiones tuas tunc utiles putare, ſi ipſe ex illis magis quam quiſquam alius commoda percipias. Excerpta M. Senecæ lib. 10. Contr. 4. *Quidam expoſitos educabat & debilitatos mendicare cogebat, ut ſibi mercedem referrent*. Gronovius.

CAP. I. 1 *Si qua ratio aquas ſubminiſtret*] Profecto de hoc non dubitat Seneca, ut Philoſophus, an quæ ſit ratio. Veteres editi: *Quomodo ideo aquas*. Nec multo melius ſcripti apud Gruterum. Optime Britannicus: *qua ratio aquas ſubminiſtret*. Idem.

CAP.

ſcant. Nilum interim ſeponamus à turba, propriæ naturæ & ſingularis: illi diem ſuum dabimus, nunc vulgares aquas proſequemur, tam frigidas quam calentes. In quibus quærendum erit, utrum calidæ naſcantur, an fiant. De ceteris quoque diſſeremus, quas inſignes aut ſapor, aut aliqua reddit utilitas. Quædam enim oculos, quædam nervos juvant, quædam inveterata & deſperata à medicis vitia percurant. Quædam medentur ulceribus, quædam interiora fovent potu, & pulmonis ac viſcerum querelas levant. Quædam ſupprimunt ſanguinem: tam varius ſingulis uſus, quam guſtus eſt.

CAP. II. [1] Aut ſtant omnes aquæ, aut eunt, aut colliguntur, aut varias habent venas. Aliæ ſunt dulces, aliæ variæ: aſperæ quippe interveniunt, [2] ſalſæ amaræque aut medicatæ: ex quibus ſulphuratas dicimus, ferratas, aluminoſas. Indicat vim ſapor. Habent præterea multa diſcrimina. Primum tactus: frigidæ calidæque ſunt. deinde ponderis: leves & graves ſunt. deinde coloris: puræ ſunt & turbidæ, cæruleæ, lucidæ. deinde ſalubritatis: ſunt enim ſalubres & utiles, ſunt mortiferæ, ſunt quæ cogantur in lapidem. Quædam tenues, quædam pingues: quædam alunt, quædam ſine ulla bibentis ope tranſeunt, [3] quædam hauſtæ fecunditatem afferunt.

CAP.

CAP. II. 1 *Aut ſtant omnes aquæ, aut fluunt, aut colliguntur*] Prima diviſio aquarum. *Τῶν ὑδάτων τὰ μὲν στάσιμα, τὰ δὲ ῥυτὰ, τὰ δὲ συλλογιμαῖα.* Muretus.

2 *Salſæ aut medicatæ*] Quid fuit in mente illis, qui vocem in ſcriptis omnibus & editis antiquis exſtantem omiſere? Habetur enim illic: *ſalſæ amaræque aut medicatæ.* Duobus vocabulis appellat Seneca, quas alii uno *Salinacidas* dixere. Florus lib. 4. cap. 18. *Infeſta primum ſiti regio: tum quibuſdam ſalinacidis fluvius infeſtior: noviſſime quæ jam ab invalidis & avide hauriebantur, noxiæ etiam dulces fuere.* Ita enim legendum. Intellige: *aquæ*, quam vocem quia in *Salinacidarum* vocabulo ante ſciebat ſubaudiri, hic omiſit. Ovidius lib. 15. Metam. *&*
Scythicis Hypanis de montibus ortus,
Qui fuerat dulcis, ſalibus vitiatur amarus. Gronovius.

3 *Quædam hauſtæ fœcunditatem adferunt*] Theophraſtus lib. 9. *περὶ φυτῶν· Ἐνιαχοῦ μὲν γάρ φασι τὸ ὕδωρ παιδογόνον εἶναι γυναιξὶν, ὥσπερ καὶ ἐν Θεσπιαῖς· ἐνιαχοῦ δὲ ἄγονον, ὡς ἐν Πύρρᾳ.* Plinius lib. 31. *Theſpiarum fons conceptus mulieribus repræſentat. Item in Arcadia flumen Elatum. Cuſtodit autem partum Linus fons in eadem Arcadia, abortuſque*

CAP. III. Ut ſtet aqua, aut fluat, loci poſitio efficit: in devexo fluit, in plano continetur & ſtagnat, & aliquando in adverſum ſpiritu impellitur: tunc cogitur, non fluit. Colligitur ex imbribus: ex ſuo fonte nativa eſt. Nihil tamen prohibet, eodem loco aquam colligi, & naſci: quod in Fucino videmus, [1] in quem montis circumjecti fluvii derivantur. Sed & magnæ latenteſque in ipſo undæ ſunt. itaque etiam cum hiberni defluxere torrentes, [2] faciem ſuam ſervant.

CAP. IV. Primum ergo quæramus, quomodo ad continuandos fluminum curſus terra ſufficiat, unde tantum aquarum exeat. Miramur, quod acceſſionem fluminum maria non ſentiant. Æque mirandum eſt, quod detrimenta exeuntium terra non ſentit. Quid eſt, quod illam ſic implevit, ut præbere tantum ex recondito poſſit, ac ſubinde ſuppleat? Quamcumque rationem reddiderimus de flumine, eadem erit rivorum ac fontium.

CAP. V. [1] Quidam judicant, terram, quidquid aquarum emiſit, rurſus accipere: & ob hoc maria non creſcere, quia

ſteri non patitur. E diverſo in Tyra flumen quod Aphrodiſium vocant, ſteriles facit. Solinus in capite de Sicilia: *Ibi & fontes duo. Alterum ſi ſterilis ſumpſerit, fœcunda fiet: alterum ſi fœcunda hauſerit, vertitur in ſterilitatem.* Muretus.

CAP. III. 1 *In quem montis circumjecti fluvii derivantur*] Sic partim ab Eraſmo, partim à Pinciano prodiit. Nam Veneta Eraſmo major amplius: *m. c. quicquid fudit fluvii d.* Et ita fere manuſcripti. Memmianus: *circumjecti quicquid fudit fluvia derivant.* Unde Opiopœus, *in quem montes circumjecti quicquid fudit pluvia, derivant.* Videtur aliquid ſubeſſe ſecretius, atque adeo ſuccurrit: *in quem, montis circumjecti quicquid fundunt eluvia, derivatur.* Quin & eandem vocem jam dudum deſiderare viſus mihi auctor, Epiſt. 90. *deinde ſtipula aliiſque ſilveſtribus operuere faſtigium, & eluviis per devexa labentibus, hiemem tranſiere ſecuri.* Sane ſic ipſe legi hoc loco in membranis: Sic in Pal. Gruterus, & ad alterius marginem: alias legi, *eluviis:* in tertio denique, *cluniis per devexa.* Vulgo *pluviis.* Quaſi non & grandines & nives & pruinas defenderent tecta. Idem verbum reſtituendum Solino cap. 18. *Exiſtimant enim quidam ſinus iſtos à Gaditano freto naſci, nec aliam eſſe originem, quam eluvia irrumpentis Oceani.* Nam mss. *eliquia:* quod tentat explicare Salmaſius: ſed placet magis, quod diximus. Vulgati, *inundationem.* Gronovius.

2 *Faciem ſuam ſervant*] Fortunatus legend. cenſet, *ſervat*, ut referatur ad *Fucinum.* nam diſerte ita uterque Palat.

CAP. V. 1 *Quidam judicant*] De cauſſa & origine fluviorum ac fontium

Digitized by Google

quia quod influxit, [2] non in ſuum vertunt, ſed protinus reddunt. Occulto enim itinere ſubit terras,& palam venit, ſecreto revertitur, colaturque in tranſitu mare: quod per multiplices anfractus terrarum verberatum, amaritudinem ponit, & pravitatem ſaporis in tanta ſoli varietate exuit, & in ſinceram aquam tranſit.

CAP. VI. Quidam exiſtimant, quidquid ex imbribus terra concipit, in flumina rurſus emitti. Et hoc argumenti loco ponunt, quod pauciſſima flumina ſunt in his locis, in quibus rarus eſt imber. Ideo ſiccas eſſe aiunt Æthiopiæ ſolitudines, paucoſque inveniri in interiore Africa fontes: quia fervida cæli natura ſit, & pene ſemper æſtiva. Squalidæ itaque ſine arbore, ſine cultore arenæ jacent; raris imbribus ſparſæ; quos ſtatim combibunt. At contra conſtat, Germaniam Galliamque, & proxime ab his Italiam, abundare rivis & fluminibus: quia cælo humido utuntur, & ne æſtas quidem imbribus caret.

CAP. VII. Adverſus hæc multa dici poſſe vides. Primum ego tibi vinearum diligens foſſor affirmo, nullam pluviam eſſe tam magnam, quæ terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat. Omnis humor intra primam cruſtam conſumitur, nec in inferiora deſcendit. Quomodo ergo poteſt imber ſuggerere amnibus vires, qui ſummam humum tangit? Pars major ejus per fluminum alveos in mare aufertur. Exiguum eſt quod ſorbet terra, nec id ſervat. Aut enim arida eſt, & abſumit quidquid in ſe fuſum eſt: aut ſatiata, ſi quid ſupra deſiderium cecidit, excludit. Et

tium videndus Ariſtoteles c. 13. lib. 1. Meteorologicon. *Muretus.*

2 *Non in ſuum vertunt*] Schottus: Non hoc Latine ſatis dicitur, niſi, *in ſuam rem vertunt*, legas: vel ſi forte malis, *non in ſinum vertunt*, ut Lampridius Commodo. Poſteriore nihil alienius, priore nihil opus. Epiſt. 90. *dum ſeducere aliquid cupit, atque in ſuum vertere, omnia fecit aliena.* Epiſt. 108. *Primus quiſque tanquam optimus dies placeat, & redigatur in noſtrum.* De Brevitate vitæ cap. 3. *quam exiguum tibi de tuo relictum ſit.* Ad Marciam c. 20. *Tulit ſuum, metaſque dati pervenit ad ævi.* Et an aliter Terentius: *de tuo largitore &, olet unguenta? de meo.* An Cicero 13 Famil. 26. *cum illum ſtudeo quam facillime ad ſuum pervenire.* Gronov.

Et ideo primis imbribus non augentur amnes: quia totos in ſe ſitiens terra trahit. Quid, quod quædam flumina erumpunt ſaxis & montibus? His quid conferent pluviæ, quæ per nudas rupes deferuntur, nec habent terram cui inſideant? Adjice, quod in ſicciſſimis locis putei in altum acti, per ducenum aut trecenum pedum ſpatia, inveniunt aquarum uberes venas, in ea altitudine, in quam aqua non penetret: ut ſcias illic non cæleſtem eſſe, nec collectitium humorem, ſed quod dici ſolet, vivam aquam. Illo quoque argumento hæc opinio refellitur, quod quidam fontes in ſummo montis cacumine redundant. Apparet ergo, illos ſurſum agi, aut ibi concipi, cum omnis aqua pluvialis decurrat.

Cap. VIII. Quidam exiſtimant, quemadmodum in exteriore parte terrarum vaſtæ paludes jacent, magni & navigabiles lacus, quemadmodum ingenti ſpatio terræ maria porrecta ſunt, infuſa vallibus: ſic interiora terrarum abundare aquis dulcibus, nec minus illas ſtagnare, quam apud nos Oceanum, & ſinus ejus: imo eo latius, quo plus terra in altum patet. Ergo ex illa profunda copia iſti amnes egeruntur: quos quid miraris ſi terra detractos non ſentiat, cum adjectos maria non ſentiant?

Cap. IX. Quibuſdam hæc placet cauſſa. Aiunt habere terram intra ſe cavos receſſus, & multum ſpiritus: qui neceſſario frigeſcit, umbra gravi preſſus. Deinde piger & immotus, in aquam, cum ſe deſiit ferre, convertitur. Quemadmodum ſupra nos mutatio aëris imbrem facit, ita infra terras flumen aut rivum agit. Supra nos ſtare non poteſt ſegnis diu & gravis. Aliquando enim ſole tenuatur, aliquando ventis expanditur. Itaque intervalla magna imbribus ſunt. Sub terra vero quidquid eſt, quod illum in aquam convertat, idem ſemper eſt, umbra perpetua, frigus æternum, inexercitata denſitas: ſemper ergo præbebit fonti aut flumini cauſſas. Placet nobis terram eſſe mutabilem. Hoc quoque quidquid efflavit, quia non aëre libero

libero concipitur, craſſeſcit, & protinus in humorem convertitur.

CAP. X. Habes primam aquarum ſub terra naſcentium cauſſam. Adjicias etiam licet, quod [1] fiant omnia ex omnibus. Ex aqua aër. Ex aëre aqua. Ignis ex aëre. Ex igne aër. Quare ergo non terra fiat ex aqua, & ex terra aqua? quæ ſi in alia mutabilis eſt, & in aquam: imo maxime in hanc. Utraque cognata res eſt, utraque gravis, utraque denſa, utraque in extremum mundi compulſa. Ex aqua terra fit. Cur non aqua fiat è terra? At magna flumina ſunt. Cum videris, quanta ſunt: rurſus ex quanto prodeant, adſpice. Miraris, cum labantur aſſidue, quædam vero concitata rapiantur, quæ præſto ſit illis ſemper aqua nova? Quid ſi mireris quod cum venti totum aëra impellant, non deficit ſpiritus, ſed per dies noctesque æqualiter fluit: nec ut flumina certo alveo fertur, ſed per vaſtum cæli ſpatium lato impetu vadit? Quid ſi ullam undam ſupereſſe mireris, quæ ſuperveniat tot fluctibus fractis? Nihil deficit quod in ſe redit. Omnium elementorum alterni recurſus ſunt. Quidquid alteri perit, in alterum tranſit. Et natura partes ſuas velut in ponderibus conſtitutas examinat: ne portionum æquitate turbata, mundus præponderet. [2] Omnia in omnibus ſunt. Non tantum aër in ignem tranſit, ſed numquam ſine igne eſt. Detrahe illi calorem: rigeſcet, ſtabit, durabitur. Tranſit aër in humorem: ſed nihilominus non ſine humore. Et aëra & aquam facit terra: ſed non magis umquam ſine aqua eſt, quam ſine aëre. Et ideo facilior invicem tranſitus eſt: quia illis in quæ tranſeundum eſt, jam mixta eſt: Habet ergo terra humorem: hunc exprimit. Habet aëra: hunc umbra hiberni frigoris denſat, ut faciat humorem. Ipſa quoque mutabilis eſt in humorem. natura ſua utitur.

CAP.

CAP. X. 1 *Fiunt omnia ex omnibus*] Vide eumdem Ariſtotelem capite quarto libro 2. περὶ γενέσεως ϗ φθορᾶς. Muretus.

2 *Omnia in omnibus ſunt*] Vetus dictum Anaxagoræ: Πᾶν ἐν παντὶ μέμικται. Idem.

CAP. XI. Quid ergo? inquis, ſi perpetuæ ſunt cauſſæ, quibus flumina oriuntur, ac fontes: quare aliquando ſiccantur, aliquando quibus non fuere locis, exeunt? Sæpe motu terrarum itinera turbantur, & ruina interſcindit aquas, quæ retentæ novos exitus quærunt, & aliquo impetu faciunt, aut ipſius quaſſatione terræ aliunde alio transferuntur. Apud nos evenire ſolet, ut amiſſo canali ſuo flumina primum refundantur: deinde quia perdiderunt viam, faciant. Hoc accidiſſe ait Theophraſtus [1] in Coryco monte, in quo poſt terrarum tremorem nova vis fontium emerſit. Sed & alios quoque caſus intervenire quidam opinantur, qui aliter evocent aquas, aut à curſu ſuo dejiciant, atque avertant. Fuit aliquando aquarum inops [2] Hæmus: ſed cum Gallorum gens à Caſſandro obſeſſa in illum ſe contuliſſet, & ſilvas cecidiſſet, ingens aquarum copia apparuit, quas videlicet in alimentum ſuum nemora ducebant: [3] quibus excisis, humor, qui deſiit in arbuſta conſumi, ſuperfuſus eſt. Idem ait & circa Magneſiam accidiſſe. Sed pace Theophraſti dixiſſe liceat, non hoc eſt ſimile veri: quia fere aquoſiſſima ſunt, quæcumque umbroſiſſima. Quod non eveniret, ſi aquas arbuſta ſiccarent; quibus alimentum ex proximo eſt: fluminum vero vis ex intimo manat, ultraque excipitur, quam radicibus evagari licet. Deinde ſuccisæ arbores plus humoris deſiderant. Non enim tantum id quo vivant, ſed & id quo creſcant trahunt. [4] Idem ait, circa Arcadiam, quæ urbs in Creta inſula fuit, fontes & lacus

CAP. XI. 1 *In Coryco monte*] Plinius, *In Coryco monte amnis erupit, poſtquam cœptus eſt coli.* Muretus.

2 *Hæmus*] Hac de re ita idem Plinius: *Naſcuntur fontes deciſis plerumque ſilvis, quos arborum alimenta conſumebant: ſicut in Hæmo, obſidente Gallos Caſſandro, cum valli gratia ſilvas cecidiſſent.* Idem.

3 *Quibus excisis humor*] Pal. apud Gruterum *emerſit.* Signat digito, quod in regio exſtat Britannico: *quibus everſis.* Neque ſpernendum eſt. Virgilius 1 Georg. *tempeſtivam ſilvis evertere pinum.* & lib. 2. *Nemora evertit multos ignava per annos.* Ovidius Metam. *ſi quis Athon Pindumque revulſos Sede ſua totos in apertum everteret æquor.* Lucanus lib. 6. *Teque ſub Ætnæ torquentem vertice vulſas, Rhœce ferox, quas vix boreas everteret, ornos.* Ita enim mss. fideliores, non *inverteret*. Gronovius.

4 *Idem ait, circa Arcadiam*] Plinius: *Et celi moverique terram, calluma*

que

lacus ſubſtitiſſe, quia deſierit coli terra, diruta urbe: poſtea vero quam cultores receperit, aquas quoque recepiſſe. Cauſſam ſiccitatis hanc ponit, quod obduruerit conſtricta tellus, nec potuerit imbres inagitata tranſmittere. Quomodo ergo plurimos videmus in locis deſertiſſimis fontes? Plura denique invenimus, quæ propter aquas coli cœperunt, quam quæ aquas habere cœperint, quia colebantur. Non enim eſſe pluvialem hanc aquam, quæ vaſtiſſima flumina à fonte ſtatim, magnis apta navigiis defert, ex hoc intelligas licet, quod per hiemem æſtatemque par eſt à capite dejectus. Pluvia poteſt facere torrentem: [5] non poteſt autem æquali inter ripas ſuas tenore labentem. [6] Aquam non faciunt imbres, ſed incitant.

CAP. XII. Paulo repetamus hoc altius, ſi videtur: & ſcies non habere quod quæras, cum ad veram amnium originem acceſſeris. Flumen nempe fecit copia curſuſque aquæ perennis. Ergo ſi quæris à me, quomodo aqua fiat: interrogabo invicem, quomodo aër fiat, aut terra. Si rerum elementa ſunt quatuor, non potes interrogare unde aqua ſit: quarta enim pars eſt naturæ. Quid ergo miraris, ſi rerum naturæ portio tam magna, poteſt aliquid ex ſe ſemper effundere? Quomodo aër, & ipſe quarta pars mundi, ventos & auras movet, ſic aqua rivos & flumina. Si ventus eſt fluens aër, & flumen eſt fluens aqua. Satis multum illi virium dedi, cum dixi, elementum eſt. Intelligis, quod ab illo proficiſcitur, non poſſe deficere.

CAP.

que ſumma cutis ſolvi, aquarum intereſt. Traditur certe in Creta expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, ceſſaſſe fontes, amneſque qui in eo ſitu multi erant. Rurſus condito, poſt ſex annos emerſiſſe, uti quæque cœpiſſent partes coli. Muretus.

5 *Non poteſt autem*] Fortaſſe: *Pluvia poteſt facere torrentem, non poteſt amnem æquali inter ripas ſuas tenore labentem.* Gronovius.

6 *Aquam non faciunt imbres, ſed excitant*] Britannicus, Fortunati, Gallici, duo Pall. *incitant.* Recte. Lib. 4, 2. de Nilo: *Nec remittitur incitaturque, prout illis impetus fuit: quod fieret, ſi illorum viribus creſceret.* Eodem libro: *quo æſtus ille frangatur, qui ipſis aquis incaleſcit, remediis incitat vitium.* Lib. 5, 11. *Dicimus luce auram incitari.* Columella, 3, 21. *plurimum intereſt, prolixiſne flagellis incitet, an anguſta putatione vitem coërceat vinitor.* Idem.

Cap. XIII. [1] Aqua, ait Thales, valentiſſimum elementum eſt. hoc fuiſſe primum putat, ex hoc ſurrexiſſe omnia. Sed & nos quoque aut in eadem ſententia, aut in ultima ſumus. Dicimus enim ignem eſſe, qui occupet mundum, & in ſe cuncta convertat. Hunc evanidum conſidere, & nihil relinqui aliud in rerum natura, igne reſtincto, quam humorem: in hoc futuri mundi ſpem latere. Ita ignis exitus mundi eſt, humor primordium. Miraris amnes ex hoc poſſe exire ſemper, qui pro omnibus fuit, & ex quo ſunt omnia? Hic humor in diductione rerum ad quartas redactus eſt, ſic poſitus, ut fluminibus edendis ſufficere, ut rivis, ut fontibus poſſet. Quæ ſequitur, Thaletis inepta ſententia eſt. Ait enim, terrarum orbem aqua ſuſtineri, & vehi more navigii, mobilitateque ejus fluctuare, tunc cum dicitur tremere. Non eſt ergo mirum, ſi abundat humor ad flumina fundenda, cum mundus in humore ſit totus. Hanc veterem & rudem ſententiam explode. Nec eſt quod credas, in hunc orbem aquam ſubire per rimas & facere ſentinam.

Cap. XIV. Ægyptii quattuor elementa fecere: deinde ex ſingulis bina, marem & feminam. Aërem marem judicant, qua ventus eſt: feminam, qua nebuloſus & iners. Aquam virilem vocant mare: muliebrem omnem aliam. Ignem vocant maſculum, qua ardet flamma: & feminam, qua lucet innoxius tactu. Terram fortiorem marem vocant, ſaxa cauteſque: [1] feminæ nomen aſſignant huic tractabili ad culturam.

Cap.

Cap. XIII. 1 *Aqua, ait Thales*] Aquam principium rerum omnium eſſe tradidit Thales, ut auctor eſt Ariſtoteles libro primo majore τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Eamdem putabant fuiſſe ſententiam vetuſtiſſimorum poëtarum, quos illi Theologos vocabant. Nam & eodem reſpexiſſe Homerum illo verſu,

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

& cum Odyſſeas ν', Neptunum ab Jove ipſo vocari facit deorum antiquiſſimum & optimum. *Muretus.*

Cap. XIV. 1 *Feminæ nomen adſignant*] Tacent omnes, nec cur ſpernam, quidquam eſt cauſſæ. Sed unde in optimo Britannico: *nomen imponunt?*

CAP. XV. Mare unum eſt, ab initio ſcilicet ita conſtitutum: habet ſuas venas, quibus impellitur atque æſtuat. Quomodo maris, ſic & hujus aquæ mitioris vaſta in occulto via eſt, quam nullius fluminis curſus exhauriet. Abdita eſt virium ejus ratio. Tantum ex illa, quantum ſuperfluum ſit, emittitur. Quædam ex iſtis ſunt, quibus aſſentire poſſumus: [1] ſed hoc amplius cenſeo. Placet natura regi terram: & quidem ad noſtrorum corporum exemplar, in quibus & venæ ſunt & arteriæ: illæ ſanguinis, hæ ſpiritus receptacula. In terra quoque ſunt alia itinera, per quæ aqua; & alia, per quæ ſpiritus currit: adeoque illam ad ſimilitudinem humanorum corporum natura formavit, ut majores quoque noſtri aquarum appellaverint venas. Sed quemadmodum in nobis non tantum ſanguis eſt, ſed multa genera humoris, alia neceſſarii, alia corrupti, ac paulo pinguioris, in capite cerebrum, in oſſibus medullæ, muci, ſalivæque & lacrimæ, & quiddam additum articulis, per quod citius flectantur ex lubrico: ſic in terra quoque ſunt humoris genera complura. Quædam quæ matura durentur. Hinc eſt omnis metallorum humus, ex quibus aurum argentumque petit avaritia: & quæ in lapidem ex liquore vertuntur. In quibuſdam vero locis terra humorque liqueſcit: ſicut bitumen, & cetera huic ſimilia. Hæc eſt cauſſa aquarum, ſecundum legem naturæ, voluntatemque naſcentium. Ceterum ut in noſtris corporibus, ita in illa ſæpe humores vitia concipiunt: aut ictus, aut quaſſatio aliqua, aut loci ſenium, aut frigus, aut æſtus, corrupere naturam, & ſulphuratio contraxit humorem, qui modo diuturnus eſt, modo brevis. Ergo ut in corporibus noſtris ſanguis, cum percuſſa vena eſt, tamdiu manat, donec omnis effluxit, aut donec venæ ſciſſura ſubſedit, atque intercluſit, vel

ponunt? An interpretatio eſt? Tamen ſic loquitur auctor & lib. 7. 19. *eſſe quidem, ſed non, quibus ſiderum nomen imponat.* Gronovius.

CAP. XV. 1 *Sed hoc amplius cenſeo*] Senatorium loquendi genus: cum qui ſententiam dicturus erat, probabat quidem quæ ab aliis dicta erant, ſed addebat aliquid etiam de ſuo. *Muretus.*

2 Sæpe

vel aliqua alia cauſſa retro dedit ſanguinem: ita in terra, ſolutis ac patefactis venis, rivus aut flumen effunditur. Intereſt, quantum aperta ſit vena, quomodo conſumpta aqua ſit: modo exſiccatur aliquo impedimento, modo coit velut in cicatricem, comprimitque quam fecerat viam: modo illa vis terræ, quam eſſe mutabilem diximus, deſinit poſſe alimenta in humorem convertere: aliquando autem exhauſta replentur: modo per ſe viribus recollectis, modo aliunde tranſlatis. Sæpe enim inania appoſita plenis humorem in ſe attrahunt. [2] Sæpe terra, ſi facilis eſt, ipſa in tabem reſolvitur, & humeſcit. Idem evenit ſub terra, quod in nubibus, ut ſpiſſetur, gravioremque quam ut manere in natura ſua poſſit, gignat humorem. Sæpe colligitur roris modo, tenuis & diſperſus liquor, qui ex multis in unum locis confluit. Sudorem aquileges vocant: quia guttæ quædam vel preſſura loci eliduntur, vel æſtu evocantur. Hæc tenuis unda vix fonti ſufficit. At ex magnis cauſſis, magniſque conceptibus excidunt amnes: nonnumquam leviter, ſi aqua pondere ſuo ſe tantum detulit; nonnumquam vehementer & cum ſono ſuo, ſi illam ſpiritus intermixtus ejecit.

CAP. XVI. [1] Sed quare quidam fontes ſenis horis pleni,

2 *Sepe terra ſi facilis eſt ipſa in tabem*] Britannicus: *Sepe tranſire facilis in aliud ipſa terra ſolvitur.* Fortunati: *Ipſe tranſire facilis in aliud ipſa terra in tabem reſolvitur.* Ex quibus ita conſtituendum videtur: *Sepe tranſire facilis in aliud ipſa terra in tabem ſolvitur & humeſcit.* Quod ſequitur, *ut ſpiſſatur gravioremque*, male induxerunt Fortunatus & Eraſmus, quum in mss. ſit *graviorque.* Et Pinciani quidem abnormis eſt conjectura, ſed nec interponendum cum Fromondo, *ut ſpiſſetur vapor.* Immo, *ut ſpiſſetur* & quaſi turgeſcat ipſa terra, inſito vapore & humiditate, ut nubes ſpiſſantur ante pluviam, atque eadem terra jam *gravior*, quam ut ſuſtinere ſe poſſit, relevetur emiſſo humore, ut gravidus uterus fuſo partu. *Gronovius.*

CAP. XVI. 1 *Sed quare quidam fontes ſenis horis pleni, ſeniſque ſicci ſunt*] Huic ſimile quiddam de Dodoneo fonte ſcriptum reliquit Plinius libro 2. *Meridie*, inquit, *ſemper deficit: qua de cauſſa anapauomenon vocant. Mox increſcens ad medium noctis exuberat: ab eo rurſus ſenſim deficit.* Paullo poſt addit, fontes eſſe calidos contra Timavum amnem, qui pariter cum æſtu maris creſcunt, minuunturve. Vide quæ de fonte Comenſi ſcribit Plinius Cæcilianus epiſtola ultima libri quarti: quæ eadem & Plinius avunculus, ſed brevius, tradiderat. *Muretus.*

2 *Æſtat*

Digitized by Google

pleni, ſeniſque ſicci ſunt? Supervacuum eſt nominare ſingula flumina, quæ certis menſibus magna, certis anguſta ſunt: & occaſionem ſingulis quærere, cum poſſim eamdem cauſſam omnibus reddere. Quemadmodum quartana ad horam venit, quemadmodum podagra ad tempus reſpondet, quemadmodum purgatio, ſi nihil obſtitit, ſtatum diem ſervat, quemadmodum præſto eſt ad menſem ſuum partus: ſic aquæ intervalla habent, quibus ſe retrahant, & quibus reddant. Quædam autem intervalla minora ſunt, & ideo notabilia: quædam majora, nec minus certa. Et quid hoc mirum eſt, cum videas ordinem rerum & naturam per conſtituta procedere? Hiems numquam aberravit. [2] Æſtas ſuo tempore incanduit. Autumni, Veriſque, ut ſolet, facta mutatio eſt. Tam ſolſtitium, quam æquinoctium, ſuos dies retulit. Sunt & ſub terra minus nota nobis jura naturæ, ſed non minus certa. Crede infra, quidquid vides ſupra. Sunt & illic ſpecus vaſti, ſunt ingentes receſſus, & ſpatia ſuſpenſis hinc & inde montibus laxa. Sunt abrupti in infinitum hiatus, qui ſæpe illapſas urbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condiderunt. Hæc ſpiritu plena ſunt. Nihil enim uſquam inane eſt, & ſtagna obſeſſa tenebris & locis amplis. Animalia quoque illis innaſcuntur; ſed tarda & informia: ut in aëre cæco pinguique concepta, [3] & in aquis torpentibus ſitu: pleraque ex his cæca, ut talpæ & [4] ſubterranei mures, quibus deeſt lumen, quia ſupervacuum eſt. [5] Inde, ut Theophraſtus affirmat, piſces quibuſdam locis eruuntur.

CAP. XVII. Multa hoc loco tibi in mentem venient,

2 *Æſtas ſuo tempore incaluit*] Britan. ut Fort. & Pinc. mem. *incanduit.* Ovidius lib. 1 Metam. *Tunc primum ſiccis aër ferroribus uſtus Canduit.* Gronovius.

3 *Et in aquis torpentibus ſitu*] Male in aliis libris, *facta.* Muretus.

4 *Subterranei mures*] Ita veteres libri, non, ut alii, *vermes.* Idem.

5 *Inde, ut Theophraſtus affirmat, piſces quibuſdam locis eruuntur*] Hunc ipſum, ut opinor, Theophraſti locum citat Athenæus principio lib. octavi, Plinius etiam copioſius cap. 57. libri noni. *Idem.*

CAP.

nient, [1] quæ urbane in re incredibili fabulam dicas. Non cum retibus aliquem, aut cum hamis, ſed cum dolabra ire piſcatum. Exſpecto ut aliquis [2] in mari venetur. Quid eſt autem, quare piſces in terram non tranſeant, ſi nos maria tranſimus? Permutabimus ſedes. Hoc miraris accidere. Quanto incredibiliora ſunt opera luxuriæ, quoties naturam aut mentitur, aut vincit? In cubili natant piſces: & ſub ipſa menſa capitur, qui ſtatim transferatur in menſam. Parum videtur recens mullus, niſi qui in convivæ manu moritur. [3] Vitreis ollis incluſi offeruntur, & obſervatur morientium color, quem in multas mutationes mors luctante ſpiritu vertit: alios necant in garo, & condiunt vivos. [4] Et ſunt qui fabulas putant, piſcem vivere poſſe ſub terra, & effodi, non capi. Quam incredibile illis videretur, ſi audirent natare in garo piſcem: [5] nec cœnæ cauſſa occiſum

CAP. XVII. 1 *Quæ urbane in re incredibili fabulam dicas*] Ita mss. mei & Fortunati, qui tamen illuſtriorem putavit ſenſum futurum, ſi *fabuloſaque* legeremus. quod recipit Eraſmus, mea ſententia male. Sic Gruterus. Ego tamen vulgatæ ſententiam nullam video. Et illud Fortunati commodiſſimum eſſet, ſi auctor narrationem de piſcibus ſubterraneis pro re mere incredibili fabuloſaque haberet. At confirmat ipſe eam opinionem cap. 19. & oſtendit, non illos proprie terrenos eſſe, ſed in aquis ſub terra gigni. Britannicus, *credibili*. Vide, an legendum ſit eleganti oxymoro: *quæ urbane in rei credibilis fabulam dicas*. Ita appellat, quæ primo adſpectu fabula videtur, cum tamen rem credibilem contineat. *Gronovius*.

2 *In mari venetur*] Multo hæc ſcriptura melior, quam illa vulgata, *in mari verſetur*. Muretus.

3 *Vitreis ollis incluſi offeruntur*] De his ipſis deliciis vide quæ ſcribit Plinius lib. nono. *Idem*.

4 *Et ſunt qui fabulas putant*] Sic de conjectura Pincianus. At veteres editi: *Hi ſunt qui*. Gruterus: *hi fabulas*. Britannicus & unus ex Pall. dant lectionem, quæ tolerari poteſt, modo ita interpungas: *Hi qui fabulas putant, piſcem vivere poſſe ſub terra, & effodi, non capi, quam incredibile illis videretur*. Ut ſit ἀντίπτωσις, qualis in illo: *Hos quos videtis ſtare hic captivos duos, Illi qui aſtant, hi ſtant ambo, non ſedent*. Neque enim abhorrere Senecam ab ea figura ſuperius oſtendimus. Alioquin &, *His*, poſſet legi: nam ut totum dicam, Britann. *His*: quod tamen frequentiſſimum vett. librorum vitium. Neque tum, *illis*, ſuperfluum eſſet, ſed repetitum, ἀντὶ τοῦ *his*, propter interjecta. *Gronovius*.

5 *Et cœnæ cauſſa occiſum ſuper cœnam*] Pinciani cum particula negandi, *nec cœnæ cauſſa occiſum, ſed poſt cœnam*, reprehendit Fromondus: velle enim Senecam, manu convivæ, Euripo ſub menſam fluente, exceptum mullum, poſt ſpectacula à moriente data, ſtatim coqui, futurum alias non recentem. Ubi autem de Euripo ſub menſa? Male quidem Pincianus, *poſt cœnam*: ſed non male, *nec*, quod inculcant

ſum eſſe ſuper cœnam, cum multum in deliciis fuit, & oculos, antequam gulam, pavit.

CAP. XVIII. Permitte mihi, quæſtione ſepoſita, caſtigare luxuriam. Nihil eſt, inquit, mullo exſpirante formoſius. Ipſa colluctatione animam agenti rubor primum, deinde pallor ſuffunditur: quam æque variatur, & incerta facies inter vitam & mortem coloris eſt. Vacatio longa ſomniculoſæ inertiſque luxuriæ. Quam ſero experrecta, circumſcribi ſe & fraudari tanto bono ſenſit. Hoc adhuc tanto ſpectaculo & tam pulcro piſcatores fruebantur. Quo coctum piſcem? quo exanimem? in ipſo ferculo exſpiret. Mirabamur tantum in illis eſſe faſtidium, ut nollent attingere, niſi eodem die captum piſcem: qui, ut aiunt, ſaperet ipſum mare. Ideo curſu advehebatur, ideo gerulis cum anhelitu & clamore properantibus dabatur via. Quo pervenere deliciæ? [1] Is pro putrido jam piſcis affertur, qui non hodie eductus, hodie occiſus eſt. Neſcio de re magna tibi credere. Ipſe oportet mihi credam: huc afferatur, coram me animam agat. Ad hunc faſtum pervenere ventres delicatorum, ut guſtare non poſſint piſcem, niſi quem in ipſo convivio

culcant omnes ſcripti. Et habet rationem. Arguit enim etiam piſcem occidi ſuper cœnam, non cœnæ cauſſa, ſed ſpectaculi. *Gronovius.*

CAP. XVIII. 1 *Is pro putrido jam*] Cui diffidebam olim Memmiani codicis ſcripturæ, eam nunc ſolam probo, & à me in membranis inventam: *Quo pervenere deliciis? Jam pro putridus eſt piſcis occiſus. Hodie eductus eſt. Neſcio de re magna tibi credere.* Sero indignatur Seneca diſplicere piſcem, niſi hodie captum, hodie occiſum. Ulterius jam proceſſerant deliciæ. Ne captus hodie quidem, hodie occiſus placebat, niſi in menſa ſuffocatus eſſet. Hoc implet, licet multo brevior, Memmiana formula. Ita faſtidit horum luxus, ut piſcis, quantumcumque recens, ſi mortuus & coctus apponatur, pro putrido ſit illis. Dicet fortaſſe convivator vel obſonator: *Hodie eductus eſt.* Reſpondebit aliquis ex hac nota luxurioſorum, aut quiſque pro ſe: *Neſcio de magna re tibi credere.* Ita enim accipiendus hic dialogiſmus. Statim recepimus ex omnibus: *Ad hunc faſtum pervenere ventres delicatorum, ut guſtare non poſſint piſcem:* quod mutaverat Muretus. Niſi malis etiam: *Ad hoc faſtus.* nam & Britann. & Gruteri ſcripti cum edd. antiquis: *Ad hoc faſtum.* Idem. Totus hic locus quanto melius in veteribus, quam in vulgatis libris legatur, cupio ex collatione cognoſci. Ita enim ſcriptum eſt in illis: *Is pro putrido jam piſcis eſt, qui hodie eductus*, & cetera, & paullo poſt: *Ut guſtare poſſint, niſi quem.* Vox *piſcem* redundat. de mullo enim tantum loquitur. *Muretus.*

2 *Ad*

Digitized by Google

vivio natantem, palpitantemque viderint. Quantum [2] ad ſolertiam luxuriæ pereuntis accedit; tanto ſubtilius quotidie & elegantius aliquid excogitat furor, uſitata contemnens. Illa audiebamus, Nihil eſſe melius ſaxatili mullo. At nunc audimus: Nihil eſt moriente formoſius. Da mihi in manus vas vitreum, in quo exſultet, in quo trepidet. Ubi multum diuque laudatus eſt, ex illo perlucido vivario extrahitur: tunc ut quiſque peritior eſt, monſtrat: Vide quomodo exarſerit rubor, omni acrior minio: vide quas per latera venas agat. ecce ſanguineum putes ventrem: quam lucidum quiddam, cæruleumque ſub ipſo tempore effulſit! jam porrigitur & pallet, & in unum colorem componitur. Ex his nemo morienti amico aſſidet, nemo videre mortem patris ſui ſuſtinet, quam optavit. Quotuſquiſque funus domeſticum ad rogum proſequitur? Fratrum, propinquorumque extrema hora deſeritur: ad mortem mulli concurritur. Nihil enim eſt illo formoſius. Non tempero mihi, quin utar interdum temerariis verbis, & proprietatis modum excedam. Non ſunt ad popinam dentibus, & ventre, & ore contenti: oculis quoque guloſi ſunt.

CAP. XIX. Sed ut ad propoſitum revertar, accipe argumentum: magnam vim aquarum in ſubterraneis occuli, fertilem fœdorum ſitu piſcium. Si quando erupit, affert ſecum immenſam animalium turbam, horridam adſpici, & turpem, ac noxiam guſtu. Certe cum [1] in Caria circa Lorymam urbem talis exſiluiſſet unda, periere quicumque

2 *Ad ſolertiam luxuria pereuntis*] Brit. *pereunt hic:* quo confirmatur Memmianum *pereuntis*. Fromondus amplius: *Quantum ſolertia ad luxuriam pereuntem*. Parum juvat. Nam id maxime diſplicet in his verbis, quod utroque membro idem pronuntiatur: *ad ſolertiam luxuria pereuntis aliquid accedere*, & *ſubtilius aliquid excogitare furorem luxuria*. Debebant autem diverſa dici: veluti, quo magis creſcat improbitas luxuriæ & copia, tanto ingenioſiorem fieri & exquiſitius perire. Nempe ſcripſerat Seneca: *Quantum ad inſolentiam luxuria pereuntis accedit*. Cicero lib. 9 Fam. epiſt. 20. *nec tamen ad hanc inſolentiam, ſed ad illam tuam lautitiam*. Ubi vide Manutium. Catilinaria ſecunda: *qui ſe inſperatis repentiniſque pecuniis ſumptuoſius inſolentiuſque jactarunt*. Gronovius.

CAP. XIX. 1 *In Caria circa Loryma urbem*] Ita jampridem legendum docui c. 7. lib. 12. Variarum lectionum: idque

que illos ederant piſces, quos ignoto ante eum diem cælo novus amnis oſtendit. Nec id mirum. Erant enim pinguia & differta, ut ex longo otio, corpora: ceterum inexercitata, & in tenebris ſaginata, & lucis expertia, ex qua ſalubritas ducitur. Naſci autem poſſe piſces in illo terrarum profundo, ſit indicium, quod anguillæ quoque latebroſis locis naſcuntur. gravis & ipſe cibus ob ignaviam, utique ſi altitudo illas luti penitus abſcondit. Habet ergo non tantum venas aquarum terra, ex quibus corrivatis flumina effici poſſunt, ſed & amnes magnitudinis vaſtæ: quorum aliis ſemper in occulto curſus eſt, donec aliquo ſinu devorentur: alii ſub aliquo lacu emergunt. Jam quis ignorat, eſſe quædam ſtagna ſine fundo? Quorſus hoc pertinet? Ut appareat, hanc magnis amnibus æternam eſſe materiam, cujus non tanguntur extrema, ſicut fluminum & fontium.

CAP. XX. At quare aquis ſapor varius? propter quatuor cauſſas. Ex ſolo prima eſt, per quod feruntur. [1] Secunda, ex eadem ſimulatione ejus naſcitur. Tertia ex ſpiritu,

idque ex libro vetere, Strabone, Mela, Plinio, Ptolemæo. Mentio ejus oppidi eſt apud Livium lib. 37. *Muretus.*

CAP. XX. 1 *Secunda ex eadem ſimulatione*] Hæc cæteri tranſeunt, niſi quod notat Gruterus in quibuſdam libris eſſe, *ſimilitudine.* Fromondus attentius, quod Philoſophum decebat, conſideravit. cujus hæc ſunt verba: Quid ſibi vult? hoc; aut nihil quod intelligam. Hanc cauſſam ſecundam naſci ex prima, *ſimilatione ejus,* (ita enim potius quam *ſimulatione* legam) quia forte aqua ſincera medicatæ à ſolo, quod lavat, infuſa, qualitatem trahit & ſimilitudinem. Unde ſic leges & interpunges: *Secunda ex eadem ſimulatione ejus naſcitur.* Non hoc vult, & faciam, ut intelligas, vir doctiſſime. Immo jam intellexiſti rem, quam vult Seneca, & probe calles. Sed hanc eum velle, ſub iſta corruptæ lectionis nube apparere non potuit. Scribendum eſt: *Ex ſolo prima eſt, per quod feruntur. Secunda ex eodem, ſi mutatione ejus naſcuntur.* Dixerat antea quoddam genus aquæ fieri ex terra. Cap. 10. *Quare ergo non terra fiat ex aqua, & ex terra aqua? quæ ſi in alia mutabilis eſt, & in aquam: immo maxime in hanc.* Cap. 15. *modo illa vis terræ, quam eſſe mutabilem diximus, deſinit poſſe alimenta in humorem convertere.* Inferius cap. 26. *quia tunc maxime in humorem mutabilis terra eſt.* Cap. 29. *Maximam tamen cauſſam ad ſe inundandam terra ipſa præſtabit, quam diximus eſſe mutabilem, & ſolvi in humorem.* Statimque: *incipiet ergo putreſcere, & laxata ire in humorem, & aſſidua tabe defluere.* Strabo lib. 17. Ἀλλὰ καὶ τῆς γῆς πολλὴν εἰς ὕδωρ μεταβάλλειν ὑποληπτέον, καὶ τῶν ὑδάτων πολλὰ χερσοῦσθαι τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ καὶ ἐν τῇ γῇ καθ' ἑαυτὴν τοσαῦται διαφοραί. Ovidius lib. 15 Metam. *reſolutaque tellus In liquidas rareſcit aquas.* Cicero, lib. 3 de Nat. deor. *Præterea omnia hæc tum intereunt, tum in naturam aliam convertuntur quod fit,*

tu, qui in aquam transfiguratus eſt. Quarta ex vitio, quod ſæpe concipiunt corruptæ per injuriam. Hæ cauſſæ ſaporem dant aquis varium: hæ medicatam potentiam: hæ gravem ſpiritum, odoremque peſtiferum: hæ levitatem gravitatemque, aut calorem, aut nimium rigorem. Intereſt, utrum per loca ſulphure, an nitro, an bitumine plena tranſeant. Hac ratione corruptæ, cum vitæ periculo bibuntur. Hinc illud, de quo Ovidius ait:

Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.

Medicamentum eſt, & ejus naturæ habet limum, ut corpora & adglutinet & induret. Quemadmodum Puteolanus pulvis, ſi aquam attigit, ſaxum eſt: ſic è contrario, hæc aqua ſi ſolidum tetigit, hæret & affigitur. Inde eſt, quod res abjectæ in eumdem lacum, lapideæ ſubinde extrahuntur. Quod in Italia quibuſdam locis evenit, ſive virgam, ſive frondem demerſeris, lapidem poſt paucos dies extrahis. Circumfunditur enim corpori limus, alliniturque paulatim. Hoc minus videbitur tibi mirum, ſi notaveris, Albulam, & fere ſulphuratam aquam, ² circa canales ſuos rivoſque

ſit, cum terra in aquam ſe vertit, & cum ex aqua oritur aër, & cum ex aëre æther, cumque eadem viciſſim retro commeant. Similia Plato in Timæo. Hujus generis aquæ quod diverſus ab aliis aquis ſit ſapor, cauſſam ait exiſtere ex eodem ſolo, cujus mutatione natum eſt. Etenim, ut ait cap. 21. *nulla res eſt, quæ non ejus, a quo naſcitur, notas reddat.* Primam cauſſam confirmat Columella, lib. 2. 11. *Sapore quoque ſic dignoſcemus, ſi ex ea parte agri quæ maxime diſplicebit, effoſſæ glebæ & in fictili vaſe madefactæ, dulci aqua permiſceantur, ac more feculenti vini diligenter colata guſtu explorentur. nam qualem traditum ab iis retulerit humor ſaporem, talem eſſe dicemus ejus ſoli.* Quod habet à magno magiſtro lib. 2 Georg. verſu 241. & ſequentibus. Poſſes & legere *naſcuntur* ut *feruntur*: ſed id opus non putamus: nam ut illic *aqua*, ita hic *aqua*, quin intelligas, nihil eſt, quod prohibeat. Porro Britannicus ut Fortunati: *ex quo efferuntur.* ſtatim idem Brit. cum Pall. & Gallicis, *medicatam*, quod recepimus. *Gronovius.*

2 *Circa canales ſuos tuboſque durari*] Pro *tuboſque* mss. Fortunati, unus Pall. Britannicus Regius: *rivoſque.* Quo & reſpicit Britannicus Eraſmi, exhibendo *ripaſque.* nam vulgatum eſt à neſcio cujus conjectura, *timbaſque cimboſque*, nugamenta librariorum. Vera eſt autem lectio *rivos*, ab illis mutata, qui ipſos canales & aquæ ductus eleganter *rivos* dici neſciebant, & rivos in ſolo tantum, non in ſuperficie, eſſe putabant. At ita Manilius lib. 5. *Et peregrinantes domibus ſuſpendere rivos.* Neque aliter noſtro, cap. 25. *qualia ſunt, quæ duratus humor efficit, utique circa*

que durari. Aliquam harum habent cauſſam illi lacus, quos quiſquis faucibus hauſit, ut idem poëta ait,

Aut furit, aut patitur mirum gravitate ſoporem.

Similem habet vim mero, ſed vehementiorem. Nam quemadmodum ebrietas, donec exſiccetur dementia eſt, & nimia gravitate defertur in ſomnum: ſic aquæ hujus ſulphurea vis habet quoddam acrius ex aëra noxio virus, quod mentem aut in furorem movet, aut ſopore opprimit. [3] Hoc habet mali & Lynceſtius amnis:

Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam ſi mera vina bibiſſet.

CAP. XXI. [1] In quoſdam ſpecus qui deſpexere, moriuntur: tam velox malum eſt, ut tranſvolantes aves dejiciat: talis eſt aër, talis locus, ex quo letalis aqua deſtillat. Quod ſi remiſſior fuerit aëris & loci peſtis, ipſa quoque temperatior noxa, nihil amplius quam tentat nervos, velut ebrietate torpentes. Nec miror, ſi locus atque aër aquas inficit, ſimileſque regionibus reddit, per quas, & ex quibus veniunt. Pabuli ſapor apparet in lacte, & vini vis exſiſtit etiam in aceto. nulla res eſt, quæ non ejus à quo naſcitur, notis reddat.

CAP. XXII. Aliud eſt etiam aquarum genus, quod nobis placet cœpiſſe cum mundo. Sive ille æternus eſt, hoc quoque fuit ſemper: ſive initium aliquod eſt illi, hoc quoque

circa medicatorum fontium rivos. Rutilius Numantianus, lib. 1. *Quid loquar aërio pendentes fornice rivos.* Neratius, lib. 61. D. de uſufr. *Uſufructuarius novum rivum parietibus non poteſt imponere.* Quem contra Cujacium, *tectorium*, reſcribentem defendit olim Sitzmannus ad Rutilium, minore utique apparatu & verborum parcimonia majore, quam nuper Merillius. *Gronovius.*

3 *Hoc habet mali Lynceſtius amnis*] Ita legendum ex vetere libro ex hiſtoria. Theopompus ἐν Λυγκήστῳ φησὶ πηγὴν εἶναι τῇ μὲν γεύσει ὀξίζουσαν, ἀλλὰ τοὺς πίνοντας μεθύσκεσθαι. Athenæus libro 2. Meminit & Vitruvius, & Plinius, & Oribaſius. *Muretus.*

CAP. XXI. 1 *In quoſdam ſpecus*] Noti ſunt Virgiliani verſus de Averno:

Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris:
Quam ſuper haud ulla poterant impune volantes
Tendere iter pennis. talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens ſupera ad convexa ferebat. Idem.

que cum toto diſpoſitum eſt.[1] Quid ſit hoc, quæris? Oceanum, & quodcumque ex illo mare terras interluit. Judicant quidam flumina quoque, quorum inenarrabilis natura eſt, cum ipſo mundo traxiſſe principia, ut Iſtrum, ut Nilum, vaſtos amnes, magiſque inſignes, quam ut dici poſſint; eamdem illis originem, quam ceteris eſſe.

Cap. XXIII. Hæc eſt ergo aquarum diviſio, ut quibuſdam videtur. Poſt illam cæleſtes, quas ex ſuperioribus nubila ejiciunt. Ex terrenis aliæ ſunt, ut ita dicam, ſupernatantes, quæ in ſumma humo repunt: aliæ abditæ, quarum reddita eſt ratio.

Cap. XXIV. Quare quædam aquæ caleant, quædam etiam ferveant in tantum, ut non poſſint eſſe uſui, niſi aut in aperto evanuere, aut mixtura frigidæ intepuere, plures cauſſæ redduntur: Empedocles exiſtimat ignibus, quos multis locis terra opertos tegit, aquam caleſcere, ſi ſubjecti ſunt ſolo, per quod aquis tranſcurſus eſt. [1] Facere ſolemus dracones & miliaria & complures formas, in quibus ære tenui fiſtulas ſtruimus, per declive circumdatas: ut ſæpe eumdem ignem ambiens aqua per tantum fluat ſpatii, quantum efficiendo calori ſat eſt. Frigida itaque intrat, effluit calida. Idem ſub terra Empedocles exiſtimat fieri: quem non falli credent ii, quibus balnearia ſine igne caleſiunt. Spiritus in illa fervens loco æſtuanti infunditur. [2] Hic per tubos

Cap. XXII. 1 *Quid ſit hoc, quæris? Oceanus*] Lege cum Britannico, *Oceanum*. Cæſar lib. 3 de Bello Gall. *P. Craſſus adoleſcens cum legione ſeptima proximus mare Oceanum Andibus hiemabat.* Hoc opere, lib. 6. cap. 6. *Thales Mileſius totam terram ſubjecto judicat humore portari & innatare, ſive illud Oceanum vocas, ſive magnum mare.* Ubi fruſtra vir doctus, *illum*, corrigit. *Gronovius.*

Cap. XXIV. 1 *Facere ſolemus dracones & miliaria*] Utraque vaſa ſunt ad aquam calefaciendam. Dracones à figura dicti. Miliariorum & apud juris auctores, & apud alios mentio. *Muretus.* Ita dicuntur flexus & circuitus in omnibus rebus, animalis ſcilicet hoc nomine dicti ſimilitudine. Columellæ & Plinio palmites quoque annoſi, *Dracones* appellantur.

2 *Hic per tubos lapſus*] Et hoc conjecturæ recentis. Veneta editio: *per imos.* Eraſmi, *per rivos:* quod & in duobus Pall. In tertio, *per unos.* Vel hinc æſtima codicem Britannicum, qui præclare hic, *pertuſo lapſus.* i. feneſtellis ſeu foraminibus in pavimento pertuſo. *Gronovius.*

ſ Nec

tubos lapſus, non aliter quam igne ſubdito, parietes & vaſa balnei calefacit. Omnis denique frigida tranſitu mutatur in calidam: [3] nec trahit ſaporem evaporatio, quia clauſa perlabitur. Quidam exiſtimant, per loca ſulphure plena exeuntes vel introëuntes aquas, calorem beneficio materiæ per quam fluunt, trahere: quod ipſo odore guſtuque teſtantur. Reddunt enim qualitatem ejus, qua caluerunt, materiæ. Quod ne accidere mireris, vivæ calci aquam infunde, fervebit.

CAP. XXV. Quædam aquæ mortiferæ ſunt, nec odore notabiles, nec ſapore. [1] Circa Nonacrin in Arcadia Styx appellata ab incolis, advenas fallit: quia non facie, non odore ſuſpecta eſt: qualia ſunt magnorum artificum venena, quæ deprehendi niſi morte non poſſunt. Hæc autem, de qua paulo ante retuli, aqua, ſumma celeritate corrumpit: nec remedio locus eſt, quia protinus hauſta duratur: nec aliter quam gypſum ſub humore conſtringitur, & alligat viſcera. [2] Eſt autem noxia aqua in Theſſalia circa Tempe: quam & feræ & pecus omne devitat: per ferrum & æs exit: [3] tanta vis illi ineſt, etiam dura molliendi: nec arbuſta

3 *Nec trahit ſaporem evaporatio*] Hoc quid ſit, minime adſequor. De aqua balneari loquitur auctor, quæ per fiſtulas æreas labitur in balneo, quod ſpiritu, qui è loco æſtuante immittitur, calefactum eſt. Suſpendit balneum loco natura ſua æſtuanti arcana quadam & inviſa vi ignea, cujus ſpiritu admiſſo idem facit calefieri. Ut hic legitur, verbum *trahit* non poteſt addi niſi evaporationi, quæ quomodo, quæſo, trahit ſaporem? Immo aquam ſignificat non trahere ſaporem ab evaporatione, quæ lambit & perlabitur clauſa vaſa, in quibus eſt aqua. Utrum igitur accipias: nec ſpiritus ille calfaciens aufert ſaporem aquæ, quem ante habuit, addens ei ſuum ſulphureum: an potius leges: *nec tradit ſaporem evaporatio.* i. addit & allinit aquæ. *Gronovius.*

CAP. XXV. 1 *Circa Nonacrin*] Vitruvius: *Item eſt in Arcadia Nonacris nominata terra regio, qua habet in montibus è ſaxo ſtillantes frigidiſſimos humores. Hac autem aqua* στυγὸς ὕδωρ *nominatur, quam neque argenteum, neque æneum, neque ferreum vas poteſt ſuſtinere: ſed deſilit & diſſipatur. Conſervare autem eam & continere nihil aliud poteſt, niſi mulina ungula, qua etiam memoratur ab Antipatro in provinciam, ubi erat Alexander, per Iollam filium perlata eſſe, & ab eo ea aqua regem necatum.* Hujus aquæ Herodotus, Curtius, Plinius, Plutarchus, alii eamdem eſſe vim tradiderunt. *Muretus.*

2 *Eſt autem noxia aqua in Theſſalia*] Meminit hujus & Vitruvius libro 8. & Plinius cap. 2. lib. 31. *Idem.*

3 *Tanta vis eſt illi etiam dura molliendi*] Scitum videtur, quod eſt in Britannico:

Digitized by Google

ſta quidem ulla alit, & herbas necat. Quibuſdam fluminibus vis ineſt mira. [4] Alia enim ſunt, quæ pota inficiunt greges ovium: intraque breve tempus, quæ fuere nigræ, albam ferunt lanam: quæ albæ venerant, nigræ abeunt. Hoc etiam in Bœotia amnes duo efficiunt: quorum alteri ab effectu Melas nomen eſt: uterque ex eodem lacu exeunt, diverſa facturi. In Macedonia quoque, ut ait Theophraſtus, eſt flumen, ad quod qui facere albas oves volunt, adducunt. Quod ut diutius potavere, non aliter quam infecta mutantur. At ſi illis lana opus fuerit pulla, paratus gratuitus infector eſt: ad Ceronem eumdem gregem appellunt. [5] Auctores novos habeo, eſſe in Galatia flumen, quod idem in omnibus efficiat: eſſe in Cappadocia, quo poto equis, nec ulli præterea animali, color mutatur, & ſpargitur albo cutis. Quoſdam lacus eſſe, qui nandi imperitos ferant, notum eſt. Erat in Sicilia, eſt adhuc in Syria ſtagnum, in quo natant lateres, & mergi projecta non poſſunt, licet gravia ſint. Hujus rei palam cauſſa eſt. quamcumque vis rem expende, & contra aquam ſtatue, dummodo utriuſque par ſit modus: ſi aqua gravior eſt, leviorem rem, quam ipſa eſt, feret, & tanto ſupra ſe extollet, quanto erit levior: graviora deſcendent. At ſi aquæ, & ejus rei quam contra penſabis, par pondus erit: nec peſſum ibit, nec exſtabit, ſed æquabitur aquæ: & natabit quidem,

tannico: *etiam dura mordendi.* Gronovius.

4 *Alia enim ſunt, quæ pota*] Vitruvius: *Sunt Bœotiæ flumina Cephiſus & Melas, Lucaniæ Crathis, Troiæ Xanthus, inque agris Clazomeniorum & Erythræorum & Laodicenſium fontes ac flumina, cum pecora ſuis temporibus anni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adiguntur eo quotidie potum: ex eoque quamvis ſint alba, procreant aliis locis leucophæa, aliis pulla, aliis coracino colore.* Ovidius:

Crathis & hinc Sybaris veſtris conterminus oris,
Electro ſimiles faciunt, auroque capillos.

Νυμφόδωρος καὶ Θεόφραστός φασι, τὸν Κράθιδα τὸ ὕδωρ ξανθίζειν Scholiaſtes Theocriti in eidyllium quintum. Vide & Plinium lib. 2. cap. 103. & cap. 2. lib. 31. ex quo intelliges, recte a me ſcriptum paullo infra hæc verba, *ad Ceronem.* ubi alii legebant, *ad Peneum.* De Xantho idem ab Ariſtotele traditur libro 3. de hiſtoria animalium, niſi quod pro Xantho Scamandrum vocat. *Muretus.*

5 *Auctores novos habeo*] Forte *bonos.* Gronovius.

Digitized by Google

idem, ſed pene merſa, ac nulla eminens parte. Hoc eſt cur quædam tigna ſupra aquam, pene tota efferantur: quædam ad medium ſubmerſa ſint, quædam ad æquilibrium aquæ deſcendant. Namque cum utriuſque pondus par eſt, neutra res alteri cedit, graviora deſcendunt, leviora geſtantur. Grave autem & leve eſt, non æſtimatione noſtra, ſed comparatione ejus quo vehi debet. Itaque ubi aqua gravior eſt hominis corpore, aut ſaxi, non ſinit id quo non vincitur, mergi. Sic evenit, ut in quibuſdam ſtagnis ne lapides quidem peſſum eant. de ſolidis & duris loquor. Sunt enim multi pumicoſi & leves, ex quibus quæ conſtant [6] inſulæ, in Lydia natant. Theophraſtus eſt auctor. Ipſe ad Cutilias natantem inſulam vidi. Alia in Vadimonis lacu vehitur, alia in lacu Statonienſi. Cutiliarum inſula & arbores habet, & herbas nutrit, tamen aqua ſuſtinetur: & in hanc atque illam partem non tantum vento impellitur, ſed & aura. Nec unquam illi per diem & noctem in uno loco ſtatio eſt: adeo movetur levi flatu. Huic duplex cauſſa eſt. Aquæ gravitas medicatæ, & ob hoc ponderoſæ; & ipſius inſulæ materia vectabilis, quæ non eſt corporis ſolidi, quamvis arbores alat. Fortaſſe enim leves truncos, frondeſque in lacu ſparſas, pinguis humor apprehendit, ac vinxit. Itaque etiam ſi qua in illa ſaxa ſunt, invenies exeſa & fiſtuloſa: qualia ſunt quæ duratus humor efficit, utique circa medicatorum fontium rivos: quæ ubi purgamenta aquarum coaluerunt, ex ſpuma ſolidantur. Neceſſario leve eſt, quod ex ventoſo inanique concretum eſt. Quorumdam cauſſa non poteſt reddi: quare aqua Nilotica fecundiores feminas faciat, adeo ut quarumdam viſcera longa ſterilitate præcluſa, ad conceptum relaxaverit: quare quædam in Lycia aquæ conceptum feminarum cuſtodiant, quas

ſolent

6 *Inſula in Lydia natant*] Vide Plinium cap. 95. lib. 2. Talem inſulam parvam quidem, ſed quæ tamen arbores habeat, & in qua & pecudes & armenta paſcantur, in via Tiburtina ſæpe magna cum voluptate ſpectavi. *Muretus.*

ſolent petere, quibus parum tenax vulva eſt. Quod ad me attinet, pono iſta inter temere vulgata. Creditum eſt, quaſdam aquas ſcabiem adferre corporibus, quaſdam vitiliginem, & fœdam ex albo varietatem, ſive infuſa ſive pota ſit. quod vitium dicunt habere aquam ex rore collectam. Quis non graviſſimas eſſe aquas credat, quæ in cryſtallum coëunt? Contra autem eſt. tenuiſſimis enim hoc evenit, quas frigus ob ipſam tenuitatem facillime gelat. Unde autem fiat ejuſmodi lapis, apud Græcos ex ipſo nomine apparet: κρύσταλλον enim appellant æque hunc perlucidum lapidem, quam illam glaciem, ex qua fieri lapis creditur. Aqua enim cæleſtis minimum in ſe terreni habens, cum induruit, longioris frigoris pertinacia ſpiſſatur magis ac magis: donec omni aëre excluſo in ſe tota compreſſa eſt, & humor qui fuerat, lapis effectus eſt.

CAP. XXVI. Æſtate quædam flumina augentur, [1] ut Nilus: cujus alias ratio reddetur. Theophraſtus eſt auctor, in Ponto quoque quoſdam amnes creſcere tempore æſtivo: quatuor autem eſſe judicant cauſſas. Aut quia tunc maxime in humorem mutabilis terra eſt: aut quia majores in remoto imbres ſunt, quorum aqua per ſecretos cuniculos reddita, tacite ſuffunditur. Tertia, ſi crebrioribus ventis oſtium cæditur, [2] & reverberatus fluctu amnis reſtitit: qui creſcere videtur, quia non effunditur. Quarta ratio eſt ſiderum. Hæc enim quibuſdam menſibus magis urgent, & exhauriunt flumina: cum longius receſſerunt, minus conſumunt atque trahunt. Itaque quod impendio ſolebat, id incremento accedit. Quædam flumina palam in aliquem ſpecum decidunt, & ſic ex oculis auferuntur: quædam conſumuntur paulatim, & intercidunt: eadem

CAP. XXVI. 1 *Ut Nilus, cujus alias ratio reddetur*] Libro proxime ſequenti. *Muretus.*

2 *Et reverberatus fluctu amnis reſtitit*] Optime Pincianum legere, *reverberato fluctu*, ait Fromondus. At *fluctum* intellexit maris Seneca, qui reverberat oſtium fluvii, non reverberatur. Lib. 4, 2. *Ita reverberatus in ſe recurrit, nec creſcit, ſed exitu prohibitus reſiſtit.* Gronovius.

a Sie

dem ex intervallo revertuntur, recipiuntque & nomen & curſum. Cauſſa manifeſta eſt, ſub terra vacat locus. Omnis autem humor natura ad inferius, & ad inane defertur. Illo itaque recepta flumina curſus egêre ſecreto: ſed cum primum aliquid ſolidi, quod obſtaret, occurrit, perrupta parte, quæ minus ad exitum repugnabat, repetiêre curſum ſuum.

[3] Sic ubi terreno Lycus eſt epotus hiatu,
Exſiſtit procul hinc, alioque renaſcitur ore.
Sic modo combibitur, tacito modo gurgite lapſus,
Redditur Argolicis ingens Eraſinus in undis.

Idem & in Oriente Tigris facit: abſorbetur, & deſideratus diu, [4] tandem longe remoto loco, non tamen dubius an idem ſit, emergit. Quidam fontes certo tempore purgamenta ejectant: [5] ut Arethuſa in Sicilia, quinta quaque æſtate per Olympia. Inde opinio eſt, Alphæon ex Achaia eo uſque penetrare, & agere ſub mare curſum, nec ante quam in Syracuſano littore emergere. Ideoque iis diebus quibus Olympia ſunt, victimarum ſtercus ſecundo traditum flumini illic redundare. Hoc & à te traditum eſt in poëmate, Lucili cariſſime, & à Virgilio qui alloquitur Arethuſam:

Sic tibi cum fluctus ſubter labère Sicanos,
Doris amara ſuam non intermiſceat undam.

Eſt in Cherſoneſo Rhodiorum fons, qui poſt magnum intervallum temporis, fœda quædam turbidus ex intimo fundat, donec liberatus eliquatuſque eſt. Hoc quibuſdam locis

3 *Sic ubi terreno Lycus*] De Lyco, Eraſino, Tigride, idem & apud Plinium legitur. *Muretus.*

4 *Tandem longe remoto loco*] Locus hic fœde mutilatus ab aliis, ita in vetere libro meo legitur: *Tandem longe remoto loco, non tamen dubius an idem ſit, emergit. Quidam fontes certo tempore purgamenta ejectant.* Ego autem, qui jam pridem ita reſtituiſſem, monueram decem ab hinc annos, ita reſtituendum eſſe, cap. 7. lib. 12. Variar. lectionum. Sed negligentia ejus, cujus opera in eis libris, graviter tunc ægrotus, utebar, factum eſt, ut ea omnia omiſſa ſint, quæ ex vetere libro addenda erant. *Idem.*

5 *Ut Arethuſa*] Plinius lib. 2. cap. 103. *Idem.*

Digitized by Google

locis fontes faciunt, ut non tantum lutum, ſed folia, teſtaſque, & quidquid putre jacuit, expellant: ubique autem facit mare: cui hæc natura eſt, ut omne immundum ſtercoroſumque littoribus impingat. Quædam vero partes maris id certis temporibus faciunt: ut [6] circa Meſſanam & Mylas fimo quiddam ſimile, turbulentum in littus mare profert, fervetque & æſtuat, non ſine odore fœdo. Unde illic ſtabulare Solis boves, fabula eſt. Sed difficilis ratio eſt quorundam: utique ubi tempus ejus rei, de qua quæritur, inobſervatum & incertum eſt. Itaque proxima quidem inveniri, & vicina non poteſt cauſſa, ceterum publica eſt illa. Omnis aquarum ſtantium clauſarumque natura ſe purgat. Nam in his quibus curſus eſt, non poſſunt vitia conſiſtere, quæ ſecunda vis defert & exportat. Illæ quæ non emittunt quidquid inſedit, magis minuſve æſtuant. Mare vero cadavera ſtramentaque, & naufragorum reliquiis ſimilia, ex intimo trahit, nec tantum tempeſtate fluctuque, ſed tranquillum quoque placidumque purgatur.

Cap. XXVII. Sed monet me locus, ut quæram, cum fatalis dies diluvii venerit, quemadmodum magna pars terrarum undis obruatur. Utrum Oceani viribus fiat, & externum in nos pelagus exſurgat: an crebri ſine intermiſſione imbres, & eliſa æſtate hiems pertinax, immenſam vim aquarum ruptis nubibus deruat. An flumina tellus largius fundat, aperiatque fontes novos: aut non ſit una tanto malo cauſſa, ſed omnis ratio conſentiat, & ſimul imbres cadant, flumina increſcant, maria ſedibus ſuis excita percurrant, & omnia uno agmine ad exitium humani generis incumbant. Ita eſt. Nihil difficile eſt naturæ, utique ubi in finem ſui properat. Ad originem rerum parce utitur viribus, diſpenſatque ſe incrementis fallentibus: ſubito ad ruinam toto impetu venit. Quam longo tempore opus eſt,

ut

6 *Circa Meſſanam & Mylas*] Plinius lib. 2. cap. 98. *Maretus.*

Cap.

ut conceptus ad puerperium perducatur infans? quantis laboribus tener educatur? quam diligenti nutrimento obnoxium noviſſime corpus adoleſcit? at quam nullo negotio ſolvitur? Urbes conſtituit ætas: hora diſſolvit. Momento fit cinis: diu ſilva. Magna tutela ſtant ac vigent omnia: cito ac repente diſſiliunt. Quidquid ex hoc ſtatu rerum natura flexerit, in exitium mortalium ſatis. Ergo cum affuerit illa neceſſitas temporis, multa ſimul fata cauſſas movent: nec ſine concuſſione mundi tanta mutatio eſt, ut quidam putant, inter quos Fabianus eſt. Primo immodici cadunt imbres, & ſine ullis ſolibus triſte nubilo cælum eſt; nebulaque continua, & ex humido ſpiſſa caligine, numquam exſiccantibus ventis. Inde vitium ſatis, & ſegetum ſine fruge ſurgentium marcor. Tunc corruptis quæ ſeruntur manu, paluſtris omnibus campis herba ſuccreſcit: [1] mox injuriam & validiora ſenſere. Solutis quippe radicibus, arbuſta procumbunt & vitis; atque omne virgultum non tenetur ſolo, quod molle fluidumque eſt: jam nec gramina aut pabula læta aquis ſuſtinet, fame laboratur, & manus ad antiqua alimenta porrigitur; quare ilex & quercus excutitur, & quæcumque in his arduis arbor commiſſura aſtricta lapidum ſtetit. Labant ac madent tecta, & in imum uſque receptis aquis fundamenta deſidunt, ac tota humus ſtagnat, fruſtra titubantium fulcra tentantur. Omne enim fundamentum in lubrico figitur, & lutoſa humo nihil ſtabile eſt. Poſtquam magis magiſque nimbi ingruunt, & congeſtæ ſeculis tabuerunt nives, devolutus torrens altiſſimis

CAP. XXVII. 1 *Mox injuriam & validiora ſenſere*] Neque hoc omnino ſpernendum, & tamen elegantiſſima videtur Col. ms. lectio: *mox in ruinam & validiora ſeneſcere.* hoc eſt, debilitari, infirma fieri, ut mox ruant. Columella, 3, 18. *Cum enim per exemptionem ima partes earum præfracta ſunt, aperta medulla deponuntur, atque irrepentibus aquis, prædictiſque animalibus, celeriter ſeneſcunt.* Idem 7, 5. *quaſi torpentes excitare nec pati veterno conſeneſcere atque exſtingui.* Livius lib. 5. *Camillus mæſtior fortuna publica quam ſua, quum diis hominibuſque accuſandis ſeneſceret.* Cornelius Nepos Alcibiade: *Athenienſium male geſtis in Sicilia rebus opes ſeneſcere.* Gronovius.

2 *Revo-*

mis montibus rapit ſilvas male hærentes, & ſaxa [2] revolutis remiſſa compagibus rotat. Abluit villas, & intermixtos ovium greges devehit; vulſiſque minoribus tectis, quæ in tranſitu abduxit, tandem in majora violentus oberrat. Urbes, & implicitos trahit mœnibus ſuis populos, ruinam an naufragium querantur, incertos: adeo ſimul, & quod opprimeret, & quod mergeret, venit. [3] Auctus deinde proceſſu aliquo in ſe torrentibus raptis plana paſſim populatur. Noviſſime ruina magna gentium clarus onuſtuſque diffunditur. Flumina vero ſuapte natura vaſta, & tempeſtatibus rapta, alveos reliquerunt. Quid tu eſſe Rhodanum, quid putas Rhenum, atque Danubium, quibus torrens etiam in canali ſuo curſus eſt, cum ſuperfuſi novas ſibi fecere ripas, ac ſciſſa humo ſimul exceſſere alveo? Quanta cum præcipitatione volvuntur, ubi per campeſtria fluens Rhenus, ne ſpatio quidem languidus, ſed [4] latiſſime velut per anguſtum aquas implet? Cumque Danubius non jam radices nec media montium ſtringit: ſed juga ipſa ſolicitat, ferens ſecum [5] madefacta montium latera, rupeſque dejectas, & magnarum promontoria regionum, quæ fundamentis laborantibus à continente receſſerunt. Deinde non inveniens exitum (omnia enim ſibi ipſe præcluſerat) in orbem redit, ingentemque terrarum ambitum atque urbium uno vortice involvit. Interim permanent imbres, fit cælum gravius, ac ſic diu malum ex malo colligit. Quod olim fuerat nubilum, nox eſt: & quidem horrida & terribilis, intercuſſu lumi-

2 *Revolutis remiſſa compagibus*] Lege: *reſolutis*. Lib. 4, 2. *ſignorum coagmenta ſolvuntur*. Gronovius.

3 *Auctus deinde proceſſu aliquo*] Lege: *aliquot in ſe torrentibus raptis*. Idem.

4 *Latiſſime velut per anguſtum aquas*] Malim: *ſed latiſſima velut per anguſtum aquis implet*. Idem.

5 *Madefacta montium latera*] Pincianus & Fromondus *labefacta* malint. Male contra omnes veteres codices. *Madefactum* eſt non aſperſum aqua, ſed quod permaduit, quod penetrante penitus & intrinſecus humore corruptum eſt. Sic lib. 6. c. 20. *Præterea aliquando madefacta tellus, liquore penitus accepto altius ſidit, & fundus ipſe vitiatur*. Columella, 6, 13. *Ea res non aliter accidit, quam ſi bos aut ex languore aliquo ad maciem perductus eſt, aut ſudans in opere faciendo refrixit, aut ſi ſub cœlo pluvia madefactus eſt*. De Providentia cap. 4. *enervatam felicitatem, qua animi permadeſcunt*. Idem.

6 Poëta-

luminis diri. crebra enim micant fulmina, procellæ quatiunt mare: tunc primum auctum fluminum acceſſu, & ſibi anguſtum, jam promovet littus: non continetur ſuis finibus, ſed prohibent exire torrentes, aguntque fluctus retro: pars tamen major, ut maligno oſtio retenta, reſtagnat, & agros in formam unius lacus redigit. Jam omnia, quæ proſpici poſſunt, aquis obſidentur. Omnis tumulus in profundo latet, & immenſa ubique altitudo eſt. tantum in ſummis montium jugis vada ſunt. In ea excelſiſſima cum liberis conjugibuſque fugere, actis ante ſe gregibus: diremptum inter miſeros commercium ac tranſitus: quoniam quidquid ſubmiſſius erat, id unda complevit. Editiſſimis quibuſque adhærebant reliquiæ generis humani: quibus in extrema perductis, hoc unum ſolatio fuit, quod tranſierat in ſtuporem metus. non vacabat timere mirantibus: ne dolor quidem habebat locum. Quippe vim ſuam perdit in eo, qui ultra ſenſum mali miſer eſt. Ergo inſularum modo eminent montes, & ſparſas Cycladas augent, ut ait ille [6] poëtarum ingenioſiſſimus egregie, ſicut illud pro magnitudine rei dixit:

Omnia pontus erat: deerant quoque littora ponto.

niſi tantum impetum ingenii & materiæ ad pueriles ineptias reduxiſſet.

Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones.

Non eſt res ſatis ſobria, laſcivire devorato orbe terrarum. Dixit ingentia, & tantæ confuſionis imaginem cepit, cum dixit:

Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos.
—— Preſſaque labant ſub gurgite turres.

Magnifice hoc, ſi non curavit, quid oves & lupi faciant. Natari

6 *Poëtarum ingenioſiſſimus*] Notanda eximia, eademque veriſſima laus Ovidii, quem hodie nonnulli inepte faſtidioſi contemnere audent. Notandum etiam, quanto judicio Seneca in eo reprehendat ea, in quibus luxurianti ingenio nimis indulſit. Hæc nos in ſcribendo cautiores & conſideratiores facere debent. *Muretus.*

Natari autem in diluvio & in illa rapina poteſt? aut non eodem impetu pecus omne, quo raptum erat, merſum eſt? Concepiſti imaginem quantam debebas, obrutis omnibus terris, cælo ipſo in terram ruente. Perfer. Scies quid deceat, ſi cogitaveris orbem terrarum natare. Nunc ad propoſitum revertamur.

Cap. XXVIII. Sunt qui exiſtiment, immodicis imbribus vexari terras poſſe, non obrui. Magno impetu magna ferienda ſunt. Faciet pluvia ſegetes malas, fructum grando decutiet, intumeſcent rivis flumina: ſed reſident. Quibuſdam placet moveri mare, & illinc cauſſam tantæ cladis accerſi. Non poteſt torrentium, aut imbrium, aut fluminum injuria fieri tam grande naufragium. Ubi inſtat illa pernicies, mutarique genus humanum placuit, fluere aſſiduos imbres, & non eſſe modum pluviis conceſſerim: ſuppreſſis aquilonibus, & flatu ſicciore: auſtris nubes & imbres & amnes abundare.

—— Sed adhuc in damna profectum eſt.
Sternuntur ſegetes, & deplorata colonis
Vota jacent, longique perit labor irritus anni.

Non lædi debent terræ, ſed abſcondi. Denique cum per iſta proluſum eſt, creſcunt maria, ſed ſuper ſolitum, & fluctum ultra extremum tempeſtatis maximæ veſtigium mittunt. Deinde [1] à tergo ventis ſurgentibus, ingens æquor evolvunt; quod longe à conſpectu interioris littoris frangitur. Deinde ubi littus bis terque prolatum eſt, & pelagus in alieno conſtitit, velut admoto malo cominus procurrit æſtus ex imo receſſu maris. Nam ut aëris, ut ætheris, ſic hujus elementi larga materia eſt, multoque in abdito plenior. Hæc fatis mota, non æſtu, (nam æſtus fati miniſterium eſt) attollit vaſto ſinu fretum, agitque ante ſe. Deinde in miram altitudinem erigitur: & illis tutis hominum receptaculis ſupereſt. Nec id aquis arduum eſt, quoniam æquo

Cap. XXVIII. 1 *A tergo ventis ſurgentibus*] Annon *urgentibus*? Gronovius.

2 Æquo

[2] æquo terris faſtigio aſcenderet. Si quis excelſa perlibret, maria paria ſunt. Nam par undique ſibi ipſa tellus eſt. Cava & plana undique inferiora ſunt. Sed iſtis adeo in rotundum orbis æquatus eſt, in parte autem ejus & maria ſunt, quæ in unius æqualitatem pilæ coëunt. Sed quemadmodum campos intuentem, quæ paulatim devexa ſunt, fallunt: ſic non intelligimus curvaturas maris, & videtur planum quidquid apparet. at illud æquale terris eſt. Ideoque ut effluat, non magna mole ſe tollet: dum ſatis eſt illi, ut ſupra paria veniat, leviter exſurgere: nec à littore ubi inferius eſt, ſed à medio, ubi ille cumulus eſt, defluit. Ergo ut ſolet æſtus æquinoctialis, ſub ipſum lunæ ſoliſque coïtum, omnibus aliis major undare: ſic hic qui ad occupandas terras emittitur, ſolitis maximiſque violentior, plus aquarum trahit: nec antequam ſupra cacumina eorum, quos perfuſurus eſt, montium crevit, devolvitur. Per centena millia quibuſdam locis æſtus excurrit innoxius, & ordinem ſervat. Ad menſuram enim creſcit, iterumque decreſcit. At illo tempore ſolutus legibus, ſine modo fertur. Qua ratione, inquis? Eadem, qua conflagratio futura eſt. Utrumque fit, cum Deo viſum ordiri meliora, vetera finiri. Aqua & ignis terrenis dominantur. Ex his ortus, & ex his interitus eſt. Ergo [3] quandoque placuere res novæ mundo, ſic in nos mare emittitur deſuper, ut fervor ignis, cum aliud genus exitii placuit.

CAP. XXIX. Quidam exiſtimant terram quoque con-

2 *Æquo terris faſtigio aſcenderet*] Quidam, *aſcenderent*. Sed illud retinet Fortunatus: reddidi enim rationem, quare nihil ſit ab aquis aridum, quoniam æſtus freti æquo ſe terris faſtigio attolleret, & altiſſima quæque cacumina æquaret. nam & *aridum* legit. Male. redditur enim ratio, cur non ſit difficile aquis obruere terras, quum jam nunc juxta editæ ſint & ſummis cacuminibus terrarum pares. Hæc opinio fuit Senecæ. Ergo ſcribe: *aſcendunt*. Gronovius.

3 *Quandoque placuere res novæ mundo*] Immo, *Quandocumque*, inquit Fromondus. Immo *Quandoque*. Vide ad Livium. Et ſic mox Seneca: *Quandoque erit terminus rebus humanis, plus humoris, quam ſemper fuit, fiet*. Nota autem elegantiſſimum, *res novæ*. ut in republica, mutatio imperii, ſeditiones, tumultus, defectiones, conſpirationes, quævis mutatio ſtatus publici. *Idem*.

CAP.

concuti, & dirupto ſolo nova fluminum capita detegere, quæ amplius ut è pleno profundant. Beroſus, qui Belum interpretatus eſt, ait curſu iſta ſiderum fieri: & adeo quidem id affirmat, ut conflagrationi, atque diluvio, tempus aſſignet: arſura enim terrena contendit, quando omnia ſidera, quæ nunc diverſos agunt curſus, in Cancrum convenerint, ſic ſub eodem poſita veſtigio, ut recta linea exire per orbes omnium poſſit: inundationem futuram, cum eadem ſiderum turba in Capricornum convenerit. Illic ſolſtitium, hic bruma conficitur. Magnæ potentiæ ſigna: quando in ipſa mutatione anni momenta ſunt. Et iſtas ego receperim cauſſas (neque enim ex uno eſt tanta pernicies) & illam quæ in conflagratione noſtris placet, huc quoque transferendam puto: ſive anima eſt mundus, ſive corpus: natura gubernante, ut arbores, ut ſata, ab initio ejus uſque ad exitum quidquid facere, quidquid pati debeat, incluſum eſt: ut in ſemine omnis futuri ratio hominis comprehenſa eſt. Et legem barbæ & canorum nondum natus infans habet. totius enim corporis, & ſequentis ætatis in parvo occultoque lineamenta ſunt. Sic origo mundi, non minus ſolem & lunam, & vices ſiderum, & animalium ortus, quam quibus mutarentur terrena, continuit. In his fuit inundatio, quæ non ſecus quam hiems, quam æſtas, lege mundi venit. Itaque non pluvia iſtud fiet, ſed pluvia quoque: non incurſu maris, ſed maris quoque incurſu: non terræ motu, ſed terræ quoque motu. Omnia adjuvabunt naturam, ut naturæ conſtituta peragantur. Maximam tamen cauſſam, ad ſe inundandam, terra ipſa præſtabit: quam diximus eſſe mutabilem, & ſolvi in humorem. Ergo quandoque erit terminus rebus humanis, cum partes ejus interire debuerint, abolerive funditus totæ, ut de integro totæ, rudes innoxiæque generentur: [1] nec ſuperſit in deteriora magiſter: plus humo-

CAP. XIX. 1 *Nec ſuperſit in deteriora magiſter*] Nulla cauſſa ſuperſit, quæ doceat quaſi elementa, innocentia jam & intra menſuram & libramentum ſuum redacta, ferocire, & aliis ſe hoſtiliter ſuperfundere. Sic Fromondus.

Digitized by Google

humoris, quam ſemper fuit, fiet. Nunc enim elementa ad id, quod debetur, penſa ſunt. Aliquid oportet alteri accedat, ut quæ libramento ſtant, inæqualitas turbet. Accedet humori. Nunc enim habet quo ambiat terras, non quo obruat. Quidquid illi acceſſerit, neceſſe eſt in alienum locum exundet. [2] Undare ergo terra debet, ut validiori infirma ſuccumbat. Incipiet ergo putreſcere, dehinc laxata ire in humorem, & aſſidua tabe defluere. Tunc exſilient ſub montibus flumina, ipſoſque impetu quatient: inde aura tacita manabunt. Solum omne aquas reddet, ſummi ſcaturient montes: quemadmodum in morbum tranſeunt ſana, & ulceri vicina conſentiunt: ut quæque proxima terris fluentibus fuerint, eluentur, ſtillabunt, & deinde current, & hiante pluribus locis ſaxo, per fretum ſalient, & maria inter ſe component. Nihil erunt Hadriatici, nihil Siculi æquoris fauces, nihil Charybdis, nihil Scylla. Omnes novum mare fabulas obruet, & hic qui terras cingit Oceanus extremas, veniet in medium. Quid ergo eſt? nihilominus tenebit alienos menſes hiems, æſtas prohibebitur, & quodcumque terras ſidus exſiccat, compreſſo ardore ceſſabit. Peribunt tot nomina, Caſpium & Rubrum mare, Ambracii & Cretici ſinus, Propontis & Pontus. Peribit omne diſcrimen. Confundetur quidquid in ſuas partes natura digeſſit. Non muri quemquam, non turres tuebuntur. Non proderunt templa ſupplicibus, nec urbium ſumma: quippe fugientes unda præveniet, & ex ipſis arcibus deferet. Alia ab occaſu, alia ab oriente concurrent: unus humanum genus condet dies.

Quid-

mondus. At nihil hic elementa, ſed mores hominum reſpicit Seneca; auctorem & exemplum ſceleris intelligit. *Gronovius.*

2 *Undare ergo terra debet, ut validiori*] In Veneta reperio: *Vide ergo ne terra debeat minus.* Neque aliter Eraſmica, qua uſus ſum. Fromondus, *undare* interpretatur in aquam verti: ſed ea vox corrupta eſt. Mss. *Vide ergo ut terra non debeat minus.* Ex quo Fortunatus faciebat: *Unde ergo terra habeat, minus ac val.* Omnia fruſtra. Scribe: *Unde ergo & terra non minus debet, ut validiori infirma ſuccumbat.* Ipſa terra ad inundationem ſui, non minus undæ debet, ipſa tantundem undæ conferet, quam cælum & mare, ut ſcilicet etiam ſua opera validiori ipſa infirmior concedat. *Idem.*

Quidquid tam longa fortunæ indulgentia excoluit, quidquid ſupra ceteros extulit, nobilia pariter atque adornata, magnarumque gentium regna peſſumdabit.

Cap. XXX. Sunt omnia, ut dixi, facilia naturæ: utique quæ à primo facere conſtituit; ad quæ non ſubito, ſed ex denuntiato venit. Jam autem à primo die mundi, cum in hunc habitum ex informi unitate diſcederet, quando mergerentur terrena, decretum eſt: & ne ſit quandoque velut in novo opere, dura molitio, olim ad hæc maria ſe exercent. Non vides, ut fluctus in littora, tamquam exiturus, incurrat? Non vides, ut æſtus fines ſuos tranſeat, & in poſſeſſionem terrarum mare inducat? Non vides, ut illi perpetua cum clauſtris ſuis pugna ſit? Quis porro iſtinc, unde tantum tumultum vides, metus eſt è mari, & magno impetu erumpentibus fluviis? Ubi non humorem natura diſpoſuit, ut undique nos, cum voluiſſet, aggredi poſſet? Mentior, niſi eruentibus terram humor occurrit, & quoties nos avaritia aut defodit, aut aliqua cauſſa penetrare altius cogit, eruendi finis unda eſt. Adjice nunc, quod immanes ſunt in abdito lacus, & multum maris conditi, multum fluminum per operta labentium. Undique ergo erunt cauſſæ diluvio, cum aliæ aquæ ſubinfluant terras, aliæ circumfluant, quæ diu coërcitæ vincent, & amnes amnibus jungent, paludibus ſtagna. Omnium tunc mare ora fontium implebit, & majore hiatu ſolvet. Quemadmodum corpora noſtra ad egeſtum venter exhaurit, quemadmodum eunt in ſudorem vires: ita tellus liquefiet, & aliis cauſſis quieſcentibus, intra ſe, quo mergatur, inveniet: [1] ſic magna omnia coïtura crediderim. Nec erit longa mora exitii. Tentatur divelliturque concordia, cum ſemel aliquid ex hac idonea diligentia remiſerit mundus: ſtatim [2] undique ex aperto, ex abdito,

Cap. XXX. 1 *Sic magna omnia coïtura*] An *maria*, ut ſit *coitura*, in unum cœtum & continuum corpus ventum aquis paſſim ex terra erumpentibus? An *magna omnia ruitura*? quia præceſſit, intra ſe quo mergatur, inveniet. ut ſit illud ipſum quod Lucanus: *In ſe magna ruunt*. Gronovius.

2 *Undique ex aperto ſuperne*] Sic Pincianus tranſpoſuit. Cæterum omnes mss.

abdito, ſuperne, ab infimo aquarum fiet irruptio. Nihil eſt tam violentum & incontinens ſui, tam contumax, infeſtumque retinentibus, quam magna vis undæ: utetur libertate permiſſa, & jubente natura, quæ ſcindit circuitque, complebit. Ut ignis diverſis locis ortus, cito miſcet incendium, flammis coïre properantibus: ſic momento redundantia maria ſe committent. Nec ea ſemper licentia undis erit: ſed peracto exitio generis humani, exſtinctiſque pariter feris, in quarum homines ingenia tranſierant, iterum aquas terra ſorbebit: natura pelagus ſtare, aut intra terminos ſuos furere coget: & rejectus è noſtris ſedibus, in ſua ſecreta pelletur Oceanus: & antiquus ordo revocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabiturque terris homo inſcius ſcelerum, & melioribus auſpiciis natus. Sed illis quoque innocentia non durabit, niſi dum novi ſunt. Cito nequitia ſubrepit: virtus difficilis inventu eſt, rectorem ducemque deſiderat. Etiam ſine magiſtro vitia diſcuntur.

L. I-

mss. volunt, *undique, ex aperto, ex abdito, ſuperne, ab infimo, aquarum fiet irruptio.* Nempe τὸ *ſuperne* refertur ad illud: *ex aperto*: *ab infimo*, ad illud, quod præceſſit, *ex abdito*. Eſtque nota & Græcis & Latinis loquendi ratio, quam Græci magiſtri χιασμὸν appellant. *Gronovius.*

LIBER QUARTUS.

In quo de nive, grandine, & pluvia agitur.

ARGUMENTUM.

IN *Præfatione gratulatur Lucilio de otioſa Siciliæ procuratione, quæ Muſis & litteris ejus ſpatium daret. Monet præterea, ne adulatoribus præbeat latus. Laudes deinde Gallionis fratris interjectæ, & Siciliæ adjectæ.*

Cap. I. *Statim ab origine Nili incipit, & multa de Nilo docta & amœna interſpargit. Inde ad grandinem, nivem, glatiem, pluviam abſcedit, & occaſione tam bella & oblata, adverſus nivatas & glaciatas potiones, ac Romanam luxuriam litigare incipit, nec litigium ante librum finit.*

PRÆFATIO.

DElectat te, quemadmodum ſcribis, Lucili virorum optime, Sicilia, & officium procurationis otioſæ. Delectabit, ſi continere id intra fines ſuos volueris, nec efficere imperium, quod eſt procuratio. Facturum te hoc, non dubito. Scio quam ſis ambitioni alienus, quam familiaris otio & literis. Turbam rerum hominumque deſiderent, qui ſe pati neſciunt. Tibi tecum optime convenit. Nec mirum paucis iſtud contingere: imperioſi nobis ipſis & moleſti ſumus: [1] modo amore

1 M*Odo amore noſtri*] Conjectura Pinciani. nam codd. illius, Eraſm. Fort. Grut. *ſi more amore.* Unde Gruterus: *Scilicet amore.* Forſan: *moleſti ſumus: interim amore noſtri, modo tædio laboramus. Interim* interdum. *Gronovius.*

2 *Mihi*

re noſtri, modo tædio laboramus: infelicem animum nunc ſuperbia inflamus, nunc cupiditate diſtendimus: alias voluptate laxamus, alias ſolicitudine exurimus. Quod eſt miſerrimum, numquam ſumus ſinguli. Neceſſe eſt itaque aſſidua ſit, in tam magno vitiorum contubernio, rixa. Fac ergo, mi Lucili, quod facere conſueſti. A turba, quantum potes, te ſepara; nec adulatoribus latus præbeas, artifices ſunt ad captandos ſuperiores. Par illis, etiam ſi bene caveris, non eris. [2] Mihi crede, capieris, ſi proditioni ipſe te trades. Habent hoc in ſe naturale blanditiæ: etiam cum rejiciuntur, placent: ſæpe excluſæ, noviſſime recipiuntur. Hoc enim ipſum imputant, quod repelluntur, & ſubigi ne contumelia quidem poſſunt. Incredibile eſt, quod dicturus ſum, ſed tamen verum. Ea maxime quiſque patet, qua petitur. [3] Fortaſſe enim ideo, quia patet, petitur. Sic ergo formare, ut ſcias non poſſe te conſequi, ut ſis impenetrabilis. cum omnia caveris, [4] per ornamenta feriet. Alius adulatione clam utetur, parce: alius ex aperto, palam, ruſticitate ſimulata, quaſi ſimplicitas illa, non ars ſit. Plancus artifex [5] ante Vitelleium maximus, aiebat non eſſe occulte, nec ex diſſimulato blandiendum. Perit, inquit, procari, ſi latet. Plurimum adulator cum deprehenſus eſt, proficit: plus

2 *Mihi crede, capieris, ſi proditioni*] Sic Muretus. Scripti editique omnes: *Sed, mihi crede, proditioni, ſi capieris, ipſe te trades.* In quo litera eſt unica vitioſa. Scribe: *ſi capteris.* Si latus præbeas, ſi des te captandum, nimis confiſus prudentiæ tuæ. *Gronovius.*

3 *Fortaſſe enim ideo quia patet*] Mss. *idem patet.* Lege: *Fortaſſe enim idem quod patet, petitur.* Idem.

4 *Per ornamenta feriet*] Lipſius lib. 2. Epiſt. quæſt. 10. & lib. 2. Saturn. Serm. cap. 17. hanc lectionem defendit, aitque *ornamenta* ſumi, pro ipſis armis, quomodo iterum etiam uſurpavit noſter Epiſt. 14. *Ars ei conſtat qui per ornamenta percuſſus eſt.* Unde Suetonius audentius ipſos gladios appellat *ornamenta.* Titi cap. 9. Sed Victor in eadem re, *iiſque gladios tradidit.* recte. adeatur Feſtus: *Ornatus*, inquit, *dicitur bene aptus, ut miles, aut gladiator, aut acturus fabulas.* & ad ejus mentem Plautus Capteivis: *Ornamenta abſunt: Aiacem hunc cum vides, ipſum vides,* &c.

5 *Ante Villeium*] Parum abeſt, quin legendum ſuſpicer *Velleium*, ut intelligatur Velleius Paterculus, cujus fragmenta quædam hiſtoriarum exſtant. Ille quidem certe perfrictæ frontis adulator fuit. *Muretus.*

pluſetiamnum ſi objurgatus eſt, ſi erubuit. [6] Futuros multos in perſona tua Plancos cogita: & hoc non eſſe remedium tanti mali, nolle laudari. Criſpus Paſſienus, quo ego nil cognovi ſubtilius in omnibus rebus, maxime in diſtinguendis & curandis vitiis, ſæpe dicebat, adulationi nos opponere, non claudere oſtium. Et quidem ſic, quemadmodum opponi amicæ ſolet. Quæ ſi impulit, grata eſt: gratior, ſi effregit. Demetrium egregium virum memini dicere cuidam libertino potenti, facilem ſibi eſſe ad divitias viam, quo die pœnituiſſet bonæ mentis. Nec invidebo, inquit, vobis hanc artem, ſed docebo eos quibus quæſito opus eſt, quemadmodum non dubiam fortunam maris, non emendi vendendique aleam ſubeant, non incertam fidem ruris, incertiorem fori tentent, quemadmodum non ſolum facili, ſed etiam hilari via pecuniam faciant, gaudenteſque diſpolient. [7] Te, inquit, longiorem Fido Annæo jurabo, & Apollonio Pycta,

6 *Futuros multos in perſona tua Plancos*] Pincianum notat Fromondus legere *in perſonam tuam*, Fortunatum *in provincia tua*; & probe, niſi contra omnium exemplarium fidem: magis illud Pinciani allubeſcere. At meo judicio utrumque improbum, & edito Eraſ. Fort. Grut. à me inſpectis probato nihil melius. Cicero in principio lib. 1 in Verr. *ſi forteſ fueritis in eo, quem nemo auſus ſit defendere.* Ubi Scholiaſtes antiquus apud Voſſium in membranis: *Ideo IN EO dixit, & non IN EUM, quia hoc in utrumque caſum profertur. ſicut Virgilius: Talis in hoſte fuit Priamo. cum, in hoſtem Priamum, dicere debuit.* Horatius, 1. Sat. 2. *in matrona, ancilla, peccesve togata? Villius in Fauſta.* Talia ſunt Ovidii lib. 6 Metam. *Te quoque mutatum torvo, Neptune, juvenco Virgine in Æolia poſuit.* Et eodem: *Odryſius quamvis ſeceſſit, in illa Æſtuat.* Lib. 7. *quid in hoſpite regia virgo Ureris?* Lib. 8. *merito deus arſit in illa.* Lib. 14. *inque figura Capta dei Nymphe eſt.* Lib. 1 de Arte: *Pallidus in lenta Naide Daphnis erat.* Epiſt. Penelop. *Nomine in Hectoreo pallida ſemper eram.* Noſter Seneca Thyeſte: *Fas eſt in illo, quicquid in fratre eſt nefas.* Ejuſdem generis eſt Serviana definitio: *Tutela eſt vis & poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem ſe ipſe defendere nequit.* Terentius Eunuch. 3, 5. *In hac commotus ſum.* Trogus in orat. Mithridatis: *neque in ſe uno, ſed in omnibus aliis hac arte graſſatus.* Gronovius.

7 *Te, inquit, longiorem*]. Verba, inquit Fromondus, ſunt joco permixta libertini illius potentis ad Demetrium Cynicum, exſilientis præ gaudio, & geſtientis doceri viam tam facilem & hilarem ad opes veniendi. Obſervat etiam, brevi & in nodum collecto corpore videri fuiſſe Demetrium. Quod ſi eſt, miro nos Seneca deſtituit, qui hanc artem Cynicum nos docere non paſſus eſt: nulla enim alia verba Demetrii ad hunc tantopere Cynice geſtientem libertinum. Immo omnia hæc verba ipſius ſunt Demetrii, oſtendentis adulationem eſſe certiſſimam viam perveniendi ad pecuniam.

Et

Pyćta, quamvis ſtaturam habeas Threcis cum Threce compoſiti. Hominem quidem non eſſe ullum liberaliorem, non mentiar, cum poſſis videri omnibus donaſſe, quidquid dereliquiſti. Ita eſt, mi Junior, quo apertior eſt adulatio, quo improbior, quo magis frontem ſuam perfricuit, cecîdit alienam, hoc citius expugnat. Eo enim jam dementiæ venimus, ut qui parce adulatur, pro maligno ſit. Solebam tibi dicere, Gallionem fratrem meum (quem nemo non parum amat, etiam qui amare plus non poteſt) alia vitia non noſſe, hoc etiam odiſſe. ab omni illum parte tentaſti. Ingenium ſuſpicere cœpiſti, omnium maximum & digniſſimum, quod conſecrari mallet, quam conteri: [8] pedes abſtulit. Frugalitatem laudare cœpiſti, qua ſic à nummis reſiluit, ut illos habere nec damnare videatur: prima ſtatim verba præcidit. Cœpiſti mirari comitatem & incompoſitam ſuavitatem: quæ illos quoque, quos tranſit, abducit, gratuitum etiam in obvios meritum. Nemo enim mortalium uni tam dulcis eſt, quam hic omnibus: cum interim tanta naturalis boni vis eſt, uti artem ſimulationemque non redoleat. Nemo non

Et certe captatorum, hæredipetarum, gnathonum, quod mire docet ille Terentianus, hæc ars erat. Sic Tireſias Ulyſſem inſtituit apud Horat. 2 Sat. 5.

Importunus amat laudari? donec, ohe jam,
Ad cœlum manibus ſublatis, dixerit, urge, &c.

Et ante: *ſcribet mala carmina vecors? Laudato.* Sermo autem totus eſt Cynicus, aliud agendo turpiſſimam corporis faciem & prædatoriam rapacitatem diviti iſti libertino exprobrantis. Nam & male *derelinquere* Cynicum eſſe putat Fromondus, quod hi omnia, præter dolium, baculum & peram, dimitterent. *Quicquid dereliquiſti*, eſt quicquid non rapuiſti. Haud dubie ex Claudianis fuit iſte libertus. Cicero Phil. 2. *quod eſt aliud beneficium latronum, niſi ut commemorare poſſint, iis ſe dediſſe vitam, quibus non ademerint?* Seneca epiſt. 53. *Alexander cuidam civitati, partem agrorum & dimidiam rerum omnium promittenti, eo, inquit, propoſito veni in Aſiam, non ut id acciperem, quod dediſſetis, ſed ut id haberetis, quod reliquiſſem.* Gronovius.

8 *Pedes abſtulit*] Turnebi interpretationem adoptat Fromondus, quaſi curſu orationis inhibito: additque corrupta hæc & turbata non de nihilo ſuſpicari Opſopœum. Certe de nihilo ſuſpicatur, & rectius Gruterus, metaphoram à luctatoribus ſumtam. At quod ſequitur, male truncavit Muretus: dictant enim libri: *qua ſic à nummis reſiluit, ut illos nec habere nec damnare videatur.* Turnebus vidit, *à nummis* male ſuſtulit τὸ *nec* prius. Intellige, animum præſtitiſſe liberum ab amore & imperio pecuniæ. *Nec habere*, nempe luxum vitando. *Nec damnare*, diligenter & liberaliter utendo. *Idem.*

non imputari ſibi bonitatem publicam patitur. Hoc quoque loco blanditiis tuis reſtitit, ut exclamares inveniſſe te inexpugnabilem virum adverſus inſidias, quas nemo non in ſinum recipit. Eo quidem magis hanc ejus prudentiam, & in evitando inevitabili malo pertinaciam te ſuſpicere confeſſus es, quia ſperaveras poſſe apertis auribus recipi, quamvis blanda diceres, quia vera dicebas. Sed eo magis intellexit obſtandum. Semper enim falſis à vero petitur veritas. Nolo tamen tibi diſpliceas, quaſi male egeris mimum, & quaſi ille aliquid jocorum aut doli ſuſpicatus ſit. [9] Non deprehendit te, ſed repulit. Ad hoc exemplar componere. Cum quis ad te adulator acceſſerit, dicito: [10] Vis tu iſta verba, quæ [11] jam ab alio magiſtratu ad alium cum lictoribus tranſeunt, ferre ad aliquem, qui paria facturus, vult quidquid dixeris, audire? Ego nec decipere volo, nec decipi poſſum. Laudari me à vobis, niſi laudaretis etiam malos, vellem. Quid autem neceſſe eſt in hoc deſcendere, ut te petere cominus poſſint? Longum inter vos interval-

9 *Non deprehendit te, ſed repulit*] Lege: *& repulit*. Non tu illi te prodidiſti: non te ille deprehendit adulantem, cum vera diceres: & tamen te rejecit: quamvis vera, quia blanda, non admiſit. *Gronovius.*

10 *I tu, iſta verba, quæ jam*] Gruterus: Sic bene ex ſcriptis Pincianus. Cuſi enim Eraſmi, item mss. mei: *Vis tu iſta verba.* & rurſum ad illa: *ferto ad aliquem:* Ita rurſum recte codices nonnulli; aliquot vero, *ferte.* Eraſmi & meorum duo perperam *ferre.* Pal. tert. *frigide vel ferre ad aliquem.* Immo peſſime Pincianus, & peſſimi hic quidem quicumque fuerunt illi licentes libri. Reſtitue ſine mora: *Vis tu iſta verba* &c. *ferre ad aliquem.* Eſt enim auctoris, ſi quod uſpiam, germanum. Conceptum, ut lib. 3 de Ira, cap. 38. *Vis tu æquo animo pati candidatus ſuffragia?* Ubi etiam Lipſium errantem comiter reduximus in viam. Et epiſt. 58. *Vis tu non timere, ne ſemel fiat, quod quotidie fit?* Ubi ex mss. ſic primi reſtituimus. Viſe quæ ad utrumque diximus. Eadem formula, lib. 6, 2. *Magni ſe æſtimat, qui fulmina & motus terrarum hiatuſque formidat. Vult ille imbecillitatis ſuæ conſcius timere pituitam?* Reſcribe, *non vult ille*, flagitante ſenſu, inquit Fromondus. Minime. eſt enim ſenſus: Poteſtne ille induci, poteſt recordari, ſibi timendam eſſe pituitam? Scilicet ille neſcit multo minora mala ſibi pernicioſa & formidanda eſſe. Nam per apoſtrophen dixiſſet: *Vis tu imbecillitatis tuæ conſcius timere pituitam?* Horatius, lib. 2. Sat. 6.

Vis tu homines urbemque feris præponere ſilvis? Idem.

11 *Jam ab alio magiſtratu ad alium cum lictoribus*] Scripſit, opinor, Seneca: *tam ab alio magiſtratu ad alium quam lictores.* Idem.

12 *Et*

Digitized by Google

tervallum ſit. Cum cupieris bene laudari, quare hoc ulli debeas? Ipſe te lauda. dic: Liberalibus me ſtudiis tradidi, quamquam paupertas alia ſuaderet, [12] & ingenium eo abduceret, ubi præſens ſtudii pretium eſt. Ad gratuita carmina deflexi me, & ad ſalutare philoſophiæ ſtudium contuli. Oſtendi in omne pectus cadere virtutem: & eluctatus natalium anguſtias, nec ſorte me, ſed animo menſus, par maximis ſteti. [13] Non mihi inimicitia Gætulici Caii fidem eripuit, non in aliorum perſonam infeliciter amatorum; [14] Meſſala & Narciſſus, diu publici hoſtes, antequam ſui, propoſitum meum potuerunt evertere. Cervicem pro fide oppoſui. Nullum verbum mihi, quod non ſalva conſcientia procederet, excuſſum eſt. Pro amicis omnia timui, pro me nihil. niſi ne parum bonus amicus fuiſſem. Non mihi muliebres fluxere lacrimæ, non è manibus ullius ſupplex pependi. Nihil indecorum nec bono, nec viro feci. Periculis meis major, paratus ire in ea quæ minabantur, egi gratias fortunæ, quod experiri voluiſſet, quanti æſtimarem fidem. Non debebat mihi parvo res tanta conſtare. Nec examinavit me quidem diu: neque enim paria pendebant, utrum ſatius eſſet me perire pro fide, an fidem pro me. Non præcipiti impetu in ultimum conſilium, quo me eriperem furori potentium, miſi. Videbam apud Caium tormenta, videbam ignes. Sciebam olim ſub illo in eum ſtatum res humanas decidiſſe, ut inter miſericordiæ opera haberetur, occidi. Non tamen ferro incubui, nec in mare aperto ore deſilui,

12 *Et ingenium eo duceret*] Hæc licentia Mureti: priores & mss. *abduceret*. De Brevitate vitæ, cap. 5. *noviſſime abductus, nec ſecundis rebus quietus, nec adverſarum patiens.* De Benef. 2, 27. *de Auguſto ſolebat queri, à ſtudiis ſe abductum.* Ita enim legendum docent ſequentia. Vulgo deeſt prior præpoſitio. *Gronovius.*

13 *Non mihi inimicitia*] Immo amici Gætulici ſuſpecti fuere cum ipſo fidem erga principem mutaſſe. Videtur igitur *amicitia* ſcribendum. *Idem.*

14 *Meſſala*] Quærit, quis hic ſit, Fromondus. Puto, qui Statilius Corvinus Suetonio, aliquando Narciſſi, ut apparet, ſocius in puniendis Meſſallinæ adulteris, poſtea inſidiatus Claudio. Cap. 13. *Conſpiraverunt autem ad res novas Gallus Aſinius & Statilius Corvinus, Pollionis ac Meſſalæ oratorum nepotes.* Idem.

deſilui, ne viderer pro fide tantum mori poſſe. Adjice nunc invictum muneribus animum, & in tanto avaritiæ certamine numquam ſuppoſitam manum lucro. Adjice nunc victus parſimoniam, ſermonis modeſtiam, adverſus minores humanitatem, adverſus majores reverentiam. Poſt hoc ipſe te conſule, verane an falſa memoraveris. Si vera ſunt, coram magno teſte laudatus es: ſi falſa, ſine teſte deriſus es. Poſſum & ipſe nunc videri te aut captare, aut experiri. Utrum libet crede, & omnes timere à me incipe. Virgilianum illud excute:

Nuſquam tuta fides. ——

Aut Ovidianum:

—— *Qua terra patet, fera regnat Erinnys.*
In facinus juraſſe putes ——

Aut illud Menandri: (quis enim non in hoc magnitudinem ingenii ſui concitavit, deteſtatus conſenſum humani generis, tendentis ad vitia?) Omnes, ait, malos vivere: & in ſcenam velut ruſticus poëta proſiluit. Non ſenem excipit, non puerum, non feminam, non virum: & adjicit, non ſingulos peccare, nec paucos, ſed jam ſcelus eſſe contextum. Fugiendum ergo, & in ſe redeundum eſt, imo etiam à ſe recedendum. Hoc tibi, etſi dividimur mari, præſtare tentabo, ut dubium viæ, injecta manu, ad meliora perducam. Et ne ſolitudinem ſentias, hinc tecum miſcebo ſermones. Erimus una, qua parte optimi ſumus: dabimus invicem conſilia, non ex vultu audientis pendentia. Longe te ab iſta provincia abducam, ne forte magnam hiſtoriis eſſe fidem credas, & placere tibi incipias, quotiens cogitaveris. Hanc ego habeo ſub meo jure provinciam, quæ maximarum urbium exercitus & ſuſtinuit & fregit, cum inter Carthaginem & Romam ingentis belli pretium jacuit, cum quattuor Romanorum principum, id eſt, totius imperii vires contractas in unum locum vidit, altamque Pompeii fortunam erexit, Cæſaris fatigavit, Lepidi tranſtulit, omniumque cepit: quæ illi ingenti ſpectaculo interfuit; ex quo liquere

quere mortalibus poſſet, quam velox foret ad imum lapſus ex ſummo, quamque diverſa via magnam potentiam fortuna deſtrueret. Uno enim tempore vidit Pompeium Lepidumque, ex maximo faſtigio aliter ad extrema dejectos, cum Pompeius alienum exercitum fugeret, Lepidus ſuum.

CAP. I. Itaque ut te tota mente abducam, quamvis multa habeat Sicilia in ſe, circaque ſe mirabilia, omnes interim provinciæ tuæ quæſtiones præteribo, & in diverſum cogitationes tuas abſtraham. Quæram enim tecum id quod libro ſuperiore diſtuli. [1] Quid ita Nilus æſtivis menſibus abundet. Cui Danubium ſimilem natura philoſophi tradiderunt, quod & fontis ignoti, & æſtate quam hieme major ſit. Utrumque apparuit falſum. Nam & caput ejus in Germania eſſe comperimus: & æſtate quidem incipit creſcere, ſed adhuc manente intra menſuram ſuam Nilo, primis caloribus, cum ſol vehementior inter extrema veris nives emollit, quas ante conſumit, quam intumeſcere Nilus incipiat. Reliquo vero æſtatis minuitur, & ad hibernam magnitudinem redit, atque ex ea demittitur.

CAP. II. At Nilus ante ortum Caniculæ augetur mediis æſtibus, ultra æquinoctium. Hunc nobiliſſimum amnem natura extulit ante humani generis oculos, & ita diſpoſuit, ut eo tempore inundaret Ægyptum, quo maxime uſta fervoribus terra undam altius traheret, tantum hauſura, quantum ſiccitati annuæ ſufficere poſſit. Nam in ea parte, qua in Æthiopiam vergit, aut nulli imbres ſunt, aut rari, & qui inſuetam aquis cæleſtibus terram non adjuvent. Unam, ut ſcis, Ægyptus in hoc ſpem ſuam habet. [1] Proinde aut ſterilis annus aut fertilis eſt, [2] prout ille magnus influxit,

CAP. I. 1 *Quid ita Nilus æſtivis menſibus abundet*] De hac nobiliſſima quæſtione multa diſputat Herodotus lib. 2. ſed multo copioſius multoque eruditius Diodorus Siculus lib. 1. Bibliothecæ. Vide & Solinum cap. 45. & Plinium cap. 9. lib. 5. & Heliodorum lib. 2. Æthiopicôn. *Muretus.*

CAP. II. 1 *Proinde aut ſterilis annus*] Plinius: *duodecim cubitis famem ſentit: in tredecim etiamnum eſurit:* XIV *cubita hilaritatem afferunt,* XV *ſecuritatem,* XVI *delicias.* Idem.

2 *Prout ille magnus influxit aut parcius*]

fluxit, aut parcior. Nemo aratorum adſpicit cælum. Quare non [3] cum poëta meo jocor, & illi [4] Ovidium ſuum impingo? qui ait:

—— Nec pluvio ſupplicat herba Jovi.

Unde creſcere incipiat ſi comprehendi poſſet, cauſſæ quoque incrementi invenirentur. Nunc vero magnas ſolitudines pervagatus, & in paludes diffuſus, gentibus ſparſus, circa Philas primum ex vago & errante colligitur. Philæ inſula eſt aſpera & undique prærupta: duobus in unum coïturis amnibus cingitur, qui Nilo mutantur, & ejus nomen ferunt. Urbem totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis quam violentus, egreſſus Æthiopiam arenaſque, per quas iter ad commercia Indici maris eſt, prælabitur. Excipiunt eum cataractæ, nobilis inſigni ſpectaculo locus. Ibi per arduas exciſaſque pluribus locis rupes Nilus inſurgit, & vires ſuas concitat. Frangitur enim occurrentibus ſaxis, & per anguſta eluctatus, ubicumque vincit, aut vincitur, fluctuat: & illic excitatis primum aquis quas ſine tumultu leni alveo duxerat, violentus, & torrens per malignos tranſitus proſilit, diſſimilis ſibi. Quippe ad id lutoſus & turbidus fluit. At [5] ubi ſcopulos verberavit, ſpumat: & illi non ex natura

cior] Unde legimus menſuram altitudinis in templa ſolitam deferri. certe tempore Conſtantini in Eccleſias cœptam deferri, Caſſiodorus ex Socrate in Tripart. hiſt. *Ab illo denique tempore*, inquit, *apud Ægyptios nequaquam ſecundum priores ſolemnitates in paganorum templa cubitus, ſed in Eccleſias magis offertur, quo ſignificatur augmentum aquæ Niliacæ.* Ruffinus Presbyter in appendice lib. 2 ad Euſebii libros de hiſt. Eccleſiaſt. *Quoniam moris erat in Ægypto, ut menſura aſcendentis Nili fluminis ad templum Serapis deferretur; velut ad incrementi aquarum & inundationis auctorem* &c. Idem teſtatur Caſſiodorus lib. 2. cap. 18. Plinius de eodem Nilo ait lib. 18. cap. 18. *Si duodecim cubitos non exceſſerit, fames certa eſt, nec minus ſi ſexdecim exuperaverit.* Durantius Caſellius lib. 2. cap. 18. Variar.

3 *Cum poëta meo*] Id eſt, tecum. erat enim & hic Lucilius poëta. Alii inepte *cum poeta in eo.* Muretus.

4 *Ovidium*] Memoriæ lapſus. Tibulli enim verſus eſt, non Ovidii:

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec pluvio ſupplicat herba Jovi. Idem.

5 *At ubi ſcopulos verberavit*] Mss. & primæ editiones: *ubi in ſcopulos cautium liberavit.* Gruterus *libravit.* Ego hic *liberare* agnoſco eo ſenſu, quo Petronius *liberare limen.* Frontinus & Higinus *liberare flumen, liberare anguſtias* dixere, de quo ad Solinum Salmaſius. Sed *ſcopuli* iſti *cautium* tolerari poſſe non

natura ſua, ſed ex injuria loci color eſt. Tandemque eluctatus obſtantia, in vaſtam altitudinem ſubito deſtitutus cadit, cum ingenti circumjacentium regionum ſtrepitu. Quem perferre gens ibi à Perſis collocata non potuit, obtuſis aſſiduo fragore auribus, & ob hoc ſedibus ad quietiora tranſlatis. Inter miracula fluminis incredibilem incolarum audaciam accepi. Bini parvula navigia conſcendunt, quorum alter navem regit, alter exhaurit. Deinde multum inter rapidam inſaniam Nili, & reciprocos fluctus volutati, tandem tenuiſſimos canales tenent, per quos anguſta rupium effugiunt: & cum toto flumine effuſi, navigium ruens manu temperant, magnoque ſpectantium metu in caput nixi, cum jam adploraveris, merſóſque atque obrutos tanta mole credideris, longe ab eo, in quem ceciderant, loco navigant, tormenti modo miſſi. Nec mergit cadens unda, ſed planis aquis tradit. Primum incrementum Nili circa inſulam quam modo retuli, Philas, noſcitur. Exiguo ab hac ſpatio petra dividitur, ἄβατον Græci vocant: nec illam ulli, niſi antiſtites calcant: illa primum ſaxa auctum fluminis ſentiunt. Poſt magnum deinde ſpatium duo eminent ſcopuli; Nili venas vocant incolæ; ex quibus magna vis funditur, non tamen quanta operire poſſet Ægyptum. In hæc ora ſtipem ſacerdotes, & aurea dona præfecti, cum ſolenne venit ſacrum, jaciunt. Hinc jam manifeſtus novarum virium Nilus, alto ac profundo alveo fertur, ne in latitudinem excedat objectu montium preſſus. Circa Memphim demum liber, & per campeſtria vagus, in plura ſcinditur flumina, manuque canalibus factis, ut ſit modus in derivantium poteſtate, per totam diſcurrit Ægyptum. Initio diducitur, deinde continuatis aquis in faciem lati ac turbidi maris ſtagnat: curſum illi violentiamque eripit latitudo regionum, in quas extenditur, dextra lævaque totam amplexus Ægyptum.

non videntur. Fortaſſis: *At ubi ſcopulorum fauces liberavit.* Dixerat præcedenti membro: *per malignos tranſitus proſilit, & diſſimilis ſibi.* Id ipſum aliter iſto modo pronuntiat: *Fauces* quævis anguſtiæ Latinis. *Gronovius.*

6 *Arenas*

ptum. Quantum crevit Nilus, tantum ſpei in annum eſt. Nec computatio fallit agricolam: adeo ad menſuram fluminis reſpondet, quam fertilem facit Nilus. Is arenoſo & ſitienti ſolo & aquam inducit & terram. Nam cum turbulentus fluat, omnem in ſiccis atque hiantibus locis fæcem relinquit: & quidquid pingue ſecum tulit, arentibus locis allinit: juvatque agros duabus ex cauſſis, & quod inundat, & quod oblimat. Ita quidquid non adiit, ſterile ac ſqualidum jacet. Si crevit ſuper debitum, nocuit. Mira æque natura fluminis, quod cum ceteri amnes abluant terras & eviſcerent, Nilus tanto ceteris major, adeo nihil exedit, nec abradit, ut contra adjiciat vires, minimumque in eo ſit quod ſolum temperet. Illato enim limo, [6] arenas ſaturat ac jungit. Debetque illi Ægyptus non tantum fertilitatem terrarum, ſed ipſas. Illa facies pulcherrima eſt, cum jam in ſe agros Nilus ingeſſit. Latent campi, opertæque ſunt valles: oppida inſularum modo exſtant. Nullum in mediterraneis, niſi per navigia commercium eſt. Majorque eſt lætitia gentibus, quo minus terrarum ſuarum vident. Sic quoque cum ſe ripis continet Nilus, per ſeptena oſtia in mare emittitur: quodcumque elegeris ex his, mare eſt. Multos nihilominus ignobiles ramos in aliud atque aliud littus porrigit. Ceterum belluas, marinis vel magnitudine vel noxa pares, educat. Et ex eo quantus ſit, æſtimari poteſt, quod ingentia animalia, & pabulo ſufficienti, & ad vagandum loco, continet. Balbillus virorum optimus, in omni litterarum genere rariſſimus, auctor eſt, cum ipſe præfectus obtineret Ægyptum, Heracleotico oſtio Nili, quod eſt maximum, ſpectaculo ſibi fuiſſe delphinorum à mari occurrentium, & crocodilorum à flumine adverſum agmen agentium, velut pro partibus prælium. Crocodilos ab animalibus

6 *Arenas ſaturat ac jungit*] *Tingit* multo verius, niſi ſi *jungit* ad ſequentia cenſeas referendum, inquit Schottus. Neutrum: nam *jungit* eſt alligat, inter ſe cohærere facit. Lucanus lib. 10. *ne terras diſſipet ignis, Nilus adeſt mundo.* Duo hæc, *ſaturat* & *jungit*, dicas licet, *pinguiter denſat reddit.* Columell. lib. 2, 11. Nam *ſaturare* dicit Nilum, ut ager *ſaturatur* ſtercoratione. *Gronov.*

7 *Hanc*

malibus placidis morſuque innoxiis victos. His ſuperior pars corporis, dura & impenetrabilis eſt etiam majorum animalium dentibus; at inferior, mollis ac tenera: [7] hanc delphini ſpinis, quas dorſo eminentes gerunt, ſubmerſi vulnerabant, & in adverſum enixi dividebant. Reciſis hoc modo pluribus, ceteri velut acie verſa refugerunt. Fugax animal audaci, audaciſſimum timido. Nec illos Tentyritæ generis aut ſanguinis proprietate ſuperant, ſed contemptu & temeritate. Ultro enim inſequuntur, fugienteſque injecto trahunt laqueo: plerique pereunt, quibus minus præſens animus ad perſequendum fuit. Nilum aliquando marinam aquam detuliſſe, Theophraſtus eſt auctor. Biennio continuo, regnante Cleopatra, non aſcendiſſe, decimo regni anno & undecimo, conſtat. Significatam aiunt duobus rerum potientibus defectionem. Antonii enim Cleopatræque defecit imperium. Per novem annos non aſcendiſſe Nilum ſuperioribus ſeculis, Callimachus eſt auctor. Sed nunc ad inſpiciendas cauſſas, propter quas æſtate Nilus creſcat, accedam, & ab antiquiſſimis incipiam. Anaxagoras ait, ex Æthiopiæ jugis ſolutas nives ad Nilum uſque decurrere. In eadem opinione omnis vetuſtas fuit. Hoc Æſchylus, Sophocles, Euripides, tradunt. Sed falſum eſſe, argumentis plurimis patet. Primo Æthiopiam ferventiſſimam eſſe, indicat hominum aduſtus color, & Troglodytæ, quibus ſubterraneæ domus ſunt. Saxa velut igni ferveſcunt, non tantum medio, ſed inclinato quoque die: ardens pulvis, nec humani veſtigii patiens: argentum replumbatur: ſignorum coagmenta ſolvuntur: nullum materiæ ſuperadornatæ manet operimentum. Auſter quoque, qui ex illo tractu venit, ventorum calidiſſimus eſt. Nullum ex his animalibus quæ latent bruma, unquam reconditur. Etiam per hiemem in ſummo & aperto ſerpens eſt. Alexandriæ quoque, quæ longe ab hujuſmodi immodicis caloribus eſt

poſita,

7 *Hanc delphini*] Et de hoc naturali aſtu delphinorum adverſus Crocodilos, & Tentyritarum audacia, vide Plinium c. 25. lib. 8. *Maretus.*

8 *Quippe*

poſita, nives non cadunt: ſuperiora etiam pluvia carent. Quemadmodum ergo regio tantis ſubjecta fervoribus duraturas per totam æſtatem nives recipit? Quas ſane aliqui montes illic quoque excipiant: numquam tamen magis quam Alpes, quam Thraciæ juga aut Caucaſus. Atqui horum montium flumina vere & prima æſtate intumeſcunt, deinde hibernis minora ſunt. [8] Quippe vernis temporibus imbres nivem diluunt: reliquias ejus primus calor diſſipat. Nec Rhenus, nec Rhodanus, nec Iſter, nec Cayſtrus ſubjacent malo: æſtate proveniunt. Altiſſimæ ſunt & in illis Septemtrionalibus jugis nives. Phaſis quoque per id tempus [9] & Boryſthenes creſceret, ſi nives flumina poſſent contra æſtatem magna producere. Præterea ſi hæc cauſſa attolleret Nilum, æſtate prima pleniſſimus flueret. Tunc enim maximæ & integræ adhuc nives, ex molliſſimoque tabes eſt. Nilus autem per menſes quattuor liquitur, & illi æqualis acceſſio eſt. Si Thaleti credis, Eteſiæ diſcedenti Nilo reſiſtunt, & curſus ejus acto contra oſtia mari ſuſtinent: ita reverberatus in ſe recurrit: nec creſcit, ſed exitu prohibitus reſiſtit, & quacumque mox potuit, inconceſſus erumpit. [10] Euthymenes Maſſilienſis teſtimonium dicit: Navigavi, inquit, Atlanticum mare. Inde Nilus fluit major, quamdiu Eteſiæ tempus obſervant: tunc enim ejicitur mare inſtantibus ventis. Cum reſederint, & pelagus conquieſcit: minorque diſcedenti inde vis Nilo eſt. Ceterum dulcis maris ſapor eſt, & ſimiles Niloticis belluæ. Quare ergo, ſi Nilum Eteſiæ provocant, & ante illos incipit incrementum ejus, & poſt eos durat? Præterea non fit major, quo illi flavere vehementius? Nec remittitur incitaturque, prout illis impetus fuit: quod fieret, ſi illorum viribus creſceret. Quid, quod Eteſiæ litus Ægyptium verberant, & [illegible] contra

8 *Quippe vernis temporibus imbres*] Malim, *teporibus*. Ut & infra cap. 4. *aëris undique patefacti & ſolventis ſe, ipſo tepore adjuvante*. Gronovius.

9 *Et Boryſthenes*] Inepte alii, *nec* [illegible] [illegible]. Muretus.

10 *Eudimenes Maſſilienſis*] Legendum *Euthymenes*, è libro quarto eorum qui Plutarcho tribuuntur, de placitis philoſophorum. *Idem*.

11 *Et*

contra illos Nilus deſcendit, inde venturus, unde illi, ſi origo ab illis eſſet? Præterea ex mari purus & cæruleus efflueret, non ut nunc turbidus venit. Adde, quod teſtimonium ejus teſtium turba coarguitur. Tunc erat mendacio locus, cum ignota eſſent externa. Licebat illis fabulas mittere. Nunc vero tota exteri maris ora mercatorum navibus ſtringitur: quorum nemo narrat nunc cæruleum Nilum, aut mare ſaporis alterius. quod & natura credi vetat: quia dulciſſimum quodque & leviſſimum ſol trahit. Præterea quare hieme non creſcit? & tunc poteſt ventis concitari mare, aliquando quidem majoribus. Nam Eteſiæ temperati ſunt. Quod ſi è mari ferretur Atlantico, ſemel oppleret Ægyptum. At nunc per gradus creſcit. OEnopides Chius ait, hieme calorem ſub terris contineri: ideo & ſpecus calidos eſſe, & tepidiorem puteis aquam: itaque venas interno calore ſiccari. Sed in aliis terris augentur imbribus flumina. Nilum, quia nullo imbre adjuvetur, tenuari, deinde creſcere per æſtatem: quo tempore frigent interiora terrarum, [11] & redit rigor fontibus. Quod ſi verum eſſet, æſtate flumina creſcerent, omneſque putei æſtate abundarent. Deinde non calorem hieme ſub terris eſſe majorem. Aqua & ſpecus & putei tepent: quia aëra rigentem extrinſecus non recipiunt. Ita non calorem habent, ſed frigus excludunt. Ex eadem cauſſa æſtate refrigeſcunt: quia illo remotus ſeductuſque aër calefactus non pervenit. Diogenes Apolloniates ait: Sol humorem ad ſe rapit: hunc exſiccata tellus tum ex mari ducit, tum ex ceteris aquis. Fieri autem non poteſt, ut una ſicca ſit tellus, alia abundet. Sunt enim perforata omnia, [12] & in itinera pervia. Sicca ab humidis

11 *Et redit rigor fontibus*] Iterum nimis feſtinanter Schottus: *vigor*, malim. Epiſt. 67. *nondum me committo frigidæ: adhuc rigorem ejus infringo.* Hoc opere lib. 3, 20. *Hæ cauſſæ dant aquis aut calorem, aut nimium rigorem.* Lib. 3 extremo: *glaciem, unde certior illi ex ſolito rigor, exquirunt, ac ſæpe repetitis aquis diluunt.* Et mox: *Aliquid adhuc illis quærite frigidius, quia pro nihilo eſt familiaris rigor.* Gronovius.

12 *Et invicem pervia*] Ita de conjectura Fortunatus. Mss. omnes: *in itinere.* Scribe: *& in itinera pervia.* Omnia,

midis ſumunt aliquando. Niſi aliquid terra acciperet, exaruiſſet. Ergo undas ſol trahit: ſed ex his quæ premunt, maxime hæc meridiana ſunt. Terra cum exaruit, plus ad ſe humoris adducit. ut in lucernis oleum illo fluit, ubi exuritur: ſic aqua illo incumbit, quo vis caloris & terræ æſtuantis arceſſit. Unde ergo trahitur? ex illis ſcilicet partibus ſemper hibernis, Septemtrionalibus, unde exundat. Ob hoc Pontus in infernum mare aſſidue fluit rapidus, non ut cetera maria, alternatis ultro citro æſtibus, in unam partem ſemper pronus & torrens. Quod niſi faceret, hiſque itineribus, quod cuique deeſt, redderetur, quod cuique ſupereſt, emitteretur; jam aut ſiccata eſſent omnia, aut inundata. Interrogare Diogenem libet, quare, cum pontus & amnes cuncti invicem commeent, non omnibus locis æſtate majora ſunt flumina? Ægyptum ſol magis percoquit. Itaque Nilus magis creſcit. Sed in ceteris quoque terris aliqua fluminibus fit adjectio. Deinde quare ulla pars terræ ſine humore eſt, cum omnis ad ſe ex aliis regionibus trahit: eoque magis, quo calidior eſt? Deinde quare Nilus dulcis eſt, ſi illi è mari unda eſt? Nec enim ulli fluminum dulcior guſtus.

CAP. III. Grandinem hoc modo fieri, ſi tibi affirmavero, quo apud nos glacies fit, gelata nube tota, nimis audacem rem fecero. Itaque ex his me teſtibus numera ſecundæ notæ, qui vidiſſe quidem ſe negant, ſed audiſſe. Aut quod hiſtorici faciunt, & ipſe faciam. Illi cum multa mentiti ſunt ad arbitrium ſuum, unam aliquam rem nolunt ſpondere: ſed adjiciunt, Penes auctores fides erit. Ergo ſi mihi parum credis, [1] Poſidonius tibi auctoritatem promittet,

mnia, inquit, terræ ſunt perforata & pervia in itinera. Quid apertius? Lib. 3, 5. *Occulto enim itinere ſubit terras.* Eodem lib. cap. 15. *In terra quoque ſunt alia itinera, per qua aqua, & alia, per qua ſpiritus currit.* Adde ad lib. 6. cap. 20. *Gronovius.*

CAP. III. 1 *Poſidonius tibi auctoritatem promittet*] Britann. *auctorem.* Ut ſupra de Annibale: *ducem promittens.* M. Seneca Contr. 29. *Haterio, qui & promiſit oratorem & praſtitit.* Idem. *Auctoritas* pro jure dominii in XII tab. & *auctoritatem* actionem pro evictione Venuleius interpretatur in l. ult. ff. de evict. plura de hujus nominis ſignificatione pete è Briſſonio lib. 1. de verbor. ſign.

2 Gran-

Digitized by Google

tet, tam in illo quod præteriit, quam in hoc quod ſecuturum eſt. [2] Grandinem enim fieri ex nube aquoſa, etiam in humorem verſa, ſic affirmabit, tamquam interfuerit. Quare autem rotunda ſit grando, etiam ſine magiſtro ſcire potes, cum adnotaveris, ſtillicidium omne conglomerari. Quod & in ſpeculis apparet, quæ humorem halitu colligunt, & in poculis ſparſis, aliaque omni lævitate: nam & in herbarum vel arborum foliis, ſi quæ guttæ adhæſerunt, in rotundum jacent.

Quid magis eſt ſaxo durum? quid mollius unda?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aqua.

aut, ut alius poëta ait:

Stillicidi caſus lapidem cavat. ——

& hæc ipſa excavatio rotunda fit. Ex quo apparet, illud huic quoque ſimile eſſe quod cavat. Locum enim ſibi ad formam & habitum ſuum exſculpit. Præterea poteſt, etiam ſi non fuerit grando talis, cum defertur, corrotundari, & toties per ſpatium aëris denſi devoluta æquabiliter atque in orbem teri. Quod nix pati non poteſt: quia non eſt tam ſolida, imo quia tam fuſa eſt, & non per magnam altitudinem cadit, ſed circa terras initium ejus eſt. Ita non longius illi per aëra, ſed ex proximo lapſus eſt. Quare non & ego idem mihi permittam, quod Anaxagoras, cum inter nullos magis quam inter philoſophos eſſe debeat æqua libertas? Grando nihil aliud eſt quam ſuſpenſa glacies. Nix, in pruina pendens congelatio. Illud enim jam diximus, quod inter aquam & rorem intereſt, hoc inter pruinam & glaciem, necnon inter nivem & grandinem intereſſe.

CAP. IV. Poteram me, peracta quæſtione, dimittere: ſed [1] bene emenſum dabo: & quoniam cœpi tibi moleſtus eſſe, quidquid in hoc loco quæritur, dicam. Quæritur

2 *Grandinem*] Ariſtoteles c. 12. lib. 1 Meteorologicôn. *Muretus.*

CAP. IV. 1 *Bene emenſum dabo*] Bene emenſum vocat ἐπίμετρον, auctarium, corollarium. ut cum multis modiis tritici pugillos aliquot pro cumulo adjiciunt. *Idem.*

ritur autem, quare hieme ningat, non grandinet: & vere, jam frigore infracto, grando cadat. Non ut fallar tibi, verum mihi quidem perſuadetur, qui me uſque ad mendacia hæc leviora, in quibus [2] os præcidi, non oculi erui ſolent, credulum præſto. Hieme aër riget: & ideo nondum in aquam vertitur, ſed in nivem, cui aër propior eſt. Cum ver cœpit, major inclinatio aëris ſequitur, & calidiore cælo majora fiunt ſtillicidia. Ideo, ut ait Virgilius noſter,

—— cum ruit imbriferum ver,

vehementior immutatio eſt aëris undique patefacti & ſolventis ſe, ipſo tempore adjuvante. Ob hoc nimbi graves magis vaſtique quam pertinaces deferuntur. Bruma lentas pluvias habet & tenues: quales ſæpe ſolent intervenire, cum pluvia rara & minuta, nivem quoque admixtam habet. Dicimus nivalem diem, cum altum frigus, & triſte cælum eſt. Præterea Aquilone flante, & ſuum cælum habente, minutæ pluviæ ſunt: Auſtro imber improbior eſt, & guttæ pleniores ſunt.

CAP. V. Rem à noſtris poſitam nec dicere audeo, quia infirma videtur: nec præterire. Quid enim mali eſt, aliquid & faciliori judici ſcribere? Imo ſi omnia argumenta ad obruſſam cœperimus exigere, ſilentium indicetur. Pauca enim admodum ſunt ſine adverſario. Cetera etiam ſi vincunt, litigant. Aiunt, quidquid circa Scythiam & Pontum & Septemtrionalem plagam glaciatum & adſtrictum eſt, vere relaxari. tunc flumina gelata diſcedere, tunc obrutos montes nivem ſolvere. Credibile eſt ergo, frigidos ſpiritus inde fieri, [1] & verno cælo remiſceri. Illud quoque adji-

2 *Os præcidi, non oculi erui ſolent*] Præcidere, aut fortaſſis præcludere os audientibus videntur, qui ita mentiuntur, ut contradici non facile poſſit: at oculos eruere, qui non verentur ea pro veris affirmare, quæ adſpectu ipſo mendacii coargui poſſunt. Excæcare enim eos qui audiunt, quantum in ipſis eſt, videntur. *Idem.*

CAP. V. 1 *Et verno cælo immiſceri*] Britannicus: *& imo cælo remiſceri.* Recte, nempe in quo tumultus & inconſtantia temperiei. Addit hoc vocabulum, quia dicturus erat non *aëri*, ſed *cælo*. Nam *vere* id fieri ſatis ex præcedentibus intelligitur. Verbum autem

Digitized by Google

adjiciunt, quod nec ſum expertus, nec experiri cogito. Tu quoque, cenſeo, ſi volueris verum exquirere, [2] nivem ita cave experiaris. Minus algere aiunt pedes eorum, qui fixam & duram nivem calcant, quam eorum qui teneram & labefactam. Ergo, ſi non mentiuntur, quidquid ex illis Septemtrionalibus locis, [3] jam diſturbata nive, & glacie frangente ſe fertur, id meridianæ partis tepentem jam [4] humidumque aëra alligat, & perſtringit. Itaque cum pluvia futura erat, grando fit, injuria frigoris.

CAP. VI. [1] Non tempero mihi, quo minus omnes noſtrorum ineptias proferam. Quoſdam peritos obſervandarum nubium eſſe affirmant, & prædicere, cum grando futura ſit: & hoc intelligere uſu ipſo potuiſſe, cum colorem nubium notaſſent, quem grando toties inſequebatur. Illud incredibile, Cleonis fuiſſe publice præpoſitos χαλαζοφύλακας, ſpeculatores futuræ grandinis. Hi cum ſignum dediſſent, adeſſe jam grandinem, quid exſpectas? ut homines ad penulas diſcurrerent, aut ad ſcorteas? Imo pro ſe quiſque alius agnum immolabat, alius pullum. Protinus illæ nubes alio declinabant, cum aliquid guſtaſſent ſanguinis. Hoc rides. Accipe, quod rideas magis. Si quis nec agnum nec pullum habebat, quod ſine damno fieri poterat, manus ſibi afferebat. Et ne tu avidas aut crudeles exiſtimes nubes, digitum ſuum bene acuto graphio pungebat, & hoc ſangui-

no

tem ſic formant & Pal. unus & Gallici. Horatius: *ſic veris falſa remiſcet.* Gronovius.

2 *Nivem ita cave experiaris*] Duo Pall. *nivem in cave.* Unus cum Britannico & Caſauboniano: *in cane.* Scribe: *nivem in Care experiaris.* Intelligit viliſſimum mancipium, & alludit proverbium Græcum, *ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον*. Idem.

3 *Jam diſtributa nive*] Quid eſt *diſtributa*? Lege cum Britannico & Caſauboniano, *diſturbata.*

4 *Humidumque aëra alligat & perſtringit*] Immo, *alligat & ſtringit.* nam *perſtringere*, aliud eſt. *Idem.*

CAP. VI. 1 *Non tempero mihi*] Horum ſpeculatorum futuræ grandinis meminit & Plutarchus lib. 7. Sympoſiacon cap. 2. Et ne tota res, quæ alioqui primo adſpectu ridicula eſt, fabuloſa exiſtimetur, gravis & ſanctus ſcriptor, Clemens Alexandrinus, putat magos fuiſſe, qui longa eorum quæ in ſublimi fierent obſervatione, grandinem imminentem prænoſcerent, & illis impiis ſacrificiis, aut ſanguinis è digito effuſione, populum in impietate ac ſuperſtitione retinerent. Vide eum lib. 6 Stromat. *Muretus.*

vat. Itaque ſi in ſole poſueris æneum vas & vitreum & argenteum, æneo citius calor accedet, diutius hærebit. Adjicit deinde, quare hoc exiſtimet fieri. His, inquit, corporibus, quæ duriora, & preſſiora denſioraque ſunt, neceſſe eſt minora foramina eſſe, & tenuiorem in ſingulis ſpiritum. Sequitur ut quemadmodum minora balnearia & minora miliaria citius calefiunt, ſic hæc foramina occulta & oculos effugientia, & celerius fervorem ſentiant, & propter eaſdem anguſtias quidquid receperunt, tardius reddant.

CAP. X. Hæc longe præparata ad id perducunt, de quo nunc quæritur. Omnis aër quo propior eſt terris, hoc craſſior. Quemadmodum in aqua & in omni humore fæx ima eſt: ita in aëre ſpiſſiſſima quæque deſidunt. Jam autem probatum eſt, omnia quo craſſioris ſolidioriſque materiæ ſunt, hoc fidelius cuſtodire calorem receptum: ſed quo editior eſt aër, & quo longius à terrarum colluvie receſſit, hoc ſincerior puriorque eſt. Itaque ſolem non retinet, ſed velut per inane tranſmittit: ideo minus calefit.

CAP. XI. Contra autem quidam aiunt, cacumina montium hoc calidiora eſſe debere, quo ſoli propiora ſunt. Qui mihi videntur errare, quod Apenninum, & Alpes, & alios notos ob eximiam altitudinem montes intantum putant creſcere, ut illorum magnitudo ſentire ſolis viciniam poſſit. Excelſa ſunt iſta, quamdiu nobis comparantur: at vero ubi univerſum reſpexeris, manifeſta eſt omnium humilitas. Inter ſe vincuntur, & vincunt. Ceterum intantum nihil attollitur, ut collatione totius nulla ſit vel maximis portio: quod niſi eſſet, non diceremus, totum orbem terrarum pilam eſſe. Pilæ proprietas eſt, cum æqualitate quadam rotunditas: æqualitatem autem hanc accipe, quam vides in luſoria pila. Non multum illi commiſſuræ & rimæ earum nocent, quo minus par ſibi ab omni parte dicatur. quomodo in hac pila, nihil illa intervalla officiunt ad ſpeciem rotundi, ſic nec in univerſo quidem orbe terrarum editi montes, quorum altitudo totius mundi collatione conſumitur.

ſumitur. Qui dicit altiorem montem, quia ſolem propius excipiat, magis calere debere: idem dicere poteſt, longiorem hominem citius quam puſillum debere calefieri, & citius caput ejus quam pedes. At quiſquis mundum menſura ſua æſtimaverit, & terram cogitaverit tenere puncti locum, intelliget nihil in illa poſſe ita eminere, ut cæleſtia magis ſentiat, velut in propinquum illis acceſſerit. Montes iſti quos ſuſpicimus, & vertices æterna nive obſeſſi, nihilominus in imo ſunt. & propius quidem ſoli eſt mons, quam campus aut vallis: ſed ſic, quo modo eſt pilus pilo craſſior. Iſto enim modo, & arbor alia magis quam alia dicetur vicina cælo: quod falſum eſt: quia inter puſilla non poteſt eſſe magnum diſcrimen, niſi dum inter ſe comparantur. Ubi ad collationem immenſi corporis ventum eſt, nihil intereſt quanto alterum altero ſit majus: quia etiamſi magno diſcrimine, tamen minima vincuntur.

Cap. XII. Sed ut ad propoſitum revertar, propter has quas retuli cauſſas, pleriſque placuit, in ea parte aëris nivem concipi, quæ vicina terris eſt: & ideo minus alligari, quia minore frigore coït. Nam vicinus aër & plus habet frigoris, quam ut in aquam & imbrem tranſeat, & minus quam ut duretur in grandinem. Hoc medio frigore non nimis intento nives fiunt coactis aquis.

Cap. XIII. Quid iſtas, inquis, ineptias, quibus nec litteratior fit quiſquam, nec melior, tam operoſe perſequeris? Quomodo fiant nives, dicis: cum multo magis ad nos dici à te pertineat, quare emendæ non ſint nives. Jubes me cum luxuria litigare. Quotidianum iſtud & ſine effectu jurgium eſt. Litigemus tamen: etiamſi ſuperior futura eſt, pugnantes ac reluctantes vincat. Quid porro? Hanc ipſam inſpectionem naturæ nihil judicas ad id, quod vis, conferre? Cum quærimus, quomodo nix fiat, & dicimus illam pruinæ ſimilem habere naturam, plus illi ſpiritus quam aquæ ineſſe, non putas exprobrari illis; cum emere aquam turpe ſit, ſi nec aquam quidem emunt? Nos vero

Digitized by Google

vero quæramus potius, quomodo fiant nives, quam quomodo ſerventur: quoniam non contenti vina diffundere veterana, & per ſapores ætateſque diſponere, invenimus quomodo ſtiparemus nivem, ut ea æſtatem evinceret, & contra anni fervorem defenderetur loci frigore. Quid hac diligentia conſecuti ſumus? Nempe ut gratuitam mercemur aquam. Nobis dolet, quod ſpiritum, quod ſolem emere non poſſumus, quod hic aër etiam delicatis divitibuſque ex facili nec emptus venit. O quam nobis male eſt, quod quidquam à rerum natura in medio relictum eſt! Hoc quod illa fluere & patere omnibus voluit, cujus hauſtum vitæ publicum fecit; hoc quod tam homini, quam feris avibuſque, & inertiſſimis animalibus, in uſum large ac beate profudit, contra ſe ingenioſa luxuria redegit ad pretium. Adeo nihil poteſt illi placere, niſi carum. Unum hoc erat, quod divites in æquum turbæ deduceret, quo non poſſent antecedere [1] pauperrimum. Illi cui divitæ moleſtæ ſunt, excogitatum eſt, quemadmodum etiam aqua caperet luxuriam. Unde ad hoc perventum ſit, ut nulla nobis aqua ſatis frigida videretur quæ flueret, dicam. Quamdiu ſanus & ſalubris cibi capax ſtomachus eſt, impleturque, non premitur, naturalibus fomentis contentus eſt. Ubi quotidianis cruditatibus non temporis æſtus, ſed ſuos ſentit, ubi ebrietas continua viſceribus inſedit, & præcordia bile, in quam vertitur, torret, aliquid neceſſario quæritur, quo æſtus ille frangatur, qui ipſis aquis incaleſcit, remediis incitat vitium. Itaque non æſtate tantum, ſed & media hieme nivem hac cauſſa bibunt. Quæ hujus rei cauſſa eſt, niſi inteſtinum malum, & luxu corrupta præcordia, quibus nullum intervallum umquam

CAP. XIII. 1 *Pauperrimum. Illi cui divitiæ moleſtæ ſunt, excogitatum eſt*] Muta diſtinctionem, & ſcribe: *Unum hoc erat, quod divites in æquum turbæ deduceret: quo non poſſet antecedere pauperrimum ille, cui divitiæ ſuæ moleſtæ ſunt. Excogitatum eſt, quemadmodum etiam aqua caperet luxuriam.* Gronovius.

umquam quo interquieſcerent, datum eſt, ſed prandia cœnis uſque in lucem perductis ingeſta ſunt, & diſtentos copia ferculorum ac varietate comeſſatio altius emerſit? Deinde numquam intermiſſa intemperantia, quidquid ante decoxerat, efferavit, & in deſiderium ſemper novi rigoris accendit. Itaque quamvis cœnationem velis ac ſpecularibus muniant, & igne multo doment hiemem, nihilominus ſtomachus ille ſolutus, & æſtu ſuo languidus, quærit aliquid quo erigatur. Nam ſicut animo relictos ſtupenteſque frigida ſpargimus, ut ad ſenſum ſui redeant: ita viſcera iſtorum vitiis torpentia nihil ſentiunt, niſi frigore illa vehementiore peruſſeris. Inde eſt, inquam, quod nec nive contenti ſunt, ſed glaciem, velut certior illi ex ſolido rigor ſit, exquirunt, ac ſæpe repetitis aquis diluunt: quæ non è ſummo tollitur, ſed ut vim majorem habeat, & pertinacius frigus, ex abdito effoditur. Itaque ne unum quidem ejus eſt pretium: ſed habet inſtitores aqua, & annonam, pro pudor! variam. [2] Unguentarios Lacedæmonii urbe expulerunt, & propere cedere finibus ſuis juſſerunt, quia oleum diſpenderent. Quid illi feciſſent, ſi vidiſſent reponendæ nivis officinas, & tot jumenta portandæ aquæ deſervientia, cujus colorem ſaporemque paleis, quibus cuſtodiunt, inquinant? At dii boni, quam facile eſt exſtinguere ſitim ſanam! Sed quid ſentire poſſunt emortuæ fauces, & occallatæ cibis ardentibus? Quemadmodum nihil illis ſatis frigidum, ſic nihil ſatis calidum eſt. Sed ardentes boletos, & raptim condimento ſuo merſatos, demittunt pene fumantes, quos deinde reſtinguant nivatis potionibus. Videbis, inquam, quoſdam graciles, & palliolo focalique circumdatos, pallentes & ægros,

2 *Unguentarios Lacedæmonii urbe expulerunt*] Hi ſunt *aliptæ* & *iatroliptæ*, ſat ex veterum unguendi conſuetudine noti. Cicero lib. 1. Epiſt. Lentulo: *Vellem non ſolum ſalutis meæ, quemadmodum medici; ſed etiam ut aliptæ, virium & coloris rationem habuiſſent.* de iis vide Fornerium ad l. 203. de verb. ſign.

CAP.

ægros, non ſorbere ſolum nivem, ſed etiam eſſe, & fruſta ejus in ſcyphos ſuos dejicere, inter ipſam bibendi moram. Sitim iſtam eſſe putas? Febris eſt: & quidem eo acrior, quod non tactu venarum, nec in cutem effuſo calore deprehenditur. Sed cor ipſum excoquit luxuria, invictum malum, & ex molli fluidoque durum atque patiens. Non intelligis, omnia conſuetudine vim ſuam perdere? Itaque nix iſta, in qua etiamnum natatis, eo pervenit uſu, & quotidiana ſtomachi ſervitute, ut aquæ locum obtineat. Aliquid adhuc quærite illi frigidius, quia pro nihilo eſt familiaris rigor.

L I-

CAP.

LIBER QUINTUS.

In quo de ventis & aëris motu agitur.

ARGUMENTUM.

DIſſerit, quid ventus. Democritum refellit, qui cenſet ventum eſſe, cum multæ & confertæ atomi in anguſto inani ita ſe comprimunt, ut ſuperfundantur. Igitur ventum fieri potius, partim aëre à ſole extenuato ac diffuſo, partim, quia aër animal eſt, & vim ſe movendi ac flabellandi habet. Tota deinde doctrina ventorum, tam communium XII, *quam provincialium. Declinat denique ſub finem ſuo more in hominum mores, qui ventis ad cuſtodiendam cæli terrarumque temperiem, ad prudentiam comparandam & noſcenda tranſmarina à Deo datis, ad bella, ambitionem, & avaritiam abutimur. Unde in incerto ponit, an naſci magis ventos, quam non naſci, profuerit: quod de Julio Cæſare Livius olim dixit.*

CAPUT I.

1 VEntus eſt fluens aër. Quidam ita definierunt. Ventus eſt aër fluens in unam partem. Hæc definitio videtur diligentior: quia numquam aër tam immobilis eſt, ut non in aliqua ſit agitatione. Sic tranquillum mare dicitur, cum leviter commovetur, nec in unam partem inclinatur. Itaque ſi legeris,

Cum

CAP. I. 1 *Ventus eſt fluens aër*] Hanc definitionem non à Stoicis primum proditam, ſed vetuſtam eſſe oſtendit Ariſtoteles: & certe Hippocratis in libro de flatibus eam ſententiam eſſe conſtat: quam tamen multis modis Ariſtoteles ſecundo Meteorologicon erroris mendaciique convincit. *Muretus.*

CAP.

Cum placidum ventis ſtaret mare:
ſcito illud non ſtare, ſed ſuccuti leviter: & dici tranquillum, quia nec huc nec illo impetum capiat. Idem & de aëre judicandum eſt, non eſſe umquam immobilem, etiamſi quietus ſit. Quod ex hoc intelligas licet. Cum ſol in aliquem clauſum locum infuſus eſt, videmus corpuſcula minima in adverſum ferri, alia ſurſum, alia deorſum, varie concurſantia. Ergo parum diligenter comprehendet quod vult, qui dixerit, Fluctus eſt maris agitatio: quia tranquillum quoque agitatur. At ille abunde ſibi caverit, cujus hæc definitio fuerit: Fluctus eſt maris in unam partem agitatio. Sic in hac quoque re, de qua cummaxime quærimus, non circumſcribetur: qui ita ſe geſſerit, ut dicat: Ventus eſt fluens aër in unam partem: aut, Ventus aër eſt fluens impetu, aut vis aëris in unam partem euntis, aut curſus aëris aliquo concitatior. Scio quid reſponderi pro definitione altera poſſit. Quid neceſſe eſt adjicere te, in unam partem fluens aër? Utique enim quod fluit, in unam partem fluit. Nemo aquam fluere dicit, ſi tantum intra ſe movetur, ſed ſi aliquo fertur. Poteſt ergo aliquid moveri, & non fluere: at è contrario non poteſt fluere, niſi in unam partem. Sed ſive hæc brevitas ſatis à calumnia tuta eſt, hac utamur: ſive aliquis circumſpectior eſt, verbo non parcat, cujus adjectio cavillationem omnem poterit excludere. Nunc ad ipſam rem accedamus, quoniam ſatis de formula diſputatum eſt.

CAP. II. Democritus ait, cum in anguſto inani multa ſunt corpuſcula, quæ ille atomos vocat, ſequi ventum. At contra, quietum & placidum aëris ſtatum eſſe, cum in multo inani pauca ſunt corpuſcula. Nam quemadmodum in foro aut vico quamdiu paucitas eſt, ſine tumultu ambulatur: ubi turba in anguſtum concurrit, aliorum in alios incidentium rixa fit: ſic in hoc quo circumdati ſumus ſpatio, cum exiguum locum multa corpora impleverint, neceſſe eſt alia aliis incidant, & impellantur ac repellantur, impli-

Digitized by Google

centurque & comprimantur, ex quibus naſcitur ventus, cum illa quæ colluctabantur, incubuere, & diu fluctuata ac dubia inclinavere ſe. At ubi in magna laxitate corpora pauca verſantur, nec arietare poſſunt, nec impelli.

CAP. III. Hoc falſum eſſe, vel ex eo colligas licet, quod tunc interim minime ventus eſt, cum aër nubilo gravis eſt. Atqui tunc plurima corpora ſe in anguſtum contulere: [1] & inde ſpiſſatarum nubium gravitas eſt. Adjice nunc, quod circa flumina & lacus frequens nebula eſt, arctatis congeſtiſque corporibus, nec tamen ventus eſt. Interdum vero tanta caligo effunditur, ut conſpectum in vicino ſtantium eripiat: quod non eveniret, niſi in parvum locum corpora ſe multa compellerent. Atqui nullum tempus magis, quam nebuloſum, caret vento. Adjice nunc, quod è contrario venit, ut ſol matutinum aëra ſpiſſum & humidum ortu ſuo tenuet. Tunc ſurgit aura, cum datum eſt laxamentum corporibus, & ſtipatio illorum ac turba reſoluta eſt.

CAP. IV. Quomodo, inquis, ergo venti fiunt, quos non negas fieri? Non uno modo. Alias enim terra ipſa magnam vim aëris ejicit, & ex abdito ſpirat: alias cum magna & continua ex imo evaporatio [1] in altum agit quæ emiſerat, immutatio ipſa halitus mixti in ventum vertitur. Illud enim nec ut credam, mihi perſuaderi poteſt, nec ut taceam:

CAP. III. 1 *Et inde ſpiſſior nubium gravitas eſt*] Fromondus dubitat, an meminerit Seneca, quod lib. 4, 10. ſcripſit, omnem aërem, quo pronior eſt terris, hoc craſſiorem eſſe: Unde conſequitur, ut nubes, quamvis tenebricoſæ, aëre infimo pellucido leviores & tenuiores, non ſpiſſiores ſint. Cavillatur. nam primo Seneca hic verbis communibus utitur, & ut vulgo videtur, loquitur. *Gravem aërem* & *gravitatem ſpiſſatarum* (ita enim ex opt. libris legendum) *nubium* dicit, non quaſi ponderoſiorum imo circa terram aëre, ſed quibus grave & impendens cælum eſt nubilo. Epiſt. 53. *Erat ſine dubio cælum grave ſordidis nubibus.* Deinde quid vocat infimum aërem? an ſolum, qui ulnæ aut cubiti altitudine ſupra terram eſt? Immo ipſæ illæ nubes, quæ nobis excelſiſſimæ apparent, totius aëris ratione habita & vaſtitatis quæ ſidera inter & terram eſt, in aëre ſunt infima. Statim lego: *tanta caligo offunditur.* non *effunditur.* Gronovius.

CAP. IV. *In altum agit, quæ merſerat*] Recte Pincianus, *quæ merſa erant*, inquit Fromondus. Recte, niſi mss. oſtenderent: *in altum egit, quæ emiſerat.*

ream: [2] quomodo in noſtris corporibus ex cibo fit inflatio, quæ non ſine magna narium injuria emittitur, & ventrem interdum cum ſono exonerat, interdum ſecretius: ſic putant & hanc magnam rerum naturam alimenta mutantem emittere ſpiritum. Bene nobiſcum agitur, quod ſemper concoquit: alioquin immundius aliquid timeremus. Numquid ergo hoc verius eſt, dicere, multa ex omni parte terrarum & aſſidua ferri corpuſcula: quæ, cum coacervata ſunt, deinde extenuari ſole cœperint, quia omne quod in anguſto dilatatur, ſpatium majus deſiderat, ventus exſiſtit?

CAP. V. Quid ergo? hanc ſolam eſſe cauſſam venti exiſtimas, aquarum terrarumque evaporationes? Ex his gravitatem aëris fieri, deinde ſolvi impetu, cum quæ denſa ſteterant, ut eſt neceſſe, extenuata nituntur in ampliorem locum? Ego vero & hanc judico. Ceterum illa eſt longe verior cauſſa, valentiorque, habere aëra naturalem vim movendi ſe: nec aliunde concipere, ſed ineſſe illi ut aliarum rerum, ita hujus potentiam. An hoc exiſtimas, nobis quidem datas vires eſſe, quibus nos moveremus, aëra autem inertem, inagitabilem relictum eſſe? cum aqua motum ſuum habeat, etiam ventis quieſcentibus: nec enim aliter animalia edere poſſet. Muſcum quoque innaſci aquis, & herboſa quædam videmus, ſummo innatantia.

CAP. VI. Eſt ergo aliquid in aqua vitale. De aqua dico? Ignis qui omnia conſumit, quædam etiam creat: & quod videri non poteſt ſimile veri, ſed tamen verum eſt, [1] animalia igne generantur. Habet ergo aliquam vim talem aër,

rat. Sic certe Britannicus & Gallici & tres Pall. Quare illis obtemperemus. *Gronovius.*

2 *Quomodo in noſtris corporibus*] Ridicula opinio. Itaque Ariſtophanes Socratem ut populi ludibrio exponeret, eodem prope modo de tonitrui & fulminis origine diſſerentem facit. *Muretus.*

CAP. VI. 1 *Animalia igne generantur*] Mss. & primæ edd. *generari*. Recte, ſed delendum τὸ *ſed*, ſcribendumque: *& quod videri non poteſt ſimile veri, tamen verum eſt, animalia igne generari*. Gronovius. Contra Ovidius,

Nec tu aliud Veſtam, quam vivam intellige flammam:
Nataque de flamma corpora nulla vides.

Sed

aër, & ideo modo ſpiſſat ſe, modo expandit & purgat: alias contrahit, alias diducit, ac differt. Hoc ergo intereſt inter aëra & ventum, quod inter lacum & flumen. Aliquando per ſe ipſe ſol cauſſa venti eſt, fundens rigentem aëra, & ex denſo coactoque explicans.

CAP. VII. In univerſum de ventis diximus: [1] nunc viritim incipiemus illos excutere. Fortaſſe apparebit quemadmodum fiant, ſi apparuerit, quando & unde procedant. Primum ergo antelucanos flatus inſpiciamus, qui aut ex fluminibus, aut ex convallibus, aut ex aliquo ſinu feruntur. Nullus ex his pertinax eſt, ſed cadit fortiore jam ſole: nec fertur ultra terrarum adſpectum. Hoc ventorum genus incipit vere, nec ultra æſtatem durat. Et inde maxime venit, ubi aquarum plurimum & montium eſt. Plana licet abundent aquis, tamen carent aura: hac dico, quæ pro vento valet.

CAP. VIII. Quomodo ergo talis flatus concipitur, quem Græci ἐγκολπίαν vocant? Quidquid ex ſe paludes & flumina emittunt (id autem & multum eſt, & aſſiduum) per diem ſolis alimentum eſt: nocte non exhauritur, ſed montibus incluſum, in unam regionem colligitur. Cum illam implevit, & jam ſe non capit, ſed exprimitur aliquo, & in unam partem procedit: hic ventus eſt. Itaque eo incumbit, quo liberior exitus invitat, & loci laxitas, in quam coacervata incurrant. Hujus rei argumentum eſt, quod prima noctis parte non ſpirat. Incipit enim fieri tunc illa collectio, quæ circa lucem jam plena eſt, & onerata, quærit quo defluat: & eo potiſſimum exit, ubi plurimum vacui eſt, & magna ac patens area. Adjicit autem ei ſtimulos ortus ſolis, feriens gelidum aëra. Nam etiam antequam appareat, lumine ipſo valet: & nondum quidem aëra radiis

Sed hac de re vide Ariſtotelem lib. 5 de hiſtoria animalium, & Plinium cap. 36. lib. 11. *Muretus*.

CAP. VII. 1 *Nunc viritim incipiemus illos excutere*] De his omnibus, quæ hoc loco de ventorum varietate narrantur, vide Plinium lib. 2. à c. 45. uſque ad c. 50. & ſcriptorem noctium Atticarum c. 22. lib. 2. *Idem*.

diis impellit, jam tamen laceſſit & irritat, luce præmiſſa. Nam cum ipſe proceſſit, alia ſuperius rapiuntur, alia diffunduntur tepore. Ideo non ultra matutinum illis datur flare. omnis illorum vis conſpectu ſolis exſtinguitur: etiamſi violentiores flavere, circa medium tamen diem relangueſcunt: nec umquam uſque in meridiem aura producitur. Alia autem imbecillior ac brevior eſt, prout valentioribus minoribuſve collecta cauſſis eſt.

CAP. IX. Quare tamen tales venti vere & æſtate validiores ſunt? Leviſſimi enim cetera parte anni, nec qui vela impleant, ſurgunt. Quia ver aquoſius eſt, & ex plurimis aquis, lociſve ob humidam cæli naturam ſaturis & redundantibus, major evaporatio eſt. At quare æſtate æque profunditur? Quia poſt occaſum ſolis remanet diurnus calor, & magna noctis parte perdurat: qui evocat exeuntia, ac vehementius tradit, quidquid ex his ſponte reddi ſolet: deinde non tantum habet virium, ut quod evocavit, abſumat. Ob hoc diutius corpuſcula emanare ſolita, & efflari, terra ex ſe atque humor emittit. Facit autem ventum ſol ortus, non calore tantum, ſed etiam ictu. Lux enim (ut dixi) quæ ſolem antecedit, nondum aëra calefacit, ſed percutit tantum: percuſſus autem in latus cedit. Quamquam ego ne illud quidem conceſſerim, lucem ipſam ſine calore eſſe, cum ex calore fiat. Non habet forſitan tantum teporis, quantum actu appareat. Opus tamen ſuum facit, & denſa diducit ac tenuat. Præterea loca, quæ aliqua iniquitate naturæ ita clauſa ſunt, ut ſolem accipere non poſſint, illa quoque nubila & triſti luce caleſiunt, & per diem minus quam noctibus rigent. Etiamnum natura calor omnis abigit nebulas, & à ſe repellit. Ergo ſol quoque idem facit. Et ideo quibuſdam videtur, inde flatus eſſe, unde ſol. Hoc falſum eſſe ex eo apparet, quod aura in omnem partem vehit, & contra ortum plenis velis navigatur. Quod non eveniret, ſi ſemper ventus ferretur à ſole.

CAP. X. Eteſiæ quoque, qui in argumentum à qui-

buſdam advocantur, non nimis propoſitum adjuvant. Dicam primum quid illis placeat: deinde, cur diſpliceat mihi. Eteſiæ, inquiunt, hieme non ſunt: quia breviſſimis diebus ſol deſinit, priuſquam frigus evincatur. Itaque nives & ponuntur & durantur. Æſtate incipiunt flare, cum & longius extenditur dies, & recti in nos radii diriguntur. Veri ergo ſimile eſt, concuſſas calore magno nives plus humidi efflare. Item terras exoneratas nive, retectaſque ſpirare liberius. Itaque plura ex Septemtrionali parte cæli corpora exire, & in hæc loca [1] quæ ſubmiſſiora ac tepidiora ſunt, deferri. Sic impetum Eteſias ſumere: & ob hoc [2] à ſolſtitio illis initium eſt, ultraque ortum Caniculæ non valent: quia jam multum è frigida cæli parte in hanc egeſtum eſt. At ſol mutato curſu in noſtram rectior tenditur: & alteram partem aëris attrahit, aliam vero impellit. Sic ille Eteſiarum flatus æſtatem frangit: & à menſium ferventiſſimorum gravitate defendit.

Cap. XI. Nunc, quod promiſi, dicendum eſt, quare Eteſiæ illos non adjuvent, nec quidquam huic conferant cauſſæ. Dicimus autem luce auram incitari, eandem ſubſidere, cum illam ſol attigit. Atqui Eteſiæ ob hoc ſomniculoſi à nautis, & delicati vocantur, quod (ut ait Gallio) mane neſciunt ſurgere: eo tempore incipiunt prodire, quo ne pertinax quidem aura eſt. quod non accideret, ſi ut auras, ita illos ſol comminueret. Adjice nunc, quod ſi cauſſa illis flatus eſt, ſpatium diei ac longitudo, etiam ante ſolſtitium flarent, cum longiſſimi dies ſunt, & cummaxime nives tabeſcunt. Julio enim menſe jam diſpoliata ſunt omnia, aut certe admodum pauca jacent adhuc ſub nive.

Cap.

Cap. X. *Quæ remiſſiora ac tepidiora ſunt*] Mss. *ſubmiſſiora.* nempe ex opinione veterum, quam tradit Virgilius 1 Georg.

Mundus ut ad Scythiam Rhiphæaſque arduus arces
Conſurgit, premitur Libya devexus in auſtros. Gronovius.

2 *Ab ſolſtitio illis initium eſt*] Britani *& ob hoc, ſolſtitium illis initium eſt.* Multo elegantius. Ut in Legibus antiquis: *Tribus Sergia principium fuit.* Cicero lib. 5 de Finibus: *ſatis enim ſcite me noſtri ſermonis principium eſſe voluiſti.* Idem.

Cap.

CAP. XII. Sunt quædam genera ventorum, quæ ruptæ nubes & in pronum ſolutæ emittunt. Hos Græci ventos ἐκνεφίας vocant. Qui hoc (ut puto) modo fiunt. Cum magna inæqualitas ac diſſimilitudo corporum, quæ vapor terrenus emittit, in ſublime eat, & alia ex his corporibus ſicca ſint, alia humida: ex tanta diſcordia corporum inter ſe pugnantium, cum in unum conglobata ſunt, veriſimile eſt quaſdam cavas effici nubes, & intervalla inter illas relinqui fiſtuloſa, & in modum tibiæ anguſta. His intervallis tenuis includitur ſpiritus: qui majus deſiderat ſpatium, cum everberatus curſu parum libero incaluit: & ob hoc amplior fit, ſcinditque cingentia, & erumpit in ventum: qui fere procelloſus eſt, quia ſuperne demittitur, & in nos cadit vehemens & acer: quod non fuſus, nec per apertum venit, ſed laborat, & iter ſibi vi ac pugna parat. Hic fere brevis flatus eſt. Quia receptacula nubium per quæ ferebatur, ac munimenta perrumpit; ideo tumultuoſus venit aliquando, non ſine igne ac ſono cæli. Hi venti multo majores diuturnioreſque ſunt, ſi alios quoque flatus ex eadem cauſſa ruentes in ſe abſtulere, & in unum confluxere plures: ſicut torrentes modicæ magnitudinis eunt, quamdiu ſeparatis ſuus curſus eſt: cum vero plures in ſe aquas convertêre, fluminum juſtorum ac perennium magnitudinem excedunt. Idem credibile eſt fieri & in procellis, ut ſint breves quamdiu ſingulæ ſunt: ubi vero ſociavere vires, & ex pluribus cæli partibus eliſus ſpiritus eodem ſe contulit, & impetus illis accedit, & mora.

CAP. XIII. Facit ergo ventum reſoluta nubes: quæ pluribus modis ſolvitur. Nonnumquam conglobationem illam ſpiritus rumpit incluſi & in exitum nitentis luctatio: nonnumquam calor, quem modo ſol fecit, modo ipſa arietatio [1] magnorum inter ſe corporum, & attritus. Hoc loco, ſi tibi

CAP. XIII. 1 *Ut magnorum inter ſe corporum attritus*] Vox princeps, ut, abeſt mss. noſtris, inquit Gruterus. Abeſt & Britannico, qui ergo recte: *modo ipſa arietatio magnorum inter ſe corporum & attritus*. Gronovius.

ſi tibi videtur, quæri poteſt, cur turbo fiat. Evenire in fluminibus ſolet, ut quam diu ſine impedimento feruntur, ſimplex & rectum illis iter ſit: ubi incurrêre in aliquod ſaxum ad latus ripæ prominens, retorqueantur, & in orbem aquas ſine exitu flectant, ita ut circumlatæ in ſe ſorbeantur, & vorticem efficiant. Sic ventus, quamdiu nihil obſtitit, vires ſuas effundit. Ubi aliquo promontorio repercuſſus eſt, aut vi locorum coëuntium in canalem devexum tenuemque collectus: ſæpius in ſe volutatur, ſimilemque illis, quas diximus converti, aquis facit verticem. Hic ventus circumactus, & eumdem ambiens locum, & ſe ipſa vertigine concitans, turbo eſt. Qui ſi pugnacior eſt, ac diutius volutatur, inflammatur, & efficit quem πρηστῆρα Græci vocant. Hic eſt igneus turbo. Hi fere omnia pericula venti erupti de nubibus produnt, quibus armamenta rapiantur, & totæ naves in ſublime tollantur. Etiamnum quidam venti diverſos ex ſe generant, & impulſum aëra in alias quoque partes, quam in quas ipſi inclinavere, diſpergunt. Illud quoque dicam, quod mihi occurrit, quemadmodum ſtillicidia, quamvis jam inclinent ſe & labantur, nondum tamen effecere lapſum, ſed ubi plura coïere, & turba vires dedit, tunc fluere & ire dicuntur: ſic quamdiu leves ſunt aëris motus, agitati pluribus locis, nondum ventus eſt; tunc eſſe incipit, cum omnes illos miſcuit, & in unum impetum contulit. Spiritum à vento modus ſeparat: vehementior enim ſpiritus ventus eſt; invicem ſpiritus leviter fluens aër.

Cap. XIV. [1] Repetam nunc quod in primo dixeram, edi è ſpecu ventos, receſſuque interiore terrarum. Non tota ſolido contextu terra in unum uſque fundatur, ſed multis partibus cava,

&

Cap. XIV. 1 *Repetam nunc quod primo dixeram*] Tres Pall. Britannicus, Veneta editio: *quod in primo dixeram.* Perperam omiſſa præpoſitio in Eraſmica & deinceps editionibus. Epiſt. 108. *In ætate noſtra quod optimum, in primo eſt.* Ubi etiam prurit Lipſius. *In primo* eſt in principio, ut *à primo*, à principio. Lib. 2, 30. *Sunt omnia, ut dixi, facilia naturæ: utique quæ à primo facere inſtituit.* Gronovius.

2 *Aquas*

—— *& cæcis ſuſpenſa latebris.*

alicubi habet inania ſine humore. Ibi etiam ſi nulla lux diſcrimen aëris monſtrat, dicam tamen nubes nebulaſque in obſcuro conſiſtere. Nam ne hæ quidem ſupra terras, quia videntur, ſunt: ſed quia ſunt, videntur. Illic quoque nihilominus ob id ſunt, quod non videntur. Flumina illic ſcias licet, noſtris paria, ſublabi: alia leviter ducta, alia in confragoſis locis præcipitando ſonantia. Quid ergo? non illud æque dabis, eſſe aliquos & ſub terra lacus, & quaſdam [2] aquas ſine exitu ſtagnare? Quæ ſi ita ſunt, neceſſe eſt & illud, aëra onerari, oneratumque incumbere, & ventum propulſu ſuo concitare. Et ex illis ergo ſubterraneis nubibus ſciemus nutriri inter obſcura flatus, cum tantum virium fecerint, quanto aut terræ obſtantia auferant, aut aliquod apertum ad hos efflatus iter occupent, & per hanc cavernam in noſtras ſedes efferantur. Illud vero manifeſtum eſt, magnam eſſe ſub terris vim ſulphuris, & aliorum non minus ignem alentium. Per hæc loca cum ſe, exitum quærens, ſpiritus torſit, accendat flammam ipſo affrictu neceſſe eſt. Deinde flammis latius fuſis, etiam ſi quid ignavi aëris erat, extenuatum moveri, & viam cum fremitu vaſto atque impetu quærere. Sed hoc diligentius perſequar, cum quæram de motibus terræ.

CAP. XV. Nunc mihi permitte narrare fabulam. Aſclepiodotus auctor eſt, demiſſos quam plurimos à Philippo in metallum antiquum olim deſtitutum, ut exploraret quæ ubertas ejus eſſet, qui ſtatus, an aliquid futuris reliquiſſet vetus avaritia: deſcendiſſe illos cum multo lumine, [1] & multos duraturo dies: deinde longa via fatigatos, vidiſſe flumina ingentia, & conceptus aquarum inertium vaſtos, pares

2 *Aquas ſine exitu ſtagnare*] Pomponius Mela lib. 3. cap. 1. putat depreſſos quoſdam ſpecus eſſe, quo reciproca maria recidant, atque inde ſe rurſus exuberantia attollant. Vide Vulcanium ſcholiis ad Apuleium de mundo.

CAP. XV. 1 *Et multos duraſſe dies*] Notat Gruterus in duobus Pall. fuiſſe, *duram.* Nempe ſignificabant, quod eſt in Regio Britannico: *cum multo lumine & multos duraturo dies.* Gronovius.

 3 Nec

pares noſtris, [2] nec compreſſos quidem terra ſupereminente, ſed liberæ laxitatis, non ſine horrore viſos. Cum magna hæc legi voluptate. intellexi enim ſeculum noſtrum, non novis vitiis, ſed jam inde antiquitus traditis laborare: nec noſtra ætate primum avaritiam, venas terrarum lapidumque rimatam, in tenebris male abſtruſa quæſiſſe. Illi quoque majores noſtri, quos celebramus laudibus, quibus diſſimiles querimur nos eſſe, ſpe ducti, montes ceciderunt, & ſupra lucrum ſub ruina ſteterunt. Ante Philippum Macedonem reges fuere, qui pecuniam in altiſſimis uſque latebris ſequerentur, & relicto ſpiritu libero, in illos ſe demitterent ſpecus, in quos nullum noctium dierumque perveniret diſcrimen, & à tergo lucem relinquerent. Quæ tanta ſpes fuit? Quæ tanta neceſſitas hominem ad ſidera erectum incurvavit, & defodit, & in fundum telluris intimæ merſit, ut erueret aurum, non minore periculo quærendum, quam poſſidendum? Propter hoc cuniculos egit, & circa prædam lutulentam incertamque reptavit, oblitus dierum, oblitus naturæ melioris, à qua ſe avertit. Nulli ergo mortuo terra tam gravis eſt, quam iſtis ſupra quos avaritia urgens terrarum pondus injecit, quibus abſtulit cælum, quos in imo, ubi illud malum virus latitat, infodit. Illo deſcendere auſi ſunt, ubi novam rerum poſitionem, terrarumque pendentium habitus, ventoſque per cæcum inane experirentur, & [3] aquarum nulli fluentium horridos fontes, & altam perpetuamque noctem. Deinde cum iſta fecerint, inferos metuunt.

CAP. XVI. Sed ut ad id de quo agitur, revertar, venti

2 *Nec compreſſos quidem terra ſupereminente*] Lego, *ne compreſſos quidem terra ſuperimminente.* Hoc eſt, & quidem, quibus terra non de proximo incumberet, ſed ingenti & alto fornice ſuper ſuſpenderetur. *Gronovius.*

3 *Aquarum in illis fluentium*] Recepi ſine ſcrupulo ſcriptam lectionem, olim probatam doctis: *nulli fluentium.* Lib. 6, 7. *in abſcondito littus, & per occultos aditus receptum mare, quod illis quoque tantundem loci tenet, aut fortaſſis hoc amplius, quod ſuperiora cum tot animalibus erant dividenda: abſtruſa enim & ſine poſſeſſore deſerta, liberius undis vacant.* Idem.

CAP.

ti quattuor ſunt, in ortum, occaſum, meridiem, ſeptemtrionemque diviſi. Ceteri, quos variis nominibus appellamus, his applicantur.

Eurus ad auroram Nabathæaque regna receſſit,
Perſidaque, & radiis juga ſubdita matutinis.
Veſper & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt,
Proxima ſunt Zephyro. Scythiam ſeptemque triones
Horrifer invaſit Boreas. contraria tellus
Nubibus aſſiduis, pluvioque madeſcit ab Auſtro.

Vel, ſi brevius illos complecti mavis, in unam tempeſtatem (quod fieri nullo modo poteſt) congregentur.

Una Euruſque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus: ——

& qui locum in illa rixa non habuit, Aquilo. Quidam illos duodecim faciunt. Quattuor enim cæli partes in ternas dividunt, & ſingulis ventis binos ſuffectos dant. Hac arte Varro, vir diligens, illos ordinat: nec ſine cauſſa. Non enim eodem ſemper loco ſol oritur, aut occidit. Sed alius eſt ortus occaſuſque æquinoctialis (bis autem æquinoctium eſt:) alius ſolſtitialis, [1] alius hibernus. Qui ſurgit ab oriente æquinoctiali, ſubſolanus apud nos dicitur: Græci illum ἀφηλιώτην vocant. Ab oriente hiberno Eurus exit: quem noſtri vocavere Vulturnum. Et Livius hoc illum nomine appellat, in illa pugna Romanis parum proſpera, in qua Hannibal & contra ſolem orientem exercitum noſtrum, & contra ventum conſtituit: cum venti adjutorio ac fulgoris præſtringentis oculos hoſtium vicit. Varro quoque hoc nomen uſurpat. Sed & Eurus jam civitate donatus eſt, & noſtro ſermoni non tamquam alienus intervenit. Ab oriente ſolſtitiali excitatum, Græci Καικίαν appellant: apud nos ſine nomine eſt. Æquinoctialis occidens Favonium mittit: quem Zephyrum eſſe dicent tibi, etiam qui Græce neſciunt loqui. A ſolſtitiali occidente Corus venit, qui apud quoſdam

CAP. XVI. 1 *Alius hibernus*] Britannicus: *alius hibernalis.* Gronovius.

dam Argeſtes dicitur. Mihi non videtur: quia Cori violenta vis eſt,& in unam partem rapax; Argeſtes fere mollis eſt, & tam euntibus communis,quam redeuntibus. Ab occidente hiberno Africus furibundus & ruens,apud Græcos λὶψ dicitur. A ſeptemtrionali latere ſummus eſt Aquilo, medius Septemtrio, imus Thraſcias. Huic deeſt apud nos vocabulum. A meridiano axe Euronotus eſt. deinde Notus, Latine Auſter. deinde Libonotus, qui apud nos ſine nomine eſt.

CAP. XVII. Placet autem duodecim ventos eſſe: non quia ubique tot ſint (quoſdam enim inclinatio terrarum excludit) ſed quoniam plures nuſquam ſunt. Sic caſus ſex dicimus: non quia omne nomen ſex recipit, ſed quia nullum plures quam ſex. Qui duodecim ventos eſſe dixerunt, hoc ſecuti ſunt,totidem ventorum eſſe, quot cæli diſcrimina. Cælum enim dividitur in circulos quinque,qui per mundi cardines eunt. Eſt ſeptemtrionalis, eſt ſolſtitialis, eſt æquinoctialis, eſt brumalis, eſt contrarius ſeptemtrionali. His ſextus accedit, qui ſuperiorem partem mundi ab inferiore ſecernit. Ut ſcis enim, dimidia pars mundi ſemper ſupra, dimidia infra eſt. Hanc lineam, quæ inter aperta & occulta eſt,Græci ὁρίζοντα vocant: noſtri finitorem dixere, alii finientem. Adjiciendus eſt ad hunc meridianus circulus, qui horizonta rectis angulis ſecat. Ex his quidam circuli in tranſverſa currunt,& alios interventu ſuo ſcindunt. Neceſſe autem eſt,tot aëris diſcrimina eſſe,quot partes.Ergo horizon ſive finiens circulus, quinque illos orbes, quos modo dixi fieri,ſecat,& efficit decem partes, quinque ab ortu, quinque ab occaſu. Meridianus circulus, qui in horizonta incurrit, regiones duas adjicit. Sic duodecim aër diſcrimina accipit,& totidem facit ventos. Quidam ſunt quorumdam locorum proprii,qui non tranſmittunt,ſed in proximum ferunt. Non eſt illis à latere univerſi mundi impetus. [1] Atabulus Apuliam [illegible] infeſtat,

CAP. XVII. 1 *Atabulus Apuliam infeſtat*] De eo Plinius lib. 17. Horatius lib. 1. Serm.

Incipit ex illo montes Apulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus.

Atque ob hoc Gellius lib. 2. Sunt alii

plu-

inſeſtat, Calabriam Iapyx, Athenas Sciron, Pamphyliam Catægis, [2] Galliam Circius: cui ædificia quaſſanti, tamen incolæ gratias agunt, tamquam ſalubritatem cæli ſui debeant ei. Divus certe Auguſtus templum illi, cum in Gallia moraretur, & vovit & fecit. Infinitum eſt, ſi ſingulos velim perſequi. Nulla enim propemodum regio eſt, quæ non habeat aliquem flatum ex ſe naſcentem, & circa ſe cadentem.

CAP. XVIII. Inter cetera itaque Providentiæ opera, hoc quoque aliquis, ut dignum admiratione ſuſpexerit. Non enim ex una cauſſa ventos, aut invenit, aut per diverſa diſpoſuit: ſed primum ut aëra non ſinerent pigreſcere, ſed aſſidua vexatione utilem redderent, vitalemque tracturis. Deinde ut imbres terris ſubminiſtrarent, iidemque nimios compeſcerent. Nam modo adducunt nubes, modo diducunt, ut per totum orbem pluviæ dividi poſſent. In Italiam Auſter impellit, Aquilo in Africam rejicit: Eteſiæ non patiuntur apud nos nubes conſiſtere. Iidem totam Indiam & Æthiopiam continuis per id tempus aquis irrigant. Quid, quod fruges percipi non poſſunt, niſi flatu ſupervacua admixta ſervandis ventilarentur, niſi eſſet quod ſegetem excitaret, & latentem frugem, ruptis velamentis ſuis, quæ folliculos agricolæ vocant, adaperiret? Quid, quod omnibus inter ſe populis commercium dedit, & gentes diſſipatas locis miſcuit? Ingens naturæ beneficium, ſi illud in injuriam ſuam non vertat hominum furor. Nunc quod de Cæſare olim majore vulgo dictitatum eſt, & à Tito Livio poſitum, in incerto eſſe, utrum illum magis [1] naſci reip. profuerit,

pluriſariam venti commentitii ſuæ quiſque regionis indigenæ, ut Horatianus ille Atabulus. vide Porphyr. ad d. locum Horatii, & Baptiſtam Pium ad lib. 1. Epiſt. Sidonii.

2 *Galliam Circius*] Galliam Narbonenſem: ubi hodieque & vehementiam & nomen retinet. Cercium M. Cato vocat, ſi emendata ſunt exemplaria. *Muretus.*

CAP. XVIII. 1 *Naſci reipublicæ profuerit, an non naſci*] Hoc ob oppreſſam libertatem; illud ob auctum Galliæ imperium: non enim, quod ſub eo occaſio fuerit rempublicam transferendi in monarchiam pacatiorem (ſi diis placet) & feliciorem, ut loquitur Fromondus. *Gronovius.*

 2 Ei

fuerit, an non naſci; dici etiam de ventis poteſt: adeo quidquid ex illis utile & neceſſarium eſt, non poteſt his repenſari, quæ in perniciem ſuam generis humani dementia excogitat. Sed non ideo non ſunt iſta natura ſua bona, ſi vitio male utentium nocent. Nimirum in hoc Providentia, ac diſpoſitor ille mundi Deus, aëra ventis exercendum dedit, & illos ab omni parte, ne quid eſſet ſitu ſqualidum, effudit: non ut nos claſſes partem freti occupaturas compleremus milite armato, & hoſtem in mari aut poſt mare inquireremus. Quæ nos dementia exagitat, & in mutuum componit exitium? Vela ventis damus bellum petituri, & periclitamur periculi cauſſa. Incertam fortunam experimur: vim tempeſtatum nulla ope humana ſuperabilem, mortem ſine ſpe ſepulturæ. Non erat tanti, ſi ad pacem per iſta veheremur. Nunc autem cum evaſerimus tot ſcopulos latentes, & inſidias vadoſi maris; cum effugerimus procelloſos deſuper montes, in quos præceps navigantes ventus impingit; cum involutos nubilo dies, & nimbis ac tonitruis horrendas noctes, cum turbinibus divulſa navigia: quis erit hujus laboris ac metus fructus? quis nos feſſos tot malis portus excipiet? Bellum ſcilicet, & obvius in littore hoſtis, & trucidandæ gentes tracturæ magna ex parte victorem, & antiquarum urbium flamma. Quid in arma cogimus populos? quid exercitus ſcribimus, directuros aciem in mediis fluctibus? quid maria inquietamus? Parum videlicet ad mortes noſtras terra late patet. Nimis delicate fortuna nos tractat: nimis dura dedit nobis corpora, felicem valetudinem. Non depopulatur nos caſus incurrens: emetiri cuique annos ſuos ex commodo licet, & ad ſenectutem decurrere. Itaque eamus in pelagus, & vocemus in nos fata ceſſantia. Miſeri, quid quæritis? mortem, quæ ubique ſupereſt? Petet illa vos & ex lectulo; ſed utique innocentes petat: occupabit vos in veſtra domo; ſed occupet nullum molientes malum. Hoc vero quid aliud quis dixerit, quam inſaniam, circumferre pericula, & ruere in ignotos, iratum ſine injuria occurrentia

currentia

currentia devaſtantem, ac ferarum more occidere, quem non oderis? Illis tamen in ultionem, aut ex fame morſus eſt: nos ſine ulla parſimonia noſtri alienique ſanguinis, movemus maria, & navigia deducimus, ſalutem committimus fluctibus, ſecundos optamus ventos, quorum felicitas eſt ad bella perferri. Quouſque nos malos mala noſtra rapuere? Parum eſt, intra orbem ſuum furere. Sic Perſarum rex ſtolidiſſimus in Græciam trajicit, quam exercitus non vicit, cum impleverit. Sic Alexander ulterior Bactris & Indis volet quærere, quid ſit ultra magnum mare, & indignabitur aliquid eſſe ultimum ſibi. Sic Parthis avaritia Craſſum dabit. Non horrebit revocantis diras tribuni, non tempeſtates longiſſimi maris, non circa Euphratem præſaga fulmina, & deos reſiſtentes. Per hominum deorumque iras ad aurum ibitur. Ergo non immerito quis dixerit, rerum naturam melius acturam fuiſſe nobiſcum, ſi ventos flare vetuiſſet, & inhibito diſcurſu furentium, in ſua quemque terra ſtare juſſiſſet. Si nihil aliud, certe ſuo quiſque tantum ac ſuorum malo naſceretur. Nunc parum vi domeſtica, externis quoque laborandum eſt. Nulla terra tam longe remota eſt, quæ non mittere aliquo ſuum malum poſſit. Unde ſcio an nunc aliquis magnæ gentis in abdito dominus, fortunæ indulgentia tumens, non contineat intra terminos arma, an paret claſſes ignota moliens? Unde ſcio, hic mihi, an ille ventus bellum invehet? Magna pars erat pacis humanæ, maria præcludi. Non tamen (ut paulo ante dicebam) queri poſſumus de auctore noſtri Deo, ſi beneficia ejus corrumpimus, & ut eſſent contraria, efficimus. Dedit ille ventos ad cuſtodiendam cæli terrarumque temperiem, ad evocandas ſupprimendaſque aquas, ad alendos ſatorum atque arborum fructus: quos ad maturitatem, cum aliis cauſſis adducit ipſa jactatio, attrahens cibum in ſumma, [2] & ne torpeant, movens. Dedit ventos

2 *Et ne torpeat, promovens*] Sic etiam veteres editiones, nec quiſquam ſuſpectum facit. Quid eſt tamen, quod jactatio, ne torpeat, impedit? non poteſt hoc verbum exaudiri niſi de cibo, & de illo non niſi inepte exauditur. Quin

tos ad ulteriora noſcenda. fuiſſet enim imperitum animal, & ſine magna experientia rerum homo, ſi circumſcriberetur natalis ſoli fine. Dedit ventos, ut commoda cujuſque regionis fierent communia: non ut legiones equitemque geſtarent, nec ut [3] pernicioſa gentibus arma tranſveherent. Si beneficia naturæ utentium pravitate perpendimus, nihil non noſtro malo accepimus. Cui videre expedit? cui loqui? Cui non vita tormentum eſt? Nihil invenies tam manifeſtæ utilitatis, quod non in contrarium transferat culpa. [4] Sic ventos quoque natura bonos futuros invenerat: ipſi illos contrarios fecimus. Omnes in aliquod nos malum ducunt. non eadem eſt his & illis cauſſa ſolvendi: ſed juſta nulli. diverſis enim irritamentis ad tentandum iter impellimur. Utique alicui vitio navigatur. Egregie Plato dicit, qui nobis circa exitum jam teſtium loco dandus eſt: [5] minima eſſe quæ homines emant vita. Imo, Lucili cariſſime, ſi bene furorem illorum æſtimaveris, id eſt, noſtrum (in eadem enim turba volutamur) magis ridebis, cum cogitaveris vita parari ea, in quibus vita conſumitur.

L I-

Quin refingis ergo cum Britannico: *&* *ſe torpeant*, *movens.* nempe ſata & arbores. *Gronovius.*

3 *Pernicioſa gentibus arma tranſveherent*] Gruterus: Sic Romana editio, ſed contra omnes alias, item mss. meos, qui *gentium*. Puto verum eſſe quod in Britannico: *pernicioſa civium arma.* Sic tangit propius res patrias, & in primis bellum Siculum & Actiacum. *Idem.*

4 *Sic ventos quoque natura bonos futuros*] Lego, *bono futuros.* Ut lib. 2, 39. *Ubi poſt rem factam venit, quam bono futuram malove ſignificat.* Idem.

5 *Minima eſſe, quæ homines emant vita*] Forte, *minimi.* Idem.

CAP.

LIBER SEXTUS.

In quo de terræ motu agitur.

ARGUMENTUM.

Naturam & cauſſas terræ motus docte & explicate enarrat. Ipſo jam ſene ſub Imperio Neronis, Pompeii celebre Campaniæ oppidum terræ motu deſedit, in juventute ejus & Imperio Tiberii, XII urbes Aſiæ perditæ. Non metuendus tamen terræ motus; quia magnificum à tam magna cauſſa perire. In cauſſas deinde terræ motus inquirit. Thales terram, ceu navigium, aqua ferri & fluctuari, alii aquarum ſub terra latentium fluctu agitari crediderunt. Hac occaſione ad quæſtionem famoſam digreditur, de Origine Nili. Ariſtoteles, Theophraſtus, Calliſthenes (æternum Alexandri crimen, à quo injurioſe necatus) ſpiritum terræ motorem faciunt: quibus noſter accedit. Ex motu Campano peſtilentia orta, quæ ovium ibi greges exanimavit: quidam etiam terrore lymphatici erravere. Denique in mores relapſus, non terræ motus, non fluctus, non arma metuenda docet; quia rem puſillam, hominis vitam tantum petunt, quam auriculæ dolor, aut pes leviter offenſus, auferre poteſt.

CAPUT I.

1 POmpeios, celebrem Campaniæ urbem, in quam ab altera parte Surrentinum Stabianumque littus, ab altera Herculanenſe, conveniunt, 2 mareque ex aperto reductum amœno ſinu cingunt,

CAP. I. 1 *Pompeios*] Vix ulla res eſt, de qua majore contentione diſputarint philoſophi, quam de terræ motu. De quo tamen nihil adhuc pro certo atque explorato ſtatuere potuerunt. Videndus Ariſtoteles lib. 2 Meteoro-

Digitized by Google

cingunt, deſediſſe terræ motu, vexatis quæcumque adjacebant regionibus, Lucili virorum optime, audivimus: [3] & quidem diebus hibernis: quos vacare à tali periculo majores noſtri ſolebant promittere. Nonis Febr. fuit motus hic, [4] Regulo & Virginio Conſulibus, qui Campaniam numquam ſecuram hujus mali, indemnem tamen, & totiens defunctam metu, magna ſtrage vaſtavit. Nam & Herculanenſis oppidi pars ruit, dubieque ſtant etiam quæ relicta ſunt. Et Nucerinorum colonia, ut ſine clade, ita non ſine querela eſt. Neapolis quoque privatim multa, publice nihil amiſit, leviter ingenti malo perſtricta. Villæ vero præruptæ paſſim ſine injuria tremuere. Adjiciunt his [5] ſexcentarum ovium gregem exanimatum, & diviſas ſtatuas: motæ poſt hoc mentis aliquos atque impotes ſui erraſſe. Quorum ut cauſſas excutiamus, & propoſiti operis contextus exigit, & ipſe in hoc tempus congruens caſus. Quærenda ſunt trepidis ſolatia, & demendus ingens timor. Quid enim cuiquam ſatis tutum videri poteſt, ſi mundus ipſe concutitur, & partes ejus ſolidiſſimæ labant? Si quod unum immobile eſt in illo

teorologicon, & qui in eum ſcripſerunt: Plinius lib. 2. c. 79. & deinceps lib. 3. de placitis philoſophorum. *Muretus.*

2 *Mareque ex aperto conductum*] Conjectura hæc eſt Fortunati contra ſuos ipſius mss. ſed vincant libri veteres, in quibus eſt, *mareque ex aperto reductum amœno ſinu cingunt.* Notio verbi elegantior. eſt enim idem quod ſinuatum. Horatius in Epodis: *Aut in reducta valle mugientium Proſpectat errantium greges.* Sidonius in Paneg. Majorani: *portuumque reductо Efficiunt flexu fluvii.* Sic *reducta* interiora, abdita, ut quæ in ſinu ſunt. Lib. 6, 31. *Illa arcana nec promiſcuè nec omnibus patent: reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt.* Gronovius.

3 *Et quidem diebus hibernis*] Ariſtoteles quidem auctor eſt, vere & autumno ſæpius terram moveri: æſtate & hieme rarius: ſed tamen nullam eſſe anni partem ab hoc mali genere tutam, experimenta docuerunt. *Muretus.*

4 *Regulo & Virginio Coſ.*] Intelligit C. Memmium Regulum, & L. Virginium Rufum. Tacitus tamen lib. 15 Ann. motum hunc terræ ad priores Coſs. refert. & hercle ibi inquit Lipſius, tam aſſeverat id diſtincte Seneca, ut credam alterum eſſe vitium, non Taciti, ſed Ægyſthi alicujus.

5 *Sexcentarum ovium gregem*] Hoc ex eo contigiſſe videri poteſt, quod in terræ motu tetri ac peſtiferi halitus afflantur è terra: quorum noxia vis ad pecudes citiſſime ac facillime pervenit: ut quæ humi paſcantur, neque fere umquam caput attollant. Sic Homerica peſtis greges primum & armenta corripuit. Sed hoc Seneca ipſe poſtea dicturus eſt. *Muretus.*

6 At

illo fixumque, ut cuncta in ſe intenta ſuſtineat, fluctuat: ſi quod proprium habet terra, perdidit, ſtare: ubi tandem reſident metus noſtri? Quod corpora receptaculum invenient? quo ſolicita confugient, ſi ab imo metus naſcitur, & funditus trahitur? Conſternatio omnium eſt, ubi tecta crepuere, & ruina ſignum dedit: tunc præceps quiſque ſe proripit, & penates ſuos deſerit,[6] ac ſe publico credit. Quam latebram proſpicimus, quod auxilium, ſi orbis ipſe ruinas agitet? ſi hoc, quod nos tuetur ac ſuſtinet, ſupra quod urbes ſitæ ſunt, quod fundamentum quidam orbis eſſe dixerunt, diſcedit ac titubat?. Quid tibi eſſe non dico auxilii, ſed ſolatii poteſt, ubi timor fugam perdidit? Quid eſt, inquam, ſatis munitum? quid ad tutelam alterius ac ſui firmum? Hoſtem muro repellam: præruptæ altitudinis caſtella vel magnos exercitus difficultate aditus morabuntur. A tempeſtate nos vindicant portus: nimborum vim effuſam, & ſine fine cadentes aquas tecta propellunt: fugientes non ſequitur incendium: adverſus tonitrua & minas cæli, ſubterraneæ domus, & defoſſi in altum ſpecus, remedia ſunt. Ignis ille cæleſtis non tranſverberat terram, ſed exiguo ejus objectu retunditur. In peſtilentia mutare ſedes licet. Nullum malum ſine effugio eſt. Numquam fulmina populos peruſſerunt. Peſtilens cælum exhauſit urbes, non abſtulit. Hoc malum latiſſime patet, inevitabile, avidum, publice noxium. Non enim domos ſolum, aut familias, aut urbes ſingulas haurit, ſed gentes totas, regioneſque ſubvertit: & modo ruinis operit, modo in altam voraginem condit: ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non eſt, ſaltem fuiſſe: ſed ſupra nobiliſſimas urbes, ſine ullo veſtigio prioris habitus, ſolum extenditur. Nec deſunt qui hoc genus mortis magis timeant, quo in abruptum cum ſedibus ſuis eunt, & è vivorum numero vivi auferuntur,

tam-

6 *Ac ſe publico credit*] Delicata imprimis lectio Britannici Regii; *ac ſe publico condit*. Quaſi diceret, cælum habet pro ſuffugio. Tale eſt illud: *cælo tegitur, qui non habet urnam.* Gronovius.

7 *Sub*

tamquam non omne fatum ad eumdem terminum veniat. Hoc habet inter cetera juſtitiæ ſuæ natura præcipuum, quod cum ad exitum ventum eſt, omnes in æquo ſumus. Nihil itaque intereſt, utrum me lapis unus elidat, an monte toto premar: utrum ſupra me domus unius onus veniat, & [7] ſub exiguo ejus tumulo ac complanatione exſpirem, an totus caput meum terrarum orbis abſcondat: in luce hunc & in aperto ſpiritum reddam, an in vaſto terrarum dehiſcentium ſinu: ſolus in illud profundum, an cum magno comitatu populorum concidentium ferar. Nihil intereſt mea, quantus circa mortem meam tumultus ſit. ipſa ubique tantumdem eſt. Proinde magnum ſumamus animum adverſus iſtam cladem, quæ nec evitari, nec provideri poteſt. Deſinamus audire iſtos, qui Campaniæ renuntiavere, quique poſt hunc caſum emigraverunt, negantque ſe umquam ipſam regionem acceſſuros. quis enim illis promittet melioribus fundamentis hoc aut illud ſolum ſtare? Omnia ejuſdem ſortis ſunt, & ſi nondum mota, tamen mobilia: hunc fortaſſe in quo ſecurius conſiſtis locum, hæc nox, aut hic ante noctem dies ſcindet. Unde ſcies an melior eorum locorum conditio ſit, in quibus jam vires ſuas fortuna conſumpſit; [8] & quæ in futurum ruina ſua fulta ſunt? Erramus enim, ſi ullam terrarum partem exceptam immunemque ab hoc periculo credimus. Omnes ſub eadem jacent lege.

7 *Sub exiguo ejus tumulo ac pulvere exſpirem*] Et hic præclare Britannicus: *tumulo ejus ac complanatione exſpirem.* Servius Danielis ad 4 Æneidos: *Denique Romæ Valerius, quum in Æſquiliis domum haberet altiſſimam, invidiæ cauſa complanavit.* Gronovius.

8 *Et quæ in futurum ruina ſua fulta ſunt*] Sic recte ex ſuis Fort. nec aliter Pal. tert. nam quartus & olim impreſſi, *futuram ruinam ſuam.* Col. *in futura jam ruina ſua.* Sic Gruterus. Atqui hæc interrogatio eſt inſtituto contraria. Vult enim indicare, forſan meliorem eſſe conditionem illorum locorum, quæ jam ſic habuit fortuna, ut pejus habere non poſſit, quam eorum, quæ adhuc quidem integra, fortunæ tamen multum patent. Itaque dicendum fuiſſet, *an non ſit.* Quanquam poſſit videri, ut ſolet interdum, naturalem ordinem loquendi invertiſſe. Interim non video cur rejicere debeam optimi codicis ſcripturam: *an quæ in futuram ruinam ſuam fulta ſunt?* hoc eſt, quæ adhuc ſuſtinentur & conſiſtunt, ſed tamen aliquando ſunt caſura. Troadibus de Achille & Troja: *Illo remoto, dubia, quo caderet, ſtetit.* Idem.

9 *Anno*

lege. Nihil ita, ut immobile eſſet, natura concepit. Alia temporibus aliis cadunt. Et quemadmodum in urbibus magnis, nunc hæc domus, nunc illa ſuſpenditur: ita in hoc orbe terrarum nunc hæc pars facit vitium, nunc illa. Tyros aliquando infamis ruinis fuit. Aſia duodecim urbes ſimul perdidit. [9] Anno priore Achaiam & Macedoniam, quæcumque eſt iſta vis mali quæ incurrit; nunc Campaniam læſit. Circuit fatum, & ſi quid diu præterit, repetit. Quædam rarius ſolicitat, ſæpius quædam. Nihil immune eſſe & innoxium ſinit. Non homines tantum, qui brevis & caduca res naſcimur; urbes oræque terrarum & littora, & ipſum mare in ſervitutem fati venit. [10] Quo ergo nobis permanſura promittimus bona fortunæ; & felicitatem, cujus ex omnibus rebus humanis velociſſima eſt levitas habituram in aliquo pondus ac moram credimus? Perpetua ſibi omnia promittentibus in mentem non venit, idipſum, ſupra quod ſtamus, ſtabile non eſſe. [11] Neque enim Campaniæ iſtud aut Achaiæ, ſed omnis ſoli vitium eſt, male cohærere, & ex cauſſis pluribus reſolvi; & ſumma manere, partibus ruere.

CAP. II. Quid ago? Solatium adverſus pericula dare promiſeram: ecce undique timenda denuntio. Nego quidquam eſſe quietis æternæ: quod & perire non poſſit, & perdere. Ego vero hoc ipſum ſolatii loco pono, & quidem valentiſſimi: quandoquidem ſine remedio timor ſtultus eſt. ratio terrorem prudentibus excutit: imperitis fit magna ex deſperatione ſecuritas. Hoc itaque generi humano dictum

9 *Anno priore Achaiam & Macedoniam*] Et ſic è ſuis Fortunatus. Omnes cæteri, ut & editi: *in Achaia & Macedonia*. Scribe, & diſtingue: *Anno priore in Achaiam & Macedoniam, quacunque eſt iſta vis mali, qua incurrit; nunc Campaniam læſit*. Gronovius.

10 *Nos tamen nobis permanſura*] Lego iterum cum Britannico: *Quo ergo nobis promittimus permanſura bona fortunæ* &c. *habituram in aliquo moram ac pondus credimus? Perpetua ſibi omnia*. Idem.

11 *Neque enim Campania iſtud aut Achaia*] Quamquam pergant tacere alii, omnibus tamen obduco unum Britannicum, in quo eſt: *Neque Campaniæ, neque Tyri, nec Achaiæ, ſed omnis ſoli vitium hoc eſt, male cohærere*. Idem.

dictum puta, quod illis ſubita captivitate inter ignes & hoſtem ſtupentibus dictum eſt,

Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Si vultis nihil timere, cogitate omnia eſſe timenda: circumſpicite quam levibus cauſſis diſcutiamur. Non cibus nobis, non humor, non vigilia, non ſomnus, ſine menſura quadam ſalubria ſunt. Jam intelligitis [1] nugatoria nos eſſe corpuſcula, & imbecilla, fluida, non magna molitione perdenda. Sine dubio id unum periculi ſatis eſſet, quod tremunt terræ, quod ſubito diſſipantur, ac ſuperpoſita diducunt. Magni ſe æſtimat, qui fulmina & motus terrarum hiatuſque formidat: vult ille imbecillitatis ſuæ ſibi conſcius timere pituitam? ita videlicet nati ſumus, tam felicia ſortiti membra, & in hanc magnitudinem crevimus, & ob hoc niſi mundi partibus motis, niſi cælum intonuerit, niſi terra ſubſederit, perire non poſſumus. Unguiculi nos, & ne totius quidem dolor, ſed aliqua à latere ejus ſciſſura conficit: & ego timeam terras trementes, quem craſſior ſaliva ſuffocat? Ego extimeſcam emotum ſedibus ſuis mare, & ne æſtus, majore quam ſolet curſu, plus aquarum trahens ſuperveniat, cum quoſdam ſtrangulaverit potio, male lapſa per fauces? Quam ſtultum eſt, mare horrere: cum ſcias, ſtillicidio perire te poſſe? Nullum eſt majus ſolatium mortis, quam ipſa mortalitas. nullum autem omnium iſtorum quæ extrinſecus terrent, quam quod innumerabilia pericula in ipſo ſinu ſunt. Quid enim dementius, quam ad toni-

CAP. II. 1 *Nugatoria eſſe noſtra & imbecilla corpuſcula*] Ocius reforma cum optimis membranis: *Jam intelligetis nugatoria nos eſſe corpuſcula & imbecilla, fluida* &c. Homines perverſe religioſi, quibus diſplicebat totum hominem vocari corpus, mutarunt. Nos in talibus, quid Seneca crediderit, aut dixerit, non quid credendum ſit nobis, diſcimus. Tu illum agnoſce Conſol. ad Marciam, cap. 11. *Mortalis nata es, mortales peperiſti; putre ipſa fluidumque corpus, & cauſis morbiſque repetita, ſperaſti tam imbecilla materia ſolida & æterna geſtaſſe.* Et mox: *Quid eſt homo? imbecillum corpus & fragile, nudum, ſuapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum.* Epiſt. 89. *Cum multa ædificaveritis, cum ingentia; tamen & ſingula corpora eſtis & parvula.* Gronovius.

2 *Illam*

tonitrua ſuccidere, & ſub terram correpere fulminum metu? Quid ſtultius, quam timere nutationem aut ſubitos montium lapſus, irruptiones maris extra littus ejecti, cum mors ubique præſto ſit, & undique occurrat; nihilque ſit tam exiguum, quod non in perniciem generis humani ſatis valeat? Adeo non debent nos iſta confundere, tamquam plus in ſe mali habeant, quam vulgaris mors: ut contra, cum ſit neceſſarium è vita exire, & aliquando emittere animam, majore perire ratione juvet. Neceſſe eſt mori ubicumque, quandoque. Stet licet iſta humus, & ſe teneat ſuis finibus, nec ulla jactetur injuria: ſupra me quandoque erit. Intereſt ergo, [z] illam ego mihi, an ipſa ſe mihi imponat? Diducitur ingenti potentia neſcio cujus mali: rumpitur, & me in immenſam altitudinem abducit. Quid porro? Mors levior in plano eſt? Quid habeo quod querar, ſi rerum natura non vult me jacere in ignobili loco? ſi mihi injicit ſui partem? Egregie Vagellius meus in illo inclyto carmine:

Si cadendum eſt, inquit, *mihi, cœlo cecidiſſe velim.*

Idem licet dicere. Si cadendum eſt, cadam orbe concuſſo: non quia fas eſt optare publicam cladem, ſed quia ingens mortis ſolatium eſt, terram quandoque videre mortalem.

CAP. III. Illud quoque proderit præſumere animo, nihil horum deos facere; nec ira numinum, aut cælum concuti, aut terram. Suas iſta cauſſas habent: nec ex imperio ſæviunt, ſed ex quibuſdam vitiis, ut corpora noſtra, turbantur: & tunc, cum facere videntur injuriam, accipiunt. Nobis autem ignorantibus verum, omnia terribilia ſunt, utpote quorum metum raritas auget. Levius accidunt familiaria: ex inſolito formido eſt major. Quare autem quidquam nobis inſolitum eſt? quia naturam oculis, non ratione comprehendimus: nec cogitamus, quid illa facere poſſit, ſed tantum quid fecerit. Damus itaque hujus negligentiæ

z *Illam ego mihi, an ipſa ſe mihi*] Videtur à mala manu eſſe prius *mihi*. Gronovius.

gentiæ pœnas, tamquam novis territi: cum illa non ſint nova, ſed inſolita. Quid ergo? Non religionem incutit mentibus, & quidem publice, ſive deficere ſol viſus eſt, ſive luna, cujus obſcuratio frequentior, aut parte ſui, aut tota, delituit? longeque magis illæ actæ in tranſverſum faces, & cæli magna pars ardens, & crinita ſidera, & plures ſolis orbes, & ſtellæ per diem viſæ, ſubitique tranſcurſus ignium, multam poſt ſe lucem trahentium? Nihil horum ſine timore miramur: & cum timendi ſit cauſſa, neſcire; non eſt tanti ſcire, ne timeas. Quanto ſatius eſt, cauſſas inquirere, & quidem toto in hoc intentum animo? Neque enim illo quidquam inveniri dignius poteſt, cui ſe non tantum commodet, ſed impendat.

CAP. IV. Quæramus ergo, quid ſit quod terram ab infimo moveat, quid tanti molem ponderis impellat, quid ſit illa valentius, quid tantum onus vi ſua labefactet: cur modo tremat, modo luxata ſubſidat, nunc in partes diviſa diſcedat: & alias intervallum ruinæ ſuæ diu ſervet, alias cito comprimat: nunc amnes magnitudinis notæ convertat introrſus, nunc novos exprimat: aperiat aliquando aquarum calentium venas, aliquando refrigeret: igneſque nonnumquam per aliquod ignotum antea montis aut rupis foramen emittat, aliquando notos & per ſecula nobiles comprimat. Mille miracula movet, faciemque mutat locis, & defert montes, ſubrigit plana, valles extuberat, novas in profundo inſulas erigit. Hæc ex quibus cauſſis accidant, digna res eſt excuti. Quod, inquis, erit pretium operæ? quo nullum majus eſt, noſſe naturam. Neque enim quidquam habet in ſe hujus materiæ tractatio pulcrius, cum multa habeat futura uſui, quam quod hominem magnificentia ſui detinet; nec mercede, ſed miraculo colitur. Inſpiciamus ergo quid ſit, propter quod accidant hæc: quorum eſt adeo mihi dulcis inſpectatio, ut quamvis aliquando de motu terrarum volumen juvenis ediderim, tamen tentare me voluerim, & experiri, an ætas aliquid

Digitized by Google

quid nobis aut ad ſcientiam, aut certe ad diligentiam adjecerit.

CAP. V. Cauſſam, qua terra concutitur, alii in aqua eſſe, alii in ignibus, alii in ipſa terra, alii in ſpiritu putavere: alii in pluribus, alii in omnibus his. Quidam liquere ipſis aliquam ex iſtis cauſſam eſſe dixerunt; ſed non liquere, quæ eſſet. Nunc ſingula perſequamur. Illud ante omnia mihi dicendum eſt, opiniones veteres parum exactas eſſe, & rudes. Circa verum adhuc errabatur. Nova omnia erant primo tentantibus, poſt eadem illa limata ſunt: & ſi quid inventum eſt, illis nihilominus [1] referri debet acceptum. Magni animi res fuit, rerum naturæ latebras dimovere, nec contentum exteriori ejus conſpectu, introſpicere, & in deorum ſecreta deſcendere. Plurimum ad inveniendum contulit, qui ſperavit poſſe reperiri. Cum excuſatione itaque veteres audiendi ſunt. Nulla res conſummata eſt, dum incipit. Nec in hac tantum re omnium maxima atque involutiſſima, in qua etiam cum multum actum erit, omnis tamen ætas quod agat, inveniet; ſed in omni alio negotio, longe ſemper à perfecto fuere principia.

CAP. VI. In aqua cauſſam eſſe, nec ab uno dictum eſt, nec uno modo. Thales Mileſius totam terram ſubjecto judicat humore portari & innatare: ſive illud oceanum vocas, ſive magnum mare, ſive alterius naturæ ſimplicem adhuc aquam & humidum elementum. Hac, inquit, unda ſuſtinetur orbis, velut aliquod grande navigium & grave his aquis quas premit. Supervacuum eſt reddere cauſſas, propter quas exiſtimat, graviſſimam partem mundi non poſſe ſpiritu tam tenui fugacique geſtari: non enim nunc de ſitu terrarum, ſed de motu agitur. Illud argumenti loco ponit, aquas eſſe in cauſſa, quibus hic orbis agitatur, quod

CAP. V. 1 *Referri debet acceptum*] Brit. *in accepto.* Cicero lib. 1 in Verrem: *negabat opus in acceptum referre poſſe.* Et mox: *ſi in acceptum non retuliſſet, putabat ſe aliquid defenſionis habiturum.* Paradoxis: *Hoc tamen opus in acceptum ut referas, nihil poſtulo.* Sic prorſus & nos in opt. membranis ſcriptum vidimus. *Idem.*

quod in omni majore motu erumpunt fere novi fontes: ſicut in navigiis quoque evenit, ut ſi inclinata ſunt, & abiere in latus, aquam ſorbeant; quæ in omni onere eorum quæ vehit, ſi immodice depreſſa ſunt, aut ſuperfunditur, aut certe dextra ſiniſtraque ſolito magis ſurgit. Hanc opinionem falſam eſſe, non eſt diu colligendum. Nam ſi terram aqua ſuſtineret, tota aliquando concuteretur, ſemper moveretur: nec agitari illam miraremur, ſed manere. Tum tota concuteretur, non ex parte: numquam enim navis dimidia jactatur. nunc vero non terrarum univerſarum, ſed ex parte motus eſt. Quomodo ergo fieri poteſt, ut quod totum vehitur, totum non agitetur, ſi id quo vehitur, agitatum eſt? At quare aquæ erumpunt? Primum omnium ſæpe tremuit terra, & nihil humoris novi fluxit. Deinde ſi ex hac cauſſa unda prorumperet, à lateribus terræ circumfunderetur: ſicut in fluminibus ac mari videmus accidere, ut incrementum aquarum, quotiens navigia deſidunt, in lateribus maxime appareat. Ad ultimum non tam exigua fieret quam dicit eruptio, nec velut per rimam ſentina ſubreperet, ſed fieret ingens inundatio, ut ex infinito liquore, & ferente univerſa.

CAP. VII. Quidam motum terrarum aquæ imputavere: ſed non ex eadem cauſſa. Per omnem, inquiunt, terram, multa quarum genera decurrunt. Alicubi perpetui amnes, quorum navigabilis etiam ſine adjutorio imbrium magnitudo eſt. Hinc Nilus per æſtatem ingentes aquas invehit: hinc qui medius inter pacata & hoſtilia fluit, Danubius ac Rhenus, alter Sarmaticos impetus cohibens, & [1] Europam Aſiamque diſterminans, alter Germanos, avidam

CAP. VII. 1 *Europam Aſiamque diſterminans*] Quis non jure miretur (niſi hæc verba aliena & adulterina ſint) Senecam in tanta notitia contra omnium opiniones, veritatemque ipſam Danubium Aſiæ Europæque terminum ſtatuere: quas Tanaim dividere certum eſt? mari enim Mediterraneo & Tanai Niloque univerſum terrarum orbem in tres partes dividi certiſſimum eſt. Mare Europam ab Africa diſpeſcit, Africam ab Aſia Nilus, ex adverſo latere Aſiam ab Europa Tanais. Lucanus lib. 3.

— qua

dam gentem belli, repellens. Adjice nunc patentiſſimos lacus, & ſtagna populis inter ſe ignotis circumdata, & inluctabiles navigio paludes, nec ipſis quidem inter ſe pervias, quibus incoluntur. Deinde tot fontes, tot capita fluminum, ſubitos, & ex occulto amnes vomentia. Tot deinde ad tempus collectos torrentium impetus: quorum vires quam repentinæ, tam breves. Omnis hæc aquarum, etiam intra terram, natura facieſque eſt. Illic quoque aliæ vaſto curſu deferuntur, & in præceps volutæ cadunt: aliæ languidiores in vadis refunduntnr, & leniter ac quiete fluunt. Quis autem neget, vaſtis illas receptaculis concipi, & ceſſare multis inertes locis? Non eſt diu probandum, ibi multas aquas eſſe, ubi omnes ſunt. Neque enim ſufficeret tellus ad tot flumina edenda, niſi ex repoſito multoque funderet. Si hoc verum eſt, neceſſe eſt aliquando illic amnis excreſcat, & relictis ripis violentus in obſtantia incurrat. Sic fiet motus alicujus partis, in quam flumen impetum dedit, & quam donec decreſcat verberabit. Poteſt fieri, ut aliquam regionem rivus affluens exedat, ac ſecum trahat aliquam molem: qua lapſa, ſuperpoſita quatiantur. Jam vero nimis oculis permittit, nec ultra illos ſcit producere animum, qui non credit eſſe in abſcondito terræ ſinus maris vaſti. Nec enim video, quid prohibeat vel obſtet, quo minus illic habeatur aliquod etiam in abſcondito littus, & per occultos aditus receptum mare, quod illic quoque tantumdem loci tenet, aut fortaſſis hoc amplius, quod ſuperiora cum tot animalibus erant dividenda: abſtruſa enim, & ſine poſſeſſore deſerta, liberius undis vacant. Quas quis vetat illic fluctuare, & ventis, quos omne intervallum terrarum, & omnis aër creat, impelli? Poteſt ergo major ſolito exorta tempeſtas aliquam partem terrarum impulſam vehementius movere. Nam apud nos quoque multa, quæ procul à mari fuerant, ſubito

—— qua vertice lapſus
Riphæo Tanais diverſi nomina mundi
Impoſuit ripis Aſiaque & terminus idem
Europæ & media dirimens confinia terræ.

bito ejus acceſſu vapulavere; & villas in conſpectu collocatas, fluctus, qui longe audiebatur, invaſit. Illic quoque poteſt accedere ac decedere pelagus infernum: quorum neutrum fit ſine motu ſuperſtantium.

Cap. VIII. Non quidem exiſtimo diu te hæſitaturum, an credas eſſe ſubterraneos amnes & mare abſconditum. [1] Unde enim iſta prorumpunt, unde ad nos veniunt, niſi quod origo humoris incluſa eſt? Age, cum vides interruptum Tigrim in medio itineris ſiccari, & non univerſum averti, ſed paulatim, non apparentibus damnis, minui primum, deinde conſumi: quo illum putas abire niſi in obſcura terrarum; utique cum videas emergere iterum, non minorem eo qui prior fluxerat? Quid cum vides Alpheum, celebratum poëtis, in Achaia mergi, & in Sicilia rurſus transjecto mari effundere amœniſſimum fontem Arethuſam? Neſcis autem, inter opiniones, quibus narratur Nili æſtiva inundatio, & hanc eſſe, à terra illum erumpere, & augeri non ſupernis aquis, ſed ex intimo redditis? Ego quidem centuriones duos, quos Nero Cæſar, ut aliarum virtutum, ita veritatis in primis amantiſſimus, ad inveſtigandum caput Nili miſerat, audivi narrantes, longum illos iter peregiſſe, cum à Rege Æthiopiæ inſtructi auxilio, commendatique proximis regibus, penetraſſent: [2] Ad ulteriora quidem, aiebant, pervenimus, ad immenſas paludes,

Cap. VIII. 1 *Unde enim iſta prorumpunt*] Britannicus ſuavius: *prorepunt*. Varro lib. 3 de re ruſt. cap. 8. *In hoc tectam aquam venire oportet per fiſtulam, & eam potius per canales anguſtos ſerpere.* Columella, 1, 5. *Deterrima paluſtris, quæ pigro lapſu repit.* Idem, lib. 2, 17. *Aut ſi quis eam ſupervenit humor, lente prorepit.* Et 3, 18. *irrepentibus aquis, prædictiſque animalibus.* Claudianus, de nuptiis Honorii & Mariæ: *Tardaque ſudanti prorepunt balſama ligno.* Ubi pari vitio quidam libri *prorumpunt*. Idem verbum reſtituendum Valerio Maximo, lib. 5. cap. 6. *Namque in capite ejus ſubito veluti cornua erepſerunt.* Ita optimi libri; non *eruperſerunt*, *eruperunt*, *erexerunt*, ut libri corrupti & cum illis docti voluere. *Gronovius.*

2 *Ad ulteriora quidem, aiebant*] Potius legi placet: *longum illos iter peregiſſe, cum à rege Æthiopiæ inſtructi auxilio, commendatique proximis regibus penetraſſent ad ulteriora. Qui, dein, aiebant, pervenimus ad immenſas paludes.* Et ſtatim: *ita implicitæ aquis herbæ ſunt, & herbis aquæ*, Idem.

Cap.

Digitized by Google

ludes, quarum exitum nec incolæ noverant, nec ſperare quiſquam poteſt, ita implicitæ aquis herbæ ſunt, & aquæ nec pediti eluctabiles, nec navigio, quod niſi parvum & unius capax, limoſa & obſita palus non ferat. Ibi, inquit, vidimus duas petras, ex quibus ingens vis fluminis excidebat. Sed ſive caput illa, ſive acceſſio eſt Nili, ſive tunc naſcitur, ſive in terras ex priore recepta curſu redit: nonne tu credis, illam, quidquid eſt, ex magno terrarum lacu aſcendere? Habeant enim oportet pluribus locis ſparſum humorem, & in imo coactum, ut eructare tanto impetu poſſint.

CAP. IX. Ignem cauſſam motus quidam, & quidem non eamdem judicant. Imprimis Anaxagoras, qui exiſtimat, ſimili pene ex cauſſa & aëra concuti, & terram: cum in inferiore parte ſpiritus craſſum aëra, & in nubes coactum, eadem vi qua apud nos quoque nubila frangi ſolent, rumpit; & ignis ex hoc colliſu nubium, curſuque eliſi aëris, emicuit. Hic ipſe in obvia incurrit, exitum quærens, ac divellit repugnantia: donec per anguſta aut nactus eſt viam exeundi ad cælum, aut vi atque injuria fecit. Alii in igne cauſſam quidem eſſe, ſed non ob hoc, judicant: ſed quia pluribus obrutus locis ardeat, & proxima quæque conſumat. Quæ ſi quando exeſa ceciderint, tunc ſequi motum earum partium, quæ ſubjectis adminiculis deſtitutæ labant, donec corruêre: nullo occurrente, quod onus exciperet. Tunc chaſmata, tunc hiatus vaſti aperiuntur: aut cum diu dubitaverunt, ſuper ea ſe, quæ ſuperſunt ſtantque, componunt. Hoc apud nos quoque videmus accidere, quotiens incendio pars civitatis laborat: cum exuſtæ trabes ſunt, aut corrupta quæ ſuperioribus firmamentum dabant; tunc diu agitata faſtigia concidunt, & tam diu differuntur atque incerta ſunt, donec in ſolido reſederunt.

CAP. X. Anaximenes ait, terram ipſam ſibi eſſe cauſſam motus, nec extrinſecus incurrere quod illam impellat: ſed intra ipſam & ex ipſa quaſdam partes ejus decidere, quas

Digitized by Google

aut humor ſolverit, aut ignis exederit, aut ſpiritus violentia excuſſerit. Sed his quoque ceſſantibus non deeſſe, propter quod aliquid abſcedat aut revellatur. Nam primum omnia vetuſtate labuntur, nec quidquam tutum à ſenectute eſt. Hæc ſolida quoque & magni roboris carpit. Itaque quemadmodum in ædificiis veteribus quædam non percuſſa tamen decidunt, cum plus ponderis habuere quam virium: ita in hoc univerſo terræ corpore evenit, ut partes ejus vetuſtate ſolvantur, ſolutæ cadant, & tremorem ſuperioribus afferant: primum dum abſcedunt (nihil enim utique magnum ſine motu ejus, cui hæſit, abſcinditur) deinde cum deciderunt, ſolido exceptæ reſiliant, pilæ more; quæ cum cecidit exultat, ac ſæpius pellitur, totiens à ſolo in novum impetum miſſa. Si vero in ſtagnantibus aquis delata ſunt, hic ipſe caſus vicina concutit fluctu, quem ſubitum vaſtumque illiſum ex alto pondus ejicit.

CAP. XI. Quidam ignibus quidem aſſignant hunc tremorem, ſed aliter. Nam cum pluribus locis ferveant, neceſſe eſt ingentem vaporem ſine exitu volvant, qui vi ſua ſpiritum intendit: & ſi acrius inſtitit, oppoſita diffundit: ſi vero remiſſior fuit, nihil amplius quam movet. Videmus aquam ſpumare, igne ſubjecto. Quod in hac aqua facit incluſa & anguſta, multo magis illum facere credamus, cum violentus ac vaſtus ingentes aquas excitat. Tunc ille vaporatione inundantium aquarum, quidquid pulſaverit, agitat.

CAP. XII. Spiritum eſſe qui moveat, & plurimis & maximis auctoribus placet. Archelaus antiquitatis diligens, ait ita: Venti in concava terrarum deferuntur: deinde ubi jam omnia ſpatia plena ſunt, & in quantum aër potuit, denſatus eſt, is qui ſupervenit ſpiritus, priorem premit & elidit, ac frequentibus plagis primo cogit, deinde perturbat. Tunc ille quærens locum, [1] omnes anguſtias dimovet, & clauſtra ſua conatur effringere. Sic evenit, ut terræ, ſpiritu luctante,

&

CAP. XII. 1 *Omnes anguſtias dimovet*] Silent alii. Britannicus: *omnia obſtacula dimovet*. Gronovius.

CAP.

& fugam quærente moveantur. Itaque cum terræ motus futurus eſt, præcedit aëris tranquillitas & quies: videlicet, quia vis ſpiritus, quæ concitare ventos ſolet, in inferna ſede detinetur. Nunc quoque cum hic motus in Campania fuit, quamvis hiberno tempore, & inquieto, per ſuperiores dies aër ſtetit. Quid ergo? Numquam flante vento terra concuſſa eſt? Admodum raro duo flavere ſimul venti. Fieri tamen & poteſt, & ſolet. quod ſi recipimus, & conſtat duos ventos rem ſimul gerere: quid ni accidere poſſit, ut alter ſuperiorem aëra agitet, alter inferum?

CAP. XIII. In hac ſententia licet ponas Ariſtotelem, & diſcipulum ejus Theophraſtum, non, ut Græcis viſum eſt, divini, tamen & dulcis eloquii virum, & nitidi ſine labore. Quid utrique placeat, exponam. Semper aliqua evaporatio eſt è terra, quæ modo arida eſt, modo humido mixta. Hæc ab infimo edita, & in quantum potuit, elata, cum ulteriorem locum in quem exeat non habet, retro fertur, atque in ſe revolvitur: dumque rixa ſpiritus reciprocantis jactat obſtantia, & ſive interclusus, ſive per anguſta eniſus eſt, motum ac tumultum ciet. Straton ex eadem ſchola eſt, qui hanc partem philoſophiæ maxime coluit, & rerum naturæ inquiſitor fuit. Hujus tale decretum eſt: Frigidum & calidum ſemper in contraria abeunt, & una eſſe non poſſunt: eo frigidum confluit, unde vis calida diſceſſit: & invicem ibi calidum eſt, unde frigus expulſum eſt. Hoc quod dico verum eſt: ſed utrumque in contrarium agi, ex hoc tibi appareat. Hiberno tempore, cum ſupra terram frigus eſt, calent putei, nec minus ſpecus, atque omnes ſub terra receſſus: quia eo ſe calor contulit, ſuperiora poſſidenti frigori cedens: qui cum in inferiora pervenit, & eo ſe quantum poterat ingeſſit, quo denſior, hoc validior eſt: huic alius ſupervenit, cui neceſſario congregatus ille jam & in anguſtum preſſus, loco cedit. Idem è contrario evenit, cum vis major frigidi illata in cavernis eſt. Quidquid illic calidi latet, frigori cedens abit in anguſtum, & magno impetu agitur:

Digitized by Google

tur: quia non patitur utriuſque natura concordiam, nec in uno moram. Fugiens ergo, & omni modo cupiens excedere, proxima quæque remolitur ac jactat. Ideoque antequam terra moveatur, [1] ſolet mugitus audiri, ventis in abdito tumultuantibus. nec enim aliter poſſet, ut ait noſter Virgilius,

Sub pedibus mugire ſolum, & juga celſa moveri:

niſi hoc eſſet ventorum opus. Vices deinde hujus pugnæ ſunt: deſinit calidi congregatio, ac rurſus eruptio. Tunc frigida compeſcuntur & ſuccedunt, mox futura potentiora. Dum ergo alterna vis curſat, & ultro citroque ſpiritus commeat, concutitur.

CAP. XIV. Sunt qui exiſtiment, ſpiritu quidem, & nulla alia ratione tremere terram, ſed ex alia cauſſa, quam Ariſtoteli placuit. Quid ſit quod ab his dicatur, audi. Corpus noſtrum & ſanguine irrigatur, & ſpiritu, qui per ſua itinera diſcurrit. Habeamus autem quædam anguſtiora animæ receptacula, per quæ nihil amplius quam meat: quædam patentiora, in quibus colligitur, & unde dividitur in partes. Sic hoc totum terrarum omnium corpus, & aquis, quæ vicem ſanguinis tenent, & ventis, quos nihil aliud quis quam animam vocaverit, pervium eſt. Hæc duo alicubi concurrunt. alicubi conſiſtunt. Sed quemadmodum in corpore noſtro, dum bona valetudo eſt, venarum quoque imperturbata mobilitas modum ſervat; ubi aliquid adverſi eſt, micat crebrius, & ſuſpiria atque anhelitus, laborantis ac feſſi ſigna ſunt: ita terræ quoque, dum illis poſitio naturalis eſt, inconcuſſæ manent. Cum aliquid peccatur, tunc velut ægri corporis motus eſt, ſpiritu illo qui modeſtius perfluebat, icto vehementius, & quaſſante venas ſuas: nec, ut illi paulo ante dicebant, quibus animal placet eſſe terram. nam ſi hoc eſt quemadmodum animal, [1] tota vexationem ſentiet. Neque enim in

CAP. XIII. 1 *Solet mugitus audiri*] Trebellius Pollio auctor eſt, *imperante Gallieno auditum tonitru, terra mugiente, non Jove tonante: quo motu fabrica multa ſunt devorata, multi terrore mortui.*

CAP. XIV. 1 *Tota vexationem ſentiet*] Britannicus: *tota vexationem ſentiet parem.* Et ſtatim idem, ut & veteres edd. nec non ſcripti quidam apud Gruterum: *Neque enim in nobis febris*

in nobis febris alias partes moratius impellit, ſed per omnes pari æqualitate diſcurrit. Vide ergo, numquid intret in illam ſpiritus ex circumfuſo aëre: qui quamdiu habet exitum, ſine injuria labitur: ſi oſtendit aliquid, & incidit quod viam claudat, tunc oneratur primo infundente ſe à tergo aëre. Deinde per aliquam rimam maligne fugit, & hoc acrius fertur, quo anguſtius. Id ſine pugna non poteſt fieri, nec pugna ſine motu. At ſi nec rimam quidem per quam effluat invenit, conglobatus ille furit, & huc atque illo circumagitur, aliaque dejicit, alia intercidit: cum tenuiſſimus, idemque fortiſſimus, & irrepat quamvis in obſtructa, & quidquid intravit, vi ſua diducat & diſſipet; tunc terra jactatur. Aut enim datura vento locum diſcedit; aut cum dedit, in ipſam, qua illum emiſit, cavernam fundamento ſpoliata conſidit.

CAP. XV. Quidam ita exiſtimant. Terra multis locis perforata eſt, nec tantum primos illos aditus habet, quos velut ſpiramenta ab initio ſui recepit, ſed multos illic caſus impoſuit. Alicubi diduxit, quidquid ſuperne terreni erat, aqua: alia torrentes exedere, illa æſtibus magnis dirupta patuere. Per hæc intervalla intrat ſpiritus: quem ſi incluſit mare, & altius adegit, nec fluctus retro abire permiſit, tunc ille exitu ſimul rédituque præcluſo, volutatur. Et quia

febris alias partes moratius, alias citius impellit. Quod ſi diſplicuit Fortunato & Mureto, patiantur æquo animo Senecæ placuiſſe, quod ipſis diſplicuit. Quam enim cauſam poſſunt reddere ſui faſtidii? Quin elegantiſſimum illud *moratius*, & ei belliſſime opponitur *citius*. Statius in Propemptico Mettii: *Quos tibi currenti praceps ferat Adria mores.* Annon hoc eſt, citum alias & vehementem ac præcipitem Adriam moratius incedere, dum Mettium vehit? Sic & Lucanus lib. 10. de Nilo:

—— *quos inter in alta*
It convalle jam moribus unda receptis.

Annon ait, jam ſtratum planumque fluvium moratius iret? Ovidius 15 Metam.

—— *placare voracis*
Et male morati poteris jejunia ventris.

Qui & ipſe præceps, præcepta non audit, poſcit, appellat, ut alibi Seneca loquitur. Idem vocabulum reſtituendum noſtro, lib. 2 de Clementia, c. 7. *Atqui non alia facies eſt, quieti moratique imperii, quam sereni cæli & nitentis.* Sic enim liber Jureti, & ſic nos quoque ſcriptum vidimus in membrana Voſſiana: ubi ſubdiderunt etiam *moderati*, ut hic *moderatius*. Nempe quicquid vi & cum tumultu repentino fit, antiquis dicitur fieri *ſine more*. Gronovius.

CAP.

quia in rectum non poteſt tendere, quod illi naturale eſt, in ſublime ſe intendit, [1] & terram prementem diverberat.

CAP. XVI. Etiamnum dicendum eſt, quod pleriſque auctoribus placet, & in quod fortaſſe fiet diſceſſio. Non eſſe terram ſine ſpiritu, palam eſt. Non tantum illo dico, quo ſe tenet, ac partes ſui jungit, qui ineſt etiam ſaxis mortuiſque corporibus: ſed illo dico vitali, & vegeto, & alente omnia. Hunc niſi haberet, quomodo tot arbuſtis ſpiritum infunderet, non aliunde viventibus, & tot ſatis? Quemadmodum tam diverſas radices aliter atque aliter in ſe merſas foveret, quaſdam ſumma receptas parte, quaſdam altius tractas, niſi multum haberet animæ, tam multa, tam varia generantis, & hauſtu atque alimento ſuo educantis? Levibus adhuc argumentis ago. Totum hoc cælum, quod igneus æther, mundi ſumma pars, claudit, omnes hæ ſtellæ, quarum iniri non poteſt numerus, omnis hic cæleſtium cœtus, & (ut alia prætercam) hic tam prope à nobis agens curſum ſol omni terrarum ambitu non ſemel major, alimentum ex terreno trahunt, & inter ſe partiuntur: nec ullo alio ſcilicet, quam halitu terrarum ſuſtinentur. Hoc illis alimentum, hic paſtus eſt. Non poſſet autem tam multa, tantaque, & ſeipſa majora, terra nutrire, niſi plena eſſet animæ, quam per diem & noctem ab omnibus partibus ſuis fundit. Fieri enim non poteſt, ut non multum illi ſuperſit, ex qua tantum petitur ac ſumitur: & ad tempus quidem, quod exeat, naſcitur. Nec enim eſſet perennis illi copia ſuffecturi in tot cæleſtia ſpiritus, niſi invicem iſta excurrerent, & in aliud alia ſolverentur. Sed tamen neceſſe eſt abundet ac plena ſit, & ex condito proferat. Non eſt ergo dubium, quin multum ſpiritus interlateat, & cæca ſub terra ſpatia aër latus obtineat. Quod ſi verum eſt, neceſſe eſt id ſæpe moveatur, quod re mobiliſſima plenum eſt. Numquid enim

CAP. XV. 1 *Et terram prementem reverberat*] Britannicus perinde ac Memmianus: *diverberat*. Id quod etiam Nic. firmat cum exhibet, *deverberat*. Gronovius.

CAP.

enim dubium eſſe poteſt cuiquam, quin nihil ſit tam inquietum quam aër, & tam verſabile & agitatione gaudens?

CAP. XVII. Sequitur ergo, ut naturam ſuam exerceat, & quod ſemper moveri vult, aliquando & alia moveat. Id quando fit? Quando illi curſus interdictus eſt. Nam quamdiu non impeditur, placide fluit: cum offenditur & retinetur, inſanit, & moras ſuas abrumpit, non aliter, quam ille

—— *pontem indignatus Araxes.*

Quamdiu illi facilis & liber eſt alveus, primas quaſque aquas explicat. Ubi ſaxa manu vel caſu illata preſſere venientem, tunc impetum mora quærit: & quo plura oppoſita ſunt, plus invenit virium. Omnis enim illa unda quæ à tergo ſupervenit, & in ſe creſcit, cum onus ſuum ſuſtinere non potuit, vim ruina parat, & prona cum ipſis quæ objacebant fugit. Idem ſpiritu fit: qui quo valentior agiliorque eſt, citius rapitur, & vehementius ſeptus omnes diſturbat. Ex quo motus fit ſcilicet ejus partis, ſub qua pugnatum eſt. Quod dicitur, verum eſſe ex illo probatur: ſæpe enim cum terræ motus fuit, ſi modo pars ejus aliqua dirupta eſt, inde ventus per multos dies fluxit: ut traditur factum eo terræmotu, quo Chalcis laboravit: quod apud Aſclepiodotum invenies, auditorem Poſidonii, in ipſis quæſtionum naturalium cauſſis. Invenies & apud alios auctores, hiaſſe uno loco terram, & inde non exiguo tempore ſpiraſſe ventum: qui ſcilicet illud iter ipſe ſibi fecerat, per quod ferebatur.

CAP. XVIII. Maxima ergo cauſſa eſt, propter quam terra moveatur, ſpiritus natura citus, & locum è loco mutans. Hic quamdiu non impellitur, & in vacanti ſpatio latet, jacet innoxius, nec circumjectis moleſtus eſt. Ubi illum extrinſecus ſuperveniens cauſſa ſolicitat, compellitque & in arctum agit, ſcilicet adhuc cedit tantum, & vagatur. [1] Ubi erepta diſcedendi facultas eſt, & undique obſiſtitur, tunc

-- *magno*

CAP. XVIII. 1 *Ubi erepta diſcedenti facultas eſt*] Britannicus: *exemta.* Melius utique. Sic Ovidius libro 1 Faſtor. *Jus tamen exemtum reſtituiſſe ferunt.*

mitto mihi nec eas quidem opiniones præterire, quas improbo: cum ſatius ſit omnium copiam fieri, & quæ improbamus, damnare potius, quam præterire. Quid ergo dicit? Quomodo in dolio cantantis vox, per totum cum quadam diſcuſſione percurrit ac reſonat, & tam leviter mota, tamen circuit, non ſine tactu ejus tumultuque, quo incluſa eſt: ſic ſpeluncarum ſub terra pendentium vaſtitas habet aëra ſuum; quem ſimul alius ſuperne incidens percuſſit, agitat non aliter, quam illa de quibus paulo ante retuli, inania indito clamore ſonuerunt.

CAP. XX. Veniamus nunc ad eos, qui omnia iſta quæ retuli, in cauſſa eſſe dixerunt, aut ex his plura. Democritus plura putat. Ait enim, motum aliquando ſpiritu fieri, aliquando aqua, aliquando utroque: & id hoc modo proſequitur. Aliqua pars terræ concava eſt, & in hanc aquæ magna vis confluit. Ex hac eſt aliquid tenue, & ceteris liquidius. Hoc cum ſuperveniente gravitate rejectum eſt, terris illiditur, & illas movet. Nec enim fluctuari poteſt ſine motu ejus, in quod impingitur. Etiamnum quod modo de ſpiritu dicebamus, de aqua quoque dicendum eſt. Ubi in unum locum congeſta eſt, & capere ſe deſiit, aliquo incumbit, & primo viam pondere aperit, deinde impetu. [1] Nec enim exire niſi per devexum poteſt, diu incluſa; nec in directum cadere moderate, aut ſine concuſſione eorum, per quæ & in quæ cadit. Si vero cum jam rapi cœperit, aliquo loco ſubſtitit, & illa vis fluminis in ſe revoluta eſt, [2] in occurrentem terram repellitur, & illam, qua parte maxime pendet, exagitat. Præterea aliquando madefacta tellus, liquore penitus accepto altius ſidit, & fundus ipſe vitiatur: tunc ea pars premitur, in quam maxime aquarum vergen-

CAP. XX. 1 *Non enim exire niſi per devexum poteſt*] Abundare videtur τὸ *niſi*. Gronovius.

2 *In continentem terram repellitur*] Britann. Memm. Nic. *concurrentem*. Lege: *occurrentem*, id eſt, obſtantem, obviam ſibi. Statim iidem cum Pall. & edd. vetuſtis: *qua parte maxime pendet*. Quod non debuit mutare Pincianus. Hoc eſt enim, qua ſe pondere ſuo inclinavit, & devexum fecit, quod ante dixerat. *Idem*.

vergentium pondus inclinat. Spiritus vero nonnumquam impellit undas; & ſi vehementius inſtitit, eam ſcilicet terræ partem movet, in quam coactas aquas intulit. [3] Nonnunquam in terrena itinera conjectus, & exitum quærens, movet omnia: terra autem penetrabilis ventis eſt, & ſpiritus ſubtilior eſt, quam ut poſſit excludi; & vehementior, quam ut ſuſtineri concitatus ac rapidus. Omnes iſtas eſſe poſſe cauſſas Epicurus ait, pluresque alias tentat: & alios, qui aliquid unum ex iſtis eſſe affirmaverunt, corripit; cum ſit arduum, de iis quæ conjectura ſequenda ſunt, aliquid certi promittere. Ergo, ut ait, poteſt terram movere aqua, ſi partes aliquas eluit, & abraſit, quibus deſiit poſſe extenuatis ſuſtineri, quod integris ferebatur. Poteſt terram movere impreſſio ſpiritus. Fortaſſe enim aër extrinſecus alio intrante aëre agitatur. Fortaſſe aliqua parte ſubito decidente percutitur, & inde motum capit. Fortaſſe aliqua parte terræ velut columnis quibuſdam ac pilis ſuſtinetur: quibus vitiatis ac recedentibus, tremit pondus impoſitum. Fortaſſe calida vis ſpiritus in ignem verſa, & fulmini ſimilis, cum magna ſtrage obſtantium fertur. Fortaſſe paluſtres & jacentes aquas aliquis flatus impellit, & inde aut ictus terram quatit, aut ſpiritus agitatio, ipſo motu creſcens, & ſe incitans, ab imo in ſumma uſque perfertur: nullam tamen illi placet cauſſam motus eſſe majorem, quam ſpiritum.

CAP. XXI. Nobis quoque placet, hunc ſpiritum eſſe, qui tanta poſſit conari, quo nihil eſt in rerum natura potentius, nihil acrius, ſine quo nec illa quidem, quæ vehementiſſima ſunt, valent. Ignem ſpiritus concitat: aquæ, ſi ventum detrahas, inertes ſunt. Tunc demum impetum ſumunt, cum illas agit flatus: qui poteſt diſſipare magna ſpatia

3 *Nonnunquam in coacta itinera conjectus*] Omnes mss. *in terrena itinera conjectus*. Unde Fortunatus conjicit *in arcta itinera*. Quid opus? *Terrena itinera* ſunt ſpiramenta, foramina & fiſtulæ, per quas ſpiritus penetrat in terram, ut ſupra dictum. Spiritus, inquit, non tantum impellendo aquis & cogendo per eas terram quatit, ſed ipſe quandoque per cava terræ diffuſus & exitum non inveniens omnia movet. *Gronovius*.

CAP.

ſpatia terrarum, & novos montes ſubrectos extollere, & inſulas non ante viſas, in medio mari ponere. [1] Theren, & Theraſiam, & hanc noſtræ ætatis inſulam, ſpectantibus nobis in Ægæo mari enatam, quis dubitat, quin in lucem ſpiritus vexerit? Duo genera ſunt (ut Poſidonio placet) quibus movetur terra: utrique nomen eſt proprium. Altera ſuc-

CAP. XXI. 1 *Theram & Theraſiam noſtra ætatis*] Varie tentatus locus ab Eraſmo, Fortunato, Pinciano, Brodeo, Mureto, Fromondo, Petito. Rem noſcas ex Plinio lib. 2. cap. 87. *Claræ jam pridem inſulæ, Delos & Rhodos, memoria produntur enatæ: poſtea minores* &c. *Inter Cycladas Olympiadis CXXXV anno quarto Thera & Theraſia: inter eaſdem poſt annos CXXX Hiera, eademque Automate: & ab ea duobus ſtadiis poſt annos CX in noſtro ævo M. Junio Silano, L. Balbo, Coſſ. a. d. VIII. Idus Julias Thia.* In numeris erratum eſt: nec tantum in tertio, quem tentat Fromondus, verum etiam ſecundo. Non potuit Hiera eſſe enata annó urbis conditæ DCXLVII. quum ex Juſtino & Strabone conſtet, prodiiſſe tempore primi Macedonici belli & Rhodiorum θαλασσοκρατούντων. quod centum plus minus annis antiquius. De hoc videbimus: interim Senecæ opem feremus præſentem. Codex Memmianus: *Therytheraam & hanc noſtra ætatis inſulam ſpectantibus nobis.* Hoc poſtremum omnes ſcripti editique veteres ante Pincianum, qui ingeſſit, *nautis.* Pal. tert. *Theren & Themam & hanc noſtra ætatis inſulam.* Col. *Theren & Therriam hanc noſtra.* Eraſmus ediderat: *Therem & Theream hanc noſtra.* Ex quibus, ut omittam cætera, ſatis apparet verba eſſe corrupta, neque explicanda priuſquam emendentur, & proinde vanam eſſe conjecturam Fromondi, à vetuſtiore illa & vicina Theraſia, hanc novitiam, quæ poſtea Thia dicta fuerit, Theraſiam à Seneca appellatam. Mihi conſideranti apices veterum librorum videtur liquido ſignificari: *Theren, & Theraſiam, & hanc noſtra ætatis inſulam, ſpectantibus nobis in Ægæo mari enatam, quis dubitat, quin in lucem ſpiritus vexerit?* Eadem ratio eſt originis omnium iſtarum: itaquè cauſſa nulla erat, quamobrem priores illas præteriret. Ex compendioſa ſcriptura ſecundæ, *Theräam*, ortæ ſunt varietates iſtæ: *Theram*, *Themam*, *Theream* &c. nam in primæ vocabulo omnes conſentiunt, *Therin*, aut *Therem*, appellando. Tertiam, ut in re omnibus nota, nomine non exprimit. Facillimum foret ex *& hanc*, facere, *& Thiam*, ſed non ſatis eſt cauſſæ, cur à mss. recedamus. Quemadmodum & in illo, *ſpectantibus nobis.* Pincianus putavit ſe operam navare reponendo, *nautis.* Credo, quia apud Juſtinum de Hiera: *cum admiratione navigantium.* Et vero ſimile non erat ipſum Senecam in mari Ægæo vectum, cum inſula naſceretur. At non utique dicit hoc τὸ *nobis*: ſed perinde eſt, quaſi dixiſſet, ſpectantibus hominibus noſtri ſeculi. Sic paſſim loquuntur veteres, & nunc quoque vulgo loquimur, nobis tribuentes, à quo ſinguli, qui loquimur, alieni ſæpe ac remotiſſimi ſumus, cum quorundam noſtræ ætatis hominum id eſſe indicemus. *Gronovius.* Locum hunc, qui etiam in vetuſtis libris mutilus ac depravatus eſt, ita legendum puto, *Inter Theram & Theraſiam, hanc noſtra ætatis inſulam*, &c. Plinius lib. 4. *Thera, cum primum emerſit, Calliſte dicta: ex ea avulſa poſtea Theraſia, atque inter duas enata, mox Automate, eadem Hiera. & in noſtro ævo Thia juxta eandem Hieram nata.* Vide eumdem c. 87. lib. 2. Muretus.

ſucceſſio eſt, cum terra quatitur, & ſurſum ac deorſum movetur: altera inclinatio, qua in latera nutat navigii more. Ego & tertium illud exiſtimo, quod noſtro vocabulo ſignatum eſt: non enim ſine cauſſa tremorem terræ dixere majores, qui utrique diſſimilis eſt. nam nec ſuccutiuntur tunc omnia, [2] nec inclinantur, nec vibrantur. Res minime in hujuſmodi caſu noxia, ſicut longe perniciosior eſt inclinatio concuſſione. Nam niſi celeriter & ex altera parte properabit motus, qui inclinata reſtituat, ruina neceſſario ſequitur. Cum diſſimiles ii motus inter ſe ſint, [3] cauſſæ eorum diverſæ ſunt.

CAP. XXII. Prius ergo de motu quatiente dicamus. Si quando magna onera per vices vehiculorum plurium tracta ſunt, & rotæ majore niſu in ſalebras inciderunt, terram concuti ſenties. Aſclepiodotus tradit, cum petra è latere montis abrupta cecidiſſet, ædificia vicina tremore collapſa. Idem ſub terris fieri poteſt, ut ex his quæ impendent rupibus aliqua reſoluta, magno pondere ac ſono in ſubjacentem cavernam cadat, eo vehementius, quo aut plus ponderis venit, aut altius. Et ſic commovetur omne tectum cavatæ vallis. Nec tantum pondere ſuo abſcindi ſaxa credibile eſt, ſed cum flumina ſupra ferantur, aſſiduus humor commiſſuras lapidis extenuat, & quotidie his ad quæ religatus eſt aufert, & illam (ut ita dicam) cutem qua continetur, abradit. Deinde longa per ævum diminutio uſque eo infirmat illa, quæ quotidie attrivit, ut deſinant eſſe oneri ferendo. Tunc ſaxa vaſti ponderis decidunt, tunc illa præcipitata rupes, quidquid ab imo repercuſſit, [1] non paſſura conſiſtere,

ſonitu

2 *Nec inclinantur nec vibrantur*] Immo, *ſed vibrantur.* Gronovius.

3 *Cauſſæ eorum diverſæ ſunt*] Britannicus: *cauſſæque.* Videtur voluiſſe: *cauſſæ quoque eorum.* Idem.

CAP. XXII. 1 *Non paſſura conſiſtere ſuccutit*] Hæc eſt conjectura Pinciani. Omnes libri ſcripti: *conſiſtere, ſonitu venit, & enere* &c. Verum ne ſic quidem locum purum cenſet Gruterus: & appoſita ex Virgilio præpoſitione integrat verſum Fromondus. Neque hoc opus, & ille fruſtra metuit. Omnia ſana. Illa rupes præcipitata, non paſſura conſiſtere quicquid ab imo illam repercuſſit, venit ſonitu. Æque Latinum ſine præpoſitione, quam propterea recidit auctor. Nam

cur

Digitized by Google

——*ſonitu venit, & ruere omnia viſa repente:*

ut ait Virgilius noſter. Hujus motus ſuccutientis terras hæc erit cauſſa. Ad alteram tranſeo.

CAP. XXIII. Rara terræ natura eſt, multumque habens vacui. per has raritates ſpiritus fertur: qui ubi major influxit, nec emittitur, concutit terram. Hæc placet & aliis, ut paulo ante retuli, cauſſa: ſi quid apud te profectura teſtium turba eſt. Hanc etiam Calliſthenes probat non contemptus vir. Fuit enim illi nobile ingenium, & furibundi regis impatiens. Hoc eſt Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quotiens quis dixerit, Occidit Perſarum multa millia: opponetur, Et Calliſthenem. Quotiens dictum erit, Occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat: opponetur, Et Calliſthenem. Quotiens dictum erit, Omnia oceano tenus vicit, ipſum quoque tentavit novis claſſibus, & imperium ex angulo Thraciæ uſque ad Orientis terminos protulit: dicetur, Sed Calliſthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumque exempla tranſierit, ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit, quam ſcelus Calliſthenes. Hic Calliſthenes in libris, quibus deſcribit quemadmodum Helice Buriſque merſæ ſunt, quis illas caſus in mare, vel in illas mare immiſerit, dicit id quod in priore parte dictum eſt. Spiritus intrat terram per occulta foramina, quemadmodum ubique, ita & ſub mari. Deinde cum eſt obſtructus ille trames, per quem deſcenderat, reditum autem illi à tergo reſiſtens aqua abſtulit, huc & illuc fertur, & ſibi ipſe occurrens terram labefactat. Ideo frequentiſſime mari oppoſita vexantur, & inde Neptuno hæc aſſignata

cur non placet Grutero; *illa præcipitata rupes?* An ita partem rupis & ſaxa vaſti ponderis vocari poſſe non putavit? Vide quæ ad Silvas, c. 53. *Gronovius.*

CAP. XXIII. 1 *Helice Buriſque*] Vocatur & Bura. earum unam hiatu terræ abſorptam, alteram undis obrutam fuiſſe ſcribit Strabo lib. 1. Vide eumdem & lib. 8. & Pauſaniam in Achaïcis, & Plinium c. 91. lib. 2. *Muretus.*

 2 *Quiſ-*

gnata eſt movendi potentia.[2] Quiſquis primas litteras Græcas didicit, ſcit illum apud Homerum ἐννοσίγαιον vocari.

CAP. XXIV. Spiritum eſſe hujus mali cauſſam, & ipſe conſentio: de illo diſputabo, quomodo intret hic ſpiritus: utrum per tenuia foramina, nec oculis comprehenſibilia, an per majora ac patentiora: & utrum ab imo, an etiam per ſumma terrarum. Hoc incredibile eſt. Nam in noſtris quoque corporibus cutis ſpiritum reſpuit: nec eſt illi introitus, niſi per quem trahitur: nec conſiſtere quidem à nobis receptus poteſt, niſi in laxiore corporis parte. Non enim inter nervos pulpaſve, ſed in viſceribus & patulo interioris partis receſſu commoratur. Idem de terra ſuſpicari licet, vel ex hoc, quod motus non in ſummo terræ, circave ſumma eſt, ſed ſubter & ab imo. Hujus indicium eſt, quod altitudinis profundæ maria jactantur, motis ſcilicet his, ſupra quæ fuſa ſunt. Ergo veriſimile eſt, terram ex alto moveri, & illic ſpiritum in cavernis ingentibus concipi. Imo, inquit,[1] ceu cum frigore inhorruimus, tremor ſequitur, ſic terras quoque ſpiritus extrinſecus accidens quaſſat. Quod nullo modo poteſt fieri. Algere enim debet, ut idem illi accidat, quod nobis, quos externa cauſſa in horrorem agit. Accidere autem terræ ſimile quiddam noſtræ affectionis, ſed non ex ſimili cauſſa, conceſſerim. Illam interior & altior injuria debet impellere: cujus rei argumentum vel maximum hoc poteſt eſſe, quod cum vehementi motu adapertum ingenti ruina ſolum eſt, totas non-

2 *Quiſquis primas literas Græcas didicit*] Britannicus & alter Gallicus: *Græcorum*. Utravis vox in dubium venit Opſopœo. Non mihi poſterior, qui meminerim interdum ſic amare Latinos. Plinius, lib. 2. cap. 52. *Tuſcorum literæ novem deos emittere fulmina exiſtimant*. Juſtinus lib. 11. *exemta comitate, quam & Græcorum literis & Macedonum inſtitutis didicerat*. Juvat illud in præfatione Plinii: *Hoc ante me fecit in literis noſtris Valerius Seranus.* Quod nuper ad Livium contra Schottum defendimus. Porro & Britannicus: *ſcit illum apud eos Meſiptone vocari*, ſine mentione Homeri. Apparet autem Græcam vocem eſſe debere Σεισίχθονα. Gronovius.

CAP. XXIV. 1 *Ceu cum frigore inhorruimus*] Lucretius:

Frigus uti noſtros penitus cum venit in artus,
Concutit, invitos cogens tremere atque movere. Muretus.

2 *Thu-*

nonnumquam urbes & recipit hiatus ille, & abſcondit. [2] Thucydides ait, circa Peloponneſiaci belli tempus, Atalantam inſulam aut totam, aut certe maxima ex parte ſuperfuſam. [3] Idem Sidoni accidiſſe, Poſidonio crede. Nec ad hoc teſtibus opus eſt. Meminimus enim, terris interno motu divulſis, loca disjecta, & campos interiſſe. Quod jam dicam, quemadmodum exiſtimem fieri.

CAP. XXV. Cum ſpiritus magnum & vacuum terrarum locum penitus opplevit, cœpitque rixari, & de exitu cogitare; latera ipſa intra quæ latet, ſæpius percutit, ſupra quæ urbes interdum ſitæ ſunt: hæc nonnumquam adeo concutiuntur, ut ædificia ſuperpoſita procumbant: nonnumquam in tantum, ut parietes quibus fertur omne tegimen cavi, decidant in illum ſubtervacantem locum, totæque urbes in immenſam altitudinem vergant. Si velis credere, aiunt aliquando Oſſam Olympo cohæſiſſe, deinde terrarum motu receſſiſſe, & ſciſſam unius magnitudinem montis in duas partes. tunc effugiſſe Peneum, qui paludes quibus laborabat Theſſalia, ſiccavit, abductis in ſe quæ ſine exitu ſtagnaverant aquis. Ladon flumen inter Helim & Megalenpolin medius eſt, quem terrarum motus effudit. Per hoc quid probo? In laxos ſpecus (quid enim aliud appellem loca vacua ſub terris?) ſpiritum convenire. Quod niſi eſſet, magna terrarum ſpatia commoverentur, & una multa titubarent. Nunc exiguæ partes laborant, nec umquam per ducenta milliaria motus extenditur. Ecce hic qui implevit fabulis orbem, non tranſcendit Campaniam. Quid dicam, cum Chalcis tremuit, Thebas ſtetiſſe? [1] cum laboravit

2 *Thucydides ait*] Lib. 3. Atalanta autem inſula eſt in Locris Opuntiis. *Gronovius.*

3 *Idem Sidoni accidiſſe, Poſidonio crede*] Sic Pincianus: at mss. Fortunati *Sidone.* Quod confirmat unus Pall. Cæteri & edd. veteres, *Sidonia.* Juſtin. lib. 11, 10. *Abdolonyinus rex ab Alexandro Sidonia conſtitutus.* Sed ibi quoque mss. *Sidona* vel *Sidone.* Atque hoc poſterius forte utrobique reſtituendum, etſi, *Sidonia*, analogia non careat. *Gronovius.* Hoc ipſum narrat, & auctorem eumdem Poſidonium laudat Strabo lib. 1. *Muretus.*

CAP. XXV. 1 *Cum laboravit Ægium*]

vit Ægium, [1] tam propinquas illi Patras de motu ſolum audiſſe? Illa vaſta concuſſio, quæ duas ſuppreſſit urbes Helicen & Burin, citra Ægium conſtitit. Apparet ergo, in tantum ſpatium motum protendere, quantum illa ſub terris vacantis loci inanitas pateat.

CAP. XXVI. Poteram ad hoc probandum abuti auctoritate magnorum virorum, qui [1] Ægyptum numquam tremuiſſe tradunt. Rationem autem hujus rei hanc reddunt, quod ex limo tota concreverit. Tantum enim ([2] ſi Homero fides eſt) aberat à continenti Pharos, quantum navis diurno curſu metiri plenis lata velis poteſt: ſed continenti admota eſt. Turbidus enim defluens Nilus, multumque ſecum limum trahens, & eum ſubinde apponens prioribus terris, Ægyptum annuo incremento ſemper ultra tulit. Inde pinguis & limoſi ſoli eſt, nec ulla intervalla in ſe habet, ſed [3] crevit in ſolidum areſcente limo: cujus preſſa erat & ſedens ſtructura, cum partes glutinarentur, nec quidquam inane intervenire poterat, cum ſolido liquidum ac molle ſemper accederet. Sed movetur & Ægyptus [4] & Delos, quam Virgilius ſtare juſſit,

Immotamque coli dedit, & contemnere ventos.

Hanc philoſophi quoque, [5] credula natio, dixerunt non moveri

gium] Vere & erudite locum hunc emendavit Pincianus. *Muretus.*

2 *Tam propinquas illi Patras de motu nil il audiſſe*] Elegantiſſime Britannicus: *de motu ſolum audiſſe.* hoc eſt, non etiam eum ſenſiſſe: ſed tantummodo ex narratione & nuntiis percepiſſe. *Gronovius.*

CAP. XXVI. 1 *Ægyptum numquam tremuiſſe tradunt*] Aliam hujus rei cauſſam affert Plinius, cujus hæc verba ſunt, cap. 80. lib. 2. *Ideo Gallia & Ægyptus minime quatiuntur, quoniam hic æſtatis cauſſa obſtat, illic hiems.* Muretus.

2 *Si Homero fides eſt*] Hac de re Homeri verſus ſunt Odyſſeæ lib. 4.

Νῆσος ἔπειτά τις ἔστι πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ,
Αἰγύπτου προπάροιθε. Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι.
Τόσσον ἄνευθ' ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
Ἤνυσεν, ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν. Idem.

3 *Crevit in ſolidum*] *Concrevit*, opinor. Et ſtatim: *areſcente limo, cujus preſſa erat & ſedens ſtructura.* Gronovius.

4 *Et Delos, quam Virgilius ſtare juſſit*] Eleganter quod de Apolline Virgilius dixerat, id ad ipſum Virgilium transtulit. *Muretus.*

5 *Credula natio*] Plerumque enim, non tam, verum ſit aliquid, nec ne ſit, quam

Digitized by Google

moveri [6] auctore Pindaro. [7] Thucydides ait, antea quidem immotam fuiſſe, ſed circa Peloponneſiacum bellum tremuiſſe. Calliſthenes & alio tempore ait hoc accidiſſe: Inter multa, inquit, prodigia, quibus denuntiata eſt duarum urbium Helices & Buris everſio, fuere maxime notabilia columna ignis immenſi, & Delos agitata. Quam ideo ſtabilem videri vult, quia mari impoſita, hăbeat concavas rupes & ſaxa pervia, quæ dent deprehenſo aëri reditum. Ob hoc etiam inſulas eſſe certioris ſoli, urbeſque eo tutiores, quo propius ad mare acceſſerunt. Falſa hæc eſſe: Pompeii & Herculaneum ſenſere. Adjice nunc, quod omnis ora maris obnoxia eſt motibus. Sic Paphos non ſemel corruit, ſic nobilis & huic jam familiaris malo Nicopolis. Cyprum ambit altum mare & agitatur. Tyros & ipſa tam movetur, quam diluitur. Hæ fere cauſſæ redduntur, propter quas tremit terra.

CAP. XXVII. Quædam tamen propria in hoc Campano motu accidiſſe narrantur, quorum ratio reddenda eſt. Aiunt enim ſexcentarum ovium gregem exanimatum in Pompeiana regione. Non eſt quare hoc putes ovibus illis timore accidiſſe. Diximus ſolere poſt magnos terrarum motus peſtilentiam fieri. Nec id mirum eſt: multa enim mortifera in alto latent. At aër ipſe, qui vel terrarum culpa vel pigritia, & æterna nocte torpeſcit, gravis haurientibus eſt: vel corruptus internorum ignium vitio, cum eſt longo ſitu emiſſus, purum hunc liquidumque maculat ac polluit,

quam poſito verum eſſe, cauſſas cur ita fiat, inquirunt. *Muretus.*

6 *Auctore Pindaro*] Locus Pindari apud Pindarum ipſum non exſtat: ſed citatur à Strabone lib. 10. Apud Callimachum quidem in hymno in Delum ita legitur:

Κείνη δ' ἠνεμόεσσα καὶ ἄτρεπτος.

Herodotus tremuiſſe ait Delon, quo tempore Darius in Græciam exercitum duxit: cum prius oraculo ita reſponſum eſſet,

Quinetiam Delon, quamquam eſt immota, movebo. Idem.

7 *Thucydides ait*] Lib. 2. Ἔτι δὲ Δῆλος ἐκινήθη, ὀλίγον πρὸ τούτων, πρότερον οὔπω σεισθεῖσα, ἀφ' οὗ Ἕλληνες μέμνηνται. Plinius lib. 4. *Ipſaque longe clariſſima, Cycladum media, templo Apollinis & mercatu celebrata Delos: quæ diu fluctuata, ut proditur, ſola motum terræ non ſenſit ad M. Varronis ætatem. Mucianus prodidit bis concuſſam.* Idem.

polluit, inſuetumque ducentibus ſpiritum, affert nova genera morborum. Quid, quod aquæ quoque inutiles peſtilenteſque in abdito latent, ut quas numquam uſus exerceat, [1] numquam aura liberior everberet? Craſſæ itaque, & gravi caligine ſempiternaque tectæ, nihil niſi peſtiferum in ſe & corporibus noſtris contrarium habent. Aër quoque qui mixtus eſt illis, quique inter illas paludes jacet, cum emerſit, late vitium ſuum ſpargit, & haurientes necat. Facilius autem pecora ſentiunt, in quæ peſtilentia incurrere ſolet, quo avidiora ſunt: aperto cælo plurimum utuntur, & aquis, quarum maxima in peſtilentia culpa eſt. Oves vero mollioris naturæ, quo propiora terris ferunt capita, correptas eſſe non miror, cum afflatus diri aëris circa ipſam humum exceperint. Nocuiſſet ille & hominibus, ſi major exiiſſet: ſed illum copia aëris ſinceri exſtinxit, antequam ut ab homine poſſet trahi, ſurgeret.

CAP. XXVIII. Multa autem terras habere mortifera, vel ex hoc intellige, quod tot venena naſcuntur, non manu ſparſa, ſed ſponte: ſolo ſcilicet habente, ut boni, ita mali ſemina. Quid, quod pluribus Italiæ locis per quædam foramina peſtilens exhalatur vapor, quem non homini ducere, non feræ tutum eſt? Aves quoque ſi in illum inciderint, antequam cælo meliore leniatur, in ipſo volatu cadunt, liventque corpora, & non aliter quam per vim eliſæ fauces tument. Hic ſpiritus quamdiu terris continetur, tenui foramine fluens, non plus potentiæ habet, quam ut deſpectantia & ultro ſibi illata conficiat. Ubi per ſecula conditis tenebris ac triſtitia loci crevit in vitium, ipſa ingraveſcit mora; pejor, quo ſegnior. Cum autem exitum nactus

CAP. XXVII. 1 *Numquam aura liberior verberet*] Melius Britannicus: *nunquam liberior aura everberet*. Lib. 5. cap. 12. *Spiritus, qui majus deſiderat ſpatium, cum everberatus curſu parum libero incaluit*. Ovidius, lib. 14 Metam. de ardea enaſcente ex urbe combuſta: *Et cineres plauſis everberat alis*. Ibidem quod de conjectura proponit Gruterus, *correptas*, plane legitur in Britannico, non *corruptas*. Gronovius.

CAP. XXVIII. *Hoc pejor, quo ſegnior*] Brito & Pall. cum editione Veneta abdicant alterum pronomen, habentque:

Digitized by Google

nactus eſt, æternum illud umbroſi frigoris malum, & infernam noctem ſolvit, ac regionis noſtræ aëra infuſcat. Vincuntur enim meliora prioribus. Tunc etiam illi ſpiritus purior tranſit in noxium. Inde ſubitæ continuæque mortes, & monſtroſa genera morborum, ut ex novis orta cauſſis. Brevis aut longa clades eſt, prout vitia valuere. Nec prius peſtilentia deſinit, quam ſpiritum illum gravem exercuit laxitas cæli, ventorumque jactatio.

CAP. XXIX. Nam quod aliquot inſanis attonitiſque ſimiles diſcurrere fecit metus, qui excutit mentes, ubi privatus ac modicus eſt: quid ubi publice terret, ubi cadunt urbes, populi opprimuntur, terra concutitur; quid mirum eſt, animos inter dolorem & metum deſtitutos aberraſſe? Non eſt facile, [1] inter magna mala conſipere. Itaque leniſſima fere ingenia in tantum venere formidinis, ut ſibi exciderent. Nemo quidem ſine aliqua jactura ſanitatis expavit; [2] ſimiliſque furenti, quiſquis timet: ſed alios cito timor ſibi reddit, alios vehementius perturbat, & in dementiam transfert. Inde inter bella erravere lymphatici: nec uſquam plura exempla vaticinantium invenies, quam ubi formido mentes religione mixta percuſſit. [3] Statuam diviſam non miror, cum dixerim montes à montibus receſſiſſe, & ipſum diruptum eſſe ab imo ſolum.

Hæc

bentque: *ipſa ingraveſcit mora, pejor quo ſegnior.* Nec melius reddi addito eodem demonſtravimus ad Livium, Lib. 7, 8. *in tantum ſpatium perſeverare turbinem, qui quo major eſt, maturius corrumpitur.* Gronovius.

CAP. XXIX. 1 *Inter magna mala non deſipere*] Ex Gallicis unus: *mala conſpicere:* alter quicum Brito noſter: *mala concipere.* Lege indubitato: *Non eſt facile inter magna mala conſipere.* Exemplum & rei & verbi habes apud Livium, lib. 5. *Romani ex arce plenam hoſtium urbem cernentes, cum alia atque alia nova clades oriretur, non ſolum mentibus conſipere, ſed ne auribus quidem atque oculis ſatis conſtare poterant.* Gellius ex Catone, lib. 7, 3. *Vereri ſe oſtendit, ne Patres gaudio atque lætitia rerum geſtarum proſpere, de ſtatu mentis ſuæ deturbati non conſiperent, neque ad recte intelligendum conſulendumque eſſent idonei.* Ubi par mendum ante Lipſii ſagacitatem. Adde ad lib. de Ira, 3, 13. *Idem.*

2 *Similiſque furenti quiſquis timet*] P. Faber hunc locum Senecæ citat quemadmodum publicatur, quem videat cui cura ſcire an metu perciti ulla ſit voluntas, videatur inquam ad l. 116. de reg. jur. & gratiam habebit pro indicio.

3 *Statuam diviſam non miror*] Britanni-

Digitized by Google

Hæc loca, vi quondam & vaſta convulſa ruina,
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret, venit medio vi pontus, & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit, arvaque & urbes
Littore diductas, anguſto interluit æſtu.

Vides totas regiones à ſuis ſedibus revelli, & trans mare jacere, quod in confinio fuerat: vides & urbium fieri gentiumque diſcidium, cum pars naturæ [4] concitata eſt de ſe, vel aliquod mare ingens ſpiritus impegit, quorum mira, ut ex toto, vis eſt. Quamvis enim parte ſæviat, mundi tamen viribus ſævit. Sic & Hiſpanias à contextu Africæ, mare eripuit. Sic hac inundatione, quam poëtarum maximi celebrant, ab Italia Sicilia reſecta eſt. Aliquanto autem plus impetus habent, quæ ex infimo veniunt. Acriora enim ſunt, in quibus niſus eſt per anguſta. Quantas res ii terrarum tremores, quamque mira ſpectacula ediderint, ſatis dictum eſt.

CAP. XXX. Cur ergo aliquis ad hoc ſtupet, quod æs unius ſtatuæ, ne ſolidum quidem, ſed concavum ac tenue, diruptum eſt; cum fortaſſe in illud ſe ſpiritus, quærens fugam, incluſerit? Illud vero quis neſcit? Diductis ædificia angulis vidimus moveri, iterumque componi. Quædam vero parum aptata poſitu ſuo, & à fabris negligentius ſolutiuſque compoſita, terræmotus ſæpius agitata compegit. Quod ſi totos parietes & totas findit domos, & latera magnarum turrium, quæ ſolida ſunt, ſcindit, & pilas operibus ſubditas diſſipat, quid eſt,

tannicus: *diffuſam.* Forte: *diffiſſam.* Et ſic etiam legendum eſſet capite 1. *& diffiſſas ſtatuas.* Horatius: *diffiſſa rate.* Etſi tolerari etiam poſſit vulgata. *Gronovius.*

4 *Concitata eſt ex ſe vel aliquod*] Hoc Mureti eſt. Fortunati & Opſopœi conatus vide apud Gruterum. Sed ante omnia veterum librorum ductus: ex quibus colligimus: *cum pars naturæ concita eſt de ſe, vel aliquo mare, ignis, ſpiritus impegit.* Quas nonnulli ſingulas, agnoſcit omnes tremoris cauſas. *Aliquo impegit*, ad aliquam terrarum partem offendit, eam obſtantem ſenſit & dimovere conatur. *Idem.*

eſt, quare quiſquam dignum adnotari putet, ſectam eſſe æqualiter ab imo ad caput in partes duas ſtatuam? Quare tamen per plures dies motus fuit? Non deſiit enim aſſidue tremere Campania, clementius quidem, ſed ingenti damno, quia quaſſa quatiebat: quibus ad cadendum male ſtantibus, non erat impelli, ſed agitari. Nondum videlicet ſpiritus omnis exierat, ſed adhuc emiſſa parte majore oberrabat.

CAP. XXXI. Inter argumenta quibus probatur, ſpiritu iſta fieri, non eſt quod dubites & hoc ponere. Cum maximus editus tremor eſt, quo in urbes terraſque ſævitum eſt, non poteſt par illi ſubſequi alius, ſed poſt maximum leves motus ſunt, quia vehementius exitum ventis luctantibus fecit. Reliquiæ deinde reſidui ſpiritus non idem poſſunt, nec illis pugna eſt: cum jam viam invenerint, ſequanturque ea qua prima vis ac maxima evaſit. Hoc quoque dignum memoria judico, ab eruditiſſimo & graviſſimo viro cognitum: forte enim cum hoc evenit, lavabatur. vidiſſe ſe affirmabat in balneo teſſellas, quibus ſolum erat ſtratum, alteram ab altera ſeparari, iterumque committi: & aquam modo recipi in commiſſuras, pavimento recedente; modo, compreſſo, bullire & elidi. Eumdem audivi narrantem, vidiſſe ſe, molles materias mollius crebriuſque tremere, quam natura duras.

CAP. XXXII. Hæc, Lucili virorum optime, quantum ad ipſas cauſſas. Illa nunc quæ ad confirmationem animorum pertinent: quos magis refert noſtra, fortiores fieri, quam doctiores. Sed alterum ſine altero non fit. Non enim aliunde animo venit robur, quam à bonis artibus, quam à contemplatione naturæ. Quem enim non hic ipſe caſus adverſus omnes firmaverit & erexerit? Quid eſt enim cur ego hominem aut feram, quid eſt cur ſagittam aut lanceam tremam? majora me pericula exſpectant. Fluminibus & terris, & magnis naturæ partibus

Digitized by Google

partibus petimur. Ingenti itaque animo mors provocanda eſt, ſive nos æquo vaſtoque impetu aggreditur, ſive quotidiano & vulgari exitu: nihil refert quam minax veniat, quantumque ſit, quod in nos trahat: quod à nobis petit, minimum eſt. Hoc ſenectus à nobis ablatura eſt, hoc auriculæ dolor, hoc in nobis humoris corrupti abundantia, hoc cibus parum obſequens ſtomacho, hoc pes leviter offenſus. Puſilla res eſt hominis anima: ſed ingens res eſt contemptus animæ. Hanc qui contempſerit, ſecurus videbit maria turbari: etiamſi illa omnes excitaverint venti; etiamſi æſtus, aliqua perturbatione mundi, totum in terras verterit oceanum. Securus adſpiciet fulminantis cæli trucem & horridam faciem; frangatur licet cælum, & ignes ſuos in exitium omnium, in primis ſuum, miſceat. Securus adſpiciet ruptis compagibus dehiſcens ſolum. Illa licet inferorum regna retegantur, ſtabit ſuper illam voraginem intrepidus: & fortaſſe quo debet cadere, deſiliet. Quid ad me, quam ſint magna quibus pereo? Ipſum perire non eſt magnum. Proinde ſi volumus eſſe felices, ſi nec hominum, nec deorum, nec rerum timore vexari, ſi deſpicere fortunam ſupervacua promittentem; levia minitantem, ſi volumus tranquille degere, & ipſis diis de felicitate controverſiam facere, anima in expedito eſt habenda. Sive illam inſidiæ, ſive morbi petent, ſive hoſtium gladii, ſive inſularum cadentium fragor, ſive ipſarum ruina terrarum, ſive vaſta vis ignium, urbes agroſque pari clade complexa, cum libet illi, eam accipiat. Quid aliud debeo, quam exeuntem hortari, & cum bonis ominibus emittere: Vade fortiter, vade feliciter. Nihil dubitaveris reddere. Non de re, ſed de tempore eſt quæſtio. Facis quod quandoque faciendum eſt. Nec rogaveris, nec timueris, nec te velut in aliquod malum exiturum tuleris retro. Rerum natura te, quæ genuit, exſpectat, & locus melior ac tutior. Illic non tremunt terræ, nec

inter

inter ſe venti cum magno nubium fragore concurrunt, non incendia regiones urbeſque vaſtant, non naufragiorum totas claſſes ſorbentium metus eſt, non arma contrariis diſpoſita vexillis, & in mutuam perniciem multorum millium par furor, non peſtilentia, & ardentes promiſcue, communes populis cadentibus rogi. Iſtud leve eſt: quid timemus? Grave eſt: potius ſemel incidat, quam ſemper impendeat. Ego autem perire timeam, cum terra ante me pereat, cum iſta quatiantur quæ quatiunt, & in injuriam noſtram non ſine ſua veniunt? Helicen Burinque totas mare accepit: ego de uno corpuſculo timeam? Supra oppida duo navigatur: duo autem, quæ novimus, quæ in noſtram notitiam memoria litteris ſervata perduxit. Quam multa alia aliis locis merſa ſunt? quot populos aut terra in ſe, aut mare incluſit? Ego recuſem mei finem, cum ſciam me ſine fine non eſſe? imo cum ſciam omnia eſſe finita? Ego ultimum ſuſpirium timeam? Quantum potes itaque ipſe te cohortare, Lucili, contra metum mortis. Hic eſt qui nos humiles facit: hic eſt qui ipſam vitam, cui parcit, inquietat ac perdit. Hic omnia iſta dilatat, terrarum motus, & fulmina. Quæ omnia feres conſtanter, ſi cogitaveris nihil intereſſe inter exiguum tempus & longum. Horæ ſunt quas perdimus. Puta dies eſſe, puta menſes, puta annos: [1] perdimus illos, nempe perituros. Quid, oro te, refert, num perveniam ad illos? fluit tempus, & avidiſſimos ſui deſerit. Nec quod futurum eſt, meum eſt, nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo: & magni eſt, modicum fuiſſe. Eleganter Lælius ille ſapiens dicenti cuidam, Sexaginta annos habeo: Hos, inquit, dicis ſexaginta, quos non habes?

CAP. XXXII. 1 *Perdimus illos, nempe perituros*] Britannicus, *perituri ſunt*. Scribe: *perdidimus illos nempe, perdituri*. Si citius moriamur, horæ ſunt quas perdimus. Fac tamen dies eſſe, fac menſes, fac annos: nihil novi eſt: nempe jam ante perdidimus illos (ſive ſit, conſumſimus, ſolum, ſive potius, male conſumſimus) & perdituri ſumus, etiamſi novos nanciſcamur. *Perdimus* eſt à Pinciano, nam ante erat *perdidimus*. Gronovius.

2 *Quod*

bes? Ne ex hoc quidem intelligimus incomprehenſibilis vitæ conditionem & ſortem temporis ſemper alieni, [2] quod annos annumeramus omiſſos. Hoc affigamus animo, hoc nobis ſubinde dicamus: Moriendum eſt. Quando? Quid tua? Mors naturæ lex eſt, mors tributum officiumque mortalium, malorumque omnium remedium eſt. Optabit illam, quiſquis timet. Omnibus omiſſis, hoc unum, Lucili, meditare, ne mortis nomen reformides: effice illam tibi cogitatione multa familiarem: ut ſi ita tulerit, poſſis illi & obviam exire.

L I-

2 *Quod annumeramus omiſſos*] Otioſos, remiſſos & inutiles, inquit Fromondus. Vox admitteret interpretationem, ſi ſententia pateretur & de lectione conſtaret. Sed Veneta & Eraſmi habent *amiſſos*, & ni haberent, reſtituendum eſſet. Hoc eſt argumentum annorum ſemper alienorum, quod etiam computamus, quos non habemus, quia habere deſiimus. *Gron.*

CAP.

Digitized by Google

LIBER SEPTIMUS ET ULTIMUS.

In quo agitur de Cometis.

ARGUMENTUM.

Liber hic totus in Cometarum pertractatione conſumitur, pleraque ab Ariſtotele mutuatus. Sententiam tamen ejus, uti Democriti, Epigenis, Apollonii Myndii, Calliſthenis, Artemidori, Ephori, imo Zenonis ſui refellit: ac tandem in opinionem veterum Chaldæorum diſcedit. Cometam verum ſidus eſſe ex illis æternis, ex altitudine ætheris ingenti in oculos mortalium ſubmitti, deinde rurſum recipi. Motus quidem Cometarum nondum ſatis certos & comprehenſos eſſe, ſed futurum olim auguratur tempus, quo poſteri tam aperta majores ſuos neſciviſſe mirentur. Quædam etiam ex duobus ævi ſui Cometis diſcit, quorum prior ſub Claudio, alter ſub Nerone effulſit. Denique ſolenni more cum vitiis in rixam deſcendit. Non mirum iſta & plura alia neſciri, cum nemo niſi libidini, ganeis, hiſtrionibus & pantomimis ſtudeat, vacuis & deſertis philoſophorum ſcholis.

CAPUT I.

1 NEmo uſque eo tardus, & hebes, & demiſſus in terram eſt, ut ad divina non erigatur, ac tota mente conſurgat: utique ubi novum aliquod è cælo miraculum fulſit. Nam quamdiu ſolita

CAP. I. 1 *Nemo*] De Cometis, quæ propria hujus libri materia eſt, videndus Ariſtoteles cap. 6. & cap. 17. Meteorologicôn. Plinius c. 25. lib. 2. & alii. *Muretus.*

ta decurrunt, magnitudinem rerum conſuetudo ſubducit. Ita enim compoſiti ſumus, ut nos quotidiana, etiamſi admiratione digna ſunt, tranſeant: contra minimarum quoque rerum, ſi inſolitæ prodierunt, ſpectaculum dulce fiat. Hic itaque cœtus aſtrorum, quibus immenſi corporis pulcritudo diſtinguitur, populum non convocat. At [2] cum aliquid ex more mutatum eſt, omnium vultus in cælo eſt. Sol ſpectatorem, niſi cum deficit, non habet. Nemo obſervat lunam, niſi laborantem. Tunc urbes conclamant, tunc pro ſe quiſque ſuperſtitione vana trepidat. Quanto illa majora ſunt, quod ſol totidem (ut ita dicam) gradus, quot dies habet, & annum circuitu ſuo claudit: quod à ſolſtitio ſtatim inclinat, & dat ſpatium noctibus: quod ſidera abſcondit: quod terras, cum tanto major ſit illis, non urit, ſed calorem ſuum intenſionibus ac remiſſionibus temperando fovet: quod lunam numquam implet, niſi adverſam ſibi, nec obſcurat. Hæc tamen non annotamus, quamdiu ordo ſervatur. Si quid turbatum eſt, aut præter conſuetudinem emicuit, ſpectamus, interrogamus, oſtendimus. Adeo naturale eſt, magis nova, quam magna mirari. Idem in Cometis fit. Si rarus & inſolitæ figuræ ignis apparuit, nemo non ſcire quid ſit, cupit: & oblitus aliorum, de adventitio quærit; ignarus, utrum debeat mirari, an timere. Non enim deſunt qui terreant, qui ſignificationes ejus graves prædicent. Sciſcitantur itaque, & cognoſcere volunt, prodigium ſit, an ſidus. At mehercules non aliud quis aut magnificentius quæſierit, aut didicerit utilius, quam de ſtellarum ſiderumque natura: utrum flamma contracta, quod & viſus noſter affirmat, & ipſum ab illis fluens lumen,

2 *Cum aliquid ex more mutatum eſt*] Britannicus: *innovatum eſt*. Cujus illud ſcholion puto. Neque enim *novare* tantum eſt inſtaurare, ſed & mutare; & *nova*, non modo recentia, integra, ſed etiam inſolita. Ovidius 3 Metam. *pariterque novata eſt Et vox & facies.* Manilius, lib. 4. *Scilicet in piſcem ſeſe Cytherea novavit.* Suetonius Domitiano: *Multa etiam in communi rerum uſu novavit.* Tertullianus de Pallio: *Multa & alia hujuſmodi detrimenta habitum orbis novavere, ſituſque movere.* Gronovius.

CAP.

men, & calor inde deſcendens: an non ſint flammei orbes, ſed ſolida quædam terrenaque corpora, quæ per igneos tractus labentia inde ſplendorem trahant, coloremque, non de ſuo clara. In qua opinione magni fuere viri, qui ſidera crediderunt ex duro concreta, & ignem alienum paſcentia. Nam per ſe, inquiunt, flamma diffugeret, niſi aliquid haberet quod teneret, & à quo teneretur, conglobatamque nec ſtabili inditam corpori, profecto jam mundus turbine ſuo diſſipaſſet.

CAP. II. Ad hæc inveſtiganda proderit quærere, num Cometæ ejus conditionis ſint, cujus ſuperiora. Videntur enim cum illis quædam habere communia, ortus & occaſus, ipſam quoque, quamvis ſpargantur & longius exeant, faciem. æque enim ignei ſplendidique ſunt. Itaque ſi omnia terrena ſidera ſunt, his quoque eadem ſors erit. Si vero nihil aliud ſunt quam purus ignis, manentque menſibus ſenis, nec illos converſio mundi ſolvit & velocitas: illa quoque poſſunt & tenui conſtare materia, nec ob hoc diſcuti aſſiduo cæli circumactu. Illo quoque pertinebit hoc excuſſiſſe, ut ſciamus, [1] utrum mundus terra ſtante circumeat, an mundo ſtante terra vertatur. Fuerunt enim qui dicerent, nos eſſe, quos rerum natura neſcientes ferat, nec cæli motu fieri ortus & occaſus, [2] ſed ipſos oriri & occidere. Digna res eſt contemplatione, ut ſciamus in quo rerum ſtatu ſimus:

CAP. II. 1 *Utrum mundus terra ſtante*] Cicero in Academicis: *Hicetas* (ita enim jampridem legendum docui, non ut vulgo, *Nicetas*) *Syracuſius, ut ait Theophraſtus, cælum, ſolem, lunam, ſtellas, ſupera denique omnia ſtare cenſet: neque, præter terram, rem ullam in mundo moveri: quæ cum circum axem ſe ſumma celeritate convertat & torqueat, eadem effici omnia, quæ, ſi, ſtante terra, cælum moveretur. Atque hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrantur, ſed paullo obſcurius.* Laërtius ab aliis hunc, ab aliis Philolaum hujus admirabilis ſententiæ auctorem putari ait. Sed & Heraclides Ponticus, & Ecphantus Pythagoreus idem ſenſiſſe traduntur. *Muretus.*

2 *Sed ipſos oriri & occidere*] Recte alicubi correxiſſe Lipſium ait Fromondus: *ſed ipſos nos oriri.* Ego vero non modo repudio illud *nos*, verum etiam expello τὸ *ſed*. Scripſit enim Seneca: *nec cæli motu fieri ortus & occaſus; ipſos oriri & occidere.* Sic plane membranæ Britannicæ. Quæ allinunt illi, Seneca more ſuo intellecta voluit. Notavimus τὸ *ſed* omiſſum non ſemel: & de utroque ad Livium. *Gronovius.*

Digitized by Google

ſimus: pigerrimam ſortiti, an velociſſimam ſedem: circa nos Deus omnia, an nos agat. Neceſſarium eſt autem, veteres ortus Cometarum habere collectos. Deprehendi enim propter raritatem eorum curſus adhuc non poteſt, nec explorari, an vices ſervent, & illos ad ſuum diem certus ordo producat. Nova hæc cæleſtium obſervatio eſt, & nuper in Græciam invecta.

CAP. III. Democritus quoque, ſubtiliſſimus antiquorum omnium, ſuſpicari ait ſe, plures ſtellas eſſe quæ currant: ſed nec numerum illarum poſuit, nec nomina, nondum comprehenſis quinque ſiderum curſibus. Eudoxus primus ab Ægypto hos motus in Græciam tranſtulit. Hic tamen de Cometis nihil dicit. Ex quo apparet, ne apud Ægyptios quidem, quibus major cæli cura fuit, hanc partem elaboratam. Conon poſtea diligens & ipſe inquiſitor, defectiones quidem ſolis ſervatas ab Ægyptiis collegit, nullam autem mentionem fecit Cometarum: non prætermiſſurus, ſi quid explorati apud illos comperiſſet. Duo certe, qui apud Chaldæos ſtuduiſſe ſe dicunt, Epigenes & Apollonius Myndius,[1] peritiſſimus inſpiciendorum naturalium, inter ſe diſſident. Hic enim ait, Cometas in numero ſtellarum errantium poni à Chaldæis, tenerique curſus eorum. Epigenes contra ait, Chaldæos nihil de Cometis habere comprehenſi, ſed videri illos accendi turbine quodam aëris concitati & intorti.

CAP. IV. Primum ergo, ſi tibi videtur, opiniones hujus ponamus, ac refellamus. Huic videtur plurimum virium habere, ad omnes ſublimium motus, ſtella Saturni. Hæc cum proxima ſigna Marti premit, aut in Lunæ viciniam tranſit, aut in Solis incidit radios, natura ventoſa & frigida contrahit pluribus locis aëra, conglobatque. Deinde ſi radios

CAP. III. 1 *Peritiſſimus inſpiciendorum naturalium*] Schottus legit, *natalium*, ex lib. 2, 32. *quod errorem incutiat peritis natalium.* Puto, bene. Marcus Suaſor. 4. *Qui vero in media ſe, ut prædicant, fatorum miſere pignora, natales inquirunt.* Gronovius.

CAP.

radios Solis aſſumpſit, tonat, fulguratque. Si Martem quoque conſentientem habet, fulminat. Præterea, inquit, aliam materiam habent fulmina, aliam fulgurationes. Aquarum enim & omnis humidi evaporatio, ſplendores tantum cæli citra ictum minaces movet: illa autem calidior ſicciorque terrarum exhalatio, fulmina extundit. Trabes vero & faces, quæ nullo alio inter ſe quam magnitudine diſtant, hoc modo fiunt. Cum humida terrenaque in ſe globus aliquis aëris clauſit, quem turbinem dicimus, quacumque fertur, præbet ſpeciem ignis extenti. Quæ tam diu durat, quamdiu manſit aëris illa complexio, humidi intra ſe terrenique multum vehens.

CAP. V. Ut à proximis mendaciis incipiam, falſum eſt, faces & trabes exprimi turbine. Turbo enim circa terras concipitur ac fertur. Ideoque arbuſta radicitus vellit, & quacumque incubuit, ſolum nudat: ſilvas interim & tecta corripiens, inferior fere nubibus, utique numquam altior. At contra trabes editior cæli pars oſtentat. Ita numquam nubibus obſtiterunt. Præterea turbo omni nube velocior rapitur, & in orbem vertitur. Super iſta velociter deſinit, & ipſe ſe ſua vi rumpit. Trabes autem non tranſcurrunt, nec prætervolant, ut faces, ſed commorantur, & in eadem parte cæli collucent. Charimander quoque, in eo libro quem de Cometis compoſuit, ait, Anaxagoræ viſum grande inſolitumque cælo lumen magnitudine amplæ trabis, & id per multos dies fulſiſſe. Talem effigiem ignis longi fuiſſe, Calliſthenes tradit, antequam Burin & Helicen mare abſconderet. Ariſtoteles ait, non trabem illam, ſed Cometam fuiſſe: ceterum ob nimium ardorem non apparuiſſe ſparſum ignem, ſed procedente tempore cum jam minus flagraret, redditam ſuam Cometæ faciem. In quo igne multa quidem fuerunt digna quæ notarentur: nihil tamen magis, quam quod ut ille fulſit in cælo, ſtatim ſupra Burin & Helicen mare fuit. Numquid ergo Ariſtoteles non illam tantum, ſed omnes trabes Cometas eſſe credebat?

Hanc habet is differentiam, quod iis continuus ignis eſt, ceteris ſparſus. Trabes enim flammam æqualem habent, nec ullo loco intermiſſam aut languidam; in ultimis vero partibus coactam; qualem fuiſſe illam, quam modo retuli, Calliſthenes tradit.

CAP. VI. Duo, inquit Epigenes, Cometarum genera ſunt. Alii ardorem undique effundunt, nec locum mutant: alii in unam partem ignem vagum in modum comæ porrigunt, & ſtellas prætermeant: quales duo ætate noſtra viſi ſunt. Illi priores criniti undique, etiam immoti, humiles fere ſunt, & eiſdem cauſſis quibus trabes faceſque conflantur, & ex intemperie aëris turbidi, multa ſecum arida humidaque terris exhalata verſantis. Poteſt enim ſpiritus per anguſta eliſus accendere ſupra ſe poſitum aëra, plenum alimentis idoneis igni: deinde propellere ex nitido, ne ex aliqua cauſſa refluat rurſus, ac remittatur: deinde iterum proximo die ac ſequentibus conſurgere, & eumdem locum inflammare. Videmus enim ventos per complures dies ad conſtitutum redire. Pluviæ quoque, & alia tempeſtatum genera, ad præſcriptum revertuntur. Ut breviter autem voluntatem ejus exprimam, eadem fere ratione hos fieri Cometas exiſtimat, qua fiunt ignes turbine ejecti. Hoc unum intereſt, quod illi turbines ex ſuperiori parte in terras deprimuntur, hi de terra in ſuperiora elevantur.

CAP. VII. Adverſus hæc multa dicuntur. Primum ſi ventus in cauſſa eſſet, numquam Cometes ſine vento appareret. nunc autem & quietiſſimo aëre apparet. Deinde ſi vento fieret, cum vento caderet: & ſi vento inciperet, creſceret vento; eoque eſſet ardentior, quo ille incitatior. His accedit illud quoque. Ventus multas aëris partes impellit, Cometes in uno loco apparet: ventus in ſublime non pervenit, Cometæ autem viſuntur ſupra quam ventis ire licet. Tranſit deinde ad illos quos ait certiorem habere ſtellarum ſpeciem, qui & procedunt, & ſigna prætereunt. Hos ait ex iiſdem cauſſis fieri, quibus illos, quos dixit humiliores.

Digitized by Google

miliores. hoc tantum intereſſe, quod terrarum exhalationes multa ſecum arida ferentes, celſiorem petant partem, & in editiora cæli aquilone pellantur. Deinde ſi illos aquilo propelleret, ad meridiem ſemper agerentur, quo ventus hic nititur. Atqui varie concurrunt, alii in ortum, alii in occaſum, omnes in flexum: quod iter non daret ventus. Deinde ſi aquilones illos impetus à terris in altum levaret, aliis ventis non orirentur Cometæ. atqui oriuntur.

CAP. VIII. Illam nunc rationem ejus (utraque enim utitur) refellamus. Quidquid humidi aridique terra efflavit, cum in unum coit: ipſa diſcordia corporum, ſpiritum verſat in turbinem. Tunc illa vis venti circumeuntis quidquid intra ſe comprehendit, curſu ſuo accendit, & levat in altum: ac tam diu manet ſplendor ignis expreſſi, quamdiu alimenta ſufficiunt: quibus deſinentibus, & ipſe ſubſidit. Qui hoc dicit, non notat qualis ſit turbinum curſus, & qualis Cometarum. Illorum rapidus ac violentus, & ipſis ventis citatior eſt. [1] Cometarum lenis: & quod per diem & noctem quantum tranſierit, abſcondat. Deinde turbinum motus vagus eſt & disjectus, & (ut Salluſtii utar verbis) verticoſus: Cometarum autem compoſitus, & deſtinatum iter carpens. Num quis noſtrum crederet, aut lunam, aut quinque ſidera rapi vento, aut turbine rotari? Non, ut puto. Quare? quia non eſt illis perturbatus & impotens curſus. Ad Cometas idem transferamus. Non confuſe nec tumultuoſe eunt, ut aliquis credat illos cauſſis turbulentis & inconſtantibus pelli. Deinde etiam vertices iſti comprehendere terrena humidaque & ex humili in altum exprimere poſſent: non tamen ſupra lunam efferrent. Omnis illis uſque in nubilum vis eſt. Cometas autem immixtos ſtellis videmus per ſuperiora labentes. Ergo veriſimile

CAP. VIII. 1 *Cometarum lenis & quod per diem*] Quis non primo adſpectu judicaret legendum? *& quo* &c. *tranſierint, abſcondant.* Vel, *& qui*, ut eſt in Memmiano. Britannicus tamen, *Et per quem, diem noctemque quam tranſieris, abſcondit.* Forte: *quantum tranſierint, abſconditur.* Gronovius.

mile non eſt, in tantum ſpatium perſeverare turbinem: qui quo major eſt, maturius corrumpitur.

CAP. IX. Utrumlibet itaque eligat: aut vis levis tam alte pervenire non poterit, aut magna & concitata citius ipſa ſe franget. Præterea humiliores illi Cometæ ob hoc (ut putant) non exeunt altius, quia plus terreni habent. Gravitas illos ſua in proximo tenet. Atqui neceſſe eſt, his Cometis diuturnioribus & celſioribus, plenior materia ſit. Neque enim diutius apparerent, niſi majoribus nutrimentis ſuſtinerentur. Dicebam modo, non poſſe diu verticem permanere, nec ſupra lunam, aut uſque in ſtellarum locum creſcere. Nempe efficit turbinem, plurium ventorum inter ipſos luctatio. Hæc diu non poteſt eſſe. Nam cum vagus & incertus ſpiritus convolutatus eſt, noviſſime uni vis omnium cedit. Nulla autem tempeſtas magna perdurat. Procellæ quanto plus habent virium, tanto minus temporis. Venti cum ad ſummum venerunt, remittuntur omni violentia. Neceſſe eſt iſta concitatione in exitium ſui tendant. Nemo itaque turbinem toto die vidit, ne hora quidem. Mira velocitas ejus, & mira brevitas eſt. Præterea violentius celeriuſque in terra circaque eam volvitur: quo celſior, eo ſolutior, laxiorque eſt, & ob hoc diffunditur. Adjice nunc, quod etiamſi in ſummum pertenderet, ubi ſideribus iter eſt, utique ab eo motu, qui univerſum trahit, ſolveretur. Quid enim eſt illa converſione mundi citatius? hac omnium ventorum in unum conjecta vis diſſiparetur, & terræ ſolida fortiſque compages, nedum particula aëris torti.

CAP. X. Præterea in alto manere non poteſt ignis turbine illatus, niſi ipſe quoque permaneret turbo. Quid porro tam incredibile eſt, quam in turbine longior mora? Utique motus motu contrario vincitur: habet enim ſuam locus ille vertiginem, quæ rapit cælum,

Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.

Et

Et ut det eis aliquam advocationem, quod fieri nullo modo poteſt: quid de his Cometis dicetur, qui ſenis menſibus apparuerunt? Deinde duo debent eſſe motus eodem loco: alter ille divinus & aſſiduus, ſuum ſine intermiſſione peragens opus: alter novus & recens, & turbine illatus. Neceſſe eſt ergo alter alteri impedimento ſit. Atqui lunaris illa orbita, ceterorumque ſupra lunam meantium motus irrevocabilis eſt: nec hæſitat uſquam, nec reſiſtit, nec dat ullam nobis ſuſpicionem objectæ ſibi moræ. Fidem non habet, turbinem, violentiſſimum & perturbatiſſimum tempeſtatis genus, in medios ſiderum ordines pervenire, & inter diſpoſita ac tranquilla verſari. Credamus ignem circumacto turbine accendi, & hunc expulſum in ſublime, præbere nobis opinionem ſpeciemque ſideris longi. At puto tale eſſe debet, quale eſt id quod ignem efficit. Turbinis autem rotunda facies eſt. In eodem enim veſtigio verſatur, & columnæ modo circumagentis ſe volvitur. Ergo ignem quoque qui incluſus eſt, ſimilem eſſe illi oportet. Atqui longus eſt, & disjectus, minimeque ſimilis in orbem coacto.

CAP. XI. Epigenem relinquamus, & aliorum opiniones perſequamur. Quas antequam exponere incipiam, illud inprimis præſumendum eſt, Cometas non in una parte cæli adſpici, nec in ſignifero tantum orbe, ſed tam in ortu quam in occaſu, frequentiſſime tamen circa Septemtrionem. Forma eis non eſt una. Quamvis enim Græci diſcrimina fecerint eorum quibus in morem barbæ flamma dependet, & eorum qui undique circa ſe velut comam ſpargunt, & eorum quibus fuſus quidem eſt ignis, ſed in verticem tendens: tamen omnes iſti ejuſdem notæ ſunt, Cometæque recte dicuntur. Quorum cum poſt longum tempus appareant formæ, inter ſe eos comparare difficile eſt. Illo ipſo tempore, quo apparent, inter ſpectantes de habitu illorum non convenit: ſed prout cuique acrior acies aut hebetior, ita dicit aut lucidiorem eſſe aut rubicun-

diorem, & crines [1] aut in interiora deductos, aut in latera diviſos. Sed ſive ſint aliquæ differentiæ illorum, ſive non ſint, eadem fiant ratione neceſſe eſt Cometæ. Illud unum conſtare debet, præter ſolitum adſpici novam ſideris faciem, circa ſe diſſipatum ignem trahentis. [2] Quibuſdam antiquorum hæc placet ratio. Cum ex ſtellis errantibus altera ſe alteri applicuit, confuſo in unum duarum lumine, faciem longioris ſideris reddi. Nec hoc tunc tantum evenit, cum ſtella ſtellam attigit, ſed etiam cum appropinquavit. Intervallum enim, quod inter duas eſt, illuſtratur ab utraque inflammaturque, & longum ignem efficit.

CAP. XII. His illud reſpondebimus, certum eſſe numerum ſtellarum mobilium. Solere autem eodem tempore & has apparere, & Cometen. Ex quo manifeſtum fit, non illarum coïtu fieri Cometen, ſed proprium & ſui juris eſſe. Etiamnum frequenter ſtella ſub altioris ſtellæ veſtigium venit: & Saturnus aliquando ſupra Jovem eſt, & Mars Venerem aut Mercurium recta linea deſpicit: nec tamen propter hunc curſum, cum alter alterum ſubit, Cometes fit: alioquin annis omnibus fieret: omnibus enim aliquæ ſtellæ in eodem ſigno ſimul ſunt. Si Cometam faceret ſtella ſtellæ ſuperveniens, momento eſſe deſineret. Summa enim velocitas tranſeuntium eſt: Ideo omnis ſiderum defectio brevis eſt: quia cito illas idem curſus, qui admoverat, abſtrahit. Videmus ſolem & lunam intra exiguum tempus, cum obſcurari cœperint, liberari: quanto celerior debet fieri in ſtellis digreſſio, tanto minoribus? Atqui Cometæ ſenis menſibus manent. quod non accideret, ſi duarum ſtella-

CAP. XI. 1 *Aut in interiora deductos, aut in*]. Britannicus: *aut in interiora demiſſos aut in latera deductos*. Quid eſt tamen *deductos in interiora*? Breves, inquit Fromondus, & veluti circa caput accinctos. Nego, hos Latine dici *deductos*. Quid ſit *deducere crinem*, diximus ad Statium. Quid ergo? Si vulgatum juvare volumus, *reductos* ſcribendum, hoc eſt, interius ſinuatos: de quo uſu verbi ad lib. 6. cap. 1. Sed fortaſſe Britannicus ſignificat: *aut in inferiora demiſſos, aut in latera diductos*. Gronovius.

2 *Quibuſdam antiquorum*] Anaxagoræ & Democriti opinio hæc fuiſſe dicitur. *Muretus*.

Digitized by Google

ſtellarum conventu gignerentur. Illæ enim diu cohærere non poſſunt, & neceſſe eſt illas [1] lex celeritatis ſeparet. Præterea iſta nobis vicina videntur, ceterum intervallis ingentibus diſſident. Quomodo ergo poteſt altera ſtella uſque ad alteram ſtellam ignem mittere, ita ut utraque juncta videatur, cum ſint ingenti regione diductæ? Stellarum, inquit, duarum lumen miſcetur, & præbet unius ſpeciem. Nempe ſic, quemadmodum rubicunda fit nubes ſolis incurſu, quemadmodum veſpertina aut matutina flaveſcunt, [2] quemadmodum alterne arcus ſolis viſitur. Hæc omnia primum magna vi efficiuntur. Sol enim eſt, qui iſta ſuccendit. Stellarum non eſt eadem potentia. Deinde nihil horum, niſi infra lunam in terrarum vicinia naſcitur. Superiora pura & ſincera ſunt, & coloris ſui ſemper. Præterea ſi quid tale accideret; non haberet moram, ſed exſtingueretur cito: ſicut

CAP. XII. *Lex celeritatis ſeparet*] Ita & Eraſmus. At editio Fortunati: *lex cel. ſua ſeparet.* quomodo & Col.& Pal. quart. nam tert. *ſua ſeparet.* Sic Gruterus. Probo ſcripturam Britannici: *& neceſſe eſt, ut illas celeritatis ſua lex ſemper agat*, id eſt promoveat, nuſquam conſiſtere aut morari patiatur. *Gronovius.*

2 *Quemadmodum alterne arcus ſolis viſitur*] Ita Fortunatus emendare putavit: cum lectio vetus, *quemadmodum arcum alterne ſol viſit.* Alia membrana apud Opſopœum: *q. arcus aliter niſi ſole vincitur.* Quomodo etiam Nicot. Cod. Unde eruant alii, quod poſſunt, ego jam hoc eruo, ait Opſopœus: *quemadmodum arcus aliter niſi ſole viſitur.* Ego vero, ſi conjecturæ meæ res ſit, faciam, *q. alterne arcus ſolis pingitur.* Dixit enim ante crepuſculum utrumque flaveſcere: Jam vero Iridem ſolarem alterne pingi: nempe aſpiciens varietatem illam & alternationem colorum, quos adverſo ſole trahit. Hæc eſt obſervatio Fromondi, qui ſenſum pene adſecutus eſt, ſed verba paulo aliter concipi jubet Brito: *arcus alter nec niſi ſole vincitur.* Lege: *quemadmodum arcus alterne, nec niſi ſole, pingitur.* Cujus emendationis fundus eſt caput tertium primi libri. Quod dicit arcum *alterne pingi*, id ſic expreſſit dicto loco: *Hæc inæqualitas alternis lucem umbramque permiſcet, & exprimit illam mirabilem arcus varietatem.* Et mox: *itaque ab illis fulgorem reddi, ab his umbram, & ſic utrinſque intercurſu effici arcum: in quo pars fulgeat, quæ ſolem recipit; pars obſcurior ſit, quæ excluſit, & ex ſe umbram proximis fecit.* Alterum, non pingi arcum *niſi ſole*, hoc eſt, ſole fulgente, cum apparet. ibidem: *At contra arcus in nocte non fit, niſi admodum raro: quia luna non tantum habet virium, ut nubes tranſeat; & illis colorem ſuffundat qualem accipiunt ſole perſtrictæ.* Eſt autem ſcito compendio dictum, *ſole*, ut veteres dicebant, *ludis, gladiatoribus, feriis*, hoc eſt, cum ludi, aut gladiatores darentur, cum id ſpectaculum præberetur, cum feriæ eſſent: per intellectum participii verbi ſubſtantivi. Sic Tacitus, lib. 3. ann. *Cæſar Auguſtus dedit jura, quibus pace & principe uteremur.* Idem.

3 Non

ut coronæ, quæ ſolem lunamve cingunt, intra breviſſimum ſpatium exoleſcunt. Nec arcus quidem diu perſeverat. Si quid eſſet tale, quo medium inter duas ſtellas ſpatium confunderetur, æque cito dilaberetur. Utique non in tantum maneret, quantum morari Cometæ ſolent. Stellis intra Signiferum curſus eſt, hunc gyrum premunt: at Cometæ ubique cernuntur. [3] Non magis certum eſt illis tempus quo appareant, quam locus ullus, ultra quem non exeant.

Cap. XIII. Adverſus hoc ab Artemidoro illa dicuntur, non has tantum ſtellas quinque diſcurrere, ſed ſolas obſervatas eſſe. Ceterum innumerabiles ferri per occultum, aut propter obſcuritatem luminis nobis ignotas, aut propter circulorum poſitionem talem, ut tunc demum, cum ad extremam eorum venere, viſantur. Ergo intercurrunt quædam ſtellæ, ut ait, nobis novæ, quæ lumen ſuum cum ſtantibus miſceant, & majorem quam ſtellis mos eſt, porrigant ignem. hoc ex his quæ mentitur, leviſſimum eſt: tota ejus narratio mundi, mendacium impudens eſt. Nam ſi illi credimus, ſumma cæli ora ſolidiſſima eſt, [1] in modum tecti durata, & alti craſſique corporis, quod atomi congeſtæ coacervatæque fecerunt. Huic proxima ſuperficies eſt ignea, ita compacta, ut ſolvi vitiarique non poſſit. Habet tamen ſpiramenta quædam & quaſi feneſtras, per quas ex parte exteriore mundi influant ignes, non tam magni, ut interiora conturbent. Rurſus ex mundo in exteriora labuntur. Itaque hæc quæ præter conſuetudinem apparent, influxerunt ex illa ultra mundum jacente materia. Solvere iſta quid aliud eſt, quam [2] manum exercere, & in ventum jactare brachia?

Cap.

3 *Non magis certum eſt illis*] Lucufentius Britannicus: *Horum non magis certum eſt illi tempus*. Gronovius.

Cap. XIII. *In modum tecti duratu*] Codex Brit. *in modum teſtei*. Forte, *in modum teſta durata*. Diogenes Laertius: τὸν δ' Ἀναξαγόραν εἰπεῖν, ὡς ὁ ὅλος οὐρανὸς ἐκ λίθων συγκέοιτο. Idem.

2 *Manum exercere & in ventum*, &c.] Gruterus conjicit legendum, *inane exercere*, hoc eſt, ipſum *aëra*. de quo latius lib. 1. cap. 3. Sulpic.

Cap.

. CAP. XIV. Velim tamen mihi dicat iſte, qui mundo tam firma lacunaria impoſuit, quid ſit quare credamus illi tantam eſſe craſſitudinem cæli. Quid fuit, quod illo tam ſolida corpora adduceret, & ibi detineret? Deinde quod tantæ craſſitudinis eſt, neceſſe eſt & magni ponderis ſit. Quomodo ergo in ſummo manent gravia? Quomodo illa moles non deſcendit, & ſe onere ſuo frangit? Fieri enim non poteſt, ut tanta vis ponderis, quantam ille ſubſtituit, pendeat, & levibus innixa ſit. Nec illud quidem poteſt dici, extrinſecus aliqua eſſe retinacula, quibus cadere prohibeatur. nec rurſus de medio aliquid eſſe oppoſiti, quod imminens corpus excipiat ac fulciat. Illud etiamnum nemo dicere audebit, mundum ferri per immenſum, & cadere quidem, ſed non apparere an cadat: quia præcipitatio ejus æterna eſt, nihil habens noviſſimum, in quod incurrat. Hoc quidam de terra dixerunt, cum rationem nullam invenirent, propter quam pondus in aëre ſtaret. Fertur, inquiunt, ſemper: ſed non apparet an cadat, quia infinitum eſt in quod cadit. Quid eſt deinde quo probes, non quinque tantum ſtellas moveri, ſed multas eſſe, & in multis mundi regionibus? Aut ſi hoc ſine ullo probabili argumento licet reſpondere, quid eſt, quare non aliquis aut omnes ſtellas moveri, aut nullam dicat? Præterea nihil te adjuvat iſta ſtellarum paſſim euntium turba. Nam quo plures fuerint, ſæpius in alias incident: rari autem Cometæ, & ob hoc mirabiles ſunt. Quid, quod teſtimonium dicet contra te omnis ætas, quæ talium ſtellarum exortus & annotavit, & poſteris tradidit?

CAP. XV. Poſt mortem Demetrii Syriæ regis, cujus Demetrius & Antiochus liberi fuere; paulo ante Achaicum bellum Cometes effulſit, non minor ſole. Primo igneus ac rubicundus orbis fuit, clarumque lumen emittens, quanto vinceret noctem. Deinde paulatim magnitudo ejus diſtricta eſt, & evanuit claritas. Noviſſime autem totus intercidit. Quot ergo coire ſtellas oportet, ut tantum corpus effi-

efficiant? Mille in unum licet congreges, numquam [1] hunc habitum ſolis æquabunt. Attalo regnante, initio Cometes apparuit modicus. Deinde ſuſtulit ſe diffuditque, & uſque in æquinoctialem circulum venit, ita ut illam plagam cæli, cui lactea nomen eſt, in immenſum extentus æquaret. Quot ergo conveniſſe debent erraticæ, ut tam longum cæli tractum occuparent igne continuo?

Cap. XVI. Contra argumentum dictum eſt: contra teſtes dicendum eſt. Nec magna molitione detrahenda eſt auctoritas Ephoro: hiſtoricus eſt. Quidam incredibilium relatu commendationem parant, & lectorem aliud acturum, ſi per quotidiana duceretur, miraculo excitant. Quidam creduli, quidam negligentes ſunt: quibuſdam mendacium obrepit, quibuſdam placet. Illi non evitant, hi appetunt. Et hoc in commune de tota natione: [1] quæ approbari opus ſuum, & fieri populare non putet poſſe, niſi illud mendacio aſperſit. Ephorus vero non religioſiſſimæ fidei, ſæpe decipitur, ſæpe decipit. Sicut hic Cometen, qui omnium mortalium oculis cuſtoditus eſt, quia ingentis rei traxit eventus, cum Helicen & Burin ortu ſuo merſerit, ait illum diſceſſiſſe in duas ſtellas: quod præter illum nemo tradidit. Quis enim poſſet obſervare illud momentum, quo Cometes ſolutus, & in duas partes redactus eſt? Quomodo autem ſi eſt qui viderit Cometen in duas dirimi, nemo

mo

Cap. XV. 1 *Hunc ambitum ſolis*] Mss. omnes *habitum*. Valerius Maximus, 3, 7. *terræ conditionem, habitum maris, ſiderum motus*. Cap. ſequenti: *totiuſque denique mundi habitum complecti auderent*. Noſter 5, 15. *novam rerum poſitionem, terrarumque pendentium habitus*. Gronovius.

Cap. XVI. 1 *Quæ approbare opus ſuum*] Melius Regius *approbari*. Appuleius lib. 6. Mileſ. *Singulisque granis rite diſpoſitis atque ſejugatis ante iſtam veſperam opus expeditum approbato mihi.* Tranſlatio eſt ab operibus publicis, quæ Cenſores aut magiſtratus populi Romani locabant. Iidem confecta *probabant*: conductores *approbabant*. Itaque hæc duo τῶν πρός τι. Livius, lib. 4. *Cenſores villam publicam in campo Martio probaverunt*. Ovidius, lib. 6. faſtorum, de Hercule Circenſi: *Sulla probavit opus*. Hinc ſæpe Seneca, de Clementia, 1, 13. *Qui potentiam ſuam placide & ſalutariter exercet, approbare imperia ſua civibus cupiens*. Lib. 5 de Benef. 4. *quamdiu tenet voluntatem gratum animum ſignis approbandi*. Lib. 6 de Benef. 25. *aliquid adverſi, in quo affectum memorem accepti beneficii approbent*. Idem.

Cap.

Digitized by Google

mo vidit fieri ex duabus? Quare autem non adjecit, in quas ſtellas diviſus ſit, cum aliqua ex quinque ſtellis eſſe debuerit?

CAP. XVII. Apollonius Myndius in diverſa opinione eſt. Ait enim, Cometen non unum ex multis erraticis effici, ſed multos Cometas erraticos eſſe. [1] Non eſt, inquit, ſpecies falſa, nec duarum ſtellarum confinio ignis extentus: ſed & proprium ſidus Cometes eſt, ſicut ſolis aut lunæ. Talis forma eſt, non in rotundum reſtricta, ſed procerior, & in longum producta. Ceterum non eſt illi palam curſus: altiora mundi ſecat: & tunc demum apparet, cum in imum curſus ſui venit. Nec eſt quod putemus, eumdem viſum eſſe ſub Claudio, quem ſub Auguſto vidimus: nec hunc qui ſub Nerone [2] Cæſare apparuit, & Cometis detraxit infamiam, illi ſimilem fuiſſe, qui poſt necem divi Julii, ludis Veneris genitricis, circa undecimam horam diei emerſit. Multi variique ſunt, diſpares magnitudine, diſſimiles colore: aliis rubor eſt ſine ulla luce: aliis candor, & purum liquidumque lumen: aliis flamma, & hæc non ſincera, nec tenuis, ſed multum circa ſe volvens fumidi ardoris. Cruenti quidam, minaces, [3] qui omen poſt ſe futuri ſanguinis ferunt. hi minuunt augentque lumen ſuum, quemadmodum alia ſidera: quæ clariora, cum deſcendere, ſunt, majoraque ex loco propiore viſuntur, minora, cum redeunt & obſcuriora, quia abducunt ſe longius.

CAP. XVIII. Adverſus hoc protinus reſpondetur, non

CAP. XVII. *Non eſt, inquit, ſpecies falſa*] Scio illud cap. 30. *qui videri volunt cometes non eſſe ordinarium ſidus, ſed falſam ſideris faciem:* non temere tamen eſt quod Brit. *ſpecies fiſſa*. Scilicet, habens intervallum: quod eſſet, ſi duarum ſtellarum confinio decepti oculi noſtri unum ignem putarent, qui duarum eſt, atque adeo inter ſe maxima intercapedine diviſus. *Gronovius.*

2 *Cæſare apparuit, Cometis*] Hiat indecore oratio, niſi ſcribas: *& cometis:* vel, *cometiſque detraxit*. Idem.

3 *Qui omen poſt ſe futuri*] Britannicus: *qui crimen poſt ſe*. Quod foret; quos criminantur tanquam prænuntios cædium & ſanguinis poſtea futuri. Neſcio utrum magis probare debeam. Nam, *præ ſe*, quod in Gallicana membrana inventum, placet Grutero, mihi diſplicet vehementer, nec, *præ ſe ferre omen*, quam bene dicatur, diſputo. *Idem.*

CAP.

non idem accidere in Cometis, quod in ceteris. Cometæ enim quo primum die apparuerint, maximi ſunt. Atqui deberent creſcere, quo propius accederent. Nunc autem manet illis prima facies, donec incipiant exſtingui. Deinde quod adverſus priores, etiam adverſus hunc dicitur: Si erraret Cometes, eſſetque ſidus, intra ſigniferi terminos moveretur, intra quod omne ſidus curſus ſuos colligit. [1] Numquam apparet ſtella per ſtellam. Acies noſtra non poteſt per medium ſidus exire, ut per illud editiora proſpiciat. Per Cometen autem non aliter quam per nubem ulteriora cernuntur: ex quo apparet, illum non eſſe ſidus, ſed levem ignem ac tumultuarium.

CAP. XIX. Zenon noſter in illa ſententia eſt: congruere judicat ſtellas, & radios inter ſe committere: hac ſocietate luminis exſiſtere imaginem ſtellæ longioris. Ergo quidam nullos eſſe Cometas exiſtimant, [1] ſed ſpecies illorum per repercuſſionem vicinorum ſiderum, aut per conjunctionem cohærentium reddi. Quidam aiunt eſſe quidem, ſed habere curſus ſuos, & poſt certa luſtra in conſpectum mortalium exire. Quidam eſſe quidem, ſed non quibus ſiderum nomen imponas: quia dilabuntur, nec diu durant, & exigui temporis mora diſſipantur.

CAP. XX. In hac ſententia ſunt plerique noſtrorum: nec id putant veritati repugnare. Videmus enim, in ſublimi varia ignium concipi genera, & modo cælum ardere, modo

Longos

CAP. XVIII. 1 *Numquam apparet ſtella per ſtellam*] Britannicus: *ſtella ſuper ſtellam.* Et rectius puto. nam alterum ſtatim pro ratione hujus dicturus eſt. Ubi idem: *ut per illud editiora proſpiciat*: non, *ſuperiora*. Præclare profecto, & facile videas hoc illius interpretamentum eſſe. Hoc ipſo libro, cap. 5. *At contra trabes editior cæli pars oſtentat.* Gronovius.

CAP. XIX. 1 *Sed ſpecies illorum per repercuſſionem*] Et hic nihil alii. Britannicus tamen plenius, & credo vere: *ſed ſpeciem illorum terra per repercuſſionem* &c. *reddi. Terra*, intellige iis, qui in terra recipiendæ imagini illius per viſum ſunt habiles. Sic lib. 5. c. 7. *Nullus ex his pertinax eſt, ſed cadit fortiore jam ſole: nec fertur ultra terrarum adſpectum.* Quod bene vindicat Fromondus. *Idem.*

CAP.

Digitized by Google

Longos à tergo flammarum albeſcere tractus,

modo faces cum igne vaſto rapi: jam [1] ipſa fulmina, etſi velocitate mira, ſimul & perſtringunt aciem, & remittunt, ignes ſunt aëris triti, & impetu inter ſe majore colliſi. Ideo ne reſiſtunt quidem, ſed expreſſi fluunt, & protinus pereunt. Alii vero ignes diu manent: nec ante diſcedunt, quam conſumptum eſt omne, quo paſcebantur, alimentum. Hoc loco ſunt illa à Poſidonio ſcripta miracula, columnæ, clypeique flagrantes, aliæque inſigni novitate flammæ: quæ non adverterent animos, ſi ex conſuetudine & lege decurrerent. Ad hæc ſtupent omnes, [2] & repentinum ignem ex alto efferunt, ſive emicuit aliquid & fugit, ſive compreſſo aëre & in ardorem coacto, loco miraculi ſtetit. Quid ergo? Non aliquando lacuna cedentis retro ætheris patuit, & vaſtum in concavo lumen? Exclamare poſſes: Quid eſt hoc?

—— medium video diſcedere cælum,
Palanteſque polo ſtellas. ——

quæ aliquando non exſpectata nocte fulſerunt, & per medium eruperunt diem. Sed alia hujus rei ratio eſt, quare alieno tempore apparent, [3] quas eſſe, etiam cum laterent, conſtat. Multos Cometas non videmus, quod obſcurantur radiis ſolis: quo deficiente, quemdam Cometen apparuiſſe, quem ſol vicinus obtexerat, Poſidonius tradit. Sæpe autem cum occidit ſol, ſparſi ignes non procul ab eo videntur. Videlicet ipſa ſtella ſole perfunditur, & ideo adſpici

CAP. XX. 1 *Ipſa etiam fulmina*] Britannicus: *Jam ipſa fulmina, etſi velocitate mira ſimul & perſtringunt aciem & remittunt, ignes ſunt aëris triti & impetu inter ſe majore colliſi.* Quæ cum lectio ſatisfaciat ſenſui omnibus partibus, & pene eadem exſtet in Codd. Gall. ineptam, quæ vulgo eſt, merito cedere jubemus. *Gronovius.*

2 *Et repentinum ex alto ignem efferunt*] Pall. *omneſque cum repent. ign. ex alto effert.* Lege: *Ad hæc ſtupent omnes, cum quid repentinum ignem ex alto effert.* Statim Brit. *compreſſo aere & in ardorem concreto.* Idem.

3 *Quas eſſe, etiam cum laterent, conſtat*] Habes varias in diverſis libris ſcripturas horum verborum apud Gruterum: ſed omnibus facile potior Britannici: *apparent in aëre, quas eſſe etiam latenter conſtat.* Scribe autem: *latentes.* Idem.

ci non poteſt: [4] Cometæ autem radios ſolis effugiunt.

CAP. XXI. Placet ergo noſtris, Cometas, ſicut faces, ſicut turbas, trabeſque, & alia oſtenta cæli, denſo aëre creari. Ideo circa Septemtrionem frequentiſſime apparent, quia illic plurimum eſt aëris pigri. Quare ergo non ſtat Cometes, ſed procedit? dicam. Ignium modo alimentum ſuum ſequitur. Quamvis enim illi ad ſuperiora niſus eſt: tamen deficiente materia retroiens ipſe deſcendit. In aëre quoque non dexteram lævamque premit partem. Nulla enim illi via eſt: ſed qua illum vena pabuli ſui duxit, illo repit, nec ut ſtella procedit, ſed ut ignis paſcitur. Quare ergo per longum tempus apparet, & non cito exſtinguitur? [1] Sex enim menſibus hic, quem nos [2] Neronis principatu lætiſſimo vidimus, ſpectandum ſe præbuit, in diverſum illi Claudiano circumactus. Ille enim à Septemtrione in verticem ſurgens, Orientem petiit ſemper obſcurior: hic ab eadem parte cœpit, ſed in Occidentem tendens, ad Meridiem flexit, & ibi ſe ſubduxit oculis. Videlicet ille humidiora habuit, & aptiora ignibus, quæ proſecutus eſt: huic rurſus uberior fuit & plenior regio. Huc itaque deſcendunt, invitante materia, non itinere. Quod apparet duobus, quos ſpectavimus, fuiſſe diverſum: cum hic in dextrum motus ſit, ille in ſiniſtrum. Omnibus autem ſtellis in eamdem partem curſus eſt, id eſt, contrarius mundo. Hic enim ab ortu volvitur in occaſum, illæ ab occaſu in ortum eunt. Et ob hoc duplex his motus eſt: ille quo eunt, & hic quo auferuntur.

CAP.

4 *Cometæ autem radios*] Scribe: *Videlicet ipſa ſtella* (cometes) *ſole perfunditur & ideo adſpici non poteſt: coma autem radios ſolis effugiunt.* Hos vult eſſe ipſos illos ignes, qui non procul à ſole videntur. *Gronovius.*

CAP. XXI. 1 *Sex enim menſibus*] Quomodo igitur tuebimur Plinium, cujus hæc verba ſunt? *breviſſimum quo cernerentur ſpatium ſeptem dierum annotatum eſt, longiſſimum octoginta.* Nimirum addenda eſt Plinio una littera C: ut ſit, *C. octoginta.* Totidem enim diebus ſex menſes conſtant. *Muretus.*

2 *Neronis principatu lætiſſimo vidimus*] Corrigunt, *lætiſſimi.* Quaſi non & res *læta* diceremur. Servius ad 1 Georg. *Lætum prout res fuerit, accipimus: ut, lætus homo, id eſt, hilaris: Lætum pecus, id eſt, pingue: lætum legumen, fertile: & ſic in reliquis.* Gronovius.

CAP.

CAP. XXII. Ego noſtris non aſſentior. Non enim exiſtimo Cometen ſubitaneum ignem, ſed inter æterna opera naturæ. Primum [1] quæcumque aër creat, brevia ſunt. Naſcuntur enim in re fugaci & mutabili. Quomodo poteſt enim in aëre aliquid idem diu permanere, cum ipſe aër numquam idem maneat? fluit ſemper, & brevis illi quies eſt. Intra exiguum momentum in alium, quam in quo fuerat, ſtatum vertitur. Nunc pluvius, nunc ſerenus, nunc inter utrumque varius: nubeſque illi familiariſſimæ, in quas coit, & ex quibus ſolvitur, modo congregantur, modo digeruntur: numquam immotæ jacent. Fieri non poteſt, ut ignis certus in corpore vago ſedeat, & ita pertinaciter hæreat, quam quem natura, ne umquam excuteretur, aptavit. Deinde ſi alimento ſuo hæreret, ſemper deſcenderet. Eo enim craſſior aër eſt, quo terris propior: numquam Cometes in imum uſque demittitur, neque appropinquat ſolo. Etiamnum ignis aut it quo illum natura ſua ducit, id eſt, ſurſum: aut eo quo trahit materia, cui adhæſit, & quam depaſcitur.

CAP. XXIII. Nullis ignibus ordinariis & cæleſtibus iter flexum eſt. Sideris proprium eſt, ducere orbem. Atqui hoc an Cometæ alii fecerint, neſcio: duo noſtra ætate fecerunt. Deinde omne quod cauſſa temporalis accendit, cito intercidit. Sic faces ardent, dum tranſeunt: ſic fulmina in unum valent ictum: ſic quæ tranſverſæ dicuntur ſtellæ & cadentes, prætervolant & ſecant aëra. Nullis ignibus niſi in ſuo mora eſt. Illis dico divinis, quos habet mundus æternos, quia partes ejus ſunt, & opera. Hic autem aliquid agunt, & vadunt, & tenorem ſuum ſervant, pareſque ſunt. Nam alternis diebus majores minoreſve fierent, ſi ignis eſſet collectitius, & ex aliqua cauſſa repentinus. Minor enim eſſet ac major, prout plenius aleretur aut malignius.

CAP. XXII. 1 *Quæcumque aër creat, brevia ſunt*] Britann. *creat, habet brevia.* Ut capite ſequenti: *Illis dico, divinis, quos mundus habet æternos.* Salluſtius Catil. *virtus clara æternaque habetur.* Gronovius.

gnius. Dicebam modo, nihil diuturnum eſſe, quod exarſit aëris vitio: nunc amplius adjicio. Morari ac ſtare nullo modo poteſt. Nam & fax & fulmen & ſtella tranſcurrens, & quiſquis alius eſt ignis aëre expreſſus, in fuga eſt: nec apparet, niſi dum cadit. Cometes habet ſuam ſedem: & ideo non cito expellitur, ſed emetitur ſpatium ſuum: nec exſtinguitur, ſed excedit. Si erratica, inquit, ſtella eſſet, in Signifero eſſet. Quis unum ſtellis limitem ponit? Quis in anguſtum divina compellit? Nempe hæc ipſa ſidera, quæ ſola moveri credis, alios & alios circulos habent. Quare ergo non aliqua ſint, quæ in proprium iter & ab iſtis remotum ſeceſſerint? Quid eſt, quare in aliqua parte cælum pervium non ſit? Quod ſi judicas, non poſſe ullam ſtellam niſi ſigniferum attingere: Cometes poteſt ſic latum habere circulum, ut in hunc tamen parte aliqua ſui incidat: quod fieri non eſt neceſſarium, ſed poteſt.

Cap. XXIV. Vide ne hoc magis deceat magnitudinem mundi, ut in multa itinera diviſus ſit: nec hanc unam deterat ſemitam, ceteris partibus torporeat. Credis autem in hoc maximo & pulcherrimo corpore, inter innumerabiles ſtellas, quæ noctem decore vario diſtinguunt, quæ aëra minime vacuum & inertem eſſe patiuntur, quinque ſolas eſſe, quibus exercere ſe liceat, ceteras ſtare, fixum & immobilem populum? Si quis hoc loco me interrogaverit: Quare ergo non quemadmodum quinque ſtellarum,ita harum obſervatus eſt curſus? Huic ego reſpondebo: Multa ſunt quæ eſſe concedimus: qualia ſint, ignoramus. Habere nos animum, cujus imperio & impellimur & revocamur, omnes fatebuntur: quid tamen ſit animus ille rector dominuſque noſtri, non magis tibi quiſquam expediet,quam ubi ſit. Alius illum dicet eſſe ſpiritum, alius concentum quemdam, alius vim divinam & Dei partem, alius tenuiſſimum aërem, alius incorporalem potentiam. Non deerit qui ſanguinem dicat, qui calorem. Adeo animo non poteſt liquere de ceteris rebus, ut adhuc ipſe ſe quærat.

Cap.

CAP. XXV. Quid ergo miramur, Cometas, tam rarum mundi ſpectaculum, nondum teneri legibus certis: nec initia illorum fineſque noteſcere, quorum ex ingentibus intervallis recurſus eſt? Nondum ſunt anni mille quingenti, ex quo Græcia

—— ſtellis numeros & nomina fecit.

Multæque hodie ſunt gentes, quæ tantum facie noverint cælum, quæ nondum ſciant cur luna deficiat, quare obumbretur. Hoc apud nos quoque nuper ratio ad certum perduxit. Veniet tempus, quo iſta quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia. Ad inquiſitionem tantorum ætas una non ſufficit, ut tota cælo vacet. Quid, quod tam paucos annos inter ſtudia ac vitia non æqua portione dividimus? Itaque per ſucceſſiones iſta longas explicabuntur. Veniet tempus, quo poſteri noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur. Harum quinque ſtellarum, quæ ſe ingerunt nobis, quæ alio atque alio occurrentes loco, curioſos nos eſſe cogunt, qui matutini veſpertinique ortus ſint, quæ ſtationes, quando in rectum ferantur, quare agantur retro, modo cœpimus ſcire. Utrum emergeret Jupiter, an occideret, an retrogradus eſſet, (nam hoc illi nomen impoſuere cedenti) ante paucos annos didicimus. Inventi ſunt qui nobis dicerent: Erratis, qui ullam ſtellam aut ſupprimere curſum judicatis, aut vertere. Non licet ſtare cæleſtibus, nec averti: prodeunt omnia: ut ſemel miſſa ſunt, vadunt. Idem erit illis curſus, qui ſui finis. Opus hoc æternum irrevocabiles habet motus: qui ſi quando conſtiterint, alia ex adverſo incident, quæ nunc tenor & æqualitas ſervat.

CAP. XXVI. Quid eſt ergo, cur aliqua redire videantur? Solis occurſus ſpeciem illis tarditatis imponit, & natura viarum circulorumque ſic poſitorum, ut certo tempore intuentes fallant. Sic naves quamvis plenis velis eant, videntur tamen ſtare. Erit qui demonſtret aliquando, in quibus Cometæ partibus errent, cur tam ſeducti à ceteris eant, quanti qualeſque ſint. Contenti ſimus inventis: aliquid ve-

ritati & poſteri conferant. Per ſtellas, inquit, ulteriora non cernimus, per Cometas aciem tranſmittimus. Primum ſi fit iſtud, non in ea parte fit, qua ſidus ipſum eſt ſpiſſi ac ſolidi ignis, ſed qua rarus ſplendor excurrit,& in crines diſpergitur. Per intervalla ignium, non per ipſos vides. Stellæ, inquit, omnes rotundæ ſunt, Cometæ porrecti: ex quo apparet, ſtellas non eſſe. Quis enim tibi concedet, Cometas longos eſſe? Quorum natura quidem, ut ceterorum ſiderum,globus eſt, ceterum fulgor extenditur. Quemadmodum ſol radios ſuos longe lateque dimittit, ceterum ipſi alia eſt forma, alia ei quod ex ipſo fluit lumini: ſic Cometarum corpus ipſum corrotundatur, ſplendor autem longior quam ceterorum ſiderum apparet.

Cap. XXVII. Quare? inquis. Dic tu mihi prius, quare luna diſſimillimum ſoli lumen accipiat, cum accipiat à ſole. quare modo rubeat, modo palleat. quare lividus illi & ater color ſit, cum à conſpectu ſolis excluditur. Dic mihi, quare omnes ſtellæ inter ſe diſſimilem habeant aliquatenus faciem, diverſiſſimam ſoli. Quomodo nihil prohibet, iſta ſidera eſſe, quamvis ſimilia non ſint: ita nihil prohibet, Cometas æternos eſſe & ſortis ejuſdem cujus cetera, etiamſi faciem illis non habent ſimilem. Quid porro? mundus ipſe, ſi conſideres illum, nonne ex diverſis compoſitus eſt? Quid eſt quare in Leone ſemper ſol ardeat, & terras æſtibus torreat: in Aquario adſtringat hiemem, flumina gelu claudat? Et hoc tamen & illud ſidus ejuſdem conditionis eſt, cum effectu & natura diſſimile ſit. Intra breviſſimum tempus Aries extollitur, [1] Libra tardiſſime jungitur: & tamen hoc ſidus & illud ejuſdem naturæ eſt: cum illud exiguo tempore adſcendat, hoc diu proferatur. Non vides, quam contraria

Cap. XXVII. 1 *Libra tardiſſime emergit*] Gruterus; ita conjecit Fortunatus. antea erat, *mergitur*, quod & retinent mei tres. niſi quod tertius etiam notare poſſet, *jungitur*. Sic ille. Et vero poſtrema lectio etiam in Regio exſtabat, mihique ſcitiſſima & veriſſima videtur. *Jungitur*, eſt, tota & junctis lancibus integra exoritur. nam & *jugum* pars libræ. Sic *geminam libram* dicit Claudianus, lib. 1 in Rufinum, *Gronovius*.

Digitized by Google

ria inter ſe elementa ſint? gravia & levia ſunt, frigida & calida, humida & ſicca. Tota hujus mundi concordia ex diſcordibus conſtat. Negas Cometen ſtellam eſſe, quia forma ejus non reſpondeat ad exemplar, nec ſit ceteris ſimilis. Vides enim quam ſimillima ſit illa, quæ triceſimo anno revertitur ad locum ſuum, huic quæ intra annum reviſit ſedem ſuam. Non ad unam natura formam opus ſuum præſtat, ſed ipſa varietate ſe jactat. Alia majora, alia velociora aliis fecit; alia validiora, alia temperatiora: quædam autem eduxit à turba, ut ſingula & conſpicua procederent; quædam in gregem miſit. Ignorat naturæ potentiam, qui illi non putat aliquando licere niſi quod ſæpius facit. Cometas non frequenter oſtendit, attribuit illis alium locum, alia tempora, diſſimiles ceteris motus. Voluit & his magnitudinem operis ſui colere, quorum formoſior facies eſt, quam ut fortuitam putes, ſive amplitudinem eorum conſideres, ſive fulgorem, qui major eſt ardentiorque quam ceteris. Facies vero habet inſigne quiddam & ſingulare, non in anguſtum conjecta & arctata, ſed dimiſſa liberius, & multarum ſtellarum amplexa regionem.

CAP. XXVIII. Ariſtoteles ait, Cometas ſignificare tempeſtatem, & ventorum intemperantiam atque imbrium. Quid ergo? non judicas ſidus eſſe, quod futura denuntiat? Non enim ſic hoc tempeſtatis ſignum eſt, quomodo futuræ pluviæ,

Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos:

aut quomodo indicium eſt ſævituri maris, ſi marinæ

In ſicco ludunt fulicæ; notaſque paludes
Deſerit, atque altam ſupra volat ardea nubem:

ſed ſic, quomodo æquinoctium in calorem friguſque flectentis anni, quomodo illa quæ Chaldæi canunt, quid ſtella naſcentibus triſte lætumve conſtituat. Hoc ut ſcias ita eſſe, non ſtatim Cometes ortus ventos & pluvias minatur, ut Ariſtoteles ait, ſed annum totum ſuſpectum facit. Ex quo apparet, illum non ex proximo, quæ in proximum da-

ret, ſigna traxiſſe, ſed habere repoſita & compreſſa legibus mundi. Fecit is Cometes, qui Paterculo & Vopiſco conſulibus apparuit, quæ ab Ariſtotele Theophraſtoque ſunt prædicta. Fuerunt enim maximæ & continuæ tempeſtates ubique. At in Achaia, Macedoniaque, urbes terrarum motibus prorutæ ſunt. Tarditas, inquit, illorum argumentum eſt, graviores eſſe, multumque in ſe habere terreni: ipſi præterea curſus. fere enim compelluntur in cardines.

CAP. XXIX. Utrumque falſum eſt. De priore dicam prius. [1] Quiane tardius feruntur, gravia ſunt? Quid ergo? Stella Saturni, quæ ex omnibus iter ſuum lentiſſime efficit, gravis eſt? Atqui levitatis argumentum habet, quod ſuper ceteras eſt. Sed majore, inquis, ambitu circuit, nec tardius it quam ceteræ, ſed longius. Succurrat tibi, idem me de Cometis poſſe dicere, etiamſi ſegnior illis curſus ſit. Sed mendacium eſt, ire eos tardius. Nam intra ſextum menſem dimidiam cæli partem tranſcurrit hic proximus; prior intra pauciores menſes recepit ſe. Sed quia graves ſunt, inferius deferuntur. Primum non defertur, quod circumfertur. Deinde hic proximus à Septemtrione motus ſui initium fecit, & per Occidentem in Meridiana pervenit, erigenſque ſuum curſum obiituit. Alter ille Claudianus à Septemtrione primum viſus, non deſiit in rectum aſſidue celſior ferri, donec exceſſit. Hæc ſunt quæ aut alios movere ad Cometas pertinentia, aut me. Quæ an vera ſint, dii ſciunt, quibus eſt ſcientia veri. Nobis rimari illa & conjectura ire in occulta tantum licet, nec cum fiducia inveniendi, nec ſine ſpe.

CAP. XXX. Egregie Ariſtoteles ait, numquam nos verecundiores eſſe debere, quam cum de diis agitur. Si intramus templa compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus, ſi in omne argumentum modeſtiæ fingimur: quanto hoc magis facere debemus, [illegible] cum

CAP. XXIX. 1 *Quare quia tardius*] Omnes omnino ſcripti: *Quia quæ*. Lege: *Quiane tardius feruntur, graves ſunt?* Hoc eſt, numquid quia tardius. *Gravia* factum ex *gravis* pro *graves*. Gronovius.

CAP.

cum de ſideribus, de ſtellis, de deorum natura diſputamus, ne quid temere, ne quid impudenter, aut ignorantes affirmemus, aut ſcientes mentiamur? Nec miremur tam tarde erui, quæ tam alte jacent. Panætio, & his qui videri volunt, Cometen non eſſe ordinarium ſidus, ſed falſam ſideris faciem, [1] diligenter tractandum eſt, an æque omnis pars anni edendis Cometis ſatis apta ſit: an omnis cæli regio idonea in qua creentur: an, quacumque ire, ibi etiam concipi poſſint: & cetera, quæ univerſa tolluntur, cum dico illos fortuitos non eſſe ignes, ſed intextos mundo, quos non frequenter educit, ſed in occulto movet. Quam multa præter hos per ſecretum eunt, numquam humanis oculis orientia? Neque enim omnia Deus homini fecit. Quota pars operis tanti nobis committitur? Ipſe qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundavit, deditque circa ſe, majorque eſt pars operis ſui, ac melior, effugit oculos, cogitatione viſendus eſt.

CAP. XXXI. Multa præterea cognata numini ſummo, & vicinam ſortita potentiam, obſcura ſunt. Aut fortaſſe, quod magis mireris, oculos noſtros & implent & effugiunt: ſive illis tanta ſubtilitas eſt, quantam conſequi acies humana non poſſit: ſive in ſanctiore ſeceſſu majeſtas tanta delituit, & regnum ſuum, id eſt, ſe, regit, nec ulli aditum dat, niſi animo. Quid ſit hoc, ſine quo nil eſt, ſcire non poſſumus: & miramur, ſi quos igniculos parum novimus, cum maxima pars mundi Deus lateat? Quam multa animalia hoc primum cognovimus ſeculo? & quidem multa venientis ævi populus ignota nobis ſciet. Multa ſeculis tunc futuris, cum memoria noſtri exoleverit, reſervantur. Puſilla res mundus eſt, niſi in illo quod quærat omnis mundus habeat. Non ſemel quædam ſacra traduntur: [1] Eleuſis ſervat, quod oſtendat reviſentibus. Rerum natura, ſacra ſua non

CAP. XXX. 1 *Diligenter tractandum eſt*] Verius Britannicus: *tractatum eſt*, nam providum Panætium, quæ interrogari poſſet, ea exſequutum ſignificat. *Gronovius.*

CAP. XXXI. 1 *Eleuſis ſervat*] Sic Muretus. Aliæ edd. *Eleuſina*, quod & in Pal. quar. & Col. nam tert. *Cluſin.* Hactenus Gruterus. Lege: *Eleuſin ſervat.* Idem.

non ſimul tradit. Initiatos nos credimus: in veſtibulo ejus hæremus. Illa arcana non promiſcue nec omnibus patent: reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ poſt nos ſubibit, adſpiciet. Quando ergo iſta in notitiam noſtram perducentur? Tarde magna proveniunt, utique ſi labor ceſſat. Id quod unum toto agimus animo, nondum perfecimus, ut peſſimi eſſemus. Adhuc in proceſſu vitia ſunt. Invenit luxuria aliquid novi, in quod inſaniat. Invenit impudicitia novam contumeliam ſibi. Invenit deliciarum diſſolutio & tabes aliquid tenerius molliuſque, quo pereat. Nondum ſatis robur omne projecimus. Adhuc quidquid eſt boni moris, exſtinguimus levitate, & politura corporum. Muliebres munditias anteceſſimus; colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri ſumimus. Tenero & molli ingreſſu ſuſpendimus gradum: non ambulamus, ſed incedimus. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur. Quotidie comminiſcimur, per quæ virilitati fiat injuria, ut traducatur, quia non poteſt exui. Alius genitalia excidit, alius in obſcœnam partem ludi fugit, & locatus ad mortem, inſaniæ armatur. Egenus etiam, in quo morbum ſuum exerceat, legit.

CAP. XXXII. Miraris, ſi nondum ſapientia omne opus ſuum implevit? Nondum tota ſe nequitia protulit. Adhuc naſcitur, & huic omnes operam damus: huic oculi noſtri, huic manus ſerviunt. Ad ſapientiam quis accedit? quis dignam judicat, niſi quam in tranſitu noverit? Quis philoſophiam, aut ullum liberale reſpicit ſtudium, niſi cum ludi intercalantur, cum aliquis pluvius intervenit dies, quem perdere licet? Itaque tot familiæ philoſophorum ſine ſucceſſore deficiunt. Academici & veteres & minores nullum antiſtitem reliquerunt. Quis eſt qui tradat præcepta Pyrrhonis? [1] Pythagorea illa invidioſæ turbæ ſchola præceptorem

CAP. XXXII. 1 *Pythagorica illa invidioſa*] Melius Brit. *Pythagorea*. Gronovius.

2 Vtr

rem non invenit. Sextiorum nova & Romani roboris ſecta, inter initia ſua, cum magno impetu cœpiſſet, exſtincta eſt. At quanta cura laboratur, ne cujus pantomimi nomen intercidat? Stat per ſucceſſores Pyladis & Bathylli domus: harum artium multi diſcipuli ſunt, multique doctores. Privatim urbe tota ſonat pulpitum. In hoc viri, in hoc feminæ tripudiant. Mares inter ſe uxoreſque contendunt, [2] uter det latus illis. Deinde ſub perſona, cum diu trita frons eſt, tranſitur ad galeam. Philoſophiæ nulla cura eſt. Itaque adeo nihil invenitur ex his quæ parum inveſtigata antiqui reliquerunt, ut multa quæ inventa erant, oblitterentur. At mehercules ſi hoc totis membris premeremus, ſi in hoc juventus ſobria incumberet, hoc majores docerent, hoc minores addiſcerent, vix ad fundum veniretur: in quo veritas poſita eſt, quam nunc in ſumma terra & levi manu quærimus.

2 *Uter det latus illis*] Brit. & duo Gruteri: *illius.* Forte: *uter det latus Hylæ.* i. pantomimo nobili. Tacitus 1 Ann. *ne domos pantomimorum ſenator intraret: ne egredientes in publicum equites Romani cingerent.* Hylam pantomimum in Auguſto appellat Suetonius. *Gronovius.*

tur. Appiæ viæ curator eſt: qua ſcis & divum Auguſtum, & Tiberium Cæſarem, ad deos iſſe. Hunc ſi interrogaveris, ſoli narrabit: coram pluribus numquam verbum faciet. Nam ex quo in ſenatu juravit ſe Druſillam vidiſſe cælum adſcendentem, & illi pro tam bono nuntio nemo credidit quid viderit, verbis conceptis adfirmavit, ſe non indicaturum etiamſi in medio foro hominem vidiſſet occiſum. Ab hoc ego quæcumque audivi, [5] certe clara affero, ita illum ſalvum & felicem habeam.

Jam Phœbus breviore via contraxerat ortum
Lucis, & obſcuri creſcebant cornua ſomni:
Jamque ſuum victrix augebat Cynthia regnum;
Et deformis hiems gratos carpebat honores
Divitis autumni, juſſoque ſeneſcere Baccho
Carpebat raras ſerus vindemitor uvas.

Puto magis intelligi ſi dixero, menſis erat October, dies tertius Eidus Octobris. Horam non poſſum tibi certam dicere. facilius inter philoſophos, quam inter horologia conveniet. Tamen inter ſextam & ſeptimam erat. [6] Nimis ruſtice

5 *Certe clara affero*] Editio Rhenani *certa claraque.* Ait tamen Gruterus in libro ejus fuiſſe, ut editum eſt, quod & Junius de ſuo teſtatur. Ergo ſcribe, *certa & clara.* Nam ſic habuiſſe eam formulam docemur ex Terentio, Hecyra, act. 2. ſc. 4. *Vide mi Parmeno etiam ſodes, ut mihi hac certa & clara attuleris.* Plautus, Perſa, 2, 2. *Satin' hac tibi ſunt plana & certa?* Cicero, lib. 1 in Verr. *etiam hac, qua certiſſima ſunt & clariſſima, relinquam.* Lib. 7 Fam. ep. 23. *cui plane res certas mandaram.* Horatius, 2. Sat. 6. *Poſtmodo quod mi obſit, clare certumque locuto.* Livius, lib. 22. *Omnia non properanti clara certaque erunt.* Gronovius.

6 *Nimis ruſtice acquieſcunt oneri poëta*] Libri veteres: *omnes poëta:* ſed cum quibus, inquit Fromondus, lectionem noſtram haud permutem, quam non male enarrat Turnebus. Rideri enim ambitionem poëtarum, qui in ortus & occaſus ſolis ac meridiem avidiſſime, tanquam in locos communes, excurrunt; dicique per deridiculum, nimis eſſe ruſticos & patientes, qui onera iſta deſcriptionum invitis & tanquam jumentis ſibi imponi ſinant. Quam interpretationem admittere nullo modo poſſum. Quis enim hæc onera invitis imponit? Immo ipſi ultro oſtentandi ingenii cauſa iſtas deſcriptiones appetunt. Duo habeo certa: alterum, hic dialogiſmum eſſe auctoris per aliam perſonam ſe caſtigantis; alterum, τὸ *nimis ruſtice*, intelligendum eſſe, de ſimplici illa deſignatione medii diei: *inter ſextam & ſeptimam erat.* Hoc reprehenſor, quem facit ſibi auctor, *nimis ruſtice* dictum vult, & exigit ab illo deſcriptionem more poëtarum. Hæc, inquam, habeo certa, ſed quomodo, quæ ſequuntur, pro-

ſtice acquieſcunt oneri poëtæ, non contenti ortus & occaſus deſcribere, ut etiam medium diem inquietent. Tu ſic tranſibis horam tam bonam?

Jam medium curſu Phœbus diviſerat orbem,
Et propior nocti feſſas quatiebat habenas;
Obliqua flexam deducens tramite lucem.

Claudius animam agere cœpit, nec invenire exitum poterat. Tum Mercurius, qui ſemper ingenio ejus delectatus eſſet, [7] unam de tribus Parcis educit, & ait: Quid, femina crudeliſſima, hominem miſerum torqueri pateris, nec umquam meritum, ut tamdiu cruciaretur? Annus ſexageſimus & quartus eſt, ex quo cum anima luctatur. Quid huic invides? Patere mathematicos aliquando verum dicere, qui illum ex quo princeps factus eſt, omnibus annis, omnibus menſibus efferunt. Et tamen non eſt mirum ſi errant: horam ejus nemo novit. Nemo enim illum umquam natum putavit. Fac quod faciendum eſt.

Dede neci. melior vacua ſine regnet in aula.

Sed Clotho: Ego mehercule, inquit, puſillum temporis adjicere illi volebam, dum hos pauculos, qui ſuperſunt, civitate donaret. Conſtituerat enim omnes Græcos, Gallos, Hiſpanos, Britannos, togatos videre. Sed quoniam placet aliquos peregrinos in ſemen relinqui, & tu ita jubes fieri, fiat. Aperit tum capſulam, & treis fuſos profert. Unus erat

profecto corruptiſſima, reſtituenda ſint, in eo nondum mihi ſatisfacio. Scioppius: *Nimis ruſtice, inquies: cum omnes Poëta.* Cogitabam: *Nimis ruſtice, inquies, tu nunc. Horni poëta non contenti ortus & occaſus deſcribere, etiam medium diem inquietant: tu ſic tranſibis horam tam bonam?* Ludit imprimis in Julium Montanum, de quo epiſt. 122. Inferius:

Voſque poëta Lugete novi. Gronovius.

7 *Unam de tribus Parcis educit*] Lege: *ſeducit*. Plaut. Aulular. 2, 1. *Eo nunc ego ſecreto te huc foras ſeduxi, Ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.* Cicero, 1 Famil. 9. *quoniam quidam nobiles homines inimicum meum me inſpectante ſæpe in ſenatu modo ſevere ſeducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur.* Idem de Oratore, lib. 1. *qui cum Craſſum ſeduxiſſet, atque ad eum retuliſſet.* Lib. 5 ad Attic. ult. *Cum hac diſſeruiſſem, ſeducit me Scaptius, ait ſe nihil contradicere* &c. Perſius, Sat. 5.

—— niſi ſolers luxuria ante
Seductum moneat: Quo deinde inſane ruis?

Vides ubique fieri colloquendi cauſſa, & quidem ut cum ſolo. *Idem.*

erat Augurini, alter Babæ, tertius Claudii. Hos, inquit, treis uno anno exiguis intervallis temporum diviſos mori jubebo: nec illum incomitatum dimittam. Non oportet enim eum, qui modo ſe tot millia hominum ſequentia videbat, tot præcedentia, tot circumfuſa, ſubito ſolum deſtitui. Contentus erit his interim convictoribus.

Hæc ait: & turpi convolvens ſtamina fuſo,
Abrumpit ſtolidæ regalia tempora vitæ.
At Lacheſis redimita comas, ornata capillos,
Pieria crinem lauro frontemque coronans,
Candida de niveo ſubtemina vellere ſumit,
Felici moderanda manu: quæ ducta colorem
Aſſumpſere novum: mirantur penſa ſorores.
Mutatur vilis pretioſo lana metallo:
Aurea formoſo deſcendunt ſecula filo.
Nec modus eſt illis, felicia vellera ducunt,
Et gaudent implere manus, ſunt dulcia penſa.
Sponte ſua feſtinat opus, nulloque labore
Mollia contorto deſcendunt ſtamina fuſo.
Vincunt Tithoni, vincunt & Neſtoris annos.
Phœbus adeſt, cantuque juvat, gaudetque futuris.
Et lætus [8] *nunc plectra movet, nunc penſa miniſtrat.*
Detinet intentas cantu, fallitque laborem.
Dumque nimis citharam, fraternaque carmina laudant,
Plus ſolito nevere manus: humanaque fata
Laudatum tranſcendit opus. Ne demite, Parcæ,
Phœbus ait: vincat mortalis tempora vitæ,
Ille mihi ſimilis vultu, ſimiliſque decore,
Nec cantu, nec voce minor: felicia laſſis
Sæcula præſtabit, legumque ſilentia rumpet.
Qualis diſcutiens fugientia lucifer aſtra,
Aut qualis ſurgit redeuntibus heſperus aſtris:
Qualis cum primum tenebris aurora ſolutis

Induxit

8 *Nunc plectra movet*] Puto Senecam reliquiſſe, *movens*, & ſtatim, *miniſtrans*, ſublata παλαιᾷ ὑποστιγμῇ. Gronovius.

9 *Scitis*

Induxit rubicunda diem, ſol adſpicit orbem
Lucidus, & primos è carcere concitat axes:
Talis Cæſar adeſt, talem jam Roma Neronem
Adſpiciet; flagrat nitidus fulgore remiſſo
Vultus, & effuſo cervix formoſa capillo.

Hæc Apollo. At Lacheſis, quæ & ipſa homini fortiſſimo faveret, fecit, & plena orditur manu, & Neroni multos annos de ſuo donat. Claudium autem jubent omnes χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων. Et ille quidem animam ebulliit, & eo deſiit vivere videri. Exſpiravit autem dum comœdos audit, ut ſcias me non ſine cauſſa illos timere. Ultima vox ejus hæc inter homines audita eſt, cum majorem ſonitum emiſiſſet illa parte, qua facilius loquebatur: Væ me, puto, concacavi me. Quid autem fecerit, neſcio: omnia certe concacavit. Quæ in terris poſtea ſint acta, ſupervacuum eſt referre. 9 Scitis enim optime: nec periculum eſt, ne excidant, quæ memoriæ publicum gaudium impreſſerunt. Nemo felicitatis ſuæ obliviſcitur. In cælo quæ acta ſint, audite: fides penes auctorem erit. Nuntiatur Jovi, veniſſe quemdam bonæ ſtaturæ, bene canum, neſcio quid illum minari: aſſidue enim caput movere, pedem dextrum trahere. quæſiſſe ſe cujus nationis eſſet? reſpondiſſe neſcio quid perturbato ſono, & voce confuſa, non intelligere ſe linguam ejus: nec Græcum eſſe, nec Romanum, nec ullius gentis notæ. Tum Jupiter Herculem, quia totum orbem terrarum pererraverat, & noſſe videbatur omnes nationes, jubet ire & explorare, quorum hominum eſſet. Tum Hercules primo adſpectu ſane perturbatus eſt, 10 ut qui etiam non omnia monſtra timuerit: ut vidit novi generis faciem, inſolitum inceſſum, vocem nullius terreſtris animalis, ſed (qualis eſſe marinis belluis ſolet) raucam

&

9 *Scitis enim optime: quæ memoriæ*] Vetus codex, teſte Rhenano: *Scitis enim certiſſime.* Quod puto eſſe Senecæ, factumque ut *certo ſcio* & *certum ſcio* dicebant. Recte etiam Rhenanus *impreſſit:* de quo miror dubitare Fabrum. *Gronovius.*

10 *Ut qui etiam non omnia monſtra timuerit*] Forte: *utrumque etiam Junonia monſtra domuerit.* Idem.

11 *Marci*

& implicatam, putavit ſibi tertiumdecimum laborem veniſſe. Diligentius intuenti, viſus eſt quaſi homo. Acceſſit itaque, & quod facillimum fuit Græculo, ait: Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις; Ubi hæc Claudius, gaudet eſſe illic philologos homines, ſperat futurum aliquem hiſtoriis ſuis locum. Itaque & ipſe Homerico verſu Cæſarem ſe eſſe ſignificans, ait:

Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν.

Erat autem ſequens verſus verior, æque Homericus:

Ἔνθα δ' ἐγὼ πόλιν ἔπραθον. ὤλεσα δ' αὐτούς.

Et impoſuerat Herculi homini minime vafro, niſi fuiſſet illic Febris, quæ fano ſuo relicto ſola cum illo venerat: ceteros omnes Deos Romæ reliquerat. Iſte, inquit, mera mendacia narrat. Ego tibi dico, quæ cum ipſo tot annos vixi: Lugduni natus eſt. [11] Marci municipem vides: quod tibi narro, ad ſextumdecimum lapidem à Vienna natus eſt. Gallus germanus. Itaque quod Gallum facere oportebat, Romam cepit. Hunc ego tibi recipio Lugduni natum, ubi Licinius multos annos regnavit. Tu autem qui plura loca calcaſti, quam ullus [12] mulio perpetuarius, Lugdunenſes ſcire debes, & multa millia inter Xanthum & Rhodanum intereſſe. Excandeſcit hoc loco Claudius, & quanto poteſt murmure iraſcitur. Quid diceret, [13] nemo intelligebat. Ille autem Febrim duci jubebat, illo geſtu ſolutæ manus, [14] & ad hoc unum ſatis firmæ, quo decollare homines ſolebat. Juſſerat illi collum præcidi. Putares omnes illius eſſe libertos, adeo illum nemo curabat. Tum Hercules: Audi me,

11 *Marci municipem vides*] Certe contortum illud de M. Tullio Turnebi. Senſus tale quid requirit, quale eſt Rhenani, *Munatii*. Cui ſi non acquieſcis, lege: *Planci municipem vides*. Gronovius.

12 *Mulio perpetuarius*] Non qui veterinam mulam perpetuo, quoad vixerit, conductam habet, & ea vecturam facit, ut Alciatus, Fromondus, ceteri; ſed qui ad magna & longinqua itinera, non ad paucas proximas manſiones, ſeque & mulas præbet. *Idem*.

13 *Nemo intelligebat*] Tam erat illi barbara & ἀσύνετος loquela.

14 *Et ad hoc unum ſatis firmæ*] Scribe: *illo geſtu ſolutæ manus, ſed ad hoc unum ſatis firmæ, quo decollare homines ſolebat*. Gronovius.

me, inquit, tu, & deſine fatuari : veniſti huc, ubi mures ferrum rodunt. Citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam. Et quo terribilior eſſet, tragicus fit, & ait :

Exprome propere, ſede qua genitus cluas,
Hoc ne peremptus ſtipite, ad terram accidas.
Hæc clava reges ſæpe mactavit feros.
Quid nunc profatu vocis incerto ſonas?
Quæ patria, quæ gens mobile eduxit caput,
Ediſſere. equidem regna tergemini petens
Longinqua regis, unde ab Heſperio mari
Inachiam ad urbem nobile advexi pecus,
Vidi duobus imminens fluviis jugum,
Quod Phœbus ortu ſemper obverſo videt:
Ubi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,
Ararque dubitans quo ſuos curſus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis.
Eſtne illa tellus ſpiritus altrix tui?

Hæc ſatis animoſe & fortiter. Nihilominus mentis ſuæ non eſt, & timet μωροῦ πληγήν. Claudius ut vidit virum valentem, oblitus nugarum, intellexit neminem parem ſibi Romæ fuiſſe : illic non habere ſe idem gratiæ : Gallum in ſuo ſterquilinio plurimum poſſe. Itaque [15] quantum intelligi potuit, hæc viſus eſt dicere : Ego te, fortiſſime deorum Hercules, ſperavi mihi affuturum apud alios : & ſi quis à me [16] notorem petiſſet, te fui nominaturus, qui me optime noſti.

15 *Quantum intelligi potuit*] Vox enim illi erat tremula, incondita & barbara. Julianus Apoſtata in ſimili fere ludo quem *Cæſares* vocavit, cum Silenum inducit de hoc Claudio dicentem, principium equitum Ariſtophanis memorat : puto quia velut Cleona ille Comicus vocavit Paphlagona propter vocis barbaræ ſonum, ſic Claudium innuit ſimilem. Sed apud illum τῷ Ἰουλιάνῳ ubi ait Silenus ἀντὶ δήμου. ſuſpicor legendum δημοσθένης: nam ea verba apud Ariſtophanem facit Demoſthenes, ille qui in Pylo fuit. Hæc Fl. Chriſtianus.

16 *Notorem petiſſet*] Utitur & Petronius verbo iſto : *At ego ne mea quidem veſtimenta ab officioſo recepiſſem, niſi notorem dediſſem.* ut enim ibi *notor*, qui, cum veſtimenta ſua aſſervanda dabat Eumolpus officioſo, qui, inquam, conſulto adhibebatur, ut Eumolpum res ſuas ſibi vindicantem probe cognitum habere aſſeveraret, eidemque, quantum pote, ſuffragio ſuo adverſus veſtiſpicos omnes in partem præſto foret

illico,

Digitized by Google

noſti. Nam ſi memoria repetis, ego eram, qui tibi ante templum tuum jus dicebam totis diebus menſe Julio & Auguſto. Tu ſcis quantum illic miſeriarum pertulerim, cum cauſſidicos audirem, & diem & noctem: in quos ſi incidiſſes, valde fortis licet, maluiſſes Cloacas Augiæ purgare: multo plus ego ſtercoris exhauſi. Sed quoniam volo, non mirum, quod impetum in curiam feciſti: nihil tibi cluſi eſt. Modo dic nobis, qualem deum iſtum fieri velis: [17] ἐπικούρειος θεὸς non poteſt eſſe: οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρέχει. Stoicus? quomodo poteſt rotundus eſſe (ut ait Varro) ſine capite, ſine præputio? Eſt aliquid in eo Stoici Dei: jam video, nec cor, nec caput habet. Si mehercules à Saturno petiſſet hoc beneficium, cujus menſem toto anno [18] celebravit Saturnalia ejus princeps, non tuliſſet. Illum Deum ab Jove, quem quantum quidem in illo fuit, damnavit inceſti. L. Silanum enim generum ſuum occidit. Oro propter quid? ſororem ſuam, feſtiviſſimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Junonem vocare. Quare, inquit, quæro enim, ſororem ſuam ſtulte

illico, convinceretque Eumolpi eſſe ſpolia quæ balneatius poſſideret, ita & hic *notor* eſt, qui aliquem cognoſcit, diciturque Ciceroni *cognitor*. Verr. 7. *Adeunt ad ea loca, quæ nunquam antea viderunt: ubi neque noti eſſe quo venerunt, nec ſemper cum cognitoribus eſſe poſſunt. Cognitor* enim hic qui ſe homines Romanos noſſe diceret. Vide Turnebum lib. 29. cap. ult. Douzam Præcid. in Petronium lib. & cap. 2. *Gruterus.*

17 *Ἐπικούρειος θεὸς non poteſt eſſe*] Fromondus exiſtimat his verbis non congruere rationem quæ ſequitur: ſi enim Claudius nec ſibi nec aliis moleſtus eſt, poteſt Epicureus Deus eſſe, & tenere illud quietis magiſterium. Itaque interjicit: ὁ αὐτός. Sed etiam ſine adjecto articulo bene ſe habet locus, ſi non de Claudio, ſed de Deo Epicuri ſubjecta ratio exaudiatur. Ille enim, nempe Epicuri Deus, nec ſibi negotium exhibet neque alteri: quod videlicet Claudius facit utrumque. Quod ſi diſpliceat, malim: οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρέχει. Gronovius.

18 *Celebravit Saturnalia ejus princeps, non tuliſſet*] Rhenanus, *Caius princeps.* Junius: *Saturnalitius Princeps*, non ſine aliqua ſpecie. Lipſius delet, *Saturnalia ejus*, adſentiente Fromondo. Nec repugno: ſed amplius cenſeo etiam vocabulum, *princeps*, relegandum, ut fuerit: *Si mehercules à Saturno petiſſet hoc beneficium, cujus menſem toto anno celebravit, non tuliſſet.* Et ita, ni fallor, legiſſe olim virum illuſtrem Jauum Rutgerſium, videor mihi ex quibuſdam ſchedis ejus didiciſſe apud ſummi ingenii ſummæque eruditionis juvenem Nicolaum Heinſium. *Idem.*

[19] ſtulte ſtudere? Athenis dimidium licet, Alexandriæ totum? Quia Romæ, inquit, [20] mures molas lingunt: hic nobis curva corrigit. Quid in cubiculo ſuo faciat, neſcio: etiam cæli ſcrutatur plagas, deus fieri vult. Parum eſt quod templum in Britannia habet, quod hunc barbari colunt, & ut deum orant. [21] Ἀλώρου φιλάττου χῦιν. Tandem Jovi venit in mentem, privatis intra curiam morantibus [22] ſententiam dicere, nec diſputare. Ego, inquit, P. C. interrogare vobis permiſeram, vos mera mapalia feciſtis. Volo ſervetis diſciplinam curiæ. Hic qualiſcumque eſt, quid de nobis exiſtimabit? Illo dimiſſo, primus interrogatur ſententiam Janus pater: is deſignatus erat in Kal. Julias poſtmeridianus Coſ. homo quantumvis vafer, qui ſemper videt ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. Is multa diſerte, quod in foro vivat, dixit, quæ notarius perſequi non potuit: & ideo non refero: ne aliis verbis ponam, quæ ab illo dicta ſunt. Multa dixit de magnitudine deorum: non debere hunc vulgo dari honorem. Olim, inquit, magna res erat, deum fieri; jam famam nimium feciſti. Itaque ne videar in perſonam, non in rem ſententiam dicere, cenſeo ne quis poſt hunc diem deus fiat ex his, qui ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν: aut ex his, quos alit ζείδωρος ἄρουρα. Qui contra hoc SC. deus factus, fictus, pictuſve erit, eum dedi larvis, & proximo munere inter novos auctoratos, ferulis vapulare placet. Proximus interrogatur ſententiam Dieſpiter Vicæ Potæ filius, & ipſe deſignatus Coſ. nummulariolus. Hic quæſtu ſe ſuſtinebat, [23] vendere civi-

19 *Stulte ſtude*] Video, quomodo interpretetur Fromondus. Sed malim, *Stulte iſtud.* nempe, rogas. An neſcis & ſorores amari? i. Athenas, i. Alexandriam. illic videbis vel germanam vel uterinam; hic & utroque parente eodem genitam ducere uxorem licere. *Gronovius.*

20 *Mures molas lingunt*] Plura habet ad hujus loci explanationem Lipſius lib. 2. Epiſt. quæſt. 24. & ad lib. 12 Annal. Taciti.

21 *Ἀλώρου φιλάττου χῦιν*] Junius in exemplari ſuo vidit *μωρὰς κληρουχεῖν*, vel *μωρῷ ἀποχεῖν*. Forte: *hunc barbari colunt, & ut deum orant, μωροὶ Μόρυχον*, vel *μωρότερον Μορύχου*. Vide Græcos parœmiographos. *Gronovius.*

22 *Sententiam dicere, nec diſputare*] Conjiciebam: *Tandem Jovi venit in mentem privatis intra curiam morantibus ſententias dici, indignum putare.* Idem.

23 *Vendere civitatulas ſolebat*] Turnebus ait *nummulariolum* dici & *civitatularum*

civitatulas ſolebat. Ad huncce belle acceſſit Hercules, & auriculam ei tetigit. Itaque in hæc verba cenſet: Cum Divus Claudius Divum Auguſtum ſanguine contingat, nec minus Divam Auguſtam aviam ſuam, quam ipſe Deam eſſe juſſit, longeque omnes mortales ſapientia antecellat, ſitque è rep. eſſe aliquem, qui cum Romulo poſſit

—— ferventia rapa vorare:

cenſeo, ut D. Claudius ex hac die deus fiat, ita uti ante eum quis optimo jure factus ſit: eamque rem ad μεταμορφώσεις Ovidii adjiciendam. Variæ erant ſententiæ, & videbatur Claudius ſententia vincere. Hercules enim, qui videret ferrum ſuum in igne eſſe, modo huc, modo illuc curſabat: & aiebat: Noli mihi invidere, mea res agitur: deinde ſi quid volueris,

tularum venditorem, quod minutus eſſet fœnerator, & parvulas civitates haberet obæratas, quarum nomina cum venderet vel delegaret, *vendere civitatulas* dici. Quod etiam Fromondo approbavit. Mihi vix poterit, niſi oſtendat, debitorem vel nomen civitatis delegare, Latine dici *vendere debitorem* vel *civitatem*. Id quod adhuc inauditum cenſeo. Quid autem ſit *vendere civitates*, diſcamus à Cicerone Philipp. tertia: *Quam hic immunitatem, quam civitatem, quod præmium, non vel ſingulis hominibus vel civitatibus vel univerſis provinciis vendidit?* Et quinta: *decreta falſa vendebat: regna, civitates, immunitates, in æs, accepta pecunia, jubebat incidi.* Vides eſſe pretio accepto jus civitatum dare, in eas adſcribere. Itaque illos pungi putem, qui apud Claudium potentes tot hominibus, ingenti mercede accepta, jura Romanæ & aliarum civitatum, in quas adſcribi concupiſſent, à principe impetrarant. Qualem Antonium apud Caium Julium criminatur Cicero, Philipp. 2. *omnia rogabat, caput in averſam lecticam inſerens; beneficia, quæ venderet, à collega petebat.* Lib. 13 Famil. 36. *propter ſordidos homines, qui Cæſaris beneficia vendebant.* Tacitus, lib. 14 Annal. *Adjiciebat Tullius Geminus accuſator, venditata ab eo munera principis & adipiſcendorum honorum jus.* Lactantius, de quodam Philoſopho ficto, lib. 5. c. 2. *ad amicitias judicum miro ambitu penetrabat, eoſque ſibi repente auctoritate falſi nominis obligabat, ut eorum ſententiam venderet.* Claudianus, lib. 1 in Ruffin. *ambitos à principe vendit honores.* Tales igitur venditores & pro omnibus hunc deum deſignat noſter. Nam diminutivo utitur ridiculi gratia: ut auctor vitæ Juvenalis Paridem Pantomimum dicit *ſemeſtribus militiolis tumentem*. Refert Dio promiſcuis a Meſſallina & libertis emtam civitatem Romanam, & primo quidem μεγάλων χρημάτων ὠνηθεῖσαν, poſtea adeo vilem factam, ὥστε καὶ λογοποιηθῆναι, ὅτι κἂν ὑάλινα σκεύη δοὺς συντετριμμένα τις, πολίτης ἔσται. Cæterum non ſana illa, quæ ſequuntur: *ad huncce belle.* Rhenanus invenit: *ad hoc velle:* indeque conjectat: *civitatulis ſolebat olei culleos.* Quod tamen plane extra oleas. Junianus liber: *adhuc velle*: unde conjicit, *& adhuc velle apparebat.* Hoc violentum. Scribe: *Hic quæſtu ſe ſuſtinebat, vendere civitatulas* (nempe imperante Claudio) *ſolebat. Ad hunc ſedulo acceſſit Hercules* &c.

volueris, invicem faciam: Manus manum lavat. Tunc Divus Auguſtus [24] ſurrexit ſententiæ ſuæ dicendæ, & ſumma facundia diſſeruit. P. C. vos teſtes habeo, ex quo deus factus ſum, nullum verbum me feciſſe. ſemper meum negotium ago. Sed non poſſum amplius diſſimulare, & dolorem quem graviorem pudor facit, continere. In hoc terra marique pacem peperi? ideo civilia bella compeſcui? ideo legibus urbem fundavi, operibus ornavi? Et quid dicam, P. C. non invenio: omnia infra indignationem verba ſunt. Confugiendum eſt itaque à me ad Meſſalæ Corvini diſertiſſimi viri illam ſententiam: Præcidit jus imperii. hic, P. C. qui nobis non poſſe videtur muſcam excitare, tam facile homines occidebat, quam canis excidit. Sed quid ego de tot acribus viris dicam? Non vacat deflere publicas clades, intuenti domeſtica mala. Itaque illa omittam, hæc referam. Etiamſi Phormea Græce neſcit, ego ſcio. ΕΝΤΙΚΟΝΤΟΝΤΚΗΝΔΙΗC. ſeneſcit. Iſte, quem videtis, per tot annos ſub meo nomine latens, hanc mihi gratiam retulit, ut duas Julias proneptes meas occideret, alteram ferro, alteram fame: unum abnepotem L. Silanum. [25] Videris Jupiter, an in cauſſa mala,

24 *Surrexit ſententia ſua dicenda*] Legebatur hic antea: *ſua loco dicenda*. Eam vocem ejecit Lipſius auctoritate ſui codicis. Id improbavit Gothofredus, non addita ratione: & fatetur Gruterus retineri poſſe, ut velit ſurrexiſſe, cum eum ordo tangeret. Sane membrana bibliothecæ publicæ Harlemenſis τὸ *loco*. Et videtur ſcripſiſſe Seneca: *ſurrexit ſententia ſuo loco dicenda*. Gronovius.

25 *Videris Jupiter, an in cauſſa mala*] Quiſquis auctor fuerit hujus lectionis (Romanæ, hoc eſt, Mureto, ut puto, adſcribit Gruterus) hactenus egregia eſt. Rhenani libro abfuit vox *mala*: unde conjicit. *Videris Jupiter non mea mala certe in tua, ſi hic inter nos* &c. Quod quid ſit, ipſe ſciverit. Venuſtius putat Fromondus, ſi invertatur: *an in cauſſa tua certe mala*. Fatetur tamen locum mendi majoris ſuſpectum. Tolerabilem tamen, certe clariorem ſenſum fore, ſi, *in cauſſa tua*, valeat per te ſtabit, vel aliud ſimile: quo fere modo alicujus rei auctorem ſoleamus dicere *eſſe in cauſſa*. Sic ille. Nos ita cenſemus. Dixerat Auguſti perſona à Claudio occiſum L. Silanum, ipſius Auguſti abnepotem, Claudii generum deſignatum. Prætextus illius cædis fuerat inceſtum, quod in ſorore admiſiſſe ferebatur Silanus. Superius: *Illum Deum ab Jove, quem quidem, quantum in illo fuit, damnavit inceſti. L. Silanum enim generum ſuum occidit. Oro propter quid? ſororem ſuam, feſtiviſſimam omnium puellarum, quam*

omnes

mala, certe in tua, ſi hic inter nos futurus eſt. Dic mihi, Dive Claudi, quare quemquam ex his, quos, quaſque occidiſti, antequam de cauſſa cognoſceres, antequam audires, damnaſti? hoc fieri ſolet? in cælo non fit. Ecce Jupiter, qui tot annos regnat, uni Vulcano crus fregit, quem

Ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο,

& iratus fuit uxori, & ſuſpendit illam: numquid occidit? Tu Meſſalinam, cujus æque avunculus major eram, quam tuus, occidiſti. Neſcio, inquis? Dii tibi maleſaciant: adeo iſtud turpius eſt, quod neſcis, quam quod occidiſti. Iſte C. Cæſarem non deſiit mortuum perſequi. Occiderat ille ſocerum: hic & generum. Caius Cæſar Craſſi filium vetuit Magnum vocari: hic nomen illi reddidit, caput tulit. Occidit in una domo Craſſum Magnum: Scriboniam, Triſtioniam, Aſſarionem, nobiles tamen: Craſſum vero tam fatuum, ut etiam regnare poſſet. Cogitate, P. C. quale portentum in numerum deorum ſe recipi cupiat. Hunc nunc deum facere vultis? Videte corpus ejus, diis iratis natum. Ad ſummam, tria verba cito dicat, & ſervum me ducat. Hunc deum quis colet? quis credet? denique dum tales deos facitis, nemo vos deos eſſe credet. Summa rei, P. C. ſi honeſte inter vos geſſi, ſi nulli durius reſpondi, vindicate injurias meas. Ego pro ſententia mea hoc cenſeo. Atque ita [26] ex tabella recitavit: Quandoquidem Divus Claudius occidit ſoce-

omnes Venerem vocarent, maluit Junonem vocare. Hinc petenda explicatio elegantiſſimi hujus loci. Occidit, inquit, abnepotem meum L. Silanum. Dixerit forſan, juſte, quia in cauſſa mala erat deprehenſus ſorore vitiata: tu videris Jupiter, an in cauſſa mala; certe eadem cauſſa eſt tua: quippe & tu ſororem feciſti uxorem: & ſi ille fuit in cauſſa mala, neque in bona tu es: ſi ille inceſtuoſus, & tu. Itaque quantum in ſe fuit, te damnavit inceſti. Hic igitur ponenda τελεία ὑποστιγμή. Dein ſcribe: *Is hic inter nos futurus eſt? Dic mihi, Dive Claudi*, &c. Gronovius.

26 *Ex tabella*] De ſcripto dictas etiam ſententias probat & Cicero 10 Philipp. item lib. 10 Fam. epiſt. ad Plancum, Tertullianus in Apolog. Gellius lib. 7. c. 19. Suetonius Claudii cap. 15. quorum refert verba Langlæus lib. 6. c. 5. Ocii Semeſtr.

ſocerum ſuum Appium Silanum, generos duos, Pompeium Magnum & L. Silanum, ſocerum filiæ ſuæ Craſſum, frugi hominem, tam ſimilem ſibi, quam ovo ovum, Scriboniam ſocrum filiæ ſuæ, Meſſalinam uxorem ſuam, & cęteros, quorum numerus iniri non potuit: placet mihi in eum ſevere animadverti, nec illi rerum judicandarum vacationem dari, eumque quamprimum exportari, & cælo intra dies XXX excedere; Olympo intra diem tertium. Pedibus in hanc ſententiam itum eſt. Nec mora, Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos,

Illuc unde negant redire quemquam.

Dum deſcendunt per viam Sacram, interrogat Mercurius, quid ſibi velit ille concurſus hominum, num Claudii funus eſſet? Et erat omnium formoſiſſimum, & impenſa cura plenum, ut ſcires deum efferri, tibicinum, cornicinum, omniſque generis æneatorum tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire poſſet. Omnes læti, hilares, P. Ro. ambulabat tamquam liber. Agatho & pauci cauſſidici plorabant, ſed plane ex animo. Juriſconſulti è tenebris procedebant, pallidi, graciles, vix habentes animam, tamquam qui cummaxime reviviſcerent. Ex his unus cum vidiſſet capita conferentes, & fortunas ſuas deplorantes cauſſidicos, accedit, & ait: Dicebam vobis, Non ſemper Saturnalia erunt. Claudius ut vidit funus ſuum, intellexit ſe mortuum eſſe. Ingenti enim μεγαληγορίᾳ nænia cantabatur anapæſtis:

Fundite fletus, Edite planctus, Fingite luctus:
Reſonet triſti Clamore forum: Cecidit pulcre
Cordatus homo, Quo non alius Fuit in toto
Fortior orbe. Ille citato Vincere curſu
Poterat celeres, Ille rebelles Fundere Parthos,
Levibuſque ſequi Perſida telis, Certaque manu
Tendere nervum: Qui præcipites Vulnere parvo
Figeret hoſtes, Pictaque Medi Terga fugacis.

Ille

Digitized by Google

Ille Britannos
Ultra noti
Littora ponti,
Et cæruleos
Scuta Brigantas
Dare Romuleis
Colla catenis
Juſſit, & ipſum
Nova Romanæ
Jura ſecuris
Tremere Oceanum.
Deflete virum,
Quo non alius
Potuit citius
Diſcere cauſſas,
Una tantum
Parte audita,
Sæpe & neutra.
Quis nunc judex
Tota lites
Audiet anno?
Tibi jam cedet
Sede relicta,
Qui dat populo
Jura ſilenti,
Cretæa tenens
Oppida centum.
Cædite mœſtis
Pectora palmis,
O cauſſidici,
Venale genus,
Voſque Poëtæ,
Lugete novi;
Voſque in primis
Qui concuſſo
Magna paraſtis
Lucra fritillo.

Delectabatur laudibus ſuis Claudius, & cupiebat diutius ſpectare. Injicit illi manum [27] Talthybius deorum nuntius, & trahit capite obvoluto, ne quis eum poſſit agnoſcere, per campum Martium: & [28] inter Tiberim & viam Tectam deſcendit ad inferos. Anteceſſerat jam compendiaria via Narciſſus libertus, ad patronum excipiendum,

&

27 *Talthybius deorum nuncius*] Deleo τὸ *nuncius* pro manifeſto additamento interpretis. Eleganter Mercurium vocat *Talthybium deorum*, quia eo munere fungebatur inter deos, quo Talthybius inter Græcos ad Trojam. Ut Talthybium verſa vice poſſes vocare *Mercurium Græcorum*. Gronovius.

28 *Inter Tiberim & viam Tectam*] Sic omnino legendum cum mss. & *Tectam*, non *Rectam*, nomen habuiſſe conſtat ex Ovidio, & Martiali, lib. 8. epigr. 75. ubi vide Scriverium. Idemque reſtituendum lib. 3. epigr. 5.

Protinus hunc prima quæres in limine Tecta.

vulgo: *primi tecti:* pro quo pugnat vir doctus, quia de *Tecta* aliquid Grutero ſuboluerat. Nos vero in optimis membranis vidimus his oculis ſcriptum: *prima Tecta.* Sed & ſenſus eo ducit. Oro enim te, utrum eſt commodius dicere? an: i in urbem ad Iulium: invenies eum in veſtibulo ædium, quas habuit Daphnis: an potius; viſe Julium, quem invenies in ipſo ingreſſu Viæ Tectæ, ædes, quas Daphnis habuit, habitantem. Unde Martialis vaticinari poterat Julium fore in veſtibulo, cum liber eo veniret? Quis deinde tam celebris ille Daphnis, ut qui ignotus in urbem tantam veniſſet, ſatis haberet ſymboli, ſi ſciret quærere ubi habitaſſet Daphnis? Ergo *prima Tectæ limen* eſt ingreſſus viæ Tectæ. Et in altero quoque dicto loco *Tectam* ſimpliciter appellat. Quum vicum ſcimus, facile eſt homines & ædes reperire, etiam illorum, qui emigrarunt, ſi præſertim non magnum intervallum interceſſerit. *Idem.*

& venienti nitidus, ut erat à balineo, occurrit, & ait; Quid dii ad homines? Celerius, inquit Mercurius, & venire nos nuntia. Ille autem patrono plura blandiri volebat. quem Mercurius iterum feſtinare juſſit, & virga morantem impulit. Dicto citius Narciſſus evolat. Omnia procliva ſunt, facile deſcenditur. Itaque quamvis podagricus eſſet, momento temporis pervenit ad januam Ditis: ubi jacebat, ut ait Horatius, bellua centiceps, ſeſe movens, villoſque horrendos excutiens. [29] puſillum ſubperturbatur (albam canem in deliciis habere conſuerat) ut illum vidit canem nigrum villoſum ſane: quem non velis tibi in tenebris occurrere. Et magna inquit voce: Claudius Cæſar venit. Ecce extemplo cum plauſu procedunt cantantes: Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Hic erat C. Silius Coſ. deſig. Junius Prætorius, Sex. Trallus, M. Helvius Trogus, Cotta Tectus, Valens, Fabius, Equ. Rom. quos Narciſſus duci juſſerat. Medius erat in hac cantantium turba Mneſter Pantomimus, quem Claudius decoris cauſſa minorem fecerat. Necnon ad Meſſalinam cito rumor percrebuit, Claudium veniſſe. Convolarunt primum omnium liberti, Polybius, Myron, Harpocras, Amphæus & Pheronactes, quos omnes, necubi imparatus eſſet, præmiſerat. Deinde præfecti duo, Juſtus Catonis, & Ruffus Pompeii F. Deinde amici, Saturnius Luſcius, & Pedo Pompeius, & Lupus, & Celer Aſinius, conſulares. Noviſſime fratris filia, ſororis filia, gener, ſocer, ſocrus, omnes plane conſanguinei. Et agmine facto Claudio occurrunt. Quos cum vidiſſet Claudius, exclamat, Πάντα φίλων πλήρη. Quomodo vos huc veniſtis? Tum Pedo Pompeius: Quid dicis, homo crudeliſſime? Quæris, quomodo? Quis enim nos alius huc miſit quam tu,

29 *Puſillum ſuperturbatur*] Scribe: *puſillum ſubperturbatur (albam canem in deliciis habere conſuerat) ut vidit illum nigrum.* Membrana plane habebat, *ſubperturbatur.* Ut apud Ciceronem, *ſubinvitare, ſuppudere, ſuppænitet, ſubaccuſare, ſubdebilitatus,* & ſimilia, apud Fabium *ſubaſſentiri.* Gron.

tu, omnium amicorum interfector? In jus eamus: ego tibi hic ſellas oſtendam. Ducit illum ad tribunal Æaci. is lege Cornelia, quæ de ſicariis lata eſt, quærebat: poſtulat, nomen ejus recipi, edit ſubſcriptionem: Occiſos Senatores xxx, Equites Rom. cccxv, atque plures: ceteros ccxxi. *ὅσσα ψάμαθός τε κόνις τε.* Exterritus Claudius oculos undecumque circumfert, veſtigat aliquem patronum qui ſe defenderet. Advocatum non invenit. Tandem procedit P. Petronius, vetus convictor ejus, homo Claudiana lingua diſertus, & poſtulat advocationem. Non datur. Accuſat Pedo Pompeius magnis clamoribus. Incipit Petronius velle reſpondere. Æacus, homo juſtiſſimus, vetat. Illum tantum altera parte audita condemnat, & ait: *Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.* Ingens ſilentium factum eſt. Stupebant omnes, novitate rei attoniti: negabant hoc umquam factum. Claudio iniquum magis videbatur, quam novum. De genere pœnæ diu diſputatum eſt, quid illum pati oporteret. Erant qui dicerent, [30] ſi uni dii laturam feciſſent, Tantalum ſiti periturum, niſi illi ſuccurreretur: non unquam Siſyphum onere relevari: aliquando Ixionis miſeri rotam ſufflaminandum. Non placuit ulli ex veteranis miſſionem dari, ne vel Claudius umquam ſimile ſperaret. Placuit novam pœnam excogitari debere, inſtituendum illi laborem irritum, & alicujus cupiditatis ſpecies ſine fine & effectu. Tum Æacus jubet illum alea ludere pertuſo

30 *Si uni dii laturam feciſſent*] Satis fortaſſe conjecturarum dixeris hic fruſtra expenſum. Rhenanus, *ſemidei larvam faceſſeret.* Junius, *dilaturam.* Alciatus, *ullam dilaturam.* Curio: *niſi unius diti jacturam:* vel, *non alienum videri, ſi unius dis jacturam.* Fromondus: *ſi minus immortalem dii naturam.* Pereat ſane mea cum cæteris: *ſi uni dii gratiam feciſſent.* Quum de genere pœnæ diſputaretur, inceſſit opinio, aliquem ex veteranis rude donatum iri, & ſuccedaneum ei fore Claudium. Itaque erant, qui dicerent, ſi dii, qui in conſilio erant Æaco, uni ex antiquis inferorum cruciatiis, veniam dare potuiſſent: alii, Tantalum ſiti ad extremum veniſſe, itaque huic juſtum ſuffici Claudium; alii, Siſyphum deficere, niſi ſubiret ſaxum Claudius: alii, Ixione ſoluto, rotæ Claudium alligabant. *Gronovius.*

pertuſo fritillo. Et jam cœperat fugientes ſemper teſſeras quærere, & nihil proficere.

Nam quotiens miſſurus erat reſonante fritillo,
Utraque ſubducto fugiebat teſſera fundo:
Cumque recollectos auderet mittere talos,
Luſuro ſimilis ſemper, ſemperque petenti,
Decepere fidem: reſugit, digitoſque per ipſos
Fallax aſſiduo dilabitur alea furto.
Sic cum jam ſummi tanguntur culmina montis,
Irrita Siſyphio volvuntur pondera collo.

Apparuit ſubito C. Cæſar, & petere illum in ſervitutem cœpit: producit teſtes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem. Adjudicatur C. Cæſari: illum Æacus donat. Is Menandro liberto ſuo tradidit, ut à cognitionibus ei eſſet.

Digitized by Google

EXCERPTA QUÆDAM E LIBRIS SENECÆ.

HOneſta, inquit Epicurus, res eſt, paupertas læta. Illa vero jam paupertas non eſt, ſi læta eſt. Cui cum paupertate bene convenit, dives eſt. Non qui parum habet, ſed qui plura cupit, pauper eſt. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis lateat, quantum paſcat aut feneret, ſi alieno imminet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda concupiſcit? Quis ſit divitiarum modus, quæris? Primo, habere quod neceſſe eſt: ſecundo, quod ſatis eſt. Nulli poteſt ſecura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat. Nullum bonum juvat habentem, niſi ad cujus amiſſionem præparatus eſt animus. Magnæ divitia ſunt, lege naturæ compoſita paupertas. Lex autem naturæ, ſcis quos terminos nobis ſtatuit? Non eſurire, non ſitire, non algere. Uti famem ſitimque depellas, non eſt neceſſe maria tentare, nec caſtra ſequi. Parabile eſt quod natura deſiderat, & cito apponitur. Ad ſupervacua ſudatur: illa ſunt quæ togam terunt, quæ nos ſeneſcere cogunt, quæ in aliena littora impingunt. Ad manum eſt, quod ſatis eſt. Si cui ſua non videntur ampliſſima, licet totius mundi dominus ſit, miſer eſt. Miſer eſt, qui ſe beatiſſimum non judicat, licet toti mundo imperet. Non eſt beatus, qui ſe id non putat eſſe. Nihil habeamus, quod cum magno emolumento inſidiantis eripi poßit. Quam minimum in corpore tuo ſit ſpoliorum. Nemo ad humanum ſanguinem venit propter ipſum, vel admodum pauci. Nudum latro tranſmittit: etiam in obſeſſa via pauperi pax eſt. Is maxime divitiis fruitur, qui minime indiget. Si ad naturam vives, numquam eris pauper: ſi ad opinionem, numquam dives. Exiguum natura deſiderat, immenſum opinio. Si congeratur in te quidquid multi locupletes

cupletes poſſederunt, ſi ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro tegat, purpurâ veſtiat, eo deliciarum opumque perducat, ut terram marmoribus abſcondas, non tantum liceat habere, ſed calcare divitias; accedant ſtatuæ & picturæ, & quidquid ars ulla luxuriæ auro & argento elaboravit; majora cupere ab his diſces. Deſideria naturalia, finita ſunt: ex falſa opinione naſcentia, ubi deſinant, non habent. nullus enim terminus falſo eſt. Veritati aliquid extremum eſt: error immenſus eſt. Retrahe te ergo à vanis: & cum voles ſcire, an naturalem, an vanam habeas cupiditatem, conſidera num alicubi conſiſtat. Si longe progreſſo ſemper aliquid longius reſtat, ſcito id naturale non eſſe. Paupertas expedita, ſecura eſt. cum claßicum cecinit, ſcit non ſe peti; cum aliquo conclamatum eſt, quomodo exeat, non quid efferat, quærit. At cum navigandum eſt, non ſtrepitu portus, non unius comitatu inquieta ſunt littora. Non circumſtat illum turba hominum, ad quos paſcendos tranſmarinarum regionum optanda eſt fertilitas. Facile eſt paſcere paucos ventres, & bene inſtitutos, & nihil aliud deſiderantes quam impleri. Parvo fames conſtat, magno faſtidium. Paupertas contenta eſt deſideriis inſtantibus ſatisfacere. Sanus dives eſt, qui licet habeat divitias, eas tamen ut fugientes habet. Quid ergo eſt, quare recuſes eam contubernalem, cujus mores ſanus dives imitatur? Si vis vacare animo, aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis. Non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura. Frugalitas, paupertas voluntaria eſt. Perpeßi ſunt multotiens exercitus inopiam omnium rerum; vixerunt herbarum radicibus, & dictu fœdam tulerunt famem. & hæc omnia perpeßi ſunt pro regno, quo magis mireris, alieno. dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut animum à furoribus liberet? Multis, divitias paraſſe, non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio. Nec hoc miror. Non in rebus vitium, ſed in animo ipſo eſt. Illud quod paupertatem gravem nobis fecerat, & divitias graves faciet. Quemadmodum nihil refert, utrum ægrum in lecto ligneo, an in aureo colloces: quocumque illum tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transferet: ſic nihil refert, utrum æger animus in divitiis an in paupertate ſit; malum ſuum illum ſequitur. Ad ſecuritatem non eſt opus fortuna. quod enim neceßitati ſat eſt, dabit,

licet

Digitized by Google

licet iratâ. Ne imparatos nos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, ſi ſciemus quam non ſit grave pauperes eſſe. Incipe cum paupertate habere contubernium.

Aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo. ——

Nemo alius dignus Deo eſt, niſi qui opes contempſit. Quare poſſeſſiones tibi non interdico, ſed efficere volo, ut illas intrepide poſſideas. quod uno conſequeris modo, ſi te etiam ſine illis bene victurum ſperaveris, & ſi illas tamquam exituras adſpexeris. Diſcedat quiſquis non te, ſed aliud in te ſequebatur. ob hoc unum eſt amanda paupertas, quod à quibus ameris, oſtendit. Multum eſt, non corrumpi divitiarum contubernio. Magnus ille eſt, qui in divitiis pauper eſt. Nemo naſcitur dives. Quiſquis exit in lucem, juſſus eſt pane & lacte eſſe contentus. ab his initiis regna nos non capiunt. Panem & aquam natura deſiderat. nemo ad hæc pauper eſt. intra quæ ſi quis deſiderium ſuum cluſit, cum ipſo Jove de felicitate contendat. Res inquieta, felicitas eſt; ipſa ſe exagitat, movet cerebrum, non in uno genere. alios in cultum irritat, alios in potentiam, alios inflat, alios mollit. Si vis ſcire quam nihil mali ſit in paupertate, compara inter ſe vultum pauperis & divitis. Sæpius pauper & fidelius ridet: nulla ſolicitudine concutitur, in alto eſt. cura velut nubes levis tranſit. Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt: huic gravis & ſuprema ſuperbia, licet non palam, triſtitia eſt; eo quidem gravior, quod interdum non licet palam eſſe miſeros, ſed inter ærumnas cor ipſum exedentes, neceſſe eſt agere felicem. Abſtrahunt à recto divitiæ, honores, potentia, & cæteræ quæ opinione hominum cara ſunt, pretio ſuo vilia. Neſcimus æſtimare res, de quibus non cum fama, ſed cum rerum natura deliberandum eſt. Nihil habent iſta magnificum, quod mentes noſtras in ſe trahat, præter hoc quod mirari illa conſuevimus. non enim quia concupiſcenda ſunt, laudantur: ſed quia concupiſcuntur. Hanc præcedentem cauſſam habent divitiæ. mutant animos, ſuperbiam, & arrogantiam pariunt, invidiam trahunt; eo uſque mentem alienant, ut fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet. Bona omni culpa carere decet: pura ſunt, non corrumpunt animos, non ſolicitant: extol-

extollunt quidem animos & delectant, ſed ſine tumore. Quæ bona ſunt, fiduciam faciunt; divitiæ audaciam. Quæ bona ſunt, magnitudinem animi dant; divitiæ inſolentiam.

EXCERPTA ALIA.

Licet cunctorum poëtarum carmina gremium tuum ſemper illuſtrent; aliquando deliberans, hoc tibi opuſculum pro accidentibus caſibus dirigere curavi, quod non præcedentes, ſed poſteri narrabunt. Unde ergo primum incipimus? Si tibi videtur, à morte. Ab ultimo, inquis? Imo à maximo. Ad hoc præcipue gens humana contremit: nec immerito tibi videtur hoc facere. Ceteri timores habent aliquem poſt ſe locum: mors omnia abſcindit. Alia nos torquent: mors omnia devorat. Omnium quæ horremus, ad hanc exitus ſpectat, aliorum quæ per circuitum. Etiam qui alioqui ſe nihil timere judicant, hoc timent. Quidquid aliud extimeſcimus, habet ante remedium, aut ſolatium. Sic ergo te forma, ut ſi quis tibi palam mortem minetur, omnes terriculas ejus deludas.

Morieris. Iſta hominis natura eſt, non pœna. Morieris. Hac conditione intravi, ut exirem. Morieris. Gentium jus eſt, quod acceperis, reddere. Morieris. Peregrinatio eſt vita. Multum cum deambulaveris, domum redeundum eſt. Morieris. Putabam te aliquid novi dicere. ad hoc veni, hoc ago, huc me ſinguli dies adducunt. Naſcenti mihi natura protinus hunc poſuit terminum. Quid habeo quod indigner? in hæc verba juravi. Morieris. Stultum eſt timere, quod vitare non poſſis. Iſtud non effugit, etiam qui diſtulit. Morieris. Nec primus, nec ultimus. multi me anteceſſerunt, omnes ſequentur. Morieris. Hic eſt humani officii finis. Quis ſanus exauctorari moleſte tulit? Quo tranſit orbis, ego tranſibo. ad hanc conditionem cuncta gignuntur. Quod cœpit, & deſinit. Morieris. Nihil grave eſt, quod ſemel eſt. Æs alienum meum novi. hoc quidem cum eo creditore contraxi, cui decoquere non poſſum. Morieris. Dii melius. Nemo hac re melius mortalibus minari poteſt.

Sed decollaberis. Quid intereſt, utrum caſim moriar, an punctim?

ctim? Sed ſæpe ferieris, & multi in te gladii concurrent. Quid refert, quam multa ſint vulnera? non poteſt amplius quam unum eſſe mortiferum.

Peregre morieris. Undecumque ad inferos una via eſt. Peregre morieris. Ego quod debeo, ſolvere paratus ſum. videat ſenerator, ubi me appellet. Peregre morieris. Nulla terra eſt aliena mortuo. Peregre morieris. Non eſt gravior foris quam domi ſomnus. Peregre morieris. Hoc eſt, in patriam ſine viatico pervenire.

Sed juvenis morieris. Optimum eſt, antequam optes, mori. Juvenis morieris. Hoc unum eſt, quod æque ad juvenem quam ad ſenem pertinet. Non citamur ex cenſu, nec exigitur numerus annorum. & adoleſcentes & impuberes eadem fati neceſſitas ducit. Optimum eſt mori, cum juvat vivere. Juvenis morieris. Quicumque ad extremum fati ſui venit, ſenex moritur. Non enim refert quæ ſit hominis ætas, ſed quæ ſit meta. Juvenis morieris. Fortaſſe alicui malo ſubducit me fortuna: ſi nulli alii, vel ſenectuti. Juvenis morieris. Non refert, quot annos habeam, ſed quot acceperim. ſi plus vivere non poſſum, hæc eſt ſenectus mea.

Inſepultus jacebis. Quid aliud reſpondeam, quam illud Maronis?

—— Facilis jactura ſepulcri.

Si nihil ſentio, non pertinet ad me jactura corporis inſepulti. Si ſentio, omnis ſepultura tormentum eſt. Inſepultus jacebis.

—— Cœlo tegitur, qui non habet urnam.

Quid intereſt, ignis me an fera conſumat, an tellus omnium ſepultura? Iſtud non ſentienti ſupervacuum eſt, ſentienti onus. Inſepultus jacebis. At tu combuſtus, at tu obrutus, at tu incluſus, at tu putridus, at tu eviſceratus & conſtrictus, at traditus lapidi, qui te paulatim edat & exſiccet. Nulla eſt ſepultura. non ſepelimur, ſed projicimur. Non ſepelieris. Quid inter tutiſſima trepidas? Ultra pœnarum omnium terminum iſte locus eſt. Vitæ multa debemus, morti nihil. Non defunctorum cauſſa, ſed vivorum, inventa eſt ſepultura, ut corpora & viſu & odore fœda, amoverentur. alios terra obruit, alios flamma conſumſit, alios lapis oſſa redditurus incluſit. Non defunctis, ſed noſtris oculis parcimus.

Digitized by Google

Ægroto. Venit tempus quo experimentum mei caperem. Non in mari tantum, aut in prælio vir fortis apparet. exhibetur etiam in lectulo virtus. Ægroto. Non poteſt iſtud toto ſeculo fieri. aut ego febrem relinquam, aut ipſa me: ſemper una eſſe non poſſumus. Cum morbo mihi res eſt: aut vincetur, aut vincet.

Male de te loquuntur homines. Sed mali. Moverer, ſi de me Marcus Cato, ſi Lælius Sapiens, ſi alter Cato, ſi duo Scipiones iſta loquerentur. Nunc malis diſplicere, laudari eſt. Non poteſt ullam auctoritatem habere ſententia, ubi qui damnandus eſt, damnat. Male de te loquuntur. Moverer, ſi judicio hoc facerent: nunc morbo faciunt. non de me loquuntur, ſed de ſe. Male de te loquuntur. Bene neſciunt loqui: faciunt, non quod mereor, ſed quod ſolent. quibuſdam enim canibus ſic innatum eſt, ut non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent.

Exſulabis. Erras: cum omnia fecerim, patriam meam tranſire non poſſum. Omnium una eſt. extra hanc nemo proficiſci poteſt. Exſulabis. Non patria mihi interdicitur, ſed locus. In quamcumque terram venio, in meam venio. Nulla terra exſilium eſt, altera patria eſt. Non eris in patria. Patria eſt, ubicumque bene eſt. Illud autem per quod bene eſt; in homine, non in loco eſt. in ipſius poteſtate eſt, quæ ſit illi fortuna. Si enim ſapiens eſt, peregrinatur; ſi ſtultus, exſulat. Exſulabis. Hoc dicis: alterius loci civitate donaberis.

Dolor imminet. Si exiguus eſt, feramus: levis eſt patientia. Si gravis eſt, feramus: non levis eſt gloria. Dolor clamorem exprimat, dum ſecreta non exprimat. Non poteſt homo par dolori eſſe. Nec rationi dolor. Dura res eſt dolor. Imo tu mollis. Pauci dolorem ferre potuerunt. Simus ex paucis. Imbecilles natura ſumus. Naturam infamare nolite. Illa nos fortes genuit. Fugiamus dolorem. Quid, quod ille ſequitur fugientes?

Paupertas mihi gravis eſt. Imo tu paupertati. Non in paupertate vitium eſt, ſed in paupere. Illa expedita eſt, hilaris, tuta. Pauper ſum. Neſcis te opinione, non re, laborare. pauper es, quia videris. Pauper ſum. Nihil deeſt avibus. pecora in diem vivunt. feris ad alimenta ſolitudo ſua ſufficit.

Digitized by Google

Non ſum potens. Gaude; impotens non eris. Injuriam accipere potero. Gaude; facere non poteris. Magnam pecuniam habet. Hominem illum judicas? arca eſt. Quis ærario, quis plenis loculis invidet? Et iſte quem dominum pecuniæ exiſtimas, loculus eſt. Multum habet. Utrum avarus, an prodigus eſt? Si avarus, non habet; ſi prodigus, non habebit. Iſte quem beatum credis, ſæpe dolet, ſæpe ſuſpirat. Multi illum comitantur. Mel muſcæ ſequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ. prædam ſequitur iſta turba, non hominem.

Pecuniam perdidi. Fortaſſe te illa perdidiſſet. Pecuniam perdidi. Sed habuiſti. Pecuniam perdidi. Sed habebis inde periculi minus. Pecuniam perdidi. O te felicem, ſi cum illa avaritiam perdidiſti! Sed ſi manet illa apud te, es tamen utcumque felicior, quod tanto malo materia ſubducta eſt. Perdidi pecuniam. Et illa quidem quam multos? Eris nunc in via expeditior, domi tutior. Non habebis, ſed non timebis heredem. Exoneravit te fortuna, ſi intelligis, & tutiore loco poſuit. Damnum putas? remedium eſt. Defles, gemis, miſerum te clamitas, quod opibus excuſſus es? Tuo vitio iſta tibi jactura tam triſtis eſt. Non tam moleſte ferres, ſi tamquam perditurus habuiſſes. Perdidi pecuniam. Nempe quam ut tu haberes, alius ante perdiderat.

Oculos perdidi. Habet & nox ſuas voluptates. Oculos perdidi. Quam multis cupiditatibus via inciſa eſt? quam multis rebus carebis, quas ne videres, vel eruendi erant? Non intelligis partem innocentiæ eſſe cæcitatem. Huic oculi adulterium monſtrant, huic inceſtum, huic domum quam concupiſcat, huic urbem, & mala omnia. Certe irritamenta ſunt vitiorum duceſque ſcelerum.

Amiſi liberos. Stultus es, qui defleas mortem mortalium. Quid iſtud aut novum, aut mirum eſt? Quam rara eſt ſine iſto caſu domus? Quid ſi infelicem voces arborem, quod ſtante ipſa cadunt poma? Et hic tuus fructus eſt. Nemo extra ictum vulneris poſitus eſt. Ducuntur ex plebeia domo immatura funera, ducuntur & ex regia. Non eſt idem ordo fati, qui & ætatis. Non quomodo quiſque venit, emittitur. Quid tamen eſt quod indigneris? Quid contra expectationem tuam evenit? Periere perituri. Sed ego illos ſuperſtites

 optabam.

optabam. Verum hoc nemo tibi promiſerat. Perierunt liberi mei. Habebant illi cujus eſſent magis quam tui: apud te precario morabantur. Educandos tibi fortuna mandaverat. recepit illos, non abſtulit.

Naufragium feci. Cogita non quid perdideris, ſed quod evaſeris. Nudus exii. Sed exiſti. Omnia perdidi. Sed perire potuiſti una cum omnibus.

In latrones incidi. Sed alius in accuſatores, alius in fures, alius in fraudatores. Plena eſt inſidiis via. Noli conqueri quod incideris: gaude quod evaſeris. Inimicos graves habeo. Quomodo adverſus feras munimenta conquiris, quomodo adverſus ſerpentes: ſic adverſus inimicos auxilia circumſpice, quibus illos aut arceas, aut compeſcas, aut quod optimum eſt, places. Inimicos habeo. Illud eſt pejus, quod amicos non habes.

Amicum perdidi. Jam enim te habuiſſe certum eſt. Amicum perdidi. Alium quære: & ibi eum quæras, ubi invenire poſſis. Quære inter liberales artes, inter honeſta & recta officia, quære in laboribus. Ad menſam iſta res non quæritur. quære aliquem frugi. Perdidi amicum. Fortem animum habe, ſi unum: erubeſce, ſi unicum. quid tu in tanta tempeſtate ad unam anchoram ſtabas?

Uxorem bonam amiſi. Utrum inveneras bonam, an feceras? Si inveneras, habere adhuc te poſſe ex hoc intelligas licet, quod habuiſti. ſi feceras, bene ſpera. res periit. ſalvus eſt artifex. Amiſi uxorem bonam. Quid in illa probabas? Pudicitiam? Quam multa diu cuſtoditam perdidere? Decus? Quam multæ inter probatas matronalis ordinis, eſſe cœperunt poſtea inter exempla mutatarum? Delectabat te fides ejus? Quam multas ex optimis conjugibus peſſimas videmus, ex diligentiſſimis ſolutiſſimas? Omnium quidem imperitorum animus, maxime tamen muliebris, in lubrico eſt. Si bonam uxorem habuiſti, non potes affirmare in illo eam permanſuram fuiſſe propoſito. Nihil tam mobile quam feminarum voluntas; nihil tam vagum. Novimus veterum matrimoniorum repudia; &, fœdiores divortio, male cohærentium rixas. Quam multæ quos in adoleſcentia amaverunt, in communi reliquere ſenectute? quoties anile divortium riſimus? quam multarum notus amor odio notiore mutatus eſt?

Digitized by Google

eſt? Sed hæc & fuit bona, & fuiſſet, ſi vixiſſet. Mors effecit, ut affirmare id ſine periculo poſſis. Bonam uxorem amiſi. Invenies, ſi nihil quæris niſi bonam. Tu modo ne imagines proavoſque reſpexeris, nec patrimonium, cui jam ipſa nobilitas ceſſit. Iſta diu cum forma non repugnabunt. Facilius reges animum nulla vanitate tumentem. Non multum abeſt à contemptu viri, quæ ſe nimis ſuſpicit. Duc bene inſtitutam, nec maternis inquinatam vitiis: non cujus auriculis utrimque bina patrimonia dependeant: non quam margaritæ ſuffocent, cui minus ſit in dote quam in veſte: quam in patente ſella circumlatam per urbem populus ab omni parte æque ut maritus inſpexerit: cujus ſarcinis domus ſit anguſta. Hanc facile ad tuos mores rediges, quam nondum corruperunt publici. Uxorem bonam amiſi. Non erubeſcis flere, & intolerabilem vocare jacturam? Hoc unum deeſt; utrum illam lugeas, an non. Cum maritum te cogitaveris, cogita & virum. Amiſi uxorem bonam. Soror bona non poteſt recuperari, nec mater. Uxor adventitium bonum eſt: non eſt inter illa, quæ ſemel unicuique contingunt. Amiſi uxorem bonam. Multos tibi numerare poſſum, quibus bonam uxorem lugentibus ſucceſſit melior.

Mors, exſilium, luctus, dolor, non ſunt ſupplicia, ſed tributa vivendi. Neminem illæſum fata tranſmittunt. Felix eſt, non qui aliis videtur, ſed qui ſibi.

Hæc excerpta libenter omiſiſſem. Senecæ enim non eſſe, vel cæco perſpicuum eſt. Sed veritus ſum, nequis ea, cuicuimodi ſunt, ſublata quereretur. Et in eis tamen multa ex vetere libro emendavimus.

LIBERTI FROMONDI,

in Academia Lovanienſi Philoſophiæ Profeſſoris,

N O T Æ
I N
L. ANNÆI SENECÆ
AD LUCILIUM
NATURALIUM QUÆSTIONUM
LIBROS SEPTEM.

AD LECTOREM.

IMMORTALEM *virum* JUSTUM LIPSIUM *hactenus audiſti* SENECÆ *commentatorem: audi jam in ipſo Quæſtionum Naturalium limine offenſa valetudine ſubito collabentem.*

Abſtineo, Lector, & calamum pono, illum tuis commodis quadraginta jam annos operatum. Utinam, quod volui, fecerim! ſed & ſic mihi debes, quia volui. Alii alia; mihi quæ ad vitam & mores, quæ ſcientiam cum prudentia haberent, quæ ſapientiam, placuiſſe fateor, & pro ingenii copia produxiſſe. Ultra vetor: à quo? quem ſequi & obſequi prima ſapientia eſt, Deo. Valetudinem fregit, & diu labentem impetu abjecit: pareo, & ſcribere deſino, non bene tibi velle. Tu mihi, & ſalve.

Calamum ab eo poſitum, in manum à me paulliſper reſumi, ne poſterior hac SENECÆ *editio mutilo Commentario deformis rurſum exiret, Clariſſimo Typographorum Balthaſari Moreto collibuit; &* SENECÆ *amor ducebat, quo nemo inter Ethnicos Sanctis Chriſtianorum Patribus propior, lectuque ac meditatione dignior (ſi pauculos errores excipias) multis Chriſtianis.* JUSTUS LIPSIUS *deinde, maximum litterarum & Academiæ noſtræ quondam columen, à conterraneo Belga & Lovanienſi Academico flagitare hanc operam ſuccedaneam videbatur. Non à me tamen, fateor; quia multi validiores erant, qui à tanto viro depoſitum onus facilius ſuccollaſſent. Sed quia nemo humeros offerebat, ſubivi.* LIPSIUS *igitur, laborem noſtrum, ſpero, non reſpuet; Tu, ſi placet, fruere.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

I*Nter illam partem*] Ethicam, quæ humanos mores regit.

Et hanc] Phyſicam, ad quam etiam Deum ſpectare Seneca credit, & Stoici, qui corporalem eum faciunt, ut Phyſiol. lib. 2. Diſſert. 5. oſtendit noſter Lipſius. Ariſtoteles tamen & nos, tamquam incorporalem, in Metaphyſicam ſepoſuimus.

Quæ univerſi materia] Prima illa, quæ corporum naturalium principium eſt & fundus.

Quis auctor, aut cuſtos] Deus auctor, & cuſtos. Pulchre D. Auguſt. lib. 4. cap. 12. Gen. *Creatoris potentia, & omnipotentis atque omnitenentis virtus, cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ. Nec ſicut ſtructura ædium, cum fabricaverit quis & abſcedit, atque illo ceſſante atque abſcedente ſtat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus regimen ſui ſubtraxerit.*

Totus in ſe intendat] Ut Epicurei cenſent, qui Deum numquam in terras deſpicere, ſibi uni vacare & acquieſcere volunt. Audite è grege illo egregium iſtum: Lucret. lib. 2.

Nam prò ſancta Deum tranquilla pectora pace,
Quæ placidum degunt ævum, vitamque ſerenam,
Quis regere immenſi ſummam, quis habere profundi
Endo manu validas potis eſt moderanter habenas?
Quis pariter cœlos omnes convertere? & omnes
Ignibus ætheriis terras ſuffire feraces?

Ad nos aliquando] Imo ſemper. Scite Boëtius lib. 5.

Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole reſiſtunt,
Non nox atris nubibus obſtat.
Quæ ſint, quæ fuerint, veniantque,
Uno mentis cernit in ictu.

Faciat quotidie] Ita, facit. quia actionibus cauſſarum ſecundarum ſuam illa prima interſerit. ſemel tamen & ſimul in mundi conditione materiam omnium condidit.

Pars mundi ſit] Anima ejus, ut Stoicis placet. Fluctuat tamen noſter lib. 3. cap. 29. *Sive*, inquit, *anima eſt mundus, ſive corpus.* Ubi mundum, uti alias ſæpe, pro Deo accepit. Lib. 7. cap. 30. tamen diſerte partem & animam mundi Deum facit. *Ipſe qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundavit deditque circa ſe, major eſt pars operis ſui ac melior, effugit oculos, cogitatione viſendus eſt.* Stoicam hanc philoſophiam apud inferos Æneam docet Anchiſes pater, Æneid. 6.

Principio cœlum, ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit; totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

An mundus] Totus, non ſola ejus anima. Sed nec mundus eſt nec pars ejus. Opifex mundi eſt. & licet undique ei infuſus ac inſertus; non tamen ut anima corpori. Forma adſiſtens eſt, non informans, ut philoſophi loquimur.

Liceat illi hodieque] Semel ab æterno libere decrevit, & fatus eſt, hodie decernere incipit nihil.

Neceſſitas ſua] Vero hoc & Chriſtiano ſenſu. neceſſitatem enim illam & legem exequendi ac patrandi decreta ſibi ipſe poſuit: & licet fata non mutet, fando tamen liber & ſuæ ſpontis fuit.

Niſi ad hæc admitterer] Contemplanda. Sed alius tamen, & altior finis eſt, cui naſcimur, ô Seneca.

Percolarem] Eleganter. Nam cibi potuſque per ventriculum, me-

ſenterii venas, hepar, & tot corporis anfractus trajiciuntur, ceu per colum.

Cauſſarium] *Caſuarium* legi vult codex Nicotianus. quæſo, ne faciat. ſic enim Epiſt. 68. noſter *cauſſarias partes*, ægras & affectas appellavit. Origo vocabuli à militibus cauſſariis eſt, qui morbi cauſſa, militia abſolvebantur: unde in omnes ægros & invalidos poſtea diffuſum, adeo ut Palladius lib. 1. Tit. 4. ægritudinem *cauſſationem* vocare non ſit veritus. Hinc etiam intelligis, quid *miſſio cauſſaria* apud J. C. quam ultro etiam & diſerte Ulpianus l. Quod ait, D. de his qui notantur infam. definit. *Quæ propter valetudinem laboribus militiæ ſolvit.*

Ægri miniſter] Corporis noſtri, cujus valetudini ſollicite excubamus & miniſtramus.

Portenta vincimus] Libidinem, iram, & alios portentoſos affectus.

Invaletudinario] Pincianus, *valetudinario*. Memmii & Nicotii codices vocem cædunt, *in valetudinario*, id eſt, loco ubi curatur valetudo, quem barbare infirmitorium appellamus. Ita noſter lib. 1. cap. 16. de Ira, & Epiſt. 27. *Tamquam in eodem valetudinario jaceam.* Sed nihil muto. quomodo enim invalidus, ita invaletudinarius ægrum, & invaletudo, ægritudinem ſignificat.

Niſi per indigna] Blanditias, adulationem, largitiones.

Monetæ dedit] Loco, opinor, ubi feriuntur & ſignantur nomiſmata. Auſon. in laudibus Mediolani:

Templa, Palatinaque arces, opulenſque
Moneta.

Poteſt tamen etiam, ut pro ipſo nomiſmate, aut forma ei impreſſa: ſic dicta, quod pretii vel auctoris aſpicientem moneat.

Tonſiles ſilvas] Alii, *penſiles*. quod pœne eſt ut approbet noſter Lipſius; quia luxurioſi illi in tectis, Italico more planis, plantabant & ſuſpendebant nemora, *pomariaque in ſummis turribus ſerebant*, ut iſte ipſe Seneca Epiſt. 122. conqueſtus fuit. Sed lectio noſtra etiam proba & retineri poteſt: quia urbanæ, & caſtigata ramorum laſcivia tonſiles ſilvæ in gratia & luxuria ditiorum erant. De auctore lib. 12. cap. 2. Plinius. *Primus Cn. Matius ex equeſtri ordine, Divi Auguſti amicus, invenit nemora tonſilia, intra hos 80 annos.*

Derivata in domos] Euripos enim & totos rivos aquarum tubis & canalibus intra domos, cœnationes, & triclinia, ad uſum & voluptatem accipiebant, uti ex Strabone & Plinio diſcimus. Seneca noſter Epiſt. 100. *Conciſuras aquarum cubicula influentium* nominat. Papinius de Vopiſci Tiburtino:

An pictura ta lucentia marmora vena
Mirer, an emiſſas per cuncta cubilia
lymphas?

Piſces etiam quandoque in iis natabant. Noſter infra lib. 3. cap. 17. Nat. *In cubili natant piſces, & ſub ipſa menſa capitur, qui ſtatim transferatur in menſam.*

Magna ex parte opertum mari] Sane. nam mediam circiter Orbis noti partem aquis ſuppreſſam accepimus navigantium fide. Vide me, ſi lubet, lib. 5. cap. 1. art. 1. Meteorol.

Aut uſtum, aut rigentem] Ita antiqui iſti putabant; ideoque torridam & duas frigidas mundi zonas ſine humano cultu eſſe. & de iſtis, fere verum; quia rari colunt ſub mundi polis: illa frequenter & amœniſſime habitatur.

Strymo Thracas] Lipſii codex, *Aſimunſamothracas.* nec longe abeunt alii. Fuerit igitur, inquit, *Æmus mons Thracas.* & adfirmat Pithœi vetuſtus codex, qui legit, *Æmus Thracas.* Veritas etiam; quia Strymo fluvius exiguam ſolum Thraciæ partem, Æmus mons majorem longe præcingit.

Danubius Sarmatica] Cis enim Danubium Dalmatia & Pannoniæ Romanis additæ à Tiberio, vivente adhuc Auguſto. ultra, Sarmatæ (qui hodie Poloni & Ruſſi) Getæ, & Daci (id eſt, Tranſſilvani, Servii, Bulgari, & alii quidam circa) hactenus indomiti. Ab

Augu-

Digitized by Google

Auguſto enim validum exercitum in eos immiſſum auctor eſt Strabo, ſcriptor illius temporis, & 200. eorum millia ſic acciſa, ut ad 40. redigerentur: manſiſſe tamen invictos. Perviéti dudum poſt à Trajano, qui ſtrato Danubio admirabili & famoſo illo lapideo ponte, Regem eorum Decebalum cepit, Daciamque Provinciam, deductis eo coloniis, fecit.

Rhenus Germaniæ modum] Id eſt quod lib. 6. cap. 7. repetet: *Rhenus Germanos, avidam gentem belli, repellens.* & paullo ante, *Danubium ac Rhenum inter pacata & hoſtilia medium fluere.* Galliæ enim tunc & Belgium in imperio aut ſocietate Romanorum, ſed Germania, ſaltem illa penitior, exceptis Rheni accolis, extra obedientiam & fidem erat. Quomodo? inquies. nonne Druſum Claudium, Tiberii fratrem, *magna ex parte domitorem Germaniæ*, lib. 2. Velleius clamat? nonne Tiberium ita eos attrivisſe, ut *nihil eſſet, quod vinci poſſet, præter gentem Marcomannorum?* Clamat, ſcio, Tiberii adulator; ſed non audimus.

A lateribus affuſum] Polybius de Romano agmine: Ἱππεῖς παρὰ τὰ ὑποζύγια πλάγιοι παραπορεύονται: *Equites ad latera jumentis adequitant.* Lipſium adi lib. 5. Dial. 12. Milit. Rom.

It nigrum] Hemiſtichium Virgilii de formicis, lib. 4. Æneid.

Utrimque] Ab ortu & occaſu. Minima, inquit, regna ſunt, licet ab ortivo ad occiduum ſolem inter utrumque Oceanum porrigantur; quia Orbis totus eſt punctum.

Ingentia ſpatia] Conſentienter Prophetæ Barucho (ut hoc è ſacris addam) *Quam magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus!* Firmamenti enim ambitus creditur leucas Belgicas 100800000. id eſt, centum milliones & octingenta millia, continere; cum Orbis terræ circulus vix 7200.

Divina delectant] Notate hic athei argumentum animi noſtri divini & immortalis.

Pauciſſimorum dierum ſpatium] Nam valido & ſecundo flatu navem ſingula quaque hora octo aut novem millia paſſ. emetiri, noſtrorum nautarum experientia didicimus.

Velociſſimo ſideri] Saturno, cujus una periodus non ante trigeſimum annum exambitur.

Nuſquam reſiſtenti] Falſum hoc, da veniam, Seneca: & ſtatus, ac retrogradatio Planetarum evincit. Cogitabam an fortaſſe non ſatis vulgo noti & vulgati ſiderum iſti luſus & inconſtantia proprii motus Planetarum, temporibus Senecæ. Sed refellit ipſe lib. 7. cap. 25. *Quæ ſtationes*, inquit, *quando in rectum ferantur, quare agantur retro, modo cœpimus ſcire.*

Quod vides totum] Mundus hic corporeus, ex Deo, ceu anima, compoſitus, & ab ea parte meliore appellatus Deus. quod à Zenone ſuo & Stoa accepit.

Quod non vides totum] Anima ipſa mundi, inviſibilis & inſenſilis. Lipſium conſule, ſi placet, lib. 1. Diſſert. 8. Phyſiol.

Sapientiam quoque profeſſos] Epicureos, qui negata Deo providentia, omnia dant in caſum.

Natura neſciente] Nempe hoc eſt, quod in Sophiſta Plato: quoſdam ſic deſipere, ut dicant τὴν φύσιν πάντα γεννᾶν ἀπό τινος αἰτίας αὐτομάτης, καὶ ἄνευ διανοίας φυούσης: *Naturam omnia gignere ſua vi & ſponte, abſque ratione aliqua producente.* Inſerit ergo Seneca Naturæ creatæ Deum, qui ejus actiones ingenio & ratione gubernet.

Materiam ipſe formet] Format vero, imo creat.

Utrum idea] Idea prior & antiquior eſt materia; quia æterna illa, hæc temporalis. etſi Stoici hanc etiam æternent. Videſis Lipſium lib. 2. Diſſert. 3. Phyſiol.

Id in quo exercetur] Materia, in cujus inobedientiam monſtra & naturæ defectus rejiciebant.

Cap. I. *Capram vocat*] Sed non ipſe primus nomenclator, ut recte notant Lipſius & Muretus. Nam lib. 1. cap. 4. Meteor. κεκλημένας, ait, ὑπό-

 [illegible]

τινῶν δαλοὺς καὶ αἶγας, *vocatas à quibuſdam trabes, & capras.* Capra autem à laſcivo ſaltu, barba, floccisque dependulis, quibus οἷς ἀποσπινθηρίζει. *quaſi exſcintillat*, ut loquitur Ariſtoteles.

Globum ignis] Globum? erras Seneca. nam impreſſe affirmat, τὸ ἔκκαυμα πλεῖον ἐστὶ κατὰ τὸ μῆκος ἢ τὸ πλάτος, *materiam accenſam majorem eſſe ſecundum longitudinem quam latitudinem.*

Lunari magnitudine] In eo bello, Lunæ deliquium, & id à Sulpitio Gallo, 2. Legionis Tribuno, militibus, ne in prodigium verterent, prædictum; de Capra nihil lego. Niſi ad facem adſpexit Seneca, quam hoc bello Lanuvii viſam ſcribit Jul. Obſequens: quod Lipſio noſtro libenter accredo.

Circa divi Auguſti exceſſum] Hunc tamen Cometam fuiſſe lib. 7. cap. 17. dicet. *Nec eſt quod putemus, eumdem viſum eſſe* (Cometen) *ſub Claudio, quem ſub Auguſto vidimus.*

De Seiano actum eſt] In Senatu mors ei decreta, inquit Lipſius. Aut certe, cum occiſus eſt & abjectus in Gemonias. Dicimus enim, de eo actum eſſe, qui periit. Sed verius, hos omnes aut pleroſque, non Capras, ſed Cometas fuiſſe, qui Principum funera ſolent anteire.

Quadam algentia] Vetus liber, *alentia*: unde Muretus *algentia* fecit. ſatis commode: ut vaporem intelligat, qui etſi à ſole vaporante calefiat, algere tamen dicatur, quia naturæ algidæ & aqueæ eſt. quo, aut propinquo ſignificatu, Varro pecus *alſioſum*, & Plinius flores frigori obnoxios, *alſioſos* vocavit.

Canicula ruber] Bona fide, vidiſti umquam Caniculam, Seneca? Ego ſæpe: & flammam ejus argenteo fulgori, aut adamanti propiorem, quam pyropo: in quem palam Mars cruentus declinat. De Jove, ita fere habet: niſi quod tamen aliquanto nebuloſior & coloratior Venere. quod experieris, ſi per arundinem Belgicam inſpicias.

Stramenta ſulphure aſperſa] Codex Memmianus legit non *ſtramenta*, ſed *ramenta*. Quod Clariſſimus vir Albertus Rubenius præfert, ex illo Martialis lib. 10. Epigr. 3. verſu:

Quæ ſulphurato nolit empta ramento
Vatiniorum proxeneta fractorum.

Ubi poëta indicat, ſulphurata olim confecta ex tenuibus ligni, ut puto, ramentis, quæ fabrum lignariorum ſcobina aut aſcia deradit; ut hodie rejectis ramentis, calamos cannabis aut lini ad ſulphurationem iſtam adhibemus. Quamquam merito etiam fortaſſe quis addubitet, an non ex ſtramentorum quoque calamis eo tempore (quod forte Seneca innuit) concinnata fuerint. Stramentorum quippe calami ad eam rem inidonei non ſunt.

Pollucis & Caſtoris] Vide, ſi vacat, quæ de iſtis lib. 2. cap. 2. art. 2. Meteorol. nuper ſcripſimus.

Gylippo] Lacedæmoniorum duci, cum Syracuſanis ſuppetias adverſus Niciam, & Athenienſium potentiam fractum iret.

Nam ſereno] Imo quandoque fulminat. Plin. lib. 2. cap. 51. *In Catilinianis prodigiis, Pompeiano ex municipio M. Herennius decurio ſereno die fulmine ictus eſt.* Ratum id tamen, & vere in prodigiis; nec unum aut alterum ſine nubilo fulmen ſatis validum, ut univerſim omnia à dæmonibus, non à nubibus ſpargi Bodinus evincat. Vide quæ lib. 2. cap. 3. art. 3. Meteorol. in eum diximus.

Clypei] Plin. lib. 2. cap. 34. *Clypeus ardens ab occaſu ad ortum ſcintillans tranſcurrit, ſolis occaſu, L. Valerio, C. Mario Coſſ.*

Cap. II. *Quo die divus Auguſtus*] Plin. lib. 2. cap. 28. *Cernuntur & verſicolores circuli, qualiter Auguſto Cæſare in prima juventa Urbem intrante poſt obitum patris, ad nomen ingens capeſſendum.* Quam imaginem ingenioſe Juſtus Lipſius in auſpicium & arcum triumphalem traxit, quo Sereniſſimi Belgarum Principes ALBERTUS & ISABELLA, anno M. D. XCIX. Lova-

Lovanium primum ingreſſi: cujus inſcriptionem lib. 6. cap. 2. art. 2. Meteorologiæ noſtræ habes.

Cogitemus fieri] Numquam cogitabo, niſi lumen corpus eſſe mihi probaveris, quod aërem jactu terebret & diſcutiat, ut piſcinam lapis; quod Ariſtoteles & ratio longe reſpuit. Seneca ergo quia ab Ariſtotele, à vero hic abivit, & comparatione iſta piſcinæ pinguiuſcula circumventus & abductus fuit.

Terendis frugibus] Areæ nobis figuram concinnat M. Varro lib. 1. cap. 51. Ruſt. *Aream*, inquit, *eſſe oportet in agro, ſublimiori loco, quam perflare poſſit ventus. hanc eſſe modicam pro magnitudine ſegetis, potiſſimum rotundam, & mediam paullo extumidam, ut ſi pluerit, non conſiſtat aqua.* In area iſta, grana ſpica & folliculis, terendo (ruſtici noſtri hodie, flagellando) exuebant: quod Palæſtini plauſtro dentata & ſerrante perficiebant. Indicat Iſaias cap. 41. *Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans novum, habens roſtra ſerrantia.*

Dilapſa ſunt æqualiter] Brevius & bellius Ariſtoteles: Ἡ μάρανσις αἰθριῶν ἢ διάσπασις πνεύματος σημεῖόν ἐστι: *Tabes, ſerenitatis, diſtractio venti eſt ſignum.*

Illos hiſtoria coarguant] Aliquot apud nos vide lib. 6. cap. 2. art. 2. Meteorol.

Quod ſidera cætera] Aliquid haud dubie hic turbatum. Memmii & Nicotii Cod. *Æque ſidera cætera*: quod ſenſum reſtituit. Vult enim lunam & ſidera in hoc pariare, quod utriſque vis imbecilla, nec ſatis pugnax ad diſcutiendum aut fundendum aëra.

Moram præbeat] Iterum lumen corpus, non accidens, eſſe ſignificat. quod hodieque Mathematici quidam, & nuper Adr. Turnebus toto libro ſuadere conatus. ſed quam non perſuadeant, vide quæ lib. 3. de Anima ſcribimus.

Cap. III. *Rediculis*] Alii *tendiculis*. Pincianus *craticulis*, aut *clatriculis* legendum monet. Non audio. Muretum potius, qui *ridiculis*, ex veteri libro. Ridicæ enim & ridiculæ lignea pedamenta & adminicula vitium ſunt, ſatis cognita in M. Varrone, & ruris Scriptoribus. Ulpiano etiam l. 11. D. *Quod vi aut clam. Si quis in vineas meas venerit, & inde ridicas abſtulerit, hoc interdicto tenebitur.* Ligna ergo erecta partim, & tranſverſaria, in quibus fullones veſtimenta ſua & pannos diducunt, Seneca, aut fallor, *ridicas* appellat, propter ſimilitudinem pedamentorum quibus vites ſuſtentantur.

In diſſimilia deſinit] Nam puniceus & viridis in arcu color flava & ſimili commiſſura coëunt, à qua deinde in diſſimilia abeunt; id eſt, hic in viridem deſcendit, ille ſcandit in puniceum.

Spatio prohibente diſcerni] Diſtantia oculi à ſpeculis.

Radios ſuos replicat] A ſpeculo, cui impingitur, in ſe & oculum reflectit. Hæc omnia ſumpta ex lib. 3. Meteor. Ariſtotelis. ubi viſionem fieri conjectu radiorum ex oculis, à Mathematicis ſui ævi accipit; quod tamen deinde lib. 2. de Anima reſpuit.

Deficit] Ne replicari & redire ad oculum poſſit; ut pila levi ictu parieti illiſa non reſilit.

Quidam hoc genere valetudinis] Ut apud Ariſtotelem Antipheron ille Oritanus. De quo quid exiſtimemus, vide lib. 6. cap. 2. art. 1. Meteorolog. noſtrorum, & cap. 1. per Articulos 16. plenam materiam Iridis.

Remus integer] Ideo hanc ſpeciem fractam, aut refractam vocant Optici. Lucret. lib. 4.

> *Nam quæcumque ſupra rorem ſalis edita pars eſt*
> *Remorum, recta eſt; & recta ſuperne guberna:*
> *Quæ demerſa liquore obeunt, refracta videntur*
> *Omnia converti, ſurſumque ſupina reverti,*
> *Et reflexa prope in ſummo fluitare liquore.*

Id autem accidit, quoties radius à me-

medio denſiori in rarius, aut ex hoc in illud exit.

Columnarum intervalla] Longa enim ſeries columnarum, & diſtantia extrematum ab oculo, facit ut radius oculi oblique incidens non exeat per intervalla, & duas proximas, unicam & continentem columnam eſſe exiſtimet.

Sapientes viri] Epicurei, qui ſenſum falli negant. Lucretius in illa gente nobilis, lib. 4.

Quid majore fide porro, quam ſenſus haberi
Debet? an ab ſenſu falſo ratio orta, valebit
Dicere eos contra, quæ tota ab ſenſibus orta eſt?
Qui niſi ſint veri, ratio quoque falſa fit omnis.

Et infra;

Non modo enim ratio ruat omnis; vita quoque ipſa
Concidat extemplo, niſi credere ſenſibus auſis.
Illa tibi eſt igitur verborum copia caſſa
Omnis, quæ contra ſenſus inſtructa, parata eſt.

Eſſe dubium nulli poteſt] Mihi certe lib. 6. cap. 1. art. 3. Meteorol. potuit, ubi cavitatem iſtam refellimus. Senecæ tamen in iſta cavæ nubis philoſophia præiverat olim Poſidonius, Philoſophus merus, ſine ulla fere (ut olim animadverti) Mathematicarum mixtura.

Remiſſo & intento] Atro & albo: vel, cæruleo & fulvo, ut ipſe cap. 10. ſibi interpres, ille à vapore nigro, hic à ſole eſt.

Sæpius merſa ſit] Hæc dibapha dicitur, quaſi bis tincta: *qualiter nunc omnes pene commodiores purpuræ tinguntur*, ait lib. 9. cap. 39. Plinius. Magnificam, & impendioſam hanc tincturam fuiſſe idem ſcribit, & P. Lentulum Spinterem Ædilem curulem an. V. C. ſeptingenteſimo, ipſo Ciceronis Conſulatu, primum in prætexta, cum probro uſum, cum denariis mille (id eſt C C L. florenis) in libras non poſſet emi. Ubi tamen error in Plinio manifeſtus. Nec enim anno Urbis ſeptingenteſimo, ſed ſexcenteſimo nonageſimo (ſi Sigonii Faſtos adſpicis) aut primo & nonageſimo (ſi Dionis) quod malim, Cicero Conſul fuit. Facili etiam calculo huc te Suetonius deducet, qui Auguſtum Sex. Pompeio & Sex. Apuleio Coſſ. hoc eſt anno Urbis IↃ. CCLXVII. cum annum vitæ LXXVI. propemodum impleviſſet, exceſſiſſe ſcribit. natum igitur anno Urbis IↃ. CXCI. oportuit. atqui compertiſſimum eſt, natalem Auguſti incidiſſe in Conſulatum Ciceronis.

Cap. IV. *Quod oſtendit*] Speculum.

Nec dubium cuiquam] Dubito tamen, imo vanitatis damno in noſtris Meteorologicis.

Si ſpeculum, inquit, concavum] Verum hoc, ſed inutile ad concinnandam picturam Iridis.

Cap. V. *Alii imagines aiunt*] Vere, alii vero ante falſi, qui imaginem noſtri, non nos, cerni credunt in ſpeculo.

Ampliorque eſt] In ſpeciem ſaltem. nam alias re vera arcus eſt infinitum ambitu ſolis anguſtior.

Habet enim quadam] Vaporem perpetuo & tenuiſſimo, ac veluti aërio contextu expanſum, non guttatim in ſtillicidia diſſectum.

Ore excuſſa] Facie à ſole averſa, & ore aquam in radios ejus expuente.

Standum eſt] Falleris & fallis, Seneca. nam momento & inter lapſum rapere imaginem ſolis gutta poteſt. hac decidente, altera ſuperne in locum ejus defluens imaginem eamdem excipit; tertia deinde, ac quarta, & ita deinceps omnes ſerie quadam, ubi ad reflexionis punctum delapſæ ſunt, ſpeciem ſequenti ſic tradunt, ut unum idemque eſſe & ſtare videatur ſpeculum: quod oſtendimus lib. 6. cap. 1. art. 3. Meteorol.

Colla Cytheriaca] Opſopœus metuit ne Imperator hic impegerit in legem verſus, ignoraveritque menſuram vocis, *Cytheriaca*. Ovidius enim aliter

Digitized by Google

ter metiri videtur lib. 15. Metamorph.

Armigerumque Jovis, Cythereidaſque columbas.

Igitur cum libris, ut ait, quibuſdam, *Tiberiaca*, reponit. Sed cur potius non timuit, ne ſecunda in *Tiberiaca* foret brevis? Verum Martialis hunc ei fluctum componet, & Cæſarem defendet. Audi eum:

Lavior & conchis Galle Cytheriacis.

Aut ſi à Poëta principe fieri malit. Æneid. 10.

Eſt Paphos, Idaliumque tibi, ſunt alta Cythera.

Ab hac Inſula, Venus, Cytherea: ab iſta deinde columbæ, Cytheriacæ, Veneri ſacræ. Cæterum Neronem poëtam fuiſſe, nec malum, diſcimus etiam ex Tranquillo. *Ad poëticam*, inquit, *pronus carmina libenter ac ſine labore compoſuit: nec, ut quidam putant, aliena pro ſuis edidit.* Ea tamen Perſius Satyr. 1. ut tumida & nimium ampullantia ridet, auriculaſque aſini Neroni aſſuit. Lucanus vero, Senecæ noſtri ex fratre nepos, cum à Principe, carminum ejus æmulo, invidia premeretur, & refrigeraretur ubique, eo audaciæ & contemptus erupit, ut neque dictis neque factis in Principem, ſævum & tyrannum, ſibi temperarit, & *quondam in latrinis publicis* (facilis mihi aurium venia ſit: verba Auctoris vitæ Lucani ſunt, qui putatur Suetonius) *clariore cum ſtrepitu ventris emiſſo, hemiſtichium Neronis magna cum ſeſſorum fuga pronunciarit:* Sub terris tonuiſſe putes.

Suffectam] Eodem ſignificatu, quo infectam, ſolemnius dicimus.

Purpuram Tyriam] Hinc jocum Auguſti apud Macrobium intelligi, recte adnotavit Muretus. *Cum de Tyria purpura*, inquit, *quam emi juſſerat, obſcuritate quereretur: dicente venditore, Erige altius & ſuſpice: his uſus eſt ſalibus: Quid ergo? ut me Populus Romanus dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum?*

In eadem ſententia ſum] Malim in alia veriori. Lib. 6. cap. 1. art. 3. Meteorologiæ noſtræ adi, ubi illa ſat longe rejecta.

Argumentis nihil dubii relinquentibus] Mihi certe largiter relinquunt. Iterum lib. 6. cap. 1. art. 2. Meteorol. adſpice.

Neque enim omnia] Cauſſas depravationis, plenitudinis, gracilitatis imaginum, & omnis transformationis à vero, vide apud Vitellionem lib. 6.

Cap. VI. *Quia eſt alicujus ſpeculi natura*] Specula concava augent, convexa minuunt veram magnitudinem. Verum hæc ne hilum adjuvant Poſidonii & Senecæ de Iride ſententiam: & deridiculum eſt, ad omnem Iridem oportere nubem excavari. quidquid ab ipſis etiam ſentiat auctor libri de mundo, qui, ſine dubio, Ariſtoteles non eſt. *Irim*, inquit, *vulgo arcum eſſe aiunt, quando imago ſolis vel lunæ humidam & cavam nubem, denſamque ad inſtar ſpeculi colorat, & meditatem orbis ejus ſecat.*

Quare in orbem eat facies] Cur Iris rotunda ſit, niſi imago ſit ſolis rotundi.

Sequitur ut detur & forma] Non exiſtimo. ſed Iris idcirco rotunda, quod radii æqualibus angulis in oculum à nube recurrentes, neceſſario in orbem & circulum ſint diſpoſiti, ut docui lib. 6. cap. 1. art. 3. Meteorol.

Ego videri] Cerni tamquam colorem nubi inhærentem, cum revera ſit ſol extra nubem, viſus tamen in nube, ceu ſpeculo.

A ſole] Hoc videtur ſuperfluere.

Cum omnes fulgores] Ut auroræ & crepuſculorum.

Si obtexeris ſolem] Obtege quoque ſolem, Seneca, & omnes illi fulgores crepuſculorum, cæteræque colorationes per nubes ſine ordine, ſine lege & figura certa diſperſæ, momento, nec ſegnius quam arcus, evaneſcent. non quia ſunt imago ſolis, ſed lumen confuſum & inconditum, à præſentia ſolis dependens. Extingue item candelam aut facem, lumen per parietes cubiculi diffuſum, eodem temporis puncto

punƈto commoritur; etſi non vere quis affirmet eſſe facis imaginem.

In humido labitur] Quia radius ab oculo, ut putat, emicans hac illac diffunditur, inflatur, & craſſeſcit in humido. Quod tamen dixiſſe oportuit de radio qui à re viſibili per humidum trajicitur in oculum.

In ſumma aquâ] Refraƈtio enim attollit poculi fundum, & annulum exhibet velut in ſumma aqua natantem. Sic etiam mare, ſic flumina, ſic fontes, ſic omnia vaſa humore pellucido plena, minus profunda apparent.

Cap. VII. *Virgula ſolet fieri vitrea*] Qualia priſmata, & vitra noſtra triangularia ſunt. Obiter hic forma clavæ notanda; quæ angulis & toris aſperata ad iƈtum.

Quia enormiter facta] Anguloſa & diſtorta, quaſi ſine certa lege & norma. Infra lib. 2. cap. 1. *Vitrum terra lata ſit, inæqualis, & enormiter projeƈta.* Horatius lib. 2. Sat. 2. *abnormem* etiam dixit.

Ruſticus, abnormis ſapiens, craſſaque Minerva.

Cap. VIII. *Ex humili & ſordido accipiant*] Quia pars vaporis humilis & terræ propinqua, craſſior, fæculentior, & ſordidior eſt.

Etiamnum diximus circulos] Coronas ſeu areas. Et vide hic Senecam ſuccumbentem difficultati, cur Iris numquam circularis, ſicut ſolent Coronæ: & tacite alio amoliri pedem. Si vacuus es, adi tu quæ ſcripſimus lib. 6. cap. 1. art. 5. Meteorol.

Ariſtoteles ait] Lib. 3. cap. 5. Meteor. & nos diffuſe lib. 6. cap. 1. art. 14. Meteorol.

Cap. IX. *Jam ſe ſpargente*] In pluviam, aut rorem ſe denſante, & diſpergente. Vide quæ nos de Virgis iſtis lib. 6. cap. 3. art. 3. Meteorol.

Cap X. *Corona omnium ſiderum*] Negat Opticorum Princeps Vitello lib. 10. Theor. 61. quia ſoli Planetæ & Fixæ primæ magnitudinis ſe coronant: aliæ minores, quia luminis imbecilli, non poſſunt.

Cap. XI. *Qui dubitavit de nomine*] Secus tamen à Plinio lib. 14. cap. 6. intelleƈtus Poëta: ut non de nomine dubitans, ſed admiratione generoſitatis, iſthæc dixerit, Rheticumque vinum uni Falerno poſthabuerit. *In Veronenſi*, inquit, *Rhetica Falernis tantum poſthabita à Virgilio.*

Atqui tam in ſublimi] Difficile tamen ſane & arduum, quomodo id poteſt? Adito quæ nos lib. 6. cap. 3. art. 1. Meteorol. diſputavimus.

Cap. XII. *Quia pinguis humor*] Aqua enim minimo flatu vacillat, & exaſperat ſuperficiem, imaginemque confundit.

Niſi in liquido & immoto] Poſſunt vero etiam in ſpeculo vitreo aut metallico: ſed imago, quia tota redit, nec pars demergitur, ut in liquido, nimis vehemens & plena, oculoſque acerrime ferit.

Modo totum] Igitur luna ſolem tegere totum poteſt; quod Tycho nuper negabat. ſed experientia Senecam defendit.

Quæ ſtellas quoque oſtendit] Tamquam noƈte ſepulto ſole.

Cum uterque orbis] Sol & luna ſteterint in eadem linea reƈta, quæ à centro ſolis, per centrum lunæ, in oculum ſpeƈtantis decurrit.

Mobiles enim ſpargunt illam] Jaƈtatione hac illac infleƈtunt, & diſſipant; ut aqua dum fluƈtuat, aut criſpat tergum.

Cap. XIII. *Si Arato credimus*] Ariſtoteles vero lib. 3. cap. 6. Meteor. ſimpliciter parelium pluviæ ſignum facit, & magis certiuſque illum qui ad latus Auſtrale ſolis. Μᾶλλον, inquit, *ὕδατος σημεῖον ὁ παρήλιος, τῶν ῥάβδων· μᾶλλον γὰρ σημαίνει τὸν ἀέρα ὑγρὸς ἔχειν πρὸς γένεσιν ὕδατος. Ὁ δὲ νότιος τοῦ βορείου μᾶλλον· ὅτι μᾶλλον ὁ νότιος ἀὴρ εἰς ὕδωρ μεταβάλλει τοῦ πρὸς ἄρκτον*: *Magis aquæ ſignum eſt parelius, quam virga: magis enim ſignificat aërem efficaciorem & proniorem eſſe ad generationem pluviæ. Auſtralis autem Boreali magis: quia Auſtralis aër magis & fa-*

Digitized by Google

& faciliùs in aquam vertitur, quam qui ad Urſam.

Cap. XIV. *Sunt Pithiæ*] Πίθος enim dolium ſignificat. & à figura ſimili Plinius lib. 2. cap. 25. Cometen quemdam Pitheten vocat.

Sunt Chaſmata] Hiatus. de quibus Ariſtoteles lib. 1. cap. 5. Meteor. nos lib. 6. cap. 4. Meteorol.

Stellarum longos] Librarius, aut memoria Senecæ allucinatur. *Flammarum* enim Poëta lib. 1. Georg. ſcripſit.

Cum acies noſtra non diſcernat] Ita pueri titionem accenſum circumagentes, circulum ignis perpetuum videre ſe credunt.

Ut partes ejus] Succedentes, videlicet. Subtiliter hoc Seneca, & quaſi dicat: Viſus non numerat per intervalla temporis, nec diſcernit quæ pars motus alteri ſuccedat, ſed omnes ſitus flammæ ſimul & univerſim in unam ſummam ſic alligat & comprehendit, quaſi flamma replicata in diverſis locis eſſet, ut Philoſophi hodie loquimur, quouſque contextus ille & catena ſe porrigit. Malim itaque *prendatur*, quam *prendantur* legi.

Quod fit in fulmine] Reſcribo, *Quod quia fit in fulmine*: ſenſu volente.

Pabulum ſuum ſubſequens] Pluribus nos lib. 2. cap. 5. art. 1. Meteorol.

Quia refert, quale ſit] Quia à materiæ quæ incenditur opacitate, & viribus flammæ incendentis, color aſtringitur, aut digeritur.

Ventum autem ſignificat] Nos ſatis hæc diffudimus, lib. 2. cap. 4. art. 3. Meteorol.

Cap. XV. *Poteſt ſtellarum motus*] Stellas enim ſolutas orbibus, per liquidum æthera circumagi, & eum atterere credit.

Aſtrapoplecta] Fulgurita, ſeu fulgure afflata.

Pogonia] Barbati.

Cypariſſiæ] A comis, cypariſſi arboris jubas imitantibus.

Sub Tiberio Cæſare cohortes] Vigilum, opinor, quæ Romæ ſeptem è libertinis contra incendia ab Auguſto inſtitutæ, ut lib. 55. narrat Dion. Hos Tertullianus Apolog. cap. 39. Sparteolos vocat. *Ad fumum cœnæ Serapicæ*, inquit, *Sparteoli excitabuntur.* Ubi Pamelius noſter, *Sparteoli, fiſcellæ ſunt*, inquit, *in arca formam, ſacris Serapicis frequentes in uſu. imo, quantum ex hoc loco apparet, igni tradebantur, atque adeo fumum excitabant.* Quam abit à vero! Sparteolos enim vigiles illos nocturnos eſſe (& palam Tertulliani locus renuit ad fiſcellas, & neſcio quas illas ſportulas abduci) docet vetus Interpres Juvenalis, ad iſtum verſum Sat. 14. *Diſpoſitis prædives hamis.*

Cap. XVI. *Volo tibi narrare fabellam*] Honeſtius tacuiſſes Seneca. Pudet enim hæc commentari aut legere. raptim ſaltem facio, & oculo conniventi.

Obſcœnitatis uſque in ſcœnam producta] Id eſt, opinor, par obſcœnitati ſcœnicæ & theatrali. Indicat etiam fortaſſis una, *obſcœnum* à *ſcœna*, quod cenſuit ante eum M. Varro, deduci: licet alii à cœno, vel *Oſcis*, ſpurcis & obſcœnis populis malint. Nota vero ſatis ſcœnæ olim & theatrorum impudentia. hinc illud Tertulliani cap. 6. Apolog. *Theatra ſtuprandis moribus orta.* & lib. de ſpectaculis cap. 10. Pompeii theatrum *arcem omnium turpitudinum* vocat.

Seſtertium millies ſervum] His enim divitiis ſerviebat, ut avari ſolent. Millies autem ſeſtertium, ſive millies centena millia numum ſeſtertiorum, opes improbæ ſunt in homine privato, & ſex milliones, ac ducenta quinquaginta millia noſtratium florenorum circiter adæquant.

Indignum vindicta] Cujus necem vindicaret.

Jure cæſum videri] Verba ſolennia ſententiæ, qua homicidii reus abſolvebatur: cujus formulæ origo à lege iſta 12. Tab. *Si nox furtum factum ſit, ſi im aliquis occiſit, jure cæſus eſto.* Tacitus lib. Annal. 14. *Pronuncientmus ultro, jure cæſum videri.* Sueton. Jul. cap. 76. *Abuſus dominatione, & jure cæſus exiſtima-*

Digitized by Google

ſtimatur. Et P. Scipio Africanus à Carbone Trib. pleb. interrogatus, *Quid de Tiberii morte ſentiret*, reſpondit, *Jure caſum videri*, ut Cicero pro Milone, & Velleius lib. 2. narrat. Verbum etiam *videri*, ſolenne eſt, & uſurpatum in ſententiis, etiam ubi Judici liqueret, modeſtiæ cauſſa, lib. 3. cap. 26. recte obſervat Cujacius.

Tenerrima eſt oculorum verecundia] Quia homines nec ſcelera ſua ſine pudore conſpici ſuſtinent, nec ipſi conſpicere.

Cap. XVII. *Barbam faciemque velleremus*] Ad lævandam & effœminandam faciem. Reſina autem & volſella id perficiebant. Tertull. de Pallio cap. 4. *Unde apud hirtos & hirſutos tam rapax ab ala reſina, tam furax à mento volſella.* Plinius de reſina lib. 14. cap. 20. *Pudet confiteri maximum jam honorem ejus* (reſinæ) *eſſe in evellendis virorum corpore pilis.* Juvenal. Sat. 8. de Rhodiis & Corinthiis, mollibus & eviratis:

—— quid enim reſinata juventus,
Cruraque totius facient tibi lævia gentis?

Et Sat. 9.

—— nullus tota nitor in cute, qualem
Præſtabat calidi circumlita faſcia viſci.

Ex reſina igitur & viſco emplaſtra [illegible] crines labefactandos, alis, mento, cruribus circumligabant. Quod etiam pſilothro, ſeu unguentoè tithymalli præcipue & vitis albæ ſucco, cauſtico, & depilatorio præſtabant. Otho vero Princeps pane madido ſolitus. De eo Suet. cap. 12. *Quin & faciem cottidie raſitare, ac pane madido linere conſuetum: idque inſtituiſſe à prima lanugine, ne barbatus umquam eſſet.* Admordet hoc Sat. 2. Juven.

Et preſſum in faciem digitis extendere panem.

Pſilothro ſubactum panem, aut lacte aſinino ad erugandam cutem, cum Beroaldo, magis crediderim. Volſellam Græci μαδιςῆρες & τριχολάβιον vocant, & inſtrumentum eſt ad evellendos crines (ante tamen reſina, aut alio pſilothro, opinor, labefactatos, contra doloris ſenſum) idoneum. Cæterum, uti crura & barbam ſoli effœminati, ita alas, contra hircum honeſtiſſimi quique vellebant. Seneca noſter Epiſt. 114. *Ille & crura, hic nec alas quidem vellit.* Omnes quidem Romani à Scipione majore Africano ad Principem Hadrianum, qui primus, tamquam Philoſophus, barbam reſumpſit, imberbes, ſed à novacula, non volſella (niſi molles) fuerunt. raſi, inquam, ad cutem, non vulſi. Raſi tamen ſæpiſſime, & pœne cottidie, præſertim ſi amaſii, ut ſemper læves eſſent. Dion lib. 48. de Auguſto: *A tempore quo primum barbam raſit, genas læves ſervavit, ſicut alii ſolebant. jam enim Liviam amare cœperat.*

Hebetato illum lumine] In aqua, oleo, pice, &c.

Non rubentis] Sol enim in ortu & occaſu, ac in illo magis, ruber, orbem ampliat, & per longam vaporum circa terram hærentium profunditatem fracto aut hebetato lumine ad oculum venit.

Humore lævior] Pincianus, *lævoreve.* non enim ſol ipſe lævior, ſed ſpeculum tale eſſe debet. Aut, ut Clariſſimi Viri Alberti Rubenii eſt conjectura, *in aliquo nobis humore lenior & aſpici facilior:* ſane admodum apte. Sol quippe lenius & facilius à nobis aſpicitur fractis aut hebetatis in ſpeculo humido radiis.

Quo interpolari dies ſolet] Diſtingui, dividi interjecta eclipſi. Elegans in eo ſignificatu verbum. Curtius lib. 6. *Zioberis amnis ſaxo, quod alveolum interpolat, repercuſſus.* Et noſter Epiſtola 47. *Magno malo interpellatum* (alii libri, *interpolatum*, & bene) *ſilentium luitur.* D. Bernardus Serm. 31. Cant. loquens de viſione perpetua & æterna Beatorum, *Stat illa viſio*, inquit, *quia nulla eam interpolat viciſſitudo.* Sæpius tamen paullo aliter, ut valeat quod, *mangonizare*, ſive formam novam rei veteri dare. Hinc *veſtis interpolis*, & *veſtimenta interpola*, apud Marcianum l. 45. D. de contrah. empt. quæ belle Gothofredus Gallice vertit, *freppeæ & regrattez.* Et Ulpianus l. 37. D. de ædil. edict.

Digitized by Google

edict. ait, *Venalitiarios interpelare mancipia, & pro novitiis vendere.*

Præparatus orbis] Specula ergo veterum rotunda.

Nondum argenti nitor] Plin. lib. 33. cap. 9. *Optima ſpecula apud maiores fuerant Brunduſina, ſtanno & ære mixtis: prælata ſunt argentea. Primus fecit Praxiteles Magni Pompeii ætate.*

Adverſo flumine eluerent] Sic enim melius ſordes eluimus, cum nixamur adverſus flumen.

Barbam depectere] Caſci enim illi ante bellum Punicum ſecundum erant barbati.

Parta corporibus] Ut in eo greſſum ſuum mollem & enervem etiam aſpicerent.

Æs grave] Noſter iterum ad Helviam cap. 12. *Beatioreſne iſtos putas, quorum pantomimæ decies ſeſtertio nubunt, quam Scipionem, cujus liberi à ſenatu, tutore ſuo, in dotem æs grave acceperunt?* Lipſium huc adi, Senecam non ſatis memorem fuiſſe docebit, qui unicam Cn. Scipionis filiam in duas Scipionis Africani diviſit. Quanti vero æris gravis dos illa fuerit, Valerius expreſſit: *Dotis*, ait, *modus quadraginta millia æris fuit:* hoc eſt, quadraginta millia aſſium æreorum, ſeu circiter bis mille Belgici floreni. Æs vero grave appellatum, quia numi ærei rudes & informes initio, in pretium rerum venalium appendebantur. Plin. lib. 33. cap. 3. *Populus Rom. ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem devictum uſus eſt. Libralis (unde nunc etiam libella dicitur) & dupondius appendebatur aſſis. Quare æris gravis pœna dicta.*

Libertinorum virgunculis] Liberti enim, præſertim ſub Principibus, multi ad immodicas opes pervenerunt. De Narciſſo Claudii liberto lib. 60. Dion: *Fuit Narciſſus hominum ea tempeſtate potentiſſimus, ut qui amplius quater millies ſeſtertium* (id eſt quinque & viginti milliones florenorum) *poſſederit, quem urbes regeſque coluerunt.* Ipſe enim, & Pallas, alter ejuſdem Principis libertus, ſic auream illam pecudem attondebant, ut cum aliquando in ſenatu de fiſci exiguitate quereretur, ſit reſponſum, *Abundaturum, ſi a duobus libertis in conſortium reciperetur.* De Pallante audite Plinium nepotem Epiſt. ad Montanum: *Eſt via Tiburtina*, inquit, *intra primum lapidem (proxime adnotavi) monumentum Pallantis, ita inſcriptum: Huic ſenatus ob fidem pietatemque erga patronos, ornamenta Prætoria decrevit, & ſeſtertium centies quinquagies* (hoc eſt nongenta triginta ſeptem millia & quingentos florenos) *cujus honore contentus fuit. Maxime hic me titulus admonuit, quam eſſent mimica & inepta, quæ interdum in cœnum, in has ſordes abjicerentur. Quid denique ille furcifer & recipere auſus eſt, & recuſare? atque etiam ut moderationis exemplum poſteris proderet.* Horatius etiam de Mena Pompeii liberto:

Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad faſtidium,
Arat Falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis terit:
Sedilibuſque magnus in primis eques,
Othone contempto ſedet.

Sarcinæ viriles ſint] Iis jam ſe ornant & onerant viri. Tertull. lib. de Cultu femin. cap. 8. *Proprias præſtigias formæ & hic ſexus ſibi agnoſcit: barbam acrius cædere, intervellere, circumdare capillum, diſponere, etiam colorare canitiem, primam quamque ſubducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri diſtinguere, cætera pulveris cujuſdam aſpergine lævigare, tum ſpeculum omni occaſione conſulere, anxie inſpicere.*

Etiam militares] Milites enim troſſuli & delicatuli ſpecula & delicias iſtas in impedimentis habebant. Juvenal. Sat. 2. de ſpeculo Imp. Othonis, in bello civili adverſus Vitellium:

Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis,
Actoris Aurunci ſpolium, quo ſe ille videbat
Armatum, cum jam tolli vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Hiſtoria, ſpeculum civilis ſarcina belli.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

Cap. I. F*Ormam ignium*] Aſtrorum, quæ Stoici cum Platonicis ignea credunt.

Solidum ne ſit] Ut Ariſtoteles, & Homerus, qui aheneum, Empedocles, qui cryſtallinum vocat.

Ex ſubtili tenuique nexum] Ita veteres plurimi, & nos de cœlis Planetarum exiſtimamus, argumento Cometarum qui vias Planetarum trajiciunt, & à Luna ad Saturnum, per liquidum, tenuem, & cedentem æthera quandoque ſcandunt.

Agatur, an agat] Rotetur ab Intelligentia, ut Ariſtoteles, an ipſum ſe, tamquam animal, moveat, ut alii credunt.

Quæ ſolo continentur] Cohærent, ut ædes, fundi. Sic enim etiam loquitur Juriſconſultus l. 10. D. Quod vi aut clam. *Acervus ſolo non cohæret, ſed terra ſuſtinetur: ædificia autem ſolo cohærent.*

Cogitetur] Manuſcripti, *cogitur*. unde Pincianus legit, *Quo agitur ab ea ſede, in qua natura illum diſpoſuit.* Vult enim cauſſam reddere, cur de ſpiritu terræ motore inter ſublimia tractet: quia ſcilicet in ſublimi ei locus naturalis, etſi vi adactus, & incluſus intra viſcera terræ.

In orbem partes ſuas agat] Mſſ. *cogat*. ſignificantius.

Sed alieni] Qui extrinſecus ei inſinuatus, non progenitus in vitalibus ejus officinis; quomodo animalis hepate, corde, cerebro procuditur.

Cedit ſuperioribus] Inter ſuperiora & cœleſtia eſt tractanda.

Cap. II. *Præſumendum*] Proprie, quaſi ante ſumendum, & habendum pro hypotheſi & confeſſo. Noſter iterum infra lib. 6. cap. 3. *Proderit præſumere animo.* & lib. 7. cap. 11. *Illud in primis præſumendum eſt.* Horat. lib. 2. Sat. 2.

——— tibi quidnam accedet ad iſtam
Quam puer & validus præſumis mollitiem, ſeu
Dura valetudo inciderit, ſeu tarda ſenectus?

A quibus unitas eſt] Ut nihil in mundo dehiſcat, neque vacuo locus detur, aëre ubique ſe inſinuante. Unitas ergo hic & infra Senecæ, partium continuatio, ſeu immediatus contactus eſt.

Præcipiendum fuerit] Ante capiendum, & præſumendum. iterum proprie.

Aliquid eſſe continuum] Epiſtola tamen 102. tria genera ſtatuit. *Quædam,* ait, *continua eſſe corpora, ut hominem: quædam compoſita, ut navem, domum, omnia denique quorum diverſæ partes junctura in unum ſunt coacta: quædam ex diſtantibus, quorum adhuc membra ſeparata ſunt, tamquam exercitus, populus, ſenatus.* Eadem plane Pomponius L. Rerum mixturam. D. de uſurpat. & uſucap. Hic ergo Seneca tertium membrum, *cujus membra ſeparata ſunt*, omittit. Continuum Ariſtoteles lib. 4. cap. 6. Metaph. συνεχὲς καθ' ἑαυτὸν, *continuum per ſe*, vocat. Plutarchus ἡνωμένον, *unitum*, quia partibus conſtat per ſe unitis. commiſſum, & compoſitum, Senecæ idem valent. Græce συνημμένον, *connexum*: ut ædificium, navis, armarium, ait Pomponius. hoc eſt quod unum δέσμῳ ἢ κόλλῃ, *vinculo aut glutine*, appellat Ariſtoteles.

Continuatio eſt partium] Si hanc retinemus lectionem, ait Pincianus, unitas & continuatio unum erunt, quia definitiones iſtæ gemellæ & in rem eamdem cadunt. Legit igitur ſimul & ſemel: *Continuatio eſt partium inter ſe non intermiſſa conjunctio, & duorum inter ſe conjunctorum corporum tactus.* Et profecto continuationem, ſive contactum corporum, paſſim cum unitate confundit, quam tamen hic videbitur definitione abjungere. Infra cap. 6. *Numquam enim contexti niſi per unitatem* (id eſt, continuitatem) *corporis niſus eſt.* Et cap. 7. *Nec de unitate* (hoc eſt, continuatione) *illarum* (aquarum) *dubium eſt, quæ ſic corpora accipiunt*, &c. Itaque aut duæ definitiones in unicam compingendæ, quod factum à Pinciano, aut idem bis definivit ſub diverſo nomine. Vel certe potius *Continuatio* latius patet, quam *Unitas*. Nam in Senecæ

necæ Philoſophia *Unitas* videtur tantum intercedere inter partes integrales quæ ens unum conſtituunt, adeoque inter partes ejuſdem naturæ, rationis, & ſpeciei; ut inter partes aquæ, inter partes lapidis, inter partes ligni, &c. *Continuatio* autem etiam inter partes quæ commiſſura, plumbatura aut ferrumine aliquo inter ſe continuantur. Cæterum definitio iſta continuationis, Philoſophiæ Nominalium favet, qui inter partes continui nullam unionem ab extremis diſtinctam immittunt. unde ipſis, ut Senecæ, proximus contactus (nullo alio unionis glutine addito) continuatio eſt. Ariſtoteles acutius & ſublimius lib. 5. cap. 3. Phyſic. continuum finit, ὧν τὸ ἑκατέρου πέρας, οἷς ἅπτονται, *quorum unus utriuſque eſt terminus, quibus ſe tangunt.* Quæ enim continuantur, uno individuo termino copulantur. Hinc continuum à contiguo ſatis late diſtinguit; quod non facit Seneca, cum ſtatim cap. 6. dicturus ſit, *aërem terræ eſſe continuum*, qui Ariſtoteli ſolum contiguus.

Rurſus non compoſita] Scilicet, κατὰ συμβεβηκός, *per accidens*, ut funis, & navis: ſed συνεχῆ καθ' ἑαυτά, *continua per ſe*, & una.

Unita corpora] Quod Græco alludit, ἡνωμένα σώματα. Vetus tamen lectio, *unica corpora*. Nec diſplicet: quia ſtatim ſequitur, *ſi quando dixero unum, memineris me non ad numerum referre.* hoc eſt, cum dico *unicum*, aut *unum*, ne cogites de unitate, quæ eſt principium numeri: quaſi *unicum* & *unum* idem ſit, ac *ſolum* & *ſingulare*; ſed *unicum* & *unum* voco, quia conflatum ex pluribus per ſe unitis.

Cum tibi remittam] Ridicule. ait enim ſe remittere moleſtiam teneræ auris, & inſolentis ſignificationis vocis, *unita*, aut *unica*, cum eam protulerit, & jam Lucilio aurem flagellaverit. Non abſimile Virgilii ſchema ſuperiori libro cap. 11. ſi Senecæ ibi interpretamentum ſequimur.

Cap. III. *Quaſi pars noſtri eſt ſanguis*] Theologi non pauci nec è plebe, cum D. Thoma, ſanguinem partem noſtri abſolute ſciſcunt, & animatum eadem anima rationali, qua corpus totum. Negitant tamen paſſim Medicorum filii; quia venis nullo vinculo cohæret, in quibus, ceu aqua per tubulos, fluit.

Præparat enim & alia] Calorifico enim, quo turget, ſpiritu naturalem partium calorem incitat & recreat, ut promptius craſſior ſanguis in ſubſtantiam viventis faceſſat.

Cap. IV. *Inter ſe conſenſus eſt*] Mutuas actiones ſentiunt, quibus per medium aëra agunt inter ſe reaguntque.

Supra ſe dat] Vapores & exhalationes in ſidera trajicit, quibus, Stoicorum mente, hæc aluntur & ſuſtentantur.

Habet autem unitatem] Id eſt, continuationem immediatam partium ejuſdem naturæ & ſpeciei. Unde partes *Naturas*, opinor, appellat. vide cap. 11. num. 14.

Cap. V. *Id eſt tam ex illo*] Gloſſema eſſe videtur. alii igitur nullo ferrumine immiſſo, legunt: *Ex quibus alimenta omnibus animalibus*, &c.

Omnibus ſtellis dividuntur] Has enim vaporibus paſci, Stoicis ſuis conſentit. falſo: & ab Ariſtotele olim, ac jam paſſim exploſum.

Quidquid eſt virium ſingulis] Codex Memmianus: *Hinc viritim ſingulis*. belle.

Tam exercitata] Velocia.

Tam avida] Famelica, utpote magno & ingenti corpore.

Quantum in æternum] Mundum quippe ſemper duraturum, corporumque in eo generationem & corruptionem æternam, Ariſtoteli accredidit.

Invaſit] Materiam videlicet, quæ in æternum alendis tot ſideribus ſufficeret.

Cap. VI. *Ut ſtatim ibi futurus ſit*] In puteos enim & foſſas, metu vacui, illico deſcendit.

Niſi per unitatem] Continuationem, & immediatum contactum: ut aliquoties iterum infra, & ſupra cap. 2.

Conſentire ad intenſionem] Intenſio hæc non impropria & Philoſophica, qualem Ariſtoteles qualitatibus tribuit;

buit; ſed propria, qua arcum, aut partes aëris in condenſatione ſe comprimentes, intendi dicimus. Unde paullo poſt, ubi legis, *Teneri vero*, lege, *Tendi vero*.

Niſi intenſio aëris] Non formaliter tamen, ut Philoſophi loquimur: ſed quia intenſio & condenſatio aëris inter corpora confligentia fracti, comitatur ſonum, ejuſque diffuſionem.

Nonne intenti ſpiritus] Niſi enim nervi intenti & ſpiritu animali turgeſcant, flacceſcit motus.

Ipſe ſe torſit] In turbinem & procellam.

Et ea quæ aliqua preſſura] Memmii membrana vetus: *& quæ aquarum preſſura majorem ſonitum formant.* Nec male; & ad organa hydraulica referendum: de quibus Claudianus in Panegyri Mallii Theodori:

Innumeras voces ſegetis moderatus ahena
Intonat erranti digito, penituſque trabali
Vecte laborantes in carmina concitat undas.

Ingentia ſaxa diſtrahant] Ut ſemen caprifici. Martial.

Marmora Meſſalæ ſcindit caprificus.

In momenta diſſolvant] Pincianus: *in monimenta diſſolvant.* Memmii codex: *& monumenta diſſolvant.* vere. nam in monumentis creſcit, marmoraque eorum ac lapides ſcindit & rumpit caprificus.

Nil validius eſt] Vetus, & verior lectio: *nil validum eſt.*

Cap. VII. *Quidam aëra diſcerpunt*] Ut Democritus, Demetrius, Epicurus, Metrodorus, Lucret. lib. 1.

Tum porro locus, & ſpatium quod inane vocamus,
Si nullum foret, haud uſquam ſita corpora poſſent
Eſſe, neque omnino quaquam diverſa meare.

Huic inani ab Ariſtotele, Stoicis, natura ipſa olim exploſiſſimo replauſit nuper doctiſſimus Gallorum Hadr. Turnebus, libello ſingulari De calore.

De unitate illarum] Immediata continuatione; nulla interjectione vacui.

In contrarium acceptis refluant] Ut piſcina lapidem injectum accipiens, undique in orbem ab eo refugiat.

Cap. VIII. *Aciem ſuam intendit*] Ejaculatur: quia viſum fieri radiorum ex oculis emicatione credit cum Academicis.

Cap. IX. *Sparſio illa*] De hac eadem noſter Epiſt. 90. *Utrum tandem ſapientiorem putas, qui invenit quemadmodum in immenſam altitudinem crocum latentibus fiſtulis exprimat*, &c. Crocum igitur aqua aut vino dilutum, fiſtulis & ſiphonibus ſpectatores in Amphitheatris aſpergebant ad odoris voluptatem. Hinc Apuleius imbrem odoratum, Martialis nimbum rubrum, Statius divitem ſparſionem vocat. Lib. 1. Silvar.

Dives ſparſio quos agit tumultus!

In tricliniis quoque & conviviis ſparſionum uſus fuit. Plutarchus de luxu Othonis, Neronem excipientis convivio, *Argenteos aureoſque tubos*, ait, *multis locis repente emiſit, unguentum inſtar aquæ effundentes, riganteſque univerſa.* Succum etiam roſarum in ſparſiones effuſum intelligo ex Suet. Nerone cap. 27. ſi lectionis ægræ à Torrentio & Caſaubono medelam recipimus. *Uni*, inquit, *mitellita quadragies H S. conſtitit, alteri pluris aliquanto abſortio roſaria.* Libri aliquot *abſortio*, aut *ab ſyrtio roſaria.* Unde Torrentii & Caſauboni, nec infelix, conjectura, *aſperſio roſaria*, fecit. Plura de Amphitheatrorum ſparſionibus Lipſius lib. de Amphitheatro cap. 16.

Tolleno] Tormentum & machina eſt, *qua*, ut ait Feſtus, *trahitur aqua, alteram partem prægravante pondere. Dicitur enim a tollendo.*

Niſi ipſa ſuſtineretur] Ex falſa Stoicorum Philoſophia, quæ vult craſſis terræ & aquæ elementis infuſum aëris & ignis ſpiritum, ad cohæſionem & intenſionem partium, ut ex Plutarchi libro Περὶ κοινῶν ἐννοιῶν ſubtiliter vidit & adnotavit Clar. Vir Alb. Rubenius. Gemella prorſus Franc. Valleſii cap. 1. Philoſophiæ ſacræ imaginatio, qui ignem

Digitized

ignem elemento aquæ infundit, ut liquiditatem ſuam retinere valeat, frigore alias in glaciem perpetuam ſtringendum.

Spiritu referente] Qui inter diſci & piſcinæ ſuperficiem interceptus, & leviter denſatus, deinde reſpergitur, & redit ad raritatem. Licet nec hoc etiam ſatis compertum aut probabile. & nos aliter alibi explicamus hunc reſultum.

Intendens] Implens potius. nec enim omnia aëre plena, eo inflantur & intenduntur: niſi quomodo dixit Satyricus,

——— *tumet alta fidelia vino.*

Perſ. Sat 5.

Coit ſecum] Jungitur per cæca ſpiracula & mæandros, quibus etiam ſolida perforantur.

Id enim intercluditur] Via ſcilicet noſtra, non aëris, qui illac etiam tranſit & permeat. Et ſtatim, *poſſumus*, lege, *poſſimus*.

Per ipſum quod ſcinditur] Malim, & ſenſus mecum, *quo ſcinditur*. Muris enim & montibus ſcinditur aër, per quorum tamen ſe venas inſinuat & trajicit.

Cap. X. *Æthere ſpiſſior*] Hunc enim liquidum etiam & fuſum exiſtimat; & in eo ſidera palari aut gyrare, ut aves in aëre inferiori.

Frigidus per ſe] Ita Stoici de aëre contra Ariſtotelem cenſent, qui eum calefacit.

Æternorum ignium] Aſtrorum, quæ ignea Stoicis.

Manu factos] Proprie. ſed hanc phraſin frequenti metaphora ad plurima, & longe ſatis, alibi Seneca tranſtulit. ut cum lib. 3. cap. 11. de Ira dicit, *querelas manu facere*, pro ſponte & dato ſtudio arceſſere. Alia vide apud Lipſ. lib. de Conſolat. ad Marciam cap. 19.

Aliqui eruperunt] Ut Ætnæ, Veſuvii, Heclæ.

Cap. XI. *Luna proximum jus*] Pincianus ex vet. cod. *proxima vis*. optime.

Cap. XII. *Quidam autem radios*] Lectio vet. *radios ſolis intercurrenteſque ſæpius in ſe relatos*. Lego, *intercurrentes*, *atque ſæpius in ſe relatos*. id eſt, replicatos & reflexos.

Terrenus vapor] Ἀναθυμίασις. Vapor igitur hic non ἀτμὶς ſpecialiter eſt, & halitus aqueus: ſed univerſe pro ſpiritu, ſive aqueo, ſive terreno, quem elementa gravia vapore ſeu æſtu ſolis afflata, exhalant.

Cum coitu nubium] Ariſtoteles lib. 2. cap. 9. Meteor. ubi hæc tractat, de coitu iſto & aſſultu nubium, nihil. ſolum ait: Αὕτη συνιόντων τῶν νεφῶν ἐκκρίνεται: *Ipſa* (exhalatio fulminans) *coëuntibus nubibus excernitur*. Non arietant ergo adverſis frontibus nubes; ſed ſtringuntur molliter, & exhalationem frigore obſeſſam premunt, & elidunt.

Ubi latius ferit] Pincianus, *deinde ut latus ferit nubis proxima*. Nec male.

Vitio lignorum virentium] Ariſtoteles lib. 2. cap. ult. Meteor. hunc crepitum lignorum in igne, *riſum Vulcani*, aut *Veſtæ*; ab aliis *minas*, vocari dicit.

Accenſus & varius] Interpolatus ſæpe & interruptus.

Cap. XIII. *Cum tantumdem*] Totidem ſidera, & pari ac conſtanti ſemper magnitudine. unde æque multis vaporibus ſemper paſci oporteat, & æquales eorum eſſe emunctiones, quas in fulmina converti credebant, ubi in nubes decidiſſent.

Non deſcendit ignis] Natura & ſponte, ſed carboni aut favillæ permixtus, vi detrahitur.

Quomodo illic eſſe potuit] Quomodo ignis intra venas corporis gravis abditus, in ſublimi conſiſtere potuit?

Fato enim non eunt] Suſpicor locum eſſe in mendo: & libenter legam: *Fateor enim, non eunt*. ſponte ſcilicet, quia levia; ſed vi ac injuria deorſum feruntur. unde etiam, *deferuntur*, mavelim.

Incerto corpori] Peregrino, & cui locus ille non naturalis eſt.

Cap. XIV. *Ex eo ſuperioribus locis*] Omnes ſentiunt hic aliquid turbatum. Eraſmus credit, *ſuperioribus locis* immiſſum ab interprete. Unde Opſopœus reciſis aliis omnibus, ſimpliciter

 legit:

Digitized by Google

legit: *ad ſe trahere ignem ex æthere, & ſic accendi.* concinne ſatis. vulgata tamen lectio non eſt intolerabilis, ſi cum Eraſmo binas illas ſpurias voces expungis.

Quaſdam inſulas] Inſulas hic capio, ut paſſim Juriſconſulti & Ulpian. l. 72. D. de verb. oblig. *Si inſulam fulciri quis ſtipulatus ſit, non eſt expectandum, ut inſula ruat:* pro ædificio quod communem cum alio parietem non habet, ſed ſolum eſt, & undique ambiri poteſt, ut Inſula circumfuſo mari.

Cap. XV. *Quidam ex noſtris*] Stoicis.

Cap. XVI. *In modum ſiphonis*] Σίφων tubus eſt, quo aquam vel acetum ad incendia compeſcenda jaculamur, ut ex Ulpiano l. quæſitum. D. de fund. inſtrum. intelligitur. & Plinio lib. 10. Epiſt. ad Trajanum: *Nullus uſquam in publico ſipho, nulla hama, nullum denique inſtrumentum ad incendia compeſcenda.* Fiſtula etiam meraria, qua vinum in caupona deguſtatur, ſiphon appellatur: & inde σιφωνίζειν, vinum ſiphone furtim ducere, & pitiſſare, ut recte notavit Jo. Scaliger ad Varronem. Nomen à ſono & ſibilo aquæ per anguſtias tubi emicantis habet, quem prima ſyllaba repræſentat.

Eliciunt] Malim, *ejiciunt*.

Balliſta quoque & ſcorpiones] Bellicæ machinæ olim, nervis & funibus tenſæ. balliſtæ ſaxa, & decumanas haſtas, ſcorpiones minora ſpicula expellebant. Vide, ſi formæ & alia curioſus es, Vitruvium lib. 10. cap. 15, 16. Lipſium Poliorcet. lib. 3. Dial. 2, 3, 4. Ludov. Colladum Tract. 1. Praxis Torment.

Cap. XVIII. *Per craſſum & ſiccum aëra*] Eraſmus, *per ſudum & ſiccum aëra.* Memmii membrana, *per craſſum & ſciſſum aëra.* Nicotii, *per quaſſum aëra.* Lectionem tamen noſtram exemplar Britannicum aſſerit: nec ego deſeram. Interpolatam enim ab iis credo, qui nullum eumdem aëra craſſum & una ſiccum eſſe credebant: quos opinionis falli oſtendo, lib. 5. cap. 5. art. 1. Meteorol.

Cap. XIX. *Anaximandrus*] Opſopœi cod. *Anaxandros.* unde ipſe, *Anaxagoras*, reponit. recte. hanc enim ei ſententiam ſcribit Ariſtoteles, lib. 2. cap. 9. Meteor.

Cap. XX. *Secuta in terra incendit*] Locus mendi compertiſſimus, ſed deſperatæ ab omnibus emendationis. Unus MS. *dum ſecata in terra.* alius, *dum ſecata infra.* Fortunati codex, *dum ſecuta infra.* Ego propius verum attigiſſe putem, ſi legam, *dum per ſecuta infra incedit.* Hoc enim, aut aliud proximum dicere voluit. Ignem fulminis, ubi primam nubem perrupit, opprimi & extingui deinde aliarum acervo, & in ſpiritum ac fumos evaneſcere: atque ita ſine fulgore & ignea ſpecie, informe, languidum & fractum, per nubes & ſpatium quod infra eſt, incedere.

A tergo trahat ventum] Aëra ſequentem à tergo, continuitate, ac metu vacui.

Cap. XXI. *Dimiſſis nunc præceptoribus*] Hoc eſt quod Horatius, & vulgaris adagio, *Nare ſine cortice*, & auctoritatis, queis innitebaris, fulcra abjicere.

Odor ſulphureus] Plin. lib. 35. cap. 15. *Fulmina & fulgura quoque ſulphuris odorem habent, ac lux ipſa eorum ſulphurea eſt.* Vide nos lib. 2. cap. 3. art. 6. Meteorol.

Meando diſtare] Motu, qui fulminis intentior & longior, languidior & brevior fulguris.

Cap. XXII. *Sicut cum duo ligna*] Plin. lib. 16. cap. 40. *Calida morus, laurus, hedera, & omnes è quibus igniaria fiunt. Exploratorum hoc uſus in caſtris, paſtorumque reperit; quoniam ad excudendum ignem non ſemper lapidis eſt occaſio. Teritur ergo lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi, vel foliorum faciliime conceptum.* Silvas etiam illas pretioſas Arabum, vento agitatas, atterentibus invicem ramis, narrant aliquando conflagraſſe.

Cap. XXIII. *In ignem converſus*] Aliud verbum deſiderat Fortunatus, ego

ego non. *ſuis*, tamen ſuperfluere videtur.

Curſus ſine alimento] Imo, *curtus*, legendum, aut valde fallor.

Cap. XXIV. *Non ex voluntate eſt*] Appetitu naturali.

Quod cum ferat] Vet. lectio *feriat*. ſatis proba.

Sed ſervitus ejus ſit] Fortean, *ſervitute*, vel, *ſervitutis jure ſit*.

Cap. XXV. *Humida, imo uda*] Igitur *udum* amplius quam *humidum*. Nam *udum*, ſive *uvidum*, intrinſecus humore imbutum eſt: unde quidam uvam deducunt. *hum dum* vero, quod extrinſecus humectum; aut certe latius patet, quam *udum*.

Cap. XXVI. *Quidam negaverunt*] Theophraſtus, Ἄνευ ὑγροῦ τινὸς οὐδὲν ἔστι καυστόν; *Sine humore nihil poteſt comburi.* Quod tamen non de aqua, ſed humore alio, pingui & oleoſo, ceperim.

Ut Poſidonius tradit] Multi hoc nomine Philoſophi. Hunc Stoicum, credo, imo ſcio, intelligit, cujus Cicero olim auditor Rhodi, & diſcipulus fuit Panætii. Phyſica enim ſcripſit, cum Laërtius in Zenone dicat, Panætium & Poſidonium in Philoſophia à Phyſicis incepiſſe. Plinius lib. 7. cap. 30. de ipſo à Pompeio Magno honorato, *Cn. Pompeius confecto Mithridatico bello, intraturus Poſidonii, ſapientiæ profeſſione clari, domum, fores percuti de more à lictore vetuit, & faſces lictorios januæ ſubmiſit is, cui ſe Oriens Occidenſque ſubmiſerat.* Noſter etiam Epiſt. 90. alte extollit: *Ecce Poſidonius*, inquit, *ut mea fert opinio, unus ex iis qui plurimum philoſophia contulerunt.* Hunc comitem & familiarem minori Africano, neſcio quid balbutit Athenæus lib. 14. quod de Panætio præceptore ejus tantum verum. Sed lacerum aut interpolatum eo loco Athenæum notulæ Caſauboni adſtentur.

Inſula in Ægæo mari] De ea Strabo lib. 1. *Inter Theram & Theraſiam è mari prorupere flammæ, quæ per dies quatuor totum mare æſtuans & ardens reddiderunt. Tum educta altius ſenſim velut machinis Inſula, & ex fluitantibus terris compoſita, quæ 12. ſtad. in ambitu continet: Imperantes tunc mari Rhodii, capta fiducia eo navigantes, templum Neptuno Tutori in Inſula ædificaverunt.* Hæc eſſe videtur quam Plinius lib. 2. cap. 87. Hieram & Automaten appellat. Vide noſtrum lib. 6. cap. 21. & nos ibi num. 2.

Antequam verteretur] Lege cum Pinciano, *verterentur*, ſcilicet rupes & ſaxa in pumices. niſi malis, *urerentur*: aut, ut Clar. Viro Alb. Rubenio placet, *antequam verteretur*, videlicet ſpiritus ipſe in ignem.

Valerio Aſiatico Coſ. iterum] Sub Claudio, videlicet: à quo Aſiaticus, fraude Meſſallinæ & Vitellii, ad ſpontaneam necem adactus. Vide Tac. initio lib. 11. Annal. Hæc ergo Inſula nata an. V.C. DCCXCIX. quando Aſiaticus cum M. Junio Silano Coſſ. etſi Dion lib. 60. in annum ſequentem, & Claudii IV. Vitellii III. Conſulatum differat. *Hoc anno*, inquit, *apud Theram parva Inſula enata eſt, antea non viſa.* Sed Senecæ conſentit Plinius lib. 2. cap. 87. *Ab ea* (Hiera, nova itidem inſula inter Theram & Theraſiam) *duobus ſtadiis, poſt annos* CX. *in noſtro ævo, M. Junio Sillano, L. Balbo Coſſ. ad* VIII. *Id. Julias, Thia enata.*

Cæterum Plinius Balbum, Seneca Aſiaticum Sillano collegam in Conſulatu donat; quia Aſiaticus ante anni exitum Magiſtratu ſe abdicavit, eique ſuffectus Balbus, ut ex Dione & Faſtis intelligimus. Inſulam quoque quam Plinius Thiam, Seneca Theraſiam l. 6. cap. 21. appellabit.

Niſi impendente cælo] Cœlum impendere dicitur, cum humile & nubilo grave eſt.

Nubes ſuda & humiles] Ita reſtitutum à Pinciano. Vet. lectio, *nubes ſumma & humiles*. Ego, *ſordida & humiles*, prætulerim. Mox enim dicet, ignes illos fulgurum *in ſordida parte cæli fieri*. Hoc igitur vult; Nocturnos ignes è nubibus ſordidis & gravibus, ideoque terræ vicinis, horizonti incubantibus, in altum verſus cœli verticem exprimi.

Cap. XXVII. *Attonitos*] Nam, *attonare*, eſt tonitru, aut fulmine potius

tius cum tonitru jacto percutere. hinc phraſis illa Mæcenatis, *Ipſa altitudo attonat ſumma:* quam Seneca noſter Epiſt. 19. ebriam vocat. *Hoc*, inquit, *voluit dicere, attonita habet ſumma.* Inde alicui *intonare*, pro, in rem quampiam cum impetu ſtolido debacchari. Tacit. lib. 12. Annal. *Orto inter libertos certamine, quis diligeret uxorem Claudio vita cælibi intonanti.*

Cap. XXVIII. *Non ſcindit nubem*] Incurrendo in eam, cum ſtet immobilis: ſed *dirigit*, id eſt deflectit, & lateribus ſuis circumfundit. Vet. tamen Fortunati lectio, *Non confundit nubem.* univerſam ſcilicet ſimul & ſemel frangendo & diſſipando unde pro *dirigit*, magis *digerit* probaverim.

Cap. XXIX. *Intenta*] Spiritu multo turgidæ.

Ex ulteriore parte] Pincianus, *interiore.* ſpiritus enim ſive aër pulſus & repugnans, intra tympani alvum clauſus eſt.

Hac ad ipſum aërem acta] Malleolo partem convexam & tumentem pulſante, & concavam ad aërem allidente. Figura enim pæne noſtrarum pelvium, concava fuiſſe videntur Antiquorum cymbala. Lucret. lib. 2.

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concava, rauciſonoque minantur cornua cantu.

Cæterum hodierni cymbali, & Italici, credo, imaginem ſatis affabre nobis figurat Tho. Caietanus 1 Cor. 13. *Cymbalum*, ait, *eſt inſtrumentum notum, quo utuntur puellæ choreas ducentes, geſtando ſiniſtra manu cymbalum, & dextra percutiendo illud. ejus ſonus proprie eſt tinnitus multorum circulorum æreorum, qui in circumferentia lignea cymbali filo ferreo ſuſtentantur. ſimul enim tota illa circulorum multitudo tinnitus emittit, percuſſa pergamena cymbali planitie.* Cogito tamen, an eadem undique fabrica veteribus illis cymbalis.

Cap. XXX. *Aſclepiodotus*] Auditor hic Poſidonii fuit, ut noſter jam ante cap. 26. & lib. 6. cap. 17. dixit. Scripſit libros De quæſtionum naturalium cauſſis. Huic adeo oculos flagraſſe ferunt, ut in mediis tenebris, nulla alia luce adjutus, libros facile legeret. Cujus miraculi alia apud me exempla leges, lib. 2. cap. 2. art. 3. Meteorol.

Humida conferunt] Vet. membrana, *conſervant.* Melius.

Cap. XXXI. *Gladius liqueſcit*] Exemplum vidiſſe in domo Hippolyti Cardinalis Ferrarienſis narrat M. Ant. Muretus. Plura, & cauſſas vide lib. 2. cap. 3. art. 6. noſtræ Meteorologiæ.

Spectat ad exitum fulminis] In eam cœli regionem, quo fulmen corpore extricatum evaſit. quia fortaſſe promptius eſt, ut alterutro canali, œſophago, aut aſpera arteria per os exeat. Huc ſi fortean aſpexit lib. 11. Theb. Poëta Celſus:

Poſtquam magnanimus furias virtutis iniqua
Conſumpſit Capaneus, expiravitque receptum
Fulmen. ———

Capanea enim à Jove fulmine ictum fingit.

Haſtulæ ſurgunt] Plinius *aſtulas*, alii *aſſulas* vocant. & ramenta lignorum ſunt, qualia dolatione aut deſcobinatione abraduntur. Surgunt vero in arboribus fulguritis contra fulmina; quia à parte ſuperiori, & unde ictus incubuit, aperiuntur & avelluntur à ligno.

Cap. XXXII. *Cur ergo aquila*] Plinius lib. 10. cap. 3. *Ex his quas novimus, aquila maxime honora, maxima & vi.* & hinc, ut cap. 4. addit, *Romanis eam legionibus C. Marius in ſecundo Conſulatu ſuo proprie dicavit.* Vide tamen quid addubitet Lipſius noſter lib. 4. Dial. 5. Milit. Romanæ.

Aut corvo] Plinius lib. 10. cap. 12. *Corvi in auſpiciis ſoli videntur intellectum habere ſignificationum ſuarum. Nam cum Medii hoſpites occiſi ſunt, omnes è Peloponneſo & Attica regione volaverunt. Peſſima eorum ſignificatio, cum glutiunt vocem, veluti ſtrangulati.* A dextra autem corvus, uti à ſiniſtra cornix, credebantur felicitatem & auſpicium ratum facere. ut Beroaldo adcredam, ideo

Digitized by Google

ideo cornicem, ſiniſtram à Poëta appellari in iſto verſu:

Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.

Prædicat aliquid] Nugæ hæ germanæ, imo Hetruſcæ ſunt. & in vulgus etiamnum remanet reliqua particula priſcæ ſuperſtitionis. Verum deiuctis omnibus aliis, corvos jam ſolos & picas obſervant aniculæ noſtræ in ſuis auſpiciis.

Ad eum itaque pertinet] Plinius lib. 28. cap. 2. *In augurum certe diſciplina conſtat, neque diras, neque ulla auſpicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes, obſervare ſe ea negaverint.* Unde vanitas eorum apparet.

Cæterum & illa quæ pereunt] Lege potius cum Eraſmo: *certa ſunt & illa quæ pereunt.* id eſt, quæ ſine obſervatione ſunt, nec notantur.

Quinque ſtellarum] Planetarum, quarum obſervatio obſcurior & poſterior, quam luminarium ſolis & lunæ.

Quæ frequentius motæ] Planetæ enim plures, quam ſidera fixa, motus habent.

Propter velocitatem] Quia ſtellæ fixæ ſingulo quoque die ambitum univerſi circumcurrunt. Credidit enim illas in ſumma Mundi abſide eſſe, nec orbes ullos reliquos fecit ſupra illum ſiderum adhærentium.

Extra jus dominiumque] Nobis etiam dominantur. Male, & à fato Mathematico.

Aliud adſpice] Omnes hic vulnus vident, nemo medicinam. Fortunatus conjicit: *unde illud aſpice, etiam diſtributis effectus raros.* vel certe: *unde aſpicimus ex diſtributis res effectu raras.* Faber autem: *& diſtributis rem officiis tracta.* quod, ſive verba ea, ſive alia propinqua fuerint, vero aſſidet. Legam igitur: *Illud adſpice, & diſtributis officiis rem tracta.* Hoc eſt, vim ſiderum cœlo adhærentium contemplare, & officia eorum virtuteſque diſtribue, ut Chaldæi quinque errantium.

Non magis autem] Nec hoc eſt facile, nec illud dubitari debet.

Cap. XXXIII. *Quorum ars in tria*] Quartum omiſit, Quemadmodum fulmina evocentur. *Extat* enim, ait Plin. lib. 2. cap. 53. *annalium memoria ſacris quibuſdam & precationibus vel cogi fulmina vel impetrari.*

Ad formulam] Ritum, quo Augur ex arce, capite velato, lituo regiones cœli & templa, ut vocabant, ad captandum augurium contemplabatur, & notabat.

Mala deprecari] Prece amoliri. proprie. Plin. lib. 28. cap. 2. *Parietes deprecationibus incendiorum conſcribuntur.* Vocabulum poſtea longius abivit, & pro amoliri ac propulſare, ſine etiam prece, ſumi cœptum. Cicero Act. 2. in Verrem: *Quid faciat Hortenſius? avaritiane crimina frugalitatis laude deprecetur?* Statim vero aliter noſter, & pro valde precari: *Deprecari*, inquit, *ut remittat minas.* quæ eſt ſignificatio maxime vulgaris, ait lib. 6. cap. 16. Agellius.

Cap. XXXIV. *Vero verius*] Veritas enim in indiviſibili conſiſtit, ut Philoſophi loquimur, nec intenſionem aut emiſſionem recipit. nam quod verum eſt, abſolute & undique eſt tale, ac ſine mixtura falſitatis. quod enim partim falſum, revera & omnino falſum eſt, & à vero prorſus abit.

Utra vim attulit] Prior editio: *ſed utra res viſa eſt tulit.* unde Pincianus fecit: *ſed utra res fidem tulit.* Noſtra concinnior, nec hilum demuto: claro ſatis ſenſu.

Pars eſt] Reſcribendum ſine dubio, *par eſt.*

Cap. XXXV. *Fati pars eſt*] Quiddam etiam à fato miſſum. Stoico more.

Rigidam ſectam] Stoicorum, & parum Chriſtianam. quamvis Lipſius lib. Conſtant. cap. 18. prope flectat in verum.

Qui excipiunt iſta] Sibilo, aut riſu, aut fortaſſean, *exſibilant.*

Ægræ mentis ſolatia] Quæ infirmos quidem & ignaros ſolantur, ſed inter ipſa tamen itur ad deſtinatum & certum finem.

Cap. XXXVI. *Negatis poſſe mutari*]

Quia animo omnia præſumit, & præmeditatur Paradoxon è Stoa à Lipſio noſtro enarratum lib. 3. Diſſ. 9. Manud.

Omne præſens fit] Vere. nam univerſa divinæ æternitati quodammodo præſentia, non durationi ſapientis, qui ideo aciem in futurum jacit; quod Deus ſic non poteſt.

Qui procuranda exiſtimant] Proprium in expiatione fulminis verbum. Suet. Galbæ cap. 4. *Avo quoque ejus fulgur procuranti* (id eſt, expiationem adminiſtranti) *cum exta de manibus aquila rapuiſſet*, &c.

Cap. XXXVII. *Sed ipſum quoque*] Preces ipſæ & vota tamquam à fato decreta fieri, & per hæc aliud.

Cap. XXXVIII. *An in illo fati ordine*] Potius, *ac in illo*, &c.

Dicam, quemadmodum] Difficulter extricabis, bone Sapiens, niſi nobiſcum Chriſtianis dicas, fatum ſequi liberam inclinationem noſtræ voluntatis. Vide tamen quæ Lipſius in defenſionem Stoicorum lib. Conſtant. c.18. ubi culpæ eos, & Senecam in primis purgat.

Cap. XXXIX. *Cæcinna*] Ciceroni familiaris, quique cum eo à Pompeianis partibus contra Cæſarem ſtetit. Vir facundus, & *qui habuiſſet aliquod in eloquentia nomen, niſi illum Ciceronis umbra preſſiſſet*, ut infra cap. 56. noſter ait.

Cap. XL. *Quod terebrat*] Scita diviſio. Plinius aliter lib. 2. cap. 51. in ſiccum, humidum, & clarum: Ariſtoteles ſolum in ἀργῆτα καὶ ψολόεντα, *clarum & fumoſum* dividit. Vide quid ego lib. 2. cap. 3. art. 5. Meteorol.

Rumpit illa] Quia per anguſtias pororum, craſſitiem ſuam trajicere non poteſt.

Igneum magis eſt] Inſtar ignis qui in carbone aut alia materia denſa, & ideo acrius urente, ardet.

Quodcumque combuſtum] Igitur, *combuſtum*, amplius eſt, quam *uſtum eſſe*.

Nec ardere] Nam, *ardere*, eſt uri cum flamma.

Quod non ſit accenſum] Ut ſi combuſtum ſine flamma.

Cap. XLI. *Non mutatur*]. Manet idem, licet maculoſus.

Tres illi manubias dant] Sic libri Hetruſcorum fulminum jactus, aut ipſum fulmen jactum appellant: quia, credo, manu & vi à Jove jacitur. *Manubias* enim vocem hybridam, & è Latina, *manu*, & Græca, βίᾳ (id eſt, violentia) coaluiſſe Nannius noſter in Miſcellaneis exiſtimat. Præter autem fulminum manubias, pecunia etiam ex venditione prædæ manu & vi captæ redacta, ut apud Agellium lib. 13. cap. 23. Noct. oſtendit Phavorinus, vel, ut alii, ipſa præda ſic capta, manubiæ vocatur. Suetonius tamen, Veſpaſian. cap. 16. & alibi, ſimpliciter pro præda uſitatus eſt. *Sunt contra qui opinentur ad manubias & rapinas neceſſitate compulſum ſumma ærarii fiſcique inopia.*

Quos ſuperiores & involutas vocant] Feſtus lib. 11. *Tertia* (manubiæ) *hæ ampliores, quæ cum igne veniant; & quamquam nullum ſine igne fulgur ſit, hæ propriam differentiam habeant, quod aut adurant, aut fuligine deforment, aut accendant, quæ ſtatum mutent, deorum conſilio ſuperiorum.*

Nihil eſſe, quod ſit, patitur] Omnia enim mutat & conſumit.

Cap. XLII. *Statuas ſuas*] Lucret. lib. 6.

Poſtremo, cur ſancta deum delubra, ſuaſque
Diſcutit infeſto præclaras fulmine ſedes?
Et bene facta deum frangit ſimulacra? ſuiſque
Demit imaginibus violento vulnere honorem?

Non æquæ voluntatis] Injuſtum, qui præteritis ſacrilegis & nocentibus, innocentes feriat.

Minus paratum eſſe] Inopia conſilii, quod ab aliis diis petere debeat.

Non ſucceſſit] Aberravit ictus, nec attigit deſtinatum.

Ad conterrendos] Sic hodie etiam athei, qui utiliter fingi Deum ad terrorem, non etiam eſſe in nubibus & cœlo credunt. Alius ex eadem impia gente canit,

Digitized by Google

enit, ignorantiam cauſſarum diis feciſſe imperium.

Ignorantia cauſſarum conferre deorum
Cogit ad imperium res, & concedere regnum.
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quæque geri poſſint, præſertim rebus in illis
Quæ ſupra caput ætheriis cernuntur in oris,
Rurſus in antiquas referuntur religiones,
Et dominos acres aſciſcunt, omnia poſſe
Quos miſeri credunt, ignari quid queat eſſe,
Quid nequeat. ———

Miſer ipſe & ignarus es, Lucreti, qui te cum Epicuro tuo tam gnarum credis, & acutum cernere; cum magis cæcutias omnibus talpis.

Cap. XLIII. *Diſcant hoc ii.*] Aureum monitum, & cujus præcipue neglectus Carolum noſtrum Audacem olim perdidit.

Cap. XLIV. *Luſoriis uti*] Alluſum ad rudes, quibus præludebant & exercebantur in ludo gladiatores. Tela hæc luſoria decretoriis opponuntur, quibus ſeriam & cruentam illam in Arena pugnam pugnabant.

Quædam admoveri] Potius, *admoneri*.

Cap. XLV. *Vis illum vocare mundum?*] Nam Præfat. lib. 1. diximus, Stoicos Deum ex corporibus mundi viſibilibus, & Numine, ceu anima, componere.

Cap. XLVI. *Quæ ab illo non fiunt*] Quippe ſolo: nam omnia facit aut ſolus, aut cum cauſſis ſecundis. Vel certe (quod ſequentia dicunt) Seneca negat Deum immediate concurrere, ut loquimur, cum agentibus creatis.

Singulis non adeſt] Imo adeſt, nec tantum vim & cauſſam rebus creatis dedit, ſed actionem: hanc enim etiam proxime efficit.

Cap. XLVII. *In totam vitam pertinet*] Ita ſæpe eleganter pro, pertingit. Plin. lib. 9. cap. 7. *Hæc duo genera fiſtulis ſpirant, quæ ad pulmonem pertinent, balneis à fronte, delphinis à tergo.* Porro hæc fulmina perpetua & in totam vitam pertinentia, familiaria etiam vocantur, ſi lib. 2. cap 52. audis Plinium. *Vocant & familiaria*, inquit, *in totam vitam fatidica, quæ prima fiunt familiam ſuam cuique indepto.*

Cap. XLVIII. *Ad diem reſpondent*] Tempus certum & conſtitutum à natura ſervant. Locutio à Jure tranſlata in quo *ad diem reſpondet*, qui in mora non eſt.

Negant ultra decimum annum] Cum aliqua tamen exceptione à Plinio lib. 2. cap. 52. *Cæterum exiſtimant*, inquit, *non ultra decem annos portendere privata, præterquam aut matrimonio primo facta, aut natali die.*

Ab Attalo philoſopho] Stoico, præceptore Senecæ, ut ipſe Epiſt. 108. fatetur. Seneca pater Suaſor. 2. ſubtiliſſimum & facundiſſimum eum appellat. à Seiano rerum ſub Tiberio potiente proſcriptus vertit ſolum.

Cap. XLIX. *Poſtulatoria*] Feſtus *poſtularia* vocat.

Deprecanea] Vetus cod. *dantanea*: unde Fortunatus *demptanea* concinnavit; quia periculum demunt.

Atterranea] Ita optimum exemplar Britannicum, à quo plurima hoc noſtrum vulgare habet. Ante *artencata*, aut *attercauta* erat, ut Eraſmus teſtis. *Atterranea* vero ab atro deflectit Eraſmus. quod ſi vere, magis eſt ut *atranea* legamus.

Obruta] Alias *obrutanea*.

Inferna] Hæc ſunt quæ Plinio *terrena* vocantur. non quod terra exiliant, *ſed quia*, inquit, *ex propiore materia cadunt, ideo creduntur è terra exire; quoniam ex repulſu nulla veſtigia edant, cum ſit illa ratio non inferni ictus ſed adverſi.* Lib. 2. cap. 52.

Cap. LII. *Interiores libros*] Pincianus ex vet. cod. legit: *Interiores libros in parte interioris arboris.* Sed hoc ſubolet mihi gloſſographi atramentum. Lego igitur ſimpliciter: *Interiores libros rumpit.*

Vinum gelat] Quomodo id poteſt, dixi lib. 2. cap. 3 art. 6. Meteorol.

Cap. LIII. *Fluxere*] Pincianus, *flexere* (id eſt, deflexere & deſcivere) legit. ſed fluxiſſe

fluxiſſe hæc à philoſophia, non deflexiſſe, probare videtur Seneca ſequentibus.

Initiis rerum exitus] Principiis & cauſſis contulit finem in quem exeunt tales effectus, ac ad mores inde aliquid deflexit. & hoc eſt illud, credo, *quod fulminis inſpectione longe melius eſt.*

Cap. LIV. *Univerſam eruptionem*] Vox *univerſum* copulatim, uti Philoſophi loquimur, *omne* copulative ſumitur. Plin. lib. 16. cap. 24. *Folia decidunt ſorbo univerſa* (omnia ſimul) *ceteris paullatim.*

Non ob hoc] Ab hac cauſſa efficiente, ſcilicet ſtella in nubem cadente, ibique extincta.

Cap. LV. *Clidemus ait*] Philoſophus ex oppido vetuſtis, quem etiam in hac opinione Ariſtoteles refellit, lib. 2. cap. 9. Meteor.

Intra ipſam aquam] Uti ſolet in ſpeculo.

Cap. LVI. *Umbra preſſiſſet*] Eleganter. umbra enim in quem cadit, & premit, obſcurat.

Una ſyllaba] Pincianus, *media ſyllaba:* ut infra ſtatim.

Ut dicerent fulgere] Virgilius:

——— quos fulgere cernis in armis.

Cap. LVII. *Sic liqueſcit*] Statius lib. 10. Theb.

——— lucida ferro
Spicula, & arſuras cæli per inania glandes,
Saxaque in adverſos ipſis avulſa rotabant
Mœnibus. ———

Virgilius Æneid. 5. de arundine ipſa:

Namque volans liquidis in nubibus arſit arundo,
Signavitque viam flammis. ———

Ovidius 10. Metamorphoſ.

——— ut late plumbea funda
Miſſa ſolet medio glans intabeſcere cælo.

Sed rident hæc, tamquam à poëtis & mendacibus, quidam. Idem etiam faciant Ariſtoteli. Libro enim 2. cap. 7. de cœlo diſerte: Ταῦτα ἐκπυροῦται οὕτως, ὥστε τήκεσθαι τὰς μολυβδίδας: *Ipſa* (ſagittæ) *ſic igniuntur, ut plumbatura colliqueſcant.* Et tamen etiam profecto in glandibus igne pulvereo, & majori impetu excuſſis, id non experimur. Poteſt, ut ſemel, & rariſſimo caſu, plumbatura motu & affrictu aëris, aut corporis durioris, intabuerit; & miraculum ab uno arreptum cucurrerit ſtatim per omnes poëtas.

Cap. LVIII. *Injuria deorſum premit*] Impetus contra naturam, & injurioſus.

Cap. LIX. *Aliquid ſalutare*] Salutare monitum. Audiant Philoſophi, audiant Theologi illi, qui tam ſicce & frigide ſcholaſticam habent & tractant.

Inconcuſſi non poſſumus] Concutitur enim & contrahitur ſapientis etiam animus ſubitis & inconſultis motibus, rationis officium prævertentibus, ut apud Agell. lib. 19. cap. 1. diſſerit ille Stoicus, qui in tempeſtate expalluerat, cum aliorum admiratione, aut riſu.

Quamquam interim ſpes ſubit] Intra ſpem iſtam adhuc hodie ſunt Stoici, nec ſapientem undique inconcuſſum & apathe dare nobis poſſunt: nos iis, præter infinitos alios, poſſumus in craticula Laurentium.

Nullus pernicior] Mavelim, *perniciosior.* Alta medius fidius; & ab erecto animo quæ ſequuntur, & Chriſtiano homine digniſſima.

Præſtaremus obſequium] Pedibus & ſponte ad ſupplicium comitando, ne trahendo carnifex laboraret.

Celeritas infinita] Qualis fulminis, quod momento ſe per corpus trajicit, & ipſum exanimat.

Exſpiras] Exanimaris pæne metu.

De tanta mole perdendum] Quia ſapiens divitias intra ſe habet, & omnia ſua ſecum portat.

Donat metum] Quiſpiam mendum ſubeſſe putet: non eſt tamen. Caſus, inquit, quo fulmine ictus ſubito obruitur, donat, id eſt condonat & remittit metum. ſpatium enim ei timendi non dat, cum repente vertat, & prævertat mali exſpectationem.

Niſi qui effugit] Acute. Poſt periculum eſt timori locus, non ante: quia nimis repentinum malum, & res ipſa cum

cum minis venit, non eas ſequitur. Ab hac etiam cauſſa quis putet Plinium, lib. 2. cap. 54. negaſſe, *quemquam tangi qui prior viderit fulmen, aut tonitru audierit.* quia, inquam, extra periculum jam eſt, ſi cum coruſcatione aut ſonitu ictus non fuit. alio enim, non in caput ejus, fulmen jam cecidit. Sed fallitur opinionis (ſi hæc ipſius) cum Seneca noſtro Plinius. Nam coruſcatio ante ſonitum, & ſonitus ante fulmen ad terram pervenit. imo ipſe Plinius *lucem ſonitu velociorem* ait, & hunc *profecti fulminis, non illati*, eſſe ſignum. Quin etiam ſpiritum, qui fulmen antecurrit, *ocyorem fulmine, & ideo quaſi prius omne & afflari, quam percuti.* Timor ergo & declinatio ſpatium ante ictum invenire poteſt. Vide, ſi placet, quæ lib. 2. cap. 3. art. 14. Meteorol. ubi Plinium in probabilem alium ſenſum ducere tentavimus.

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

P*Onam ſenex*] Talis enim erat, cum hæc commentaretur, biennio ſcilicet non toto ante mortem, quam juſſu impii alumni ſumpſit, circa climacterem, ætatis tertium & ſexageſimum.

Inter vana ſtudia] Quæ illa? Attalo enim Stoico, & Sotioni Pythagorico, illius ævi præſtantiſſimis, puer operam dedit: adoleſcentior, Papyrio Fabiano, & Demetrio Cynico familiaris; ac ipſe tota vita philoſophatus fuit. Forte igitur ad ſtudia & curam divitiarum, quæ ei immodicæ, reſpexit, aut dialecticas quaſdam nugas, Stoicis poſt Chryſippum nimiſquam amatas, & ipſe Epiſt. 45. ridet. *Nectimus nodos*, inquit, *& ambiguam ſignificationem verbis alligamus, deinde diſſolvimus. Tantum nobis vacat? jam vivere, jam mori ſcimus? Tota illo mente pergendum eſt, ubi provideri debet, ne res nos, non verba, decipiant.* Deinde tempus cauſſidicinæ fortaſſe in oculis habuit. Egiſſe enim cauſſas ſub Tiberio & Caio, Epiſt. 49. dicit, *Modo*, ait, *apud Sotionem philoſophum puer ſedi, modo cauſſas agere cœpi, modo deſii velle agere, modo deſii poſſe.*

Longe à domino jacentis] Corruptiſſima, & quæ Oedipo indigeant, clamat Pincianus. ſcribit ergo à ſua conjectura. *longe ambitio, longe jactantia. curis ſolvatur.* Vix teneo riſum. lectio noſtra ſinceriſſima eſt. patrimonium & opes Senecæ longe ab ipſo, & ultra mare non minima pars, in Ægypto aut Britannia jacebant. atque adeo dives, ut Suillius apud Tac. lib. 13. Annal. objiciat, *intra quadriennium regia* (Neronis) *amicitia ter millies H S.* (id eſt, fere novemdecim milliones florenorum) *paraviſſe.*

Poſtmeridianis horis] Sero, & præcipiti jam, aut vergente ætate.

Quantum propoſito] Operi huic, & ſcriptioni à ſe deſtinatæ. q.d. Opus longe, vita prope abeſt à ſuo fine.

Quæ planum omne] Velut in Ogygis & Deucalionis diluvio. non enim editiora & montes perfuſi, ut in illo generali, quod deſcribit hiſtoria ſacra.

Quam conflagratio] Magni & improbi illi æſtus, qui occaſionem fecerunt fabulæ Phaëthontis.

Confirmatum Hiſpaniæ cladibus] Saguntinos enim & Hiſpanos fregerat, & hac novarum virium acceſſione auctus & firmatus, bellum Italiæ intulit Hannibal.

Infractiſque rebus] Ex vet. cod. *fractis*, reſcribit Pincianus. ſed non eſt neceſſe. *in* enim hic non negat, ſed intendit ſignificationem.

Reges perterraverit] Ad Antiochum enim Aſiæ regem fugit, & pertraxit in bellum contra Romanos. deinde ad Pruſiam Bithyniæ.

Sine exercitu] Nam ille mollis & effeminatus Antiochi, nomen exercitus non merebatur.

Non tuum, finem] Non eum quem proponis tibi & deſtinas.

Supra imperantes jacuerunt] Ipſos ruina ſua oppreſſerunt.

Cummaxime] Frequens apud Senecam dictio: nec valens tamen ultra ſimpliciter, *maxime*.

In rubri maris littore] Alexandrum, credo,

Digitized by Google

credo, alludit, & Nearchi in Oceano navigationem & errores.

Adverſus utramque] Fortunam propitiam, & iratam.

Quod ſine adverſario optatur] Quia recedere ab altero non debet, ut ad te veniat.

Si non putes] Nemo enim infelix qui felicem ſe credit.

In primis labris] Paratam ſemper exire, & deſerere corpus.

Sine commeatu] Spatio, ceſſatione, dilatione. vox eo ſignificatu apud Senecam & Tertull. ſat ſolennis. Iſte lib. de Pœnit. cap. 6. *Certi indubitata venia delictorum, medium tempus interim furantur, & commeatum ſibi faciunt delinquendi.* & Apolog. cap. 46. *Quid enim Thales ille princeps Phyſicorum ſciſcitanti Crœſo de divinitate certum enunciavit, commeatum deliberandi ſæpe fruſtratus?* Proprie tamen magis tempus illud ſignificat, quo quis ire & redire poſſit, ac temporariam abeundi licentiam quæ datur militibus. Modeſtinus lib. 4. de pœnis, D. de re militari: *Si ad diem commeatus quis non veniat*, &c. Pro litteris etiam abitus. γράμματα ἀφίσεως, *paſſe-porte.*

Tibi referre mercedem] Pro laboribus, quibus tibi ſervis. id eſt, cum deſieris tibi ſervire. tunc enim nec mercedem tibi pro ſervitute poteris reddere: merces enim non eſt, niſi quæ ſervitutem reſpicit. Acutum ergo hoc eſſe vides, & tortuoſum.

Quid forum viſo?] Ad cauſſidicinam.

A ſordidis] Turpibus lucris.

In occultis] Rebus naturalibus, ſcitu difficilibus, & extra communem intelligentiam poſitis: præ quibus ſtatim dicet ſalutaria morum præcepta eſſe in aperto & facili.

Cap. I. *Junior cariſſime*] *Junior* igitur etiam Lucilii nomen: etſi Præfatione ante Epiſtolas neget noſter Lipſius: *Quod quidam*, inquit, *Juniorem appellant (inducti loco Senecæ*, Epiſt. 26. *Junior es? quid refert? non dinumerantur anni) puer videt, quam ſit puerile.* Fateor, ex illa Epiſtola non ſat aperte (quamquam tamen etiam ibi exiſtimem alluſum ad nomen;) ſed ex hoc loco, & libri 4. Nat. Præfatione, apertiſſime. Mutaturus igitur hauddubie fuit vir maximus, ſi huc uſque veniſſet ejus commentatio. Hinc etiam diſcis Lucilium poeſim amaſſe, & feciſſe verſus. quem etiam Præfatione libri 4. Seneca vocat *otio & litteris familiarem.*

Vitia percurrunt] Lege, *percurant.*

Cap. II. *Aut ſtant omnes aquæ*] Græci ὕδατα στάσιμα, ῥυτὰ, καὶ συλλογιμαῖα vocant. Stant mare & lacus, fluunt rivi & flumina, colliguntur torrentes, & quas Galli Belgæ *aquas ſylveſtres* appellant. Sed quænam *varias venas habent?* Credo, quæ nunc fluunt, nunc ſiccantur, aut tenui aqua in alveo lacunoſo & inæquali ſtagnant.

Fecunditatem afferunt] Pincianus, *auferunt*, mavult. ſed non faciet, ſi audiat Plinium: *Theſpiarum fons*, inquit lib. 31. cap. 2. *conceptus mulieribus repræſentat. Item in Arcadia flumen Elatum. Cuſtodit autem partum Linus fons in eadem Arcadia, abortuſque fieri non patitur.* Non negem tamen etiam eſſe, quæ auferant fecunditatem. Nam *è diverſo*, ait, *in Pyrrhea flumen, quod Aphrodiſium vocatur, ſteriles facit.* Plura apud nos fontium & aquarum miracula lib. 5. cap. 2. art. 4. Meteorol.

Cap. V. *Occulto enim itinere*] Conſentienter Salomoni, Eccleſ. cap. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Qua vi vero è terræ venis aqua marina in ora fontium aſcendat, lib. 5. cap. 2. art. 3. Meteorol. diſputavimus.

Amaritudinem ponit] Lucret. lib. 2.

Eſt ratio ſecernundi ſeorſumque videndi,
Humor dulcis, ubi per terras crebrius idem
Percolatur, ut in foveam fluat, ac manſueſcat.
Linquit enim ſupera tetri primordia viri

Aſpe-

Aſpera, quæ magis in terris hæreſcere poſſunt.

Cap. VII. *Vinearum diligens foſſor*] Agriculturæ enim amans & addictus Seneca, ut pleríque ſapientes.

Ultra decem pedes] Vide nos lib. 5. cap. 6. art. 2. Meteorol. de iſtis ſatis enarrate.

Cui inſideant] Cujus poris accipiantur. rupes enim duræ & adſtrictæ humorem reſpuunt, & effundunt per ſuperficiem.

In ſummo montis cacumine] Curtius lib. 3. de Marſya amne : *Fons ejus ex ſummo montis cacumine excurrens, in ſubjectam petram magno ſtrepitu aquarum cadit.*

Surſum agi] Spiritu, aut aqua alia premente, & ſurſum exprimente.

Aut ibi concipi] Aëre aut vaporibus in aquam denſatis. quod credit Ariſtoteles, & nos lib. 5. cap. 2. art. 3. Meteorol. ex parte.

Cap. IX. *Aiunt habere terram*] Ariſtot. lib. 1. cap. 13. Meteor. *Οἱ ὀρεινοὶ καὶ ὑψηλοὶ τόποι τὴν ἀνιοῦσαν ἀτμίδα ψύχουσι, καὶ συγκρίνουσι πάλιν εἰς ὕδωρ : Montana & excelſa loca aſcendentem vaporem frigerant, & condenſant iterum in aquam.*

Cum ſe deſiit ferre] Cum nimis denſatus & gravatus.

Umbram facit] Opſopœus, *imbrem.* bene.

Inexercitata denſitas] Silens & quieta à ventis.

Cap. X. *Ex quanto prodeant*] E terra ſcilicet, maximæ profunditatis & molis.

Omnia in omnibus] Virtute, non reapſe, & formaliter, ut loquimur.

Numquam ſine igne eſt] Calore, ut ipſius mox dicet.

Stabit] Gelabitur, & concreſcet.

Cap. XI. *In Coryco monte*] A Theophraſto etiam Plinius : *In Coryco monte amnis erupit, poſtquam cœptus eſt coli.*

Hæmus] Plin. lib. 31. cap. 4. *Naſcuntur fontes deciſis plerumque ſilvis, quas arborum alimenta conſumebant. ſicut in Hæmo* (mons eſt Thraciæ) *obſidente Gallos Caſſandro, cum valli gratia ſilvas cecidiſſent.*

Caſſandro] Rege Macedoniæ.

Ex proximo eſt] Ex aqua pluvia, & ſucco circa terræ ſuperficiem hærente. Quatenus vero radices arborum ad alimenti ſuctum in terram decurrant, conſule lib. 5. cap. 6. art. 2. noſtrorum Meteorol.

Deinde ſucciſa arbores] Ita etiam ſucciſi crines magis feſtinant recreſcere.

Circa Arcadiam] Plin. lib. 31. cap. 4. *Proditur certe in Creta, expugnato oppido quod vocatur Arcadia, ceſſaſſe fontes amneſque qui in eo ſitu multi erant.*

Plura denique invenimus] Acuta & bella rejectio Theophraſti.

Sed excitant] Ut rapidius decurrant, inflatæ torrentibus.

Cap. XII. *Fluens aër*] Ariſtoteles aliter, & ventum *ἀναθυμίασιν, exhalationem* facit, tranſverſario impetu per aëra diſcurrentem.

Cap. XIII. *Aqua, ait Thales*] Idem de Thalete Ariſtoteles lib. 1. cap. 3. Metaphyſ. & addit : Λαβὼν ἴσως τὴν ὑπόληψιν ταύτην ἐκ τοῦ πάντων ὁρᾶν, τὴν τροφὴν ὑγρὰν οὖσαν, καὶ αὐτὸ τὸ θερμὸν ἐκ τούτου γιγνόμενον, καὶ τὸ ζῷον τούτῳ ζῶν: *Accepiſſe fortaſſis hanc opinionem, quia alimentum omnium rerum humidum eſſe cerneret : ipſum etiam calidum ex eo factum, eoque animal vivere.* ac deinde : Πρώτους θεολογήσαντας, οὕτως περὶ τῆς φύσεως διαλαβεῖν· Ὠκεανόν τε γὰρ καὶ Τηθὺν ἐποίησαν τῆς γενέσεως πατέρας, καὶ τὸν ὅρκον τῶν θεῶν ὕδωρ τὴν καλουμένην ὑπ' αὐτῶν Στύγα τῶν ποιητῶν : *Primos Theologos ſic etiam de natura ſenſiſſe ; ideoque Oceanum & Thetyn feciſſe generationis parentes, & juſjurandum deorum, aquam illam quam poetæ vocant Stygem.* Jupiter etiam ab hac cauſſa, apud Homerum Odyſſ. N. Neptunum *πρεσβύτατον καὶ ἄριστον, antiquiſſimum & optimum,* vocat.

In hoc futuri mundi] Ad *ἀποκατάστασιν, redintegrationem* mundi, per *ἐκπύρωσιν, conflagrationem*, aliquando futuram, nec longe à fide Chriſtiana. alludit. De qua apud Lipſium multa lib. 2. Diſſert. 21. Phyſiol.

In deductione rerum] Cum elementa ante

ante confuſa, chao educta & diſpoſita ſuis locis. nam

Ante mare & terras, & , quod tegit omnia, cælum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigeſtaque moles,
Nec quidquam, niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Ut canit Poeta ingenioſus lib. 1. Metamorph.

Cap. XIV. *Aërem marem judicant*] Aſpicientes ad indolem maſculi animalis, cui plus caloris, impetus, & virium, quam feminæ.

Cap. XV. *Sed hoc amplius cenſeo*] Senatorium loquendi genus, ait recte Muretus, cum ſententiam alterius probarent, ſed cum ſupernumerario aliquo additamento.

Appellaverint venas] Imo hodie Copernicani quidam reapſe venas, & terram grande quoddam animal, cui lapides & metalla pro oſſibus, terra mollior pro carnibus, gramina & plantæ pro crinibus, homines, feræ, pecora pro pediculis, eſſe contendunt.

In lapidem ex liquore] Ut cryſtallus. Adi quæ nos lib. 5. cap. 5. art. 4. Meteorol. diſſeruimus.

Inania appoſita plenis] An, & quomodo ſicca & inania humorem attrahere valeant, lib. 5. cap. 2. art. 2. Meteorol. ſatis dictum nobis.

Ut ſpiſſetur, gravioremque] Locum hunc inter depravatiſſimos habet Pincianus. Igitur reſcribit: *ut ſpiſſetur, craſſioremque quam ut manare in maria poſſit, gignat humorem.* Numquam longius extra oleas & ſenſum auctoris abiiſſe mihi videtur. Ego, modo lacunulam, immiſſa ſingulari voce, ſuppleam, nil habeo quod culpitem. Itaque lego: *ut ſpiſſetur vapor, gravioremque*, &c. Vult enim, quod lib. 5. cap. 2. art. 3. Meteor. oſtendi, generari in terra fontes, ut pluviam in nubibus & aëre: quando ita gravatur, & naturam raritatis & levitatis exuit vapor, aut ſubterraneus aër, ut ſpiſſetur & craſſeſcat in humorem.

Sudorem aquileges vocant] Ex quo humorem ſubeſſe intelligunt. Arte vero iſta eos uti ad deprehendendam de ſudore illo ſublatentem aquæ venam, ſcribit lib. 8. cap. 1. Vitruvius: *Procumbunt*, inquit, *in dentes, antequam ſol exortus fuerit in locis, quibus erit quærendum, & in terra mento collocato & fulto proſpiciunt eas regiones. Sic enim non errabit excelſius quam oporteat viſus, cum erit immotum mentum, ſed ad libratam altitudinem in regionibus certa finitione deſignabit. Tunc in quibus locis videbuntur humores ſe criſpantes, & in aëra ſurgentes, ibi fodiatur: non enim in ſicco loco hoc ſignum fieri poteſt.* Idem fere Plinius lib. 31. cap. 3. ſed difficile experimentum affirmat; quod *tanta intentione oculorum opus, ut indoleſcant. quod fugientes*, inquit, *ad alia decurrunt. Loco in altitudinem pedum quinque defoſſo, olliſque e figlino opere crudis, aut perunctа pelvi area cooperto, lucernaque ardente concamerata frondibus, dein terra. Si figlinum humidum ruptumve, aut in ære ſudor, vel lucerna ſine defectu olei reſtincta, aut etiam vellus lanæ madidum reperiatur, non dubie promittunt aquas.*

Si illam ſpiritus] Hic enim eſt, qui aquæ mixtus & ſcopulo aut duro illiſus fractuſque fragorem illum inſignem reddit. nam aqua mera, aut inſona eſt, aut ſurde & obſcure ſubmurmurat.

Senis horis] Ad legem marini æſtus, qui ſenis horis intumeſcit totidemque deſidit. Talis fere fons Jovis in Dodone, qui *meridie ſemper deficit, qua de cauſſa* ἀναπαυόμενον (interquieſcentem) *vocant. mox increſcens ad medium noctis exuberat: ab eo rurſus ſenſim deficit*, ut lib. 2. cap. 103. narrat major Plinius. & nepos ejus Epiſt. ad Licinium Suram, extrema libri 4. de fonte qui in Larium lacum decidit: *Hujus*, inquit, *mira natura. Ter in die ſtatis auctibus ac diminutionibus creſcit decreſcitque. Cernitur id palam, & cum ſumma voluptate deprehenditur. Annulum, ſeu quid aliud ponis in ſicco, alluitur ſenſim, ac noviſſime operitur, detegitur rurſus, paullatimque deſeritur.*

Cap. XVI. *Quemadmodum quartana*]

mana] Elegans & ſcita comparatio. Ut enim ſtatis intervallis increſcunt vitioſi humores, & ad abundantiam veniunt, qua naturam irritant, & revocant intermiſſas febres : ita aquarum æſtus, licet ab aliis cauſſis, exundant ſuis temporibus, ſervantque vices ſuas & circuitus.

Quemadmodum purgatio] Menſtruorum, aut etiam alvi in quibuſdam hominibus, quos beneficium iſtud ad horam monet.

In aëre cæco] Occulto & tenebroſo. Ita, *cæcum*, à privatione viſus ad viſibilis privationem ſæpe transfertur : & ſæpiſſime factum, ut memini, à Lucretio.

Ut talpa] Idem Plinius: *Quadrupedum*, inquit lib. 11. cap. 37. *talpis viſus non eſt.* addit tamen : *oculorum effigies ineſt, ſi quis prætentam detrahat membranam.* Igitur & viſus ineſt, inquam ego ; ne effigies illa inanis & fruſtra ſit. Ab Ariſtotele porro cepit iſta Plinius ; quem tamen vereor ut ſatis ceperit. Is lib. 1. cap. 9. Hiſtor. animal. Ἀσπάλακα τρόπον μέν τινα ἔχειν ὀφθαλμοὺς θείη τις, ὅλως δ' οὐκ ἔχει· ὅλως μὲν γὰρ οὔθ' ὁρᾷ, οὔτ' ἔχει εἰς τὸ φανερὸν δήλους ὀφθαλμούς. Ἀφαιρεθέντος δὲ τοῦ δέρματος, ἔχει τήν τε χώραν τῶν ὀμμάτων, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν τὰ μέλανα: *Talpam quodammodo habere oculos quis dixerit, omnino & in totum tamen non habet, quippe cum in totum neque videat, neque manifeſtos oculos habeat. Si quis vero prætentam membranam detraxerit, locum oculorum, & nigram eorum partem habet.* Ubi, ὅλως οὐκ ἔχειν, *omnino non habere*, ſic ordinare oportet, ut negatio agmen ducat, dicatque, *non omnino habere*, id eſt, non perfectos & omnibus numeris abſolutos, quales in cæteris animalibus perfectis viſuntur. nam l. 3. de Anima, Φαίνεται, inquit, ἡ ἀσπάλαξ ὑπὸ τὸ δέρμα ἔχουσα τοὺς ὀφθαλμούς : *Videtur talpa ſub pelle oculos habere.* Cum igitur etiam ait, *omnino*, aut, *in totum non videre*, hoc voluit, *non omnino*, ſive, non perſpicue & perfecte, *videre*. Alias enim experientia conſtat, ubi emerſerint, aliquid cernere, & in luce allucinari. Si in aquam etiam demergas, pili quidam inſtar ciliorum, circa ocellos frigore contrahuntur : unde ſi pellem detrahas, invenies nigella quædam luminum puncta, qualia fere in cancris.

Quia ſupervacuum eſt] Non eſt, quia aliquando in lucem & uſum oculorum veniunt talpæ. Natura tamen membrana eos contra pericula foſſionis & noxas texit.

Piſces quibuſdam locis] Plin. lib. 9. cap. 57. *Theophraſtus tradit, in Paphlagonia effodi piſces gratiſſimos cibis terrenos altis ſcrobibus, in his locis ubi nullæ reſtagnent aquæ : miraturque & ipſe gigni ſine coitu.* Eadem, ſed ab eodem, initio libri 8. Athenæus.

Cap. XVII. *Cum dolabra*] Ad effodiendum, aut exſcindendum potius.

In mari venetur] Mentior, niſi Libanum, ſervum Plautinum in Aſinaria, aſpexit.

Jubeas una opera me piſcari in aëre,
Venari autem reteiaculo apros in medio
mari.

Sub ipſa menſa capitur] Videſis, quæ de Euripis & rivis per cubicula & triclinia ad voluptatem currentibus, in Præfat. libri primi diximus, num. 21.

Vitreis ollis] Plin. lib. 9. cap. 17. *Mullum exſpirantem verſicolori quadam & numeroſa varietate ſpectari, proceres gulæ narrant, rubentium ſquamarum multiplici mutatione palleſcentem, utique ſi vitro ſpectetur incluſus.* Vinum in quo ſuffocatus mullus, ſi vir bibat, ad Venerem impotens ; ſi mulier, ſterilis ſit, ut ait Terpſicles apud Athenæum lib. 7.

Alios necant in garo] Apicium harum deliciarum repertorem facit Plinius : *M. Apicius*, inquit, *ad omne luxus ingenium mirus, in ſociorum garo (nam ea quoque res cognomen invenit) necari mullos præcellens putavit, atque è jecore eorum alecem excogitare provocavit.* Porro garum *exquiſiti liquoris eſt genus*, ait lib. 31. cap. 7. Plinius, *ex inteſtinis piſcium, cæteriſque quæ abjicienda eſſent, ſale maceratis, ut ſit illa pu-*

putreſcentium ſanies. Hinc Martial. lib. 5. *pretioſam ſaniem* appellat. Nomen ei à garo piſce, ex quo olim ſolo confectum. *Nunc è ſcombro*, inquit Plin. lib. 31. cap. 8. *piſce laudatiſſimum in Carthaginis ſpartariæ cetariis. Sociorum id appellatur, ſingulis millibus nummum* (id eſt, circiter 62. florenis) *permutantibus congios pane binos* (qui menſura Budæi, duodecim circiter impleant ſextarios, ſive pintas Pariſienſes, quæ à noſtris non longe videntur diſcedere: cum Budæus pintam ſuam juſtum liquoris modum eſſe dicat, quem ſiticuloſus ἀπνευστὶ & uno ſpiritu poſſit exhaurire.) *nec liquor ullus*, addit Plinius, *pane præter unguenta majore in pretio eſſe cœpit, nobilitatis etiam gentibus.* Ubi ſi paullo ante attenta aure fuiſti, docuit te Plinius, quid *garum* illud *ſociorum*, multum in Romanis Scriptoribus, & menſis delicatorum. Martial. lib. 13. Epigram. 99. de *garo ſociorum*:

Exſpirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo,
Accipe faſtoſum munera cara garum.

Faſtoſum (etſi alii *facoſum* legant) quia illud è ſcombro, faſtoſorum & potentiorum condimentum erat, ut muria è thynno piſce, plebeiorum. Indicat Poeta Epigram. ſequenti, de *amphora muriæ*:

Antipolitani (fateor) ſum filia thynni:
Eſſem ſi ſcombri, non tibi miſſa forem.

Sociorum ergo *garum*, quia ſcombri, unde fiebat, piſcatio circa Carthaginem novam in Hiſpania, Romanis ſociam: quam Plinius ſpartariam, à copia ſparti, quo ſuos operit montes, appellat.

Cœna cauſſa] Pincianus cum particula negandi: *nec cœna cauſſa occiſum, ſed poſt cœnam.* Male. Vult enim manu convivæ, Euripo ſub menſam fluente exceptum mullum, poſt ſpectacula à moriente data, ſtatim coqui, futurum alias parum recentem.

Cap. XVIII. *Quam aquè variatur*] Quiſpiam locum ſuſpectet de mendo: ſed non eſt. Quam æqua, ſive æquali, ait, macularum, quarum aliæ vitæ, aliæ mortis indices, temperie variatur! & verba convivæ, maculoſæ mortis mulli in vitrea olla ſpectatoris ſunt.

Vacatio longa] Luxuria, inquit, nimis diu dormivit & ceſſavit à novitia iſta voluptate, ſpectandi tam formoſam mulli necem, quam hactenus ignoravit.

Hoc adhuc] Id eſt, hactenus. & vides tempore Senecæ inſtitutum, in conviviis ad voluptatem ſic necari mullos.

Qui coctum piſcem] Pincianus non male, ex cod. Memmiano, partim lectione vet. ſic refingit totum hunc locum: *Quo coctum piſcem? quo exanimem? in ipſo ferculo exſpiret.* Ut ſint divitis luxurioſi verba, & phraſis gemina illi Horatianæ, in Epiſt. ad Torquatum:

Quo mihi fortuna, ſi non conceditur uti?

Is pro putrido] Melius libri vett. *Is pro putrido jam piſcis eſt, qui hodie eductus.*

Neſcio de re magna] Verba luxurioſi convivæ, pro re magna admirantis & obſtupeſcentis mortem illam variam & ſpecioſam mulli.

Ad hunc faſtum] Nauſeam & contemptum. Ita enim ſæpe eleganter, & ſolenniter fere apud Propertium. Is lib. 3.

Teſtis Cretæi faſtum quæ paſſa juvenci,
Induit abiegnæ cornua falſa bovis.

Vide Lipſ. lib. 2. Variar. cap. 22.

Quantum ad ſollertiam] Opſopœus divinat: *Quantum ad ſollertiam luxuriæ plures eunt, tanto ſubtilius*, &c. Sed nimis procul à veſtigiis vulgatæ lectionis, ſine ullo vetuſti exemplaris ductu. & ſi ſollicitandum aliquid, hoc malim: *Quantum ſollertiæ ad luxuriam pereuntem accedit.* In hunc enim ſenſum ſine dubio vadit. Quantum, inquit, ſollertiæ & ingenii accedit luxuriæ pereunti, & quotidie exoleſcenti altera magis ingenioſa ſuccreſcit, tanto, &c. Breviter, voluptatum convivialium luxurioſa ſollertia creſcit & abit in infinitum.

Sub ipſo tempore effulſit] Κροτάφῳ. Nam & pro parte illa capitis ſolet quandoque *tempus* in ſingulari. Imitatus

tatus Interpres ſacer Judic. cap. 5. *Quærens in capite vulneri locum, & tempus valide perforans.*

Cap. XIX. *In ſubterraneis occultis*] Lectio. vet. *occult.* Omnino recte.

Circa Lorymam] Ita ex lib. vet. qui *Jotumam* præferebat, reſtituit Muretus. alii *Idimum*, aut *Myndum*, aut *Hydivium*: unde Pincianus fecit *Hydiſſum*. Tam vero Loryma, quam Hydiſſus, urbes Cariæ ſunt.

Gravis & ipſe cibus] Galenus lib. de Euchymia & cacochymia, anguillam mali ſucci; etſi in humore puro verſetur, affirmat. Græci tamen in maximo honore menſarum habuerunt. Apud Athenæum lib. 7. Eidicaſtes Epicureus, cùm anguillam menſæ inferri videret, Πάρεστιν, inquit, ἡ τοῦ δείπνου Ἑλένη. ἐγὼ Πάρις ἔσομαι. καὶ χεῖρας μήπω τινὸς ἐπιτεταχότος, ἐπ' αὐτὴν ἐπιβαλὼν, ἐψίλωσεν τὸ πλευρὸν ἀγαγὼν εἰς ἄκανθαν: *Adeſt cœnarum Helena. ego Paris ero. & cum nondum quiſquam manus intendiſſet, eam invadens, arreptum latus nudavit uſque ad ſpinam.* Ita nullus cibus tam noxius, qui non inveniat defenſorem, nullus tam ſalutaris, qui non detrectatorem. Caſeos plerique damnant; ſed Jo. Langius, celebris Medicus, laudat inſanum. Quis olim rapam non amat, non extollit? Democritus tamen diris omnibus devovet. Quis leporem, ceu melancholicum, non inſectatur? Non ignobilis Medicus nuper libello pæne toto inculcat, & fere perſuaſit, pellere melancholiam. Sed Galenus in anguilla valetudinis noxam aſpexit, Græci illi gumiæ tantum, credo, palati voluptatem. edebant autem τεύτλῳ ἀμπεχομένας, *beta amictas*, & involutas; ut hodie aſſamus cum ruta.

XX. *Secunda, ex eadem ſimulatione*] Quid ſibi vult? hoc. aut nihil quod intelligam. Hanc cauſſam ſecundam naſci ex prima, ſimilatione ejus (ita enim potius, quam *ſimulatione*, legam.) quia forte aqua ſincera, medicatæ à ſolo quod lavat, infuſa, qualitatem trahit & ſimilitudinem. Unde ſic leges & interpunges: *Secunda ex eadem, ſimilatione ejus naſcitur.* De hac tota medicatione aquarum, vide me ſat amplius diſſerentem, lib. 5. c. 3. art 4. Meteor.

Hæ medicaminum potentiam] Manuſcripti, *medicatam potentiam*, etiam recte.

Si notaveris, albulam] Majuſcula potius, *Albulam* reſcribe. agri enim Tiburtini fons & fluvius eſt. de eo Martialis:

Canaque ſulphureis Albula fumat aquis.

Eum Strabo lib. 5. & Plin. lib. 31. cap. 2. mederi vulneribus affirmant. Vitruvius etiam lib. 8. cap. 3. *Fontes per longum ſpatium terræ procurrentes refrigerati perveniunt ſupra terram, ſapore, odore, coloreque corrupto, uti in Tiburtina via flumen Albula, & in Ardeatino fontes frigidi eodem odore, qui ſulphurati dicuntur.*

Lynceſtius amnis] Plin. lib. 2. cap. 103. *Lynceſtis aqua, quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit. item in Paphlagonia, & in agro Caleno.* Vitruv. lib. 8. cap. 3. *Sunt etiam fontes uti vino mixti, quemadmodum eſt unus Paphlagoniæ, ex quo etiam ſine vino potantes fiunt temulenti.* Cauſſam ejus miraculi & plurium tentavimus nuper lib. 5. cap. 3. art. 4. Meteorol.

Cap. XXI. *In quoſdam ſpecus*] Quales Charoniæ ſcrobes in agro Puteolano, Avernus & alia loca apud nos, lib. 4. cap. ult. art. 7. Meteorol.

Ut tranſvolantes aves] Avernum, & de eo Poëtam reſpicit.

Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris,
Quam ſuper haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis. talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens ſupera ad convexa ferebat.

Tentat nervos] Sic canes in ſcrobem Charoniam (hodie antrum canum) in agro Puteolano, miſſi, ſopiuntur tantum, & excitantur merſione vicini lacus. Albertus etiam Pighius, Belga Campenſis, ſcriptis & Rom. Pontificum Adriani VI. & Clementis VII.

 gratia

gratia notiſſimus, curioſitate miraculi invitatus, ſine noxa inſigni, antro inambulavit: cum tamen alias Turcas aliquot, in experimentum præcipitatos, vapor & halitus peſtilens brevi exanimaverit, ut lib. 4. cap. ult. art. 7. Meteorol. narratum à nobis.

Nulla res eſt] Sic etiam vinum Leſbium, quia in Lesbo inſula maris Ægei natum, ſponte naturæ ſuæ, mare ſapere, lib. 14. cap. 7. ſcribit Plinius. Inſulam iſtam olim nobilem, & obnoxiam, nuper anno CIↃ. IↃC. XXVII. terræ motu ſuppreſſam, aut laceratam audivimus.

Cap. XXII. *Sive ille æternus eſt*] Non eſt, ne cum Ariſtotele dubites Seneca. Hinc vides, quam parùm, in fine tamen vitæ, Chriſtianus Seneca, & ſuſpectæ vanitatis Epiſtolæ illæ ejus ad D. Paullum.

Quodcumque ex illo] Ut Mediterraneum, Rubrum, Balthicum.

Ut Iſtrum, ut Nilum] De Nilo, probabile Mundo eſſe coævum, & unum è quatuor illis Paradiſi fluminibus. Si vero Iſtrum, ſive Danubium, propter amplitudinem & vaſtitatem, tam longe & in Mundi incunabula Seneca rejecit, etiam alios debet, Danubio inſigniores, ut quos lib. 5. cap. 3. art. 1. Meteorol. deſcripſimus.

Cap. XXIII. *Ex ſuperioribus*] Opſopœus intruſum exiſtimat. nec ego valde deſiderem.

Nubila ejiciunt] Alii *excutiunt*. ſi quid mutandum, malim *dejiciunt*.

Cap. XXIV. *Evanuere*] Eleganter ait aquam, cujus fervidi ſpiritus in auras exhalarunt & evanuere, etiam evanuiſſe, id eſt, vanam, emortuam, & ſpiritu illo animante vacuam eſſe.

Dracones] Lebetes tortuoſos, in ſpiras & draconis formam conſpiratos.

Miliaria] Vaſa ad coquendum milium, ut Accurſius & Beroaldus volunt; quos tamen lib. 2. cap. 6. Obſervat. refellit Cujacius. Sed profecto inde fortaſſis nominis etymon, etſi poſtea tranſlatum ad alios uſus. Lebetes igitur ſunt ad aquæ calefactionem, ut lib. 3. diſertim Athenæus. Grandiores etiam fuiſſe, & ſubjectam habuiſſe fornacem, et Palladio & Athenæo intelligimus: ut apud hunc Ulpianus Sophiſta ἰπνολέβητα, *furnarium lebetem*, merito appellarit. Hoc ergo eſt quod Celſus, L. Si venditor. D. De actionib. empt. & vend. *ahenum lateribus circumſtructum* vocat, & uſus in thermopoliis. In balneis etiam, & binas habuiſſe fiſtulas, frigidariam unam, quæ frigidam ei infunderet; caldariam alteram, quæ calidam refunderet in ſolium, indicat lib. 1. Tit. 40. Palladius.

Quibus balnearia] Ita etiam hypocauſta calefiunt, igne foris ardenti, & per tubos ſpiritum ferventem inſpirante.

Evaporatio] Aqua evaporata & calefacta ſuppoſito canalibus igne, non reſipit ſulphur & materiam ignis ſubterranei; quia clauſa perlabitur, nec ei permiſcetur materia. Vide apud me plura lib. 5. cap. 2. art. 4. Meteorol.

Cap. XXV. *Alligat viſcera*] Alii tamen non gypſo alligare, ſed perrodere, & per omnia vaſa exire ferunt, præter mulæ ungulam: ac in hac aquam Stygis ab Iolla Antipatri filio, conſilio tamen Ariſtotelis, ad Alexandrum perlatam, exanimatumque hoc veneno. Liberamus tamen hujus culpæ Ariſtotelem lib. 5. cap. 3. art. 4. Meteorol. ubi hoc, aliaque aquarum miracula ſatis explicate diffundimus.

In Theſſalia circa Tempe] Plin. lib. 31. cap. 2. *Tradunt etiam æs ac ferrum erodi illa aqua.* Ait etiam hanc terribilem eſſe, cum Styx tamen blandiatur aſpectu.

Nec arbuſta] Aliter Plinius: *Profluit*, inquit, *brevi ſpatio: mirumque, ſiliqua ſilveſtris amplecti radicibus fontem eum dicitur, ſemper florens purpura.*

Peta inficiunt greges] Cratis, Lucaniæ fluvius dealbat, Penius denigrat oves.

Ad Cetonem] Sic reſtitutum à Mureto, cum omnes MSS. *Peneien* legerent, teſte Opſopœo, & rectiſſime. Nam Penius etiam pecus infuſcat, uti ex Plin. lib. 2. cap. 103. diſcimus.

Quo

Digitized by Google

Quo poto equis] Ita Clitumnus in agro Faliſco bobus. Propertius:

Qua formoſa ſuo Clitumnus flumina luco
Integit, & niveos abluit unda boves.

Erat in Sicilia] De lacu Siculo nihil, de fonte Phinthia hæc apud Plinium lib. 31. cap. 2. *Nihil mergitur in Sicilia fonte Phinthia, ut Appion tradit.*

In Syria ſtagnum] Aſphaltus, ſive mare mortuum. Miraculi hujus periculum Veſpaſianus & Trajanus Cæſares olim in duobus hominibus fecerunt, qui manibus poſt terga revinctis injecti, repulſi ſunt ſtatim & ejecti in aquæ ſuperficiem. Adi, ſi lubet, Meteorol. noſtra, lib. 5. cap. 1. art. 3. & cap. 3. art. 4. Adde quæ ad hunc locum fuſius diſſero in Excurſu, ad calcem hujus Operis.

Par ſit modus] Magnitudo, & quantitas, ut jam loquimur. Hæc omnia ab Archimede, libro περὶ τῶν ὀχουμένων, & longe verius Seneca, quam hodie multi, qui cum Mathematicorum (& merito) riſu, natantes in aqua trabes, per aërem ligno incluſum expedire ſe credunt, aut gravitatem ligni & aquæ, ſpecie diſtinctam faciunt.

Non æſtimatione noſtra] Qua leve æſtimamus tantum, quod nihil aut vix ſuſtentantem premit; grave, cujus inſigne eſt pondus. Itaque Senecæ, & vera mente, plumbum etiam leve eſt, ſi ad aurum aut hydrargyrum (in quo, ceu lignum in aqua, natat) comparaveris.

Inſulæ, in Lydia natant] Plin. lib. 2. cap. 95. *In Lydia quæ vocantur Calaminæ, non ventis ſolum, ſed etiam contis quolibeat impulſæ, multorum civium Mithridatico bello ſalus.* Talem natantem Inſulam, in qua pecudes etiam & armenta paſcantur, ſe cum voluptate ſæpe ſpectaviſſe via Tiburtina, narrat M. Antonius Muretus. Sed non uno hoc ſpectaculo ad Audomaropolim in Artefia fruimur etiam Belgæ.

Ipſe ad Cutylias] In agro Reatino. Plin. lib. 2. cap. 95. *In Vadimonis lacu, & ad Cutylias aquas opaca ſilva, quæ numquam die ac nocte eodem loco viſitur.*

Aqua gravitas medicata] Sulphuris, bituminis, nitri, aut alius medicaminis miſcela.

Pinguis humor apprehendit] Et ita quoddam ex iis aquæ craſſamentum fecit.

Quare aqua Nilotica] Hinc Plin. aquam Nili *genitalem, & potu ſatiſferam* appellat.

Aquam ex rore collectam] Idem Plutarchus, Mercurialis, & poſt utrumque ego lib. 5. cap. 4. art. 2. Meteorol. docemus. quia, credo, exhalationes mordicantes ros permixtas habet; deraditque aliquid foliorum ſuperficiebus, quod præcipue cutem ſcarificat.

Ex qua fieri creditur] Credidit ſatis pertinaciter Plin. lib. 37. cap. 2. *Non alibi*, ait, *reperitur, quam ubi maxime hiberna nives rigent: glaciemque eſſe certum eſt; unde & nomen Græci dedere.* κρύσταλλος enim Græcis glacies eſt, uti Seneca etiam hic notat: retinuitque nomen apud 70. repertum Latinus interpres Pſal. 147. *Mittit cryſtallum ſuam* (id eſt, glaciem) *ſicut buccellas.* Verum Georg. Agricola lib. 6. cap. 7. Foſſil. & Anſel. Boëthius lib. 2. cap. 73. de gemmis, negant glaciem ulla frigoris pertinacia in cryſtallum poſſe cogi. In Septemtrione alias, ubi mare & amnes etiam ad vada glaciantur, maxima cryſtalli eſſet copia. Ex ſucco igitur pellucido concreſcere & glutinari, verius.

Cap. XXVI. *Si crebrioribus ventis*] Ita Thales, ut libro ſeq. dicturus noſter, Nili exundationem in Eteſias oſtiis ejus reflantes conjicit.

Reverberatur fluctu] Pincianus, *reverberato fluctu.* optime.

Quibuſdam menſibus] Ut ſol Junio, Julio, Auguſto, & ardente Canicula. cætera aſtra, extra ſolis cœtum, parum huc valent.

Ad inane defertur] Ruſticum: nam Philoſophicum inane nullum eſt. Ruſtici autem quidquid corpore craſſo & tractabili vacat, vacuum & inane vocant. Foſſa igitur, quo aqua defertur, etſi aëre plena, ſenſu eorum inanis eſt.

Renaſcitur ore] Libri vett. tam Senecæ, quam Ovidii, *orbe.*

Digitized by Google

Tacito] Vet. cod. *ſecto*.

Undis] Aliqui, *agris*.

Tigris facit] Vetuſtus Lucani interpres apud P. Pithœum non invenuſtos Neronis Cæſaris de fluvio Tigride verſus habet :

Quique pererratam ſubductus Perſida Tigris
Deſerit, & longo terrarum tractus hiatu
Reddit quaſitas jam non quærentibus undas.

Arethuſa in Sicilia] Hiſtoria an fabula Pindaro, Virgilio, Ovidio (& cui non ex illa gente?) celebratiſſima. Arethuſa de ſe ad Cererem, apud Ovid. lib. 5. Metamorph.

Piſa mihi patria eſt, & ab Elide ducimus ortus:
Sicaniam peregrina colo. ſed gratior omni
Hac mihi terra ſolo eſt. hos nunc Arethuſa penates,
Hanc habeo ſedem. ———

Et deinde :

——— *mihi pervia tellus*
Trabet iter, ſubterque imas ablata cavernas
Hic caput attollo, deſuetaque ſidera cerno.

Sed fabulari eam & mentiri, etiam ante Senecam, credidit Strabo, lib. 6. Alpheus enim, inquit, manifeſto ſe alveo in mare effundit, non ſorbetur cuniculo, ut fundo maris ſublabi, & incolumis in Siciliam pervenire, ſeque Arethuſæ infundere poſſit. Fabellæ vero, ait, initium, non à purgatione aliqua ſolenni Arethuſæ, quinto quoque anno, per Olympia; ſed à poculo, quod Olympiæ (civitas eſt Achaiæ, circa quam ludi Olympici quinquennales) Alpheum incidens, ſcaturigine Arethuſæ in Sicilia luci redditum fama temere vulgavit.

Circa Meſſanam] Plin. lib. 2. cap. 98. *Circa Meſſanam & Mylas fimo ſimilia exſpuuntur in littus purgamenta. unde fabula, Solis boves ibi ſtabulari.*

Inibi tempus] Imo vero, *ubi*, reſcribendum.

Secunda vis] Secundus fluminum lapſus aufert in mare, aut in quodcumque ſe exoneraverit.

Sed tranquillum quoque] Qua igitur vi? an expultrice magnetica? Non credidi nuper, lib. 5. cap. 1. art. 4. Meteorol. nequedum facio. æſtu igitur fluctuve ſolo expui naufragia & cætera maris purgamenta exiſtimo. *Sed tranquillum quoque*, inquis, *purgatur*. Numquam tanta malacia ſternitur, aut *de fluſtris*, ut cum Tertulliano dicam, ſic *temperatur*, quin fluctus etiam ſint, & undabundum littus alludat, imo flagellet.

Cap. XXVII. *Aut non ſit una*] Sane. nam iſtæ univerſim cauſſæ conſpirarunt in diluvium illud generale, Gen. cap. 7. Cataractæ enim cœli ad pluviam apertæ ſunt, & rupti fontes abyſſi magnæ, ut mare & flumina effunderent, obruerentque Orbem terrarum. Vide nos de diluviis lib. 5. cap. 6. art. 5. Meteorol.

Fallentibus] Latentibus. Ita ſæpe Latini eleganter verbo, *fallendi*, uſitantur, Græca imitatione verbi, λανθάνειν. *Decipere*, in hoc ſignificatu rarius; ſemel tamen omnino Livio uſurpatum, lib. 23. de pugna Hannibalis ad Thraſymenum : *A tergo ac ſuper caput decepere* (id eſt, feſellere, delituere) *inſidiæ*. ex reſtitutione Lipſii, Epiſtola ad Carolum Sigonium.

Illa neceſſitas temporis] Aſtrologi quidam (& Ariſtoteli, ſive Ariſtocles eſt, ut ſuſpicatur Lipſius, tribuit Cenſorinus) hanc anni Maximi hiemem futuram autumant. Vide Lipſ. lib. 2. Diſſ. 21. Phyſiol.

Fabianus] Flavius Papyrius Fabianus, Philoſophus, & unus e Senecæ præceptoribus. Hunc Epiſtola 58. diſertum & elegantem vocat, & *orationis etiam ad faſtidium nitidæ*. Epiſtola vero 100. ſolum Ciceronem, Aſinium Pollionem, & Livium in eloquentia ei præponit.

Læta aquis ſuſtinet] Solum molle nimis & fluidum non valet ſuſtinere etiam pabula & paſcua, quæ tamen lætantur aquis.

Omne enim fundamentum] Fortunati & Memmii cod. *firmamentum*. id eſt, fulcrum & tibicen. recte.

Con-

Digitized by Google

Congeſta ſæculis] Quia in verticibus quorumdam montium, aut ſub Mundi polis numquam ferè totæ tabeſcunt, ob pertinax & æternum ibi frigus.

Ovium greges] Memmianus cod. *dominus*. Unde Opſopæus, *dominis*, vel, *domibus greges*, fecit. optime. Non enim tantum ovium, ſed aliorum pecorum greges permixtos domibus & dominis torrens ille vehit.

Tempeſtatibus rapta] Lego, *apta*. Minora enim flumina plenam & juſtam tempeſtatem non capiunt. nec enim in anguſto ſe explicare decumani illi fluctus poſſunt, nec ex aqua tenui ſurgere.

Ne ſpatio quidem] Latitudine & diffuſione aquarum.

Madefacta montium latera] Pincianus & ego, *labefacta*, malumus.

Intercuſſu luminis] Quiſpiam fortaſſe, *intercurſu*, malit; non ego. Nam per nubium intervalla & dehiſcentes rimas, intercuti fulgurum lumen, elegans eſt.

Poëtarum ingenioſiſſimus] Ovidius: cujus ingenium in Metamorphoſi præſertim, & catena illa fabularum concinnanda paret. Vere tamen in deſcriptione iſta diluvii Deucalionis lib. 1. Metam. à Seneca notatus, quod rei ſeriæ & maximæ puerilia quædam & minuta permiſcuerit. Similis, aut mentior, lapſus, lib. 2. Metam. in Phaëthontis lapſu, ubi cum Orbem terræ, mare & flumina ardere dixiſſet, cygnos in Cayſtro ſuo calere, pro magno, aut non inſuper habuit:

Et quæ Mæonias celebrabant carmine ripas,
Fluminea volucres medio caluere Cayſtro.

Horatius tamen peccato Ovidii affinis, lib. 1. Od. 2. qui diluvio illo damas etiam involvit:

Omne cum Proteus pecus egit altos
Viſere montes:
Piſcium & ſumma genus hæſit ulmo,
Nota quæ ſedes fuerat columbis,
Et ſuperjecto pavidæ natarunt
Æquore damæ.

Cap. XXVIII. *Proluſum eſt*] Verbum gladiatorium. nam rudibus & luſoriis armis ante decretoriam & ſeriam pugnam proludebant. Vide Lipſ. lib. 2. cap. 19. Saturnal.

Ut ætheris] Ignis ætherei, ſubjecti aut interjecti ſtellis.

In abdito] Tartaro ſeu abyſſo ſubterranea. Vide nos lib. 5. cap. 6. art. 5. Meteorol.

Fati miniſterium eſt] Miniſter.

Maria paria ſunt] Non ſunt, Seneca. Nec enim altius littoribus mare; quomodo ergo promontoriis & rupibus circa par eſſe poteſt? Amantem etiam tui Lipſium in errorem tecum abduxiſti, lib. 2. Diſſ. 16. Phyſiol. ubi altitudinem maris jugis montium æquam fecit. Ego aliter longe lib. 5. cap. 1. art. 2. Meteorol.

Ubi ille cumulus eſt] Cumulo igitur, ceu quodam gibbo, mare longiuſcule à littoribus extumeſcere credit, non ego, lib. 5. cap. 1. art. 2. Meteorol.

Conflagratio futura eſt] Stoici ἐκπύρωσιν, ſive mundi conflagrationem, futuram aliquando cum Chriſtianis philoſophantur. Aſtrologi etiam tempus finire audent; *poſt revolutum magnum & mundanum annum:* qui Macrobio quindecim millia, Orpheo centum & viginti millia, Firmico trecenta millia, Caſſandro tricies ſexies centena millia noſtrorum annorum continet. Ad Lipſium, ſi lubet, viſe, lib. 2. Diſſ. 22. Phyſiol.

Quandoque placuere] Imo, quandocumque.

Cap. XXIX. *Beroſus*] Chaldæus & Aſtrologus ille vetuſtiſſimus, à Joſepho, Euſebio, S. Hieronymo laudatus, cuique ob divinas prædictiones, ait lib. 7. cap. 37. Plinius, Athenienſes publice in gymnaſio ſtatuam inaurata lingua ſtatuere. ab iſto longiſſime abeſſe Pſeudo-Beroſum illum qui circumfertur, omnes docti autumant. Belum vero ſideralis ſcientiæ inventorem, ſcribit lib. 6. cap. 26. Plinius, & lib. 37. cap. 10. vocat *ſacratiſſimum Aſſyriorum Deum.* Chaldæos ſacerdotes ab eo inſtitutos addit Diodorus, lib. 3. Antiq. Primus autem Aſſyriorum rex, ac Nini pater fuit, eumque eruditi non omnino pauci cum Nemrodo *venatore* illo *robuſto coram Domino*, Gen. cap. 10. confundunt.

dunt. Videtur igitur quippiam in ſcientia ſiderali ſcripſiſſe, quod interpretatus Beroſus.

Sidera, quæ nunc diverſis] Planetæ & errones.

In Cancrum] Cancri enim partem Borealem maxime & Auſtralem, æſtuoſam & igneam, ut Capricorni humentem & aqueam, credunt Aſtrologi.

Per orbes omnium] Per corpora ipſa ſphærica Planetarum. quod fiat, ſi in eodem perpendiculo, & ſemidiametro Mundi diſponantur.

Quando in ipſa mutatione anni] Quando virtutes cauſſarum circa Tropicos confluxerint, ubi ſolis termini ſunt, & unde reciprocat, mutatque directum anni curſum.

Sive anima eſt mundus] Vide quæ ad libri 1. Præfat. num. 9. notavimus.

Natura gubernante] Memmii cod. *ſive corpus natura gubernabile*. quod probat Opſopœus. ſed noſtra lectio proba adæque.

Legem barbæ] Normam, quam ſemina & cauſſæ naturales quodammodo inſpicere videntur, cum certo tempore, & certa humani corporis parte, certa figura & colore, naturæ inſtinctu barbam & canos expellunt.

Lineamenta] Semina & rudimenta quædam.

Sic origo mundi] Stoici enim mundum etiam animal quoddam grande exiſtimant, & in ſemine ejus delituiſſe olim ſolem & ſidera, cæteroſque qui in ipſo proveniunt effectus, ut ἐκπυρώσεις & diluvia,& hæc altera illa cauſſa inundationum,quam huc transferendam,& cauſſis Beroſi adjungendam ante dixit.

In deteriora magiſter] Nulla cauſſa ſuperſit, quæ doceat quaſi elementa, innocentia jam & intra menſuram & libramentum redacta, ferocire, & aliis ſe hoſtiliter ſuperfundere.

Undare ergo terra] In aquam verti. & ſequentia explanant.

Aura tacita manabant] Locus aliquando mihi ſuſpectus. nunc explico: leni fluxu, qualis auræ flatus, tacitus & mollis.

Per fretum facient] Perrumpent fretum, & diſſolvent ſaxeum illud inter utrumque mare diſcrimen. Sic multa freta olim effracta putantur, & Eratoſthenes bello Trojano Hiſpaniam adhuc Africæ cohæſiſſe credit; non ego, lib. 5. cap. 1. art. 5. Meteorol.

Veniet in medium] Mediterraneis ſe ſuperfundet.

Quid ergo eſt? nihilominus] Verba hæc ſupereſſe, aut alia paucula deeſſe, crediderim.

Cap. XXX. *Ex informi unitate*] Chao, & rerum omnium primæva in unum confuſione. conſentienter ſacris Litteris, quæ Sap. 11. aiunt, Deum *creaſſe Orbem terrarum ex materia inviſa*, id eſt, inviſibili & informi. & Interpretes 72. ubi dicitur terra in principio fuiſſe *inanis & vacua*, inviſibilem & incompoſitam verterunt.

Ut undique nos] Oceanus enim terræ orbem circuit.

Mare ora fontium] Per cuniculos & meatus ſubterraneos in ea extumeſcens & rebulliens.

Sed peracto exitio] Quam vere! & *quis non è ſacris libris hauſiſſe putet & eventum & cauſſam?* ait lib. 2. Diſſ. 21. Phyſiol. noſter Lipſius ad Noachi diluvium adſpiciens, quod ſcelera mortalium cauſſam habuit, & eventu ipſo pleraque ſic geſta; niſi quod non omne univerſum animal extinctum, ſed ſervatum in Arca ſemen.

LIBER QUARTUS.

P*Rocurationis otioſa*] Procurator ergo Siciliæ Lucilius. Procurationem otioſam vocat, quia nullæ ibi turbæ aut magni negotiorum æſtus, qui otium & Muſas interpellarent, quibus erat familiaris.

Numquam ſumus ſinguli] Soli, quia in contubernio frequenti vitiorum vivimus.

Latus præbeat] Nudum, & ideo facile feriendum. Militaris, aut Arenæ phraſis. in qua ſcuto aut parma ſiniſtræ inſerta tegebant latus.

Hoc enim ipſum] Repulſam imputant, tamquam ideo poſtea debeant impetrare & accipere quod captabant.

Per

Digitized by Google

Per ornamenta feriet] Vetus cod. *per munimenta.* quid ſi *vetamenta* legas? inquit Pincianus. Dicam factum peſſime. *Per ornamenta* enim *ferire*, nimiſquam elegans, & Arenæ verbum, in quibus lubens & multus noſter. Ornamenta autem, arma ſunt, quibus infligitur, aut propulſatur vulnus. Sueton. Titi cap. 9. *Inſequenti die gladiatorum ſpectaculo, circa ſe ex induſtria collocatis* (duobus Patriciis in affectatione Imperii convictis) *oblata ſibi ornamenta pugnantium inſpicienda porrexit.* Ex quo loco, gladios & arma pugnantium in Arena, ſolita oſtendi ante pugnam munerario & præſidi, an ſatis acuta, lib. 2. c. 19. Saturnal. recte collegit noſter Lipſius. & abhinc arma decretoria appellata, quæ decreto munerarii, ad ſeriam & cruentam pugnam ſatis idonea. Ornamenta proprie & belle Galli exprimunt per *equipages.* hinc vetuſte & Latine, *ornare*, pro inſtruere, & *equiper.* Sueton. Jul. cap. 18. *Neque more, neque jure, antequam Provinciæ ornarentur, profectus eſt.* Ulp. l. Ædiles. D. De ædilit. edicto: *Jumenta quæ optime ornata, vendendi cauſſa, fuerint; ita emptoribus tradentur.* Indidem natum *ſubornandi* verbum, pro ſubarmare, & occulte inſtruere. *Per ornamenta* igitur *ferire*, valet, per thoracem, galeam, ſcutum, & cætera arma quibus corpus tegitur contra vulnus.

Ante Villeium] Lipſius ad 6. Annal. Taciti, *Vitellium* pro *Villeio* reponit. De illo Tacitus: *Eo de homine* (L. Vitellio, qui A. Vitellii Cæſaris pater fuit) *haut ſum ignarus ſiniſtram in Urbe famam, pleraque fœda memorari: ceterum regendis Provinciis priſca virtute egit. Unde regreſſus, & formidine C. Cæſaris, familiaritate Claudii, turpe in ſervitium mutatus, exemplar apud poſteros adulatorii dedecoris habetur.* Diducit hæc paulliſper Suetonius, Vitell. cap. 2. *Miri in adulando ingenii fuit. Primus C. Cæſarem adorari ut Deum inſtituit, cum reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quam capite velato, circumvertenſque ſe, deinde procumbens. Claudium uxoribus, libertiſque addictum, ne qua non arte demereretur, pro maximo munere à Meſſallina petiit, ut ſibi pedes præberet excalceandos; detractumque ſocculum dextrum, inter togam tunicaſque geſtavit aſſidue, nonnunquam oſculabundus. Narciſſi quoque & Pallantis imagines aureas inter Lares coluit.* O ſervum pecus! Muretus tamen C. Velleium Paterculum hiſtoricum, pro Villeio iſto cepit: qui profecto etiam mirus & unicus Tiberii & Sejani aſſentator. Aſſentatio tamen ejus, fateor, infra L. Vitellii fuit. & cum hunc *exemplar apud poſteros adulatorii dedecoris*, Tacitus fuiſſe dicat, ſimilius vero eſt, Senecam eum in recenti memoria & oculis habuiſſe.

Perit procari] Si enim ea quam amas & procaris, id neſciat, non redamabit. Plancus autem iſte, apud Fulviam Antonii magnus, & adulatione famoſus, ſed nondum ad illam Vitellianam, ut hic inſinuat Seneca, fuit. De eo lib. 2. Paterculus: *Cum fuiſſet humillimus aſſentator reginæ* (Cleopatræ) *& infra ſervos cliens, cum Antonii librarius, cum obſcœniſſimarum rerum & auctor & miniſter, cum in omnia, & omnibus venalis, cum cæruleatus & nudus, caputque redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus, Glaucum ſaltaſſet, in convivio refrigeratus ab Antonio, ob manifeſtarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæſarem.*

In perſona tua] Pincianus, *in perſonam tuam.* Fortunatus, *in Provincia tua.* Probe, niſi contra omnium exemplarium fidem ſit. Magis ergo illud Pinciani allubeſcit.

Criſpus Paſſienus] Hic ille Neronis vitricus, & Orator eſt, cujus ſtultitiam & amorem arboris notat Plin. lib. 16. cap. 44. *Arborem eximiam* (fagus, credo, erat) *ætate noſtra adamavit Paſſienus Criſpus, bis Conſul, Orator, Agrippinæ matrimonio & Nerone privigno clarior poſtea, oſculari complectique eam ſolitus, non modo cubare ſub ea, vinumque illi affundere.* Lipſius ad lib. 12. Annal. Taciti, arborem morum fuiſſe indicat, & è neſcio cujus exemplaris fide legit: *arborem mori eximiam*, &c. Vix eſt ut aſſentiar; quia fagei nemoris arbor erat, & quidem in Tuſculani agri colle: me-

morus autem, fallor, ſi inter fagos ſolita plantari; nec temere in montibus videri, alibi affirmat Plinius.

In diſtinguendis] Imo vero, *diſtringendis*, ut veriſſime Lipſius ad Annal. 12. Tac. reponit.

Demetrium] Philoſophum Cynicum Senecæ familiarem. De hoc Epiſt. 62. *Demetrium, virorum optimum, mecum circumfero, & relictis conchyliatis, cum illo ſeminudo loquor, illum admiror.* Lib. 7. cap. 8. de Beneficiis, *virum exacta (licet neget ipſe) ſapientia, firmaque in his quæ propoſuit conſtantia*, aliaque in laudem ejus dicit. Hic tam divitiarum contemptor, ut *cum C. Cæſar*, inquit idem Seneca, *illi ducenta* (ſeſtertia ſcilicet, quæ duodecim millium & quingentorum circiter florenorum ſummam colligunt) *donaret, ridens rejecerit, ne dignam quidem ſummam judicans, qua non accepta gloriaretur.* Ad Veſpaſianum vixit, à quo ob intemperantiam linguæ, cum aliis ejuſdem ſectæ & libertatis, in exſilium pulſus. & cum ne ſic quidem à remorſu & injuria Principis abſtineret, juſſit ei dici his verbis, inquit Dion: *Tu quidem nihil prætermittis, ut ego te interfici jubeam; ego tamen canem latrantem non occido.*

Quo diu parvit uiſſet] Cœpiſſet malus eſſe. per nefas enim facile parantur divitiæ.

Hanc artem] Per nefas diteſcendi.

Te, inquit] Verba ſunt joco permixta, libertini illius potentis ad Demetrium Cynicum, exſilientis præ gaudio. & geſtientis doceri viam tam facilem & hilarem ad opes veniendi. Ego te, inquit, apertiſſima adulatione & mendacio maximum in modum extollam, & non dicam ſolum, ſed jurabo proceriorem longiſſimis illis hominibus, & à gigantea ſtatura notis, Fido Annæo, & Apollonio Pycta, licet contractus ſis & pumilio. Brevi igitur & in nodum collecto corpore fuiſſe videtur Demetrius.

Thraca incompoſiti] Turnebi cod. *Teriſſi Threca compoſiti.* unde, *Threcis in Thrceem compoſiti*, fecit. quam conjecturam egregie affirmat Lipſii M.S. *Threciſum Threce compoſiti.* Legam ergo fidenter, *Threcis cum Threce compoſitis*, bella prorſus & jucunda imagine. Nam Threces, genus quoddam gladiatorum eſt, qui in Arena compugnantes, nunc attollunt ſe, nunc deſidunt, & in parmam ſuam totos ſe colligunt. De iis vide Lipſium lib. 2. cap. 9. Saturnal.

Non mentiar] Ut facturus ſum, affirmando te longiorem Fido & Apollonio.

Quidquid dereliquiſti] Omnia enim relinquebant Cynici, præter dolium, baculum, & peram. Unde paſſim nudi vocantur. Juvenalis Satyra 14.

——— *Dolia nudi*
Non ardent Cynici. ———

Et Seneca Epiſtola 62. huncce Demetrium ſeminudum appellat.

Cecidit alienam] Adulatione cæditur & flagellatur frons aliena; quia adulatores ſanguinem & pudorem ſuffundunt iis quos improbe laudant.

Solebam tibi dicere] Pincianus, *ſolebas mihi dicere.*

Gallionem fratrem meum] Fuit is Senecæ frater ſenior, dictus antea M. Annæus Novatus, poſtea adoptatus à Junio Gallione, in nomen ejus, de more, & familiam tranſiit. Senator fuit, & Declamator egregius. Huncce eſſe exiſtimo, quem D. Hieronymus in Prooem. Commentarii 8. in Iſaiam, *Gallionem declamatorem diſertiſſimum* appellat. Eſt apud Dionem urbaniſſimus ejus in Claudium Cæſarem jocus, quem Nero & Agrippina à ſe necatum, in cœlum inter divos extulerant: *L. Julii Gallionis*, inquit, *jocus memoratur, pauciſſimis verbis plurima ambiens. cum enim eos, qui in carcere necantur, magnis uncis carnifices in forum, ac deinde in profluentem pertraherent, unco Claudium in cœlum raptum dixit.* Stat iſta ſimilitudine joci venuſtas. Nero & Agrippina, carnifices erant, qui ſecreto, velut in carcere, Claudium oppreſſerant. extraxerunt deinde in cœlum: quidni unco hoc factum, quo alii carnifices protrahere ſuos è carcere ſolent in Tiberim?

Quod conſecrari mallet] Pincianus, *quod conſervari mallet.* Turnebus tamen

Digitized by Google

men lib. 21. cap. 19. Adverſ. nil mutat: nec ego, niſi, *malles*, malim, quam *mallet*.

Pedes abſtulit] Curſum ſtatim orationis tuæ inhibuit, & veluti ei pedes abſtulit, cum ire vidit in ſuas laudes. His enim & ſequentibus oſtendere vult Gallionem fratrem inadulabilem eſſe, ut Agellii verbo utar. Corrupta hæc tamen aut turbata non de nihilo ſuſpicatur Opſopœus.

Inevitabili malo] Adulatione.

Semper enim falſis] Qui veras virtutes laudando narrat, ſolet falſa miſcere, & ita veritatem adulterare & petere falſis.

Mali egeris mimum] *Male* potius.

Non deprehendit te] In dolo & adulatione.

Cum lictoribus tranſeunt] Belle: nam lictores publici ab uno magiſtratu defuncto ad ſucceſſorem tranſeunt. eodem modo & adulatio, qua magiſtratui novo, veteri deſerto, blandiri ſolemus.

Qui paria facturus] Phraſis Senecæ familiaris. Lib.3. cap. 25. de Ira: *Debet pœnas. non eſt quod cum illo paria faciamus.* id eſt, reponamus, & par pari reddamus. & alias ſæpiſſime.

Laudari me à vobis] Cum vero malos etiam laudetis, ex laudibus veſtris reſciri non poteſt, an inter bonos ſim, an malos.

Ut te petere cominus poſſint] Adulatores admiſſi ad aures tuas & familiaritatem.

Quare hoc ulli debeas] Ne ſinito alium facere, cui poſtea gratiam laudis debeas.

Quamquam paupertas] Pauper ergo Lucilius, & virtute ſua ad Procurationem illam Siciliæ, & tam flagrantem Senecæ gratiam amicitiamque venerat.

Ubi præſens ſtudii] Cauſſidicinæ, uti reor, quæ compendioſior, &, ut J. C. noſtri loquuntur, magis *de pane lucrando*, quam poëſis aut philoſophia.

Inimicitia Getulici] Cn. Lentulus Getulicus hic eſt, poeta & hiſtoricus, quem laudat Sueton. cap. 8. Caligulæ. Patrem habuit cognominem, vita ſub Tiberio functum. De eo Tacit. lib. 4. Annal. Filius iſte, Lucilii inimicus, apud Caium initio gratioſus, & per decennium Germaniæ ab eo præpoſitus: ſed occidi tandem juſſus, quod militum benevolentiam ſibi paraviſſet, ait Dion.

Infeliciter amatorum] Loquitur de amatoribus Meſſallinæ uxoris Claudii, quam cum C. Silio, T. Proculo, Vectio Valente, Traulo Montano, aliiſque amatoribus Narciſſus Claudii libertus perdidit. Quid autem ſibi vult hic Lucilius? Videntur Meſſalla & Narciſſus voluiſſe ab eo minis & cruciatu indicium fortaſſe extorquere alicujus amici, tamquam adulteri Meſſallinæ, nec potuiſſe tamen fidem Lucilii evertere. Sed quis ille Meſſalla? De eo enim ſilentium eſt apud Tacitum & alios paſſim. An fortaſſe Barbatus Meſſalla (ita enim Suetonius vocat) Meſſallinæ pater?

Antequam ſui] Quia ſibi exitium tandem pepererunt. Nam Narciſſus, initio ſtatim imperii Neronis, ad mortem adactus ab Agrippina.

Neque enim paria pendebant] Præponderabat enim iſta pars: nempe, *ſatius eſſe perire pro fide*, quam *fidem* (datam amicis) *pro me*, id eſt, ut minas & tormenta à Narciſſo parata evaderem.

In ultimum conſilium] Mortem. ut multi, qui metu tormentorum ſibi manus afferebant.

Ut inter miſericordiæ opera] Vitam enim ſævus ille Princeps ad pœnæ longitudinem protollere jubebat. Suet. in Caligula cap. 30. *Non temere in quemquam, niſi crebris & minutis ictibus animadverti paſſus eſt: perpetuo notoque jam præcepto: Ita feri, ut ſe mori ſentiat.*

Nec in mare aperto ore deſilui] Proverbium elegans. quod Græci dicunt, Πρὸς κῦμα χαίνειν. qui enim cito aquis vult præfocari, ore aperto & hianti in aquam deſilit.

Tantum mori poſſe] Sed etiam longa tormenta. & multas mortes perferre.

Coram magno teſte] Teipſo.

Scelus

Digitized by Google

Scelus eſſe contextum] Omnes univerſim in unum ſcelus conſpirare, & una quaſi contexere.

Qua parte optimi ſumus] Animo.

Belli pretium jacuit] Florus de primo bello Punico: *Affectabat ut Romanus, ita Pœnus Siciliam, & eodem tempore paribus uterque votis ac viribus imperium Orbis agitabat.*

Quattuor Romanorum principum] Auguſtum, Antonium, Lepidum, Triumviros, & Sex. Pompeium Magni filium.

Aitamque Pompeii fortunam erexit] Totum hunc locum mendis deformatum clamat Pincianus: ſed ſine cauſſâ grandi. Nam Sex. Pompeius poſt patrem in pugna Pharſalica, & Cn. Pompeium fratrem ad Mundam in Hiſpania à Jul. Cæſare ſuperatum, inter Auguſti, Antonii, & Lepidi triumviratum, Siciliam tenuit.

Cæſaris fatigavit] Auguſti. hic enim aliquoties contra Sex. Pompeium, & Lepidum in mari Siculo, & in ipſâ Sicilia, adverſa fortuna eſt conflictatus.

Lepidi transfluxit] Victus enim ab Auguſto in Sicilia Lepidus, & fortuna ejus cum milite ad victorem tranſlata.

Omniumque cepit]Pincianus, *omniumque concuſſit*, reſcribere mavult: ſed nimis licenter. Lectio vetus optima eſt. Sicilia enim omnium iſtorum fortunas cepit, quomodo locus & arena gladiatores de ſumma rerum decertantes capit.

Alienum exercitum fugeret] Auguſti. victus enim in freto Siculo pugna navali, & partim terreſtri ab Auguſto, Sex. Pompeius in Aſiam fugit. De ea Florus: *Perditis rebus profugit, Aſiamque velis petit, venturus ibi in manus hoſtium & catenas, &, quod miſerrimum eſt fortibus viris, ad hoſtium arbitrium ſub percuſſore moriturus.*

Lepidus ſuum] Nam à ſuis deſertus, hoſti ſuo Auguſto ſupplex eſt factus.

Cap. I. *Ut te tota mente abducam*] Pincianus, *ut totum mihi te abducam*. Non male: ſed non valde prurio ut mutem.

Quid ita Nilus] Nobilis olim & hodie quæſtio, de Nili incremento, quam nuper lib. 5. cap. 3. art. 2. Meteorol. diffuſe ſatis diſputavimus.

Cap. II. *Ante exortum Caniculæ*] Statim enim poſt ſolſtitium inflari incipit, circa diem Junii 27. ut narrant qui hodie ex Ægypto redeunt peregrini.

Ultra æquinoctium] Totam periodum crementi & decrementi notat. Nam creſcit ſolum 40. dies, juxta Strabonem, vel 50. ſecundum Herodotum: ita ut itus redituſque aquæ ad juſtam menſuram abſolvatur diebus 100.

Undam altius traheret] Profundius ſorberet, ſiticuloſa, & calore hians.

Proinde aut ſterilis annus] Quomodo menſura exundantis Nili fertilitatem anni aut ſterilitatem faciat, explicat Plin. lib. 5. cap. 9. *Auctus Nili per puteos menſuræ notis deprehenduntur. Juſtum incrementum eſt cubitorum ſedecim. Minores aquæ non omnia rigant, ampliores detinent, tardius recedendo. Hæ ſecundi tempora abſumunt, ſolo madente; illæ non dant, ſitiente. Utrumque reputat provincia. In duodecim cubitis famem ſentit, in tredecim etiamnum eſurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt, quindecim ſecuritatem, ſedecim delicias. Maximum incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum octodecim, Claudio Principe; minimum quinque, Pharſalico bello: veluti necem Magni, prodigio quodam, flumine averſante.*

Poëta meo] Lucilio iſto, ad quem ſcribit. Poëta enim erat Lucilius. & paullo ante in hujus libri Præfatione apud Senecam dicebat: *Ad gratuita carmina deflexi me, & ad ſalutare philoſophiæ ſtudium contuli.*

Ovidium ſuum] Memoria te fallit, Seneca. Tibulli enim, non Ovidii verſus eſt. Ille enim lib. 1. Eleg. 7.

Nile pater, quanam poſſum te dicere cauſſa,
Aut quibus in terris occuluiſſe caput?
Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec pluvio ſupplicat herba Jovi.

Hanc Nilus] Vetus membrana, *Ab hac*. Bene.

Ex injuria loci color eſt] Offenſitatione ac alliſione ad ſaxa & cautes. ſic enim tenuatur aqua, aërem accipit, & ebullit in ſpumas.

In

In vaſtam altitudinem] Cataractes ille apud Catadupos, Æthiopiæ populos, eſt. Plinius lib. 5. cap. 9. *Nilus poſtremo incluſus montibus, nec alibi torrentior, vectus aquis properantibus ad locum Æthiopum, qui Catadupi vocantur, noviſſimo catarracte inter occurſantes ſcopulos non fluere immenſo fragore creditur, ſed ruere.*

Ἀβάτους graci vocant] Id eſt, inacceſſum.

Ut ſit modus] Quantitas, ut loquuntur Philoſophi. Nam in poteſtate cujuſque, canalem amplum, aut preſſum ſcindere, & modum ac magnitudinem quam velit fluvio influenti manu facere.

Abluant terras & eviſcerent] Eluendo ſcilicet quidquid in poris fecundum eſt & pingue.

Sed ipſas] Terras, nempe. nam eas adjecto limo attollit & exaggerat.

Mare eſt] Amplitudine mari ſimile. Quid dicat Seneca, ſi de fluvio Amazonum in America inaudiviſſet, qui latitudine mari mediterraneo nil concedit?

Babillus virorum optimus] Balbillus, reſcribere oportet. nam Balbillus Ægypti præfectus ſub Nerone, ex Annal. 13. Taciti. De eo etiam Plinius libri 19. Proœmio: *In tantum ut Galerius à freto Siciliæ Alexandriam ſeptima die pervenerit, Babilius ſexta, ambo præfecti.* Ubi pro Babilio Balbillum reſtituendum, recte Lipſius noſter monet.

Hanc delphini ſpinis] Plinius lib. 8. cap. 25. *Delphini immeantes Nilo, quorum dorſo, tamquam ad hunc uſum, cultellata ineſt pinna, abigentes eos* (crocodilos) *præda, ac velut in ſuo tantum amne regnantes, alioquin impares viribus, ipſi aſtu interimunt.*

Tentyritæ] Tentyridis, inſulæ Ægypti incolæ. Plinius lib. 28. cap. 3. *In inſula Nili Tentyri naſcentes tanto ſunt crocodilis terrori, ut vocem quoque eorum fugiant.* Et lib. 8. cap. 25. de eorum adverſus crocodilos audacia. *Menſura eorum* (Tentyritarum) *parva, ſed præſentia animi in hoc tantum uſu mira.* totamque ibi, ſi lubet, crocodilorum venationem vide.

Sed falſum eſſe] Imo partim verum eſt, Seneca. nam licet Æthiopiæ plana ſole adurantur, vertices tamen montium multa nive caneſcunt: & Juba Rex utriuſque Mauritaniæ, litteris quam regnis illuſtrior, affirmat pro modo nivium imbriumque Mauritaniæ, Nilum incrementa capere. Sed cauſſa tamen alia plenior; cum non in Mauritania, ſed ultra Æquatorem, imo Capricorni Tropicum, torrentes colligere, & turgeſcere incipiat Nilus: quæ nos nuper lib. 5. cap. 3. art. 2. Meteorol. oſtendimus.

Argentum replumbatur] Vox haud infrequens apud J. C. Eſt autem catachreſis. nec enim argentum aut aurum proprie, ſed plumbum dicimus replumbari, cum reſolvitur plumbi ferrumen, quod rei cujuſpiam jungebat & alligabat partes.

Nives non cadunt] Non miror, quia Alexandria in plano & humili, nec totis octo gradibus ab immodicis Zonæ torridæ caloribus abeſt. Nives igitur, ſi quæ in media regione aëris conceptæ, tabeſcunt facile & liquantur antequam ad terram perveniant.

Subjectus malo] Aliquid ſine dubio hic turbatum. Componetur ſenſus utcumque, ſi legas: *ſubjacentes malo, æſtate proveniunt.* Sed nequedum acquieſco.

Per menſes quattuor liquitur] Non totos tamen. Plinius diſtincte lib. 5. cap. 9. *Nilus incipit creſcere luna nova, quæcumque poſt ſolſtitium eſt, ſenſim modiceque Cancrum ſole tranſeunte, abundantiſſime autem Leonem. Et reſidit in Virgine iiſdem quibus accrevit modis. In totum autem revocatur intra ripas in Libra, ut tradit Herodotus, centeſimo die.*

Ibi æqualis acceſſio eſt] Paullatim & æqualibus incrementis ad plenitudinem venit, non prima ſtatim æſtate pleniſſimus, quando, uti ante dixit, altiſſimæ & integræ adhuc nives. Et hinc colligere ſe putat, non augeri nivium tabe.

Si Thaleti credis] Credunt Plinius & Alex. Aphrodiſius, non ego. Non enim ea vis levibus ventis. Deinde pluribus aliis fluminibus reflant, nec inflant tamen, & aquas ſuſtinent.

Inde Nilus fluit major] Credit ergo Euthy-

Euthymenes (non Eudimenes ille Pinciani, ut recte ex Plutarcho oſtendit Muretus) quod etiam multi hodie, Nigrum fluvium, quem Hiſpani vocant *Rio grande*, & in mare Atlanticum ſe evomit, Nili ramum eſſe. ſimili enim lege exundat, & beluas congeneres alit.

Unde illi] A Septemtrione, unde flant Eteſiæ.

Tota exteri maris ora] Oceani Atlantici, quem externum vocat, ut ab interiori mediterraneo diſtinguat. Et nota, Senecæ ævo Africanum littus frequentatum Europæorum mercimoniis uſque ad Nigrum, qui inter Cancrum & Æquatorem Oceanum influit.

Non calorem hieme] Ariſtoteles tamen affirmat, & calorem illum ſubterraneum à ſpiritibus multis ibi & confertis concipi, qui per clauſos gelu terræ poros nequeant in auras exſpirare.

Alia humeat] Hoc à Pinciano eſt. vetus & vera lectio: *alia abundet*. ubi primævam verbi proprietatem vides: abundare enim ab unda venit.

Sed ex his quæ premunt] Lego potius: *ſed ex his quæ premit maxime. hæc meridiana ſunt*. Sol, inquit, maxime ex ſubjecto mari Zonæ torridæ, quod premit & recto radio verberat, undas & vapores trahit. Zona vero illa nobis ad meridiem eſt.

Dulcior guſtus] Sapor, voce à facultate ad objectum, ut loquuntur Philoſophi, tranſlata.

Cap. III. *Tamquam interfuerit*] Sic Philoſophi quidam, muſtei præſertim & audaculi ſolent: de omnibus intrepide, tamquam viſis, affirmant. Olim ad talem, de cœleſtium natura ac motibus perfricta & ſevera fronte aſſeverantem Diogenes: *Ecquando bene vir*, inquit, *è cœlo peregrinus rediiſti?* Sed tamen, ut ætas & experientia de audacia Hannibalis multum decoxit; ſic illi, quo in adyta & caliginem diſciplinarum ſe altius penetrant, eo in decernendo timidiores fiunt. Sic olim Menedemus aiebat apud Plutarchum, *καταπλεῖν γὰρ πολλοὺς σχολὴν Ἀθήναζε, σοφοὺς τὸ πρῶτον, εἶτα γίνεσθαι φιλοσόφους, εἶτα ῥήτορας, τοῦ δὲ χρόνου προϊόντος, ἰδιώτας, ὅσῳ μᾶλλον ἅπτονται τοῦ λόγου, μᾶλλον τὸ οἴημα καὶ τὸν τῦφον κατατιθεμένους*: *multos Athenas ſtudii ergo adnavigare, qui initio ſint ſapientes, deinde ſapientiæ tantum amatores, poſtea degenerent in ſophiſtas, & denique poſt aliquem temporis lapſum, in idiotas prorſus & ignaros. quo enim ad rationis lucem propius accedunt, eo magis opiniones, typhum, ſuperbiam, & ventos exſpirant.*

Stillicidium omne conglomerari] In globulum corrotundari.

Cum defertur] Deorſum fertur. verbum in genuina iſta proprietate ſæpe uſitatum à Seneca.

In orbem teri] Nam cadendo, toties in orbem revoluta, angulos ſi quos habuit, aëris affrictu deterſit. Hinc Ariſtoteles lib. 1. cap. 12. Meteor. docet, grandines quæ prope terram concreſcunt, magnas, ac figura enormi & inæquali eſſe. *Αἱ δὲ σφαιροειδεῖς πόῤῥωθεν, διὰ τὸ φέρεσθαι μακρὰν περιθραυόμεναι, γίνονται τό τε σχῆμα περιφερεῖς, καὶ τὸ μέγεθος ἐλάττους*: *Quæ autem*, inquit, *cadunt è longinquo, quia diu circumtritæ, figura rotunda & magnitudine minores ſunt.*

Æqua libertas] Nam veluti Lacænæ canes citius feram deprehendunt, ſi diverſæ hac illac diſcurrant, quam ſi per eadem veſtigia omnes unam ſequantur; ita Philoſophi facilius ad veritatem pervenient, ſi

Nullius addicti jurare in verba magiſtri,

ingenii ſui ſagacitatem quiſque ſequantur. Ubi tamen Chriſtiana fides nobis præit, neceſſario eundum eſt, etiamſi ratiunculæ quædam humanæ in diverſum revocent: aut, ubi paria fere rationum momenta ingenium huc illuc librant, quo magni & primi nominis Philoſophi auctoritas vocat, inclinandum eſt.

Nix, in pruina] Pincianus melius: *nix & pruina*. ut de utraque ſimul pronunciet. nix enim & pruina valde cognatæ ſunt.

Hoc inter pruinam] Materia enim glaciei, aqua; pruinæ, ros.

Inter nivem & glaciem] Vetus membrana: *inter nivem & grandinem*. Veram ex rorido vapore nix, ex aqua guttatim jam decidua grando.

Ca

Cap. IV. *Bene emenſum dabo*] Adjecto videlicet ἐπιμέτρῳ & auctario ultra juſtam menſuram.

Ut fallar tibi] Licet opinione tua falſum aſſetam.

In quibus os præcidi] Muretus dubitat, an, *præcludi*, velit potius legere. ſed non muto: nam *os præcidere*, & *oculos eruere*, propius reſpondent ſibi & aſſident. Ad levia, inquit, mendacia, quæ tamen refellere non poſſumus, os præciditur, ne loquatur; oculi tamen non eruuntur, ne falſum videant, aut ſuſpicentur. Sic olim Socrati à Dionyſiodoro ſophiſta, apud Platonem in Euthydemo, os præciſum, non oculi eruti ſunt, cum, ubi mendacium ejus confutare non poſſet, tantum exclamavit: Ὦ πρὸς Διός, εἰ ταῦτα οὕτως ἔχει: *Deum obteſtor, ſi hæc ita ſe habent.*

Triſte cœlum eſt] Nive impendente, & cœlum nubilante.

Suum cœlum habente] Frigidum ſcilicet; quale ſub Arcto & Aquilone.

Imber improbior] Pertinacior & diuturnior. Sic Virgilius:

——— *Labor omnia vincit*
Improbus. ———

Cap. V. *Ad lancem cœperimus exigere*] Memmii membrana: *ad obruſſam*. noſter iterum Epiſt. 13. *Sic verus ille animus, & in alienum non venturus arbitrium, probatur: hæc ejus obruſſa eſt.* Qua voce etiam uſus Cicero in Bruto, ex reſtitutione Turnebi: *adhibenda*, inquit, *tamquam obruſſa, ratio.* Hinc aurum obruſſum, aut obruſum (ſic enim libri quidam legunt) aut obryzum; nam Græci ὄβρυζον dicunt. Plinius lib. 33. cap. 3. *Aurum quo ſæpius arſit, proficit ad bonitatem: aurique experimentum ignis eſt, ut ſimili colore rubeat, quo ignis: atque ipſum obryzum vocant.* Jam ergo intelligimus, quid *renes accincti auro obryzo*, apud Danielem Prophetam, quid *ſolidi obryzati* apud Impp. Arcadium & Honorium, L. unic. C. de oblat. votor. Facti enim erant ex auro obryzo, id eſt, puto, & igne purgato probatoque. Obryza vero, aut obruſſa ſubſtantivum, eſt ipſa auri per ignem purgatio & probatio. S. Hieronymus ab Ophir, quaſi dicas Ophiriſum, hanc vocem derivat: nam ubi Iſa. 13. *Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obryzo*, in Hebræo ad verbum: *pretioſum faciam hominem præ auro obryzo, & hominem præ auro Ophir.* Ubi כֶּתֶם אוֹפִיר *cethem Ophir*, id eſt, *aurum Ophir*, poſteriore loco poſitum, videtur explanare quid ſit פז *phaz*, id eſt, *aurum purgatiſſimum* & *obryzum*, quod anteceſſit. Unde Jerem. 10. ubi legimus, *argentum involutum de Tharſis, & aurum de Uphaz*, juxta Targum, Rabbinos, & Pagninum, *Uphaz* poſitum eſt pro *Ophir*, quia ex *Ophir* advehebatur *phaz*, hoc eſt, *aurum obryzum*. Hinc ergo liquet, quid ſit, *ad obruſſam exigere*. quamquam *obruſſam* iſtam membranæ Memmii cum *lance* vulgari non permutem. Nam *ad lancem*, id eſt, ad examen, *exigere*, omnino probum.

Litigant] Vincunt quidem, ſed cum lite & pugna: quia argumenta probabilia tantum, non demonſtrativa ſunt, quibus alia quædam contra probabili itidem ſpecie ſe objiciunt.

Ita cave experiaris] Jocatur in Lucilium ſuum, & ſuadet ne nudis velit pedibus nivem calcare, in veri experimentum.

Labefactam] Opſopœus, *tabefactam*. Recte.

Diſtributa nive] Tabe nivis partim in aquam, partim in vapores, aut exhalationes diffluente.

Cap. VI. *Intelligere uſu ipſo*] S. Clemens Alexandr. lib. 6. Strom. dicit magos fuiſſe: *Aiunt*, inquit, *magos qui ſunt Cleonis, obſervantes ſublimia nubium quæ erant grandines ejaculatura, canticis & ſacrificiis iram depellere.* Cleonæ autem in Achaia oppidum eſt.

Ad penulas diſcurrerent] Munientes ſe adverſus imbrem, aut grandinem. in imbre enim & itinere contra cœli injurias penulati erant. M. Varro apud Nonium: *Non quærenda eſt homini, qui habet virtutem, penula in imbri.* Hinc ſalſum illud Galbæ, apud Quinctil. l. 6. cap. 3. intelligimus, *qui penulam roganti, Non poſſum commodare*, inquit, *domi maneo: cum cœnaculum ejus perplueret.* quaſi ſcili-

ſcilicet penula domi contra pluviam indigeret. Et alicubi Juvenal.

——— *multo ſtillaret penula nimbo.*

Rhetores deinde, & Grammatici in ſcholis, Oratores in foro, omnes in ſpectaculis, penulis uſi. Hinc D. Aug. lib. 1. cap. 16. Confeſſ. Grammaticos *penulatos magiſtros* vocat. De hac veſte multi S. Paullum interpretantur, 2. ad Timoth. 4. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum veniens affer tecum.* Græce φιλόνη, aut φαιλόνη. In ſacris itidem veſtibus Eccleſiæ Græcanicæ φιλόνης, aut φιλώνης, meminit Curopalates: quam quidam fruſtra penulam vertunt, inquit commentator Gretſerus. Sed profecto, cum Simeon Theſſalonicenſis affirmet, *ſacci formam habere, nec in ea manicas eſſe,* non longe abludit à forma Romanæ penulæ, qua ſe veſteſque pretioſiores includebant. Quinctilianus, vel ſi quis alius auctor Dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Quantum,* inquit, *humilitatis putamus eloquentia attuliſſe penulas iſtas, quibus adſtricti & velut incluſi cum judicibus fabulamur.*

Aut ad ſcortea] Scorteum, genus penulæ pelliceæ eſt, ex ſcorto, id eſt, pelle confectum. M. Varro lib. 6. de lingua Lat. *Pellem non ſolum antiqui dicebant ſcortum, ſed etiamnunc dicimus ſcortea, ea quæ ex corio & pellibus ſunt facta.* Et de pelliceo primi parentis amiculo, lib. 2. cap. 11. adverſus Marcionem Tertullianus: *Exinde in ſcorteis veſtibus, ſed ante ſine ſcrupulo nudus.* Penula igitur alia erat gauſapina, ex panno craſſo & villoſo. De qua paullo elegantiori, Martialis in Apophor.

Is mihi candor ineſt, villorum gratia
tanta eſt,
Ut me vel media ſumere meſſe velis.

Alia ſcortea. De hac idem:

Ingrediare viam cælo licet uſque ſereno,
Ad ſubitas numquam ſcortea deſit aquas.

Cap. VII. *Quamvis munera etiam deos vincant*] Alluſum, opinor, ad Homeri verſum:

Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας:
Dona diis perſuadent, & regibus.

Alitnos fructus excantaſſit] Plin. lib. 28. cap. 2. *Quid? non & legum ipſarum in duodecim tabulis verba ſunt,* QUI FRUGES INCANTASSIT? & alibi, QUI MALUM CARMEN INCANTASSIT? Item malefico oculo pecudes faſcinari credebant. Menalcas ille Virgilianus:

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat
agnos.

Verum non carminis, aut oculi, ſed mali genii, ſigno aliquo ad noxam evocati, vis hæc eſt.

Solem bis ſentiunt] Radium ejus directum, & rurſus, à terra replicatum & reflexum.

Minus ventis verberantur] Ventis enim ſæpe ſat impetus non eſt, ut ad terram dejiciantur. diſcurrunt ergo per aëra, & perflant tantum ſublimia. ſic nubes agi non raro videmus, nullo apud nos flatu.

Cap. IX. *Citius calefiant*] Spiritus enim calorifici in anguſto magis compreſſi, acrius urunt, quos laxitas & amplitudo loci diſcingit. *Miliaria* vero hic, lebetes alti & anguſti ſunt, ut ex Palladio diſcimus.

Cap. X. *Aer qui propior eſt terris*] Veriſſime. & ſimili argumento nuper lib. 5. cap. 5. art. 1. Meteorol. oſtendimus, nubes (quidquid alii quidam aliter) rariores & leviores eſſe infimo aëre, inque eo natare, ceu lignum in aqua denſiore & graviore.

Cap. XI. *Calidiora eſſe debere*] Quia nempe radius ſolis directus, uniformiter difformiter (ut Philoſophi loquuntur) à cœlo in terram deſcendit. unde uberior & plenior, quo cœlo propinquior eſt, paullatimque longitudine ſpatii attenuatur & graciteſcit; ideoque (ut illi putant) in vallibus imbecillior & minus calorificus quam in montium cacuminibus. Sed falluntur, inquit Seneca, quia ſpatium trium aut quatuor millium paſſ. à vertice altiſſimorum montium ad imas valles, conſumitur & tamquam nullum evaneſcit, ſi ad univerſum cœli & terræ intervallum comparare velis. Et conſidera hic bellam & veram comparationem rotunditatis

ditatis Orbis terræ cum luſoria pila. revera enim altiſſimi montes, verruculæ tantum ſunt, nec enormiter terreſtris pilæ rotunditatem interpellant, ſi terræ magnitudinem æſtimaveris. Nequeunt igitur montium cacumina inſigniter eſſe calidiora vallibus: imo algent magis, quia circa ipſa concreſcunt nubes, & vallium imus aër pluribus verberatur & diſcinditur radiis à terra reflexis.

Cap. XII. *Quæ vicina terris eſt*] Falſi illi: quia grando plerumque in proximo, ex ſtillicidiis pluviæ deciduis, inter lapſum ipſum duratur: nix vero è longinquiori, in nubibus, & ex nubibus concreta, decidit, & ſæpe in caſu ſuo, tepore vicini aëris reliqueſcit.

Cap. XIII. *Emenda non ſint nives*] Ad vina frigeranda.

Vina diffundere veterana] Rubenius & Gruterus ex Horatii Scholiaſte apud Lipſium Epiſt. Senecæ 114. in fine, legere malunt, *Vina diffundere, & Veterana*, aut *Veteraria*. Nam *Veterana*, aut *Veteraria* ſubſtantive, appellabant Apothecas vinarias, in quibus vina veterana, aut ad veteraſcendum reponebant. Diffundi vinum dicitur, cum è majoribus doliis in amphoras & cados effunditur ad ſervandum & ætatem in apothecis ferendam. quod manifeſte me docet Proculus in L. Vinum. D. De tritico & vino legat. *Vinum*, inquit, *in dolia conjicimus, ut ex his poſtea vel in amphoras & cados diffundamus, vel ſine ipſis doliis veneat.* unde paullo ante dixit: *Illud verum eſſe puto, cui vinum cum vaſis legatum erit, ei amphoras, cados, in quibus vina diffuſa ſervamus, legatos eſſe.*

Per ſapores ætateſque diſponere] Vina enim ſapore, à loco aut anno felice & uvas percoquente, præcipua in amphoras & cados diffuſa in plurimos annos ſervabant. Hinc vina Opimianæ notæ ita celebrata, quia *L. Opimio Conſule*, ait lib. 14. cap. 4. Plin. *cum C. Gracchus Trib. plebem ſeditionibus agitans interemptus, ea cæli temperies fulſit, quam cocturam vocant, ſolis opere, natali Urbis DCXXXIV. durantque adhuc vina ducentis fere annis, jam in ſpeciem redacta mellis aſperi.* Titulum vero cadis apponebant cum patria & Conſule. Juvenal. Sat. 5.

— cujus patriam, titulumque ſenectus
Delevit, multa veteris fuligine teſtæ.

Et iterum:

Ipſe capillato diffuſum Conſule potat.

Et ille Epicuri de grege porcus:

Vina bibes iterum Tauro diffuſa. —

Prandia cœnis uſque in lucem perducta] Prandium cœnæ ingeritur, quando ventriculo, cœna in noctem multam aut lucem diei ſequentis producta, gravato & nauſeabundo injicitur.

Comeſſatio] Comeſſari, aut, ut alii, comiſſari, eſt poſt cœnam intempeſtivis epulis indulgere. Suetonius Domitiani cap. 21. *Convivabatur frequenter ac large, ſed pene raptim: certe non ultra ſolis occaſum, nec ut poſtea comeſſaretur.* Hanc vocem à comedendo deducebat nuper Torrentius: Feſtus olim à vicis, quos Græci κώμας appellant. *In his enim*, ait, *habitabant prius quam oppida conderentur: quibus in locis alii alios convictus cauſſa invitabant.* M. Varro à Κώμῳ laſciviæ & nocturnarum comeſſationum Deo. *Comiter*, inquit lib. 6. de Lingua Lat. *hilare ac lubenter: cujus origo Græca Κῶμος. inde Latina comeſſatio dicta, & à Græcis (ut quidam dicunt) Comœdia.* Et eſt, cur magis ei aſſentiar.

Cœnationem] Cœnaculum. Græci ac Latini etiam diætam vocant, ut Sueton. Claudii cap. 10. & J. C. non raro.

Specularibus muniant] Ad arcendum ventum, & admittendum ſolem. Noſter lib. de Providentia cap. 4. *Quem ſpecularia ſemper ab adflatu vindicant.* Hæc ſpecularia ex lapide ſpeculari in tenues laminas diſſecto, olim vicem noſtrarum vitrearum implebant. Et uſus repertus, ut apparet, tempore Senecæ. nam ipſe Epiſt. 90. *Quædam noſtra demum prodiiſſe memoria ſcimus: ut ſpeculariorum uſum, perlucente teſta, clarum tranſmittentium lumen.* Uſus iſte hodie videtur deſitus. Olim tamen lapidem Hiſpania, Cyprus, Cappadocia, Sicilia, Africa dabat, ut ex Plin. lib. 36. cap. 22. intelligimus. & ubique tam familiaris & copioſus, ut hortos ex eo ſuperne ime-

Digitized by Google

integerent. De tali horto, imo vinea Entelli, Martialis:

Qui Corcyræi vidit pomaria regis,
Rus, Entelle, tua præferat ille domus.
Invida purpureos urat ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi munera frigus edat,
Condita perſpicua vivit vindemia gemma,
Et tegitur felix, nec tamen uva latet, &c.

Annonam] Prout enim hieme denſa, aut rara concreviſſet glacies, caritas ejus in æſtate erat, aut vilitas.

Unguentarios Lacedæmonis urbe expulerunt] Lacedæmoniorum exemplo, Romani A. V. C. D L X V. per P. Licinium Craſſum, & L. Julium Cæſarem Cenſores edixerunt, *ne quis venderet unguenta exotica*. Sed non diu lex valuit, & luxuria iſta unguentaria in immenſum, ſub Cæſaribus præſertim, ſe effudit. Pedes etiam pretioſiſſimo unguento loti, parietes balinearum ſparſi, & ſolia eo temperata, uti narrat fidus auctor Plin. lib. 13. cap. 3. Et tamen *libra*, inquit, *quadringentos denarios* (id eſt, Belgica moneta, centum florenos) *excedebat*.

Occallata cibis ardentibus] Gemella habet Epiſt. 78. *Ne quis intepeſcat cibus, ut quid palato jam calloſo parum ferveat, cœnam culina proſequitur.*

Palliolo focalique circumdatos] Palliolum & focale veſtes fuiſſe valetudinariorum diſerte dicit Quinctil. lib. 11. cap. 3. *Palliolum*, inquit, *ſicut faſciæ quibus crura veſtiuntur, & focalia, & aurium ligamenta, ſola excuſare poteſt valetudo*. Et Horat. lib. 2. Sat. 3.

——— *ponas inſignia morbi*,
Faſciolas, cubital, focalia. ———

Sueton. Claudii cap. 2. ait eum ob valetudinem in gladiatorio munere, *palliolatum novo more præſediſſe*. Quod neque Beroaldus, neque Sabellicus intellexit. putant enim fatuo & ſuo more Claudium in palliolo muliebri, aut peregrino præſediſſe. *Pallioio amictus*, inquit iſte, *ut parum mentis compos: erat enim pallium non patrius, ſed peregrinus habitus.* Palliolum patrius erat habitus, ſed invaletudinariorum, aut nimis delicatorum, mi Sabellice. Seneca noſter Epiſt. 114. de molli & diſcincto illo Mæcenate: *Hunc eſſe qui in tribunali, in roſtris, in omni publico cœtu ſic apparuerit, ut pallio velaretur caput, excluſis utrimque auribus, non aliter quam in Mimo divitis fugitivi ſolent.* Palliolum ergo breve pallium erat, quo ægri, aut delicatuli fovebant caput. Focale vero, non à foco (quod quis putet) ſed à faucibus, quaſi faucale, dictum: unde Horatius primam produxit.

Tactu venarum] Arteriarum potius: nam venæ immobiles, arteriarum vero eſt ille pulſus, unde habitum modumque febris Medici conjectant. Senecæ hic igitur dicere poſſum, quod olim Calviſius Taurus philoſophus Medico cuidam, qui arteriam itidem venam appellaverat. Narrat Agellius lib. 18. cap. 10. *Certi ſumus, vir bone, non ignorare te, quid vena appelletur, & quid arteria. quod venæ quidem ſuapte vi immobiles ſint, & ſanguinis tantum demittendi gratia explorentur; arteriæ autem motu atque pulſu ſuo habitum & modum febrium demonſtrent. ſed, ut video, pervulgate magis, quam inſcite locutus es.*

Ex molli fluidoque durum] Luxurioſi enim molles & fluxi, ſed duri tamen ac pertinaces adverſus medicinam & remedia, quibus reduci ſe ad ſanam mentem non ſinunt.

In qua etiamnum natatis] In nive enim natabant in piſcinis, ſive in balneis nivatis. Sueton. in Neron. cap. 27. *Epulas à medio die ad mediam noctem protrahebat, refotus ſæpius calidis piſcinis, ac tempore æſtivo nivatis.*

LIBER QUINTUS.

Cap. I. *Fluens aër*] Ita etiam Hippocrates, qui ventum *aëris fluctum*, Vitruvius *aëris fluentem undam*, imo Ariſtoteles ipſe in Problematibus Ἀέρος ὤθησιν, *aëris impulſum* definit. quod tamen in Meteor. longe reſpuit, noſque ſat diffuſe in Meteorol. lib. 4. cap. 1. & 11.

Verbo non parcat] Hic monemur, ne in definiendo nimis circumciſi, & verborum

borum abſtinentes ſimus. Licet enim brevitas definitionum ad memoriam ſit utilis; ſæpe tamen ſubfuſca eſt & tenebras habet, cavillisque ac rixis rem definitam objicit.

Cap. II. *Arietare poſſunt*] Verbum Senecæ ſat familiare, pro, impetu quodam inter ſe confligere, ut arietes adverſis cornibus ſolent. Inde etiam aries, machina, qua arietabant, id eſt, quatiebant muros: reperta ab Epeo ante Trojam, ſi Plinio credimus; aut à Carthaginenſibus, dum oppugnant in Hiſpania Gades, ſi Vitruvio, & Tertulliano. Iſte libro de pallio: *Arietem (non quem Laberius reciprocicornem, & lanicutem, & teſtitrahum, ſed trabes machina eſt, quæ muros frangere militat) nemini adhuc libratum, illa dicitur Carthago* ſtudiis aſperrima belli, *prima omnium armaſſe in oſcillum penduli impetus, commentata vim tormenti de bile pecoris capite vindicantis.*

Cap. III. *Spiſſior nubium gravitas eſt*] Haut ſcio, an memineris quod libro præcedente cap. 10. à te veriſſime aſſertum, Seneca: *omnem aërem, quo propior eſt terris, hoc craſſiorem eſſe.* unde conſectaneum eſt, ut nubes, quamvis tenebricoſæ, aëre infimo pellucido leviores & tenuiores, non ſpiſſiores ſint. Spiſſitudo enim & gravitas longe aliud ſunt, quam tenebræ & caligo. hæ enim in nubibus, quam in aëre circa nos tranſparente, majores; ſed ſpiſſitudo & gravitas in iſto compreſſior & propenſior. Sic lignum tenebroſius eſt, ſed tamen levius aqua, cui innatat.

Quæ merſerat] Recte reſcribit Pincianus: *quæ merſa erant.* Nec enim evaporatio merſerat halitus, quos in altum agit, ſed demerſi erant ob aliis cauſſis.

Cap IV. *Ventrem interdum cum ſono exoneras*] Hæc, aliaque ante, & præſertim ridicula illa Claudiana ἀποκολοκύντωσις, ſatis dicunt, Senecam, etſi ſapientem, ſatis γελαστὴν & riſui pronum fuiſſe. Similem philoſophiam Socrates Strepſiadem docet apud Ariſtophanem in Nubibus.

Exequnt] Quaſi ſic natura immundum & terrenum venti odorem conſumat; aliter quam in humanis corporibus.

Extenuari ſole cæperint] Gemella Vitruvii opinio, ſed ſatis, ut opinor, à me confutata, lib. 4. cap. 2. art. 1. Meteorol.

Cap. V. *Naturalem vim movendi ſe*] Stoicum hoc, & in Porticu natum: quaſi aër, & mundus totus grande quoddam animal ſit, quod vim ſe commovendi à ſe habeat.

Aqua motum ſuum habeat] Habet, ſed à pondere & gravitate, quæ per devergentem alveum ipſam devolvit, aut certe à vento qui eam fluctuat; non ab anima quæ inhabitet.

Cap. VI. *Aliquid in aqua vitale*] Non eſt, Seneca: ſed viventia quædam alituram inde ſumunt, non proprie vitam, quam aqua non habet.

Animalia igne generantur] Adſpicit hauddubie Ariſtotelem lib. 5. cap. 19. hiſtor. Animal. unde etiam hæc pæne verbatim, lib. 11. cap. 36. Plinius: *Gignit aliqua & contrarium naturæ elementum. Siquidem in Cypri ærariis fornacibus, ex medio igni majoris muſcæ magnitudinis volat pennatum quadrupes. appellatur pyralis, à quibuſdam pyrauſta. Quamdiu eſt in igne, vivit; cum evaſit longiore paullo volatu, emoritur.* De ſalamandra ibidem Ariſtoteles non affirmat, ut vulgus, ex igne gigni, aut in eo degere, ſed inambulare (& quidem, ὡς φασί, *ut aiunt*, inquit) ac ipſum extinguere. Quidam tamen pyrauſtas illas Ariſtotelis irridens; *ſed plebejo argumento*, inquit Exercit. 23. Jul. Scaliger. Audi iſtum. *Cum Galenus, inquiunt, fornaces illas viſerit, deque ea re nihil ſcriptum reliquerit, verum non eſt, ea ibi fuiſſe animalia. Acutiſſimum argumentum! nam quamobrem proditum repeteret? Citius ille, ut erat tanti viri gloriæ infenſus obtrectator, id quod aliquot locis etiam ridicule facit, ſi non reperiſſet, redargueret. Qui paucos ibi dies fuerit, non tum vidit. Non erant, non ſemper ſunt, non rogavit fornacarios. Diſcant igitur hæc ingenia ſtuporem deponere, quibus licet ſine petulantia veri eſſe indagatores, ſine inertia verecundos,*

Cap. VIII. *Antelucanos flatus*] Auras, & ventos leves, qui paullo ante, aut

ſub exortum ſolis, aëre, aut exhalatione molliter, tepore primæ lucis ſe fundente, adſpirare ſolent.

Nec fertur ultra terrarum adſpectum] Vetus & vera lectio, inquit Opſopœus: *nec fert ultra terrarum adſpectum*, vel, *conſpectum.* quia nempe extra conſpectum ejus mature ſe proripit. ſic dicimus, aliquem non poſſe adſpectum alterius ferre, cum ab eo fugit, nec præſentiam diu pati valet. Et, ferrem fortaſſe, ſi terra hoſtilitatem aliquam cum vento exerceret. Jam inſolenter & improbabiliter in aures meas cadit, & (niſi ſim plane opicus, & Batavæ auris) nihil Senecæ eloquentiæ habet. Itaque à lectione vulgata & noſtra ne hilum demuto. Vult enim venti imbecillitatem oſtendere, quod fortiore & adulto jam aliquantulum ſole cadat & exſpiret: ac deinde, ſi forte è nubibus in nos primum decidat, non ultra terræ adſpectum (id eſt, quatenus oculus in terræ ſuperficie adſpectum extendit) feratur & exeat. Semidiameter autem Horizontis iſtius viſibilis in ſuperficie terræ non ultra 23. mill. Italica procurrit, ſi Alhazeno, in lib. de Crepuſculis credimus.

Pro vento valet] Robuſtiori paullo, & qui nomen venti mereri & recipere poſſit.

Cap. VIII. *Ἐγκολπίας vocant*] Sic dictus, quia è ſinu aliquo erumpit. unde Budæus *ſinualem* appellat. Apulejus in lib. de Mundo: *Ventorum bina ſunt ſpecies. Qui facti è telluris halitu conſtant, terrigenæ nuncupantur; at illi qui exeruntur è ſinibus, Encolpia Græce ſunt nominati.*

Solis alimentum eſt] Stoicis; quibus aſtra vaporibus paſcuntur, non ex vero.

Luce præmiſſa] Aurora.

Superius rapiuntur] Nimio calore tenuata & rara facta.

Vix conſpectu ſolis extinguitur] Quia ſpiritus vehementiore actu diſſoluti evaneſcunt, & pondus amittunt ne deorſum relabantur.

Cap. IX. *Sponte reddi ſolet*] Terra enim & aqua, niſi plane gelu adſtrictæ, aliquid ſemper ſponte, ſine externo ullo vaporante, exhalant: quia corpora heterogenea ſunt, & ſpiritales ac leviores eorum partes aliis ſupereſſe nituntur.

Ictu] Verum id non eſt, niſi cum Seneca & Stoicis, lumen non accidens, ſed corpus eſſe ſciſcas; quod Peripatetici non facimus.

Ex calore fiat] Ita iterum Stoici, & quidam hodie Copernicani. Sed contra Ariſtoteles: calorem enim à luce, non lucem à calore effluere exiſtimat, & in cœlo lucem eſſe ſine calore.

Quantum actu appareat] Puto, *tactu*, reſcribendum. nam ſequentia dicunt, actum habere, cum *opus ſuum faciat*: tactu tamen non percipitur; quia tepor iſte non ſatis inſignis, nec exuperat calorem qui in nobis organum tactus temperat.

Nubila & triſti luce] Quæ à vicinis corporibus ſolem excipientibus, in umbram, etſi tenuiter, reflectitur.

Cap. X. *Teruntur & durantur*] Pincianus mavult, *reponuntur*, id eſt, accumulantur. nec diſplicet.

Sol mutato curſu] Vitiatiſſimum hunc locum eſſe, diffamat Pincianus: & ſine dubio, cæcus eſt, qui deformatum non videt. Legit ergo: *ac ſol mutato curſu noſtra regione cedit.* In mentem Senecæ facile incidam; ſed an in verba, neſcio an ſperare debeam. Hoc certe vult: *At ſol rectior* (quando in Cancro directioribus radiis nos ferit) *mutato curſu* (cum jam verſus Æquatorem ſe reflectit) *à noſtra* (parte Septemtrionali) *avertitur*. Tunc autem *alteram partem* (Septemtrionalem & noſtram) *aëris attrahit* poſt ſe, *aliam vero* (Meridionalem) *impellit*, & agit ante ſe.

Cap. XI. *Ut ait Gallio*] Quis iſte? an frater ſenior hujus Senecæ, de quo larga mentio in Præfat. lib. 4. & nos diximus ibi num. 20? an Junius Gallio, à quo frater iſte adoptatus? De illo magis putem.

Cap. XII. *Ἐκνεφίας*] Quaſi è nube erumpentes dicas: Latine, procellas. Hæ non aliud, quam fulmen quoddam crudum, quod rareſcere quantum ad perfringendam nubem valuit, ſed nondum

dum in flammam. De eo Ariſtoteles lib. 3. cap. 1. Meteorol. nos lib. 2. cap. 4.

Cap. XIII. *In canalem convexum*] Pincianus, *devexum*. Melius.

Πρηστῆρα Græci vocant] Ariſtoteles lib. 3. c. 1. Meteor. *Ὅταν κατασπώμενον ἐκπυρωθῇ, τοῦτο δ' ἐστὶν ἂν λεπτότερον τὸ πνεῦμα γένηται, καλεῖται πρηστήρ: Cum diſtractus incenditur (id autem accidit quando ſpiritus fuerit tenuior) vocatur Preſter.* Apulejus lib. de Mundo: *Preſteras nominamus, cum flammatum in illis minus* (quam in fulminibus) *fuerit. Sed ſi ignitum non fuerit fulmen, typhon vocatur.*

Modus ſeparat] Magnitudo & quantitas.

Cap. XIV. *Non tota ſolida*] Reſcribendum hauddubie ex Vet. Pinciani Cod. *Non tota ſolide contextu terra in imum uſque fundatur.*

Nulla lux diſcrimen aëris monſtrat] Aër cavis illis & cæcis latebris inſuſus nullam à ſole lucem recipit, ut diſcerni à ſolida terra ſolis & lucis incapace poſſit.

Aëra onerari] Impleri vapore & halitu aquarum ſubterranearum, qui tandem ſe non capit, & erumpit ſurſum in apertum noſtrum aëra.

Obſtrictu] Rectius Nicotii Cod. *aſtrictu.*

Aſclepiodotus] Poſidonii auditor, ut noſter lib. 6. cap. 17. qui de *Quæſtionum Naturalium cauſſis* ſcripſit.

Cap. XV. *In metallum*] Metalli fodinam. Sic etiam ſumit Ulpianus in L. 8. D. De Pœnis: *Si quis in metallum, vel in opus metalli damnetur,* &c.

Supra lucrum ſub ruina ſteterunt] In ſpecubus illis ſubterraneis, ſupra aurum quidem & metalla, ſed ſub ruina impendentium fornicum cum periculo ſteterunt.

Incertamque raptavit] Reſcribe, *reptavit.*

Oblitus dierum] Forte, *deorum*, inquit Pincianus. Non credo. Lucem enim & diem à tergo relinquunt metallici, ut jam ante noſter dixit.

Urgens terrarum pondus] Non male: ſed, *ingens*, paullo ſit elegantius.

In illis fluentium] Vetuſti Cod. *nulli fluentium.* Belliſſime.

Inferos metuunt] Quod mirum, cum in ipſos pæne ſe ſponte demiſerint.

Cap. XVI. *Fieri nullo modo poteſt*] Quia venti contrarii ſimul & in una tempeſtate flare non poſſunt, ut poſt Ariſtotelem Seneca credit. Quomodo igitur eos inter ſe poëta committit? Incipere nempe rixam poſſunt, ſed non durant; alter enim alterum fugat & ſupprimit.

Suffectos dant] Memmii Cod. *ſubpræfectos.* Jam ventos collaterales vocamus.

Altius ſolſtitialis] Etſi binæ ſint ſolis ſtationes, æſtiva & hiberna; ſolſtitium tamen Latine loquentibus fere ſemper æſtivam, bruma vero hibernam ſignificat. Virgil. Georg. 1.

Humida ſolſtitia, & hiemes optate ſerenas.

Iterum Eclog. 7.

Solſtitium pecori defendite, jam venit æſtas
Torrida. ———

M. Tullius lib. 2. De Nat. Deorum: *Solis acceſſus diſceſſuſque, ſolſtitiis brumiſque cognoſcitur.* Hinc Plaut. in Pſeudolo: *Quaſi ſolſtitialis herba fui, repentino exortus ſum, repentino occidi.* Ortus igitur, & occaſus ſolſtitialis eſt, quo oritur, aut occidit ſol æſtivo ſolſtitio.

Ab oriente hiberno] Ita etiam Ariſtoteles. Paullo tamen aliter Phavorinus apud Agellium lib. 2. cap. 22. qui Eurum cum Subſolano confundit; atque jam fere etiam ſolemus.

Contra ventum conſtitunt] Præter Livium & Florum, Silius lib. 9. fingit, non ſitu Hannibalis acies Cannenſes ſic conſtitiſſe, ut Vulturnus inſtaret in ora Romanorum; ſed Virgilium imitatus, Æolum Junonis precibus Vulturnum in Romanos immiſiſſe:

Tum ventis poſitus cuſtos, cui flamina carcer
Imperio compreſſa tenet, cæcumque ruentes
Eurique & Boreæ parent, Corique Notique,
Junonis precibus, promiſſa haud parva ferentis,

Regnantem Æoliis Vulturnum in prælia campis
Effrenat: places hic ira exitiabilis ulter.

Græci Καικίαν appellant: apud nos ſine nomine] Agellius tamen lib. 2. cap. 22. Aquilonem vocat, & conſentit Apulejus. Plinius tamen lib. 2. cap. 47. Aquilonem medium inter Septemtrionem & ortum ſolſtitialem locat.

Etiam qui Græce neſciunt loqui] Quia Zephyrus civitate donatus, & in ſermone Latino familiaris. nec mirum, qui in Latio & Græcia mollicellus & omnium ventorum blandiſſimus. Nomen etiam ipſum Cardanus lib. 17. Subtil. nominum omnium molliſſimum credit. Et ſane aſſenſu Quinctiliani, qui ait litteris Z. & Y. nullas apud Græcos ſpirare dulcius. Hinc non abs re Cardanus tria in Zephyro blandiſſima eſſe dixit: Z. Y. & ipſum ventum. Si tamen aurium Lipſii noſtri judicium ſit, non dubitet nomen vini (an rem etiam, ambigo) Zephyro Cardani præferre, ſi more Romano & veteri, *uuinum* dicas. Ipſe in Not. ad cap. 12. de recta Pronuntiat. *Illud mearum aurium judicium non celo: ſuaviorem litteram hac duplici uu. natam non videri, poſt litteras natas.* Niſi tamen aſpere & hirte, ut Hiſpani ſolent, efferas; qui veluti Wicleff in Oubicleff, ita Winum in Oubinum, nobis deformabunt.

A ſolſtitiali occidente Corus] Alii Caurum vocant: ſicuti alias ſæpe O. & AU. inter ſe commutantur. hinc plauſtrum & ploſtrum, plaudo & plodo. Agellius lib. 2. cap. 22. *Caurus, quem ſolent Græci ἀργέστην vocare, adverſus Aquilonem flat.* Ubi inſignis Phavorini, an Agellii allucinatio, qui Caurum adverſus Aquilonem flare putat, quia unus ab occaſu ſolſtitiali, alter ab ortu ſolſtitiali ſpirat: cum diameter, ſeu axis ſpirationis per centrum horizontis duci debeat; unde Cauri flatus non in Aquilonem, ſed in Vulturnum, qui ab occaſu brumali reſpirat, impingit. Simili errore, Africum Vulturno (cum potius Aquiloni ſive Cæciæ debuiſſet) opponit.

Argeſtes fere mollis] Atqui tamen Ariſtoteles lib. 2. cap. 6. Meteor. Argeſtem violentum & ſternacem facit. Talis igitur in Græcia Argeſtes, qualis in Italia & Belgio Caurus. Itaque non abnuo, quin unus idemque ſit: nam ab occaſu ſolſtitiali uterque advolat.

Tam euntibus communis, quam redeuntibus] Flatu enim eodem molli, & obliquo ac ſemipleno velo, navis ire & redire poteſt: ut in Scaldi noſtro ante Antverpiam cottidie videmus. Non ita, ubi ventus aſper eſt, in unam partem rapax & intractabilis.

Summus eſt Aquilo] A latere ortivo, proximus eſt Septemtrioni, qui à polo Arctico fluit; ideoque ſummus collateralium, ſi ab ortu verſus polum & Septemtrionem (qui aliter Boreas) ſcandas. Aquilo autem iſte Senecæ, Ariſtoteli eſt Meſes.

Imus Thracias] Sic vocat Ariſtoteles eum qui ad latus occiduum proxime Septemtrionem, ſive Boream, adſidet. Sed cur illa pars ima? quia in eam, credo, cadunt ſidera.

Cap. XVII. *Plures nuſquam ſunt*] Largiter erras Seneca. nautæ noſtri 32. faciunt, & plures etiam poſſent.

Eſt ſeptemtrionalis] Is eſt nobis circulus Arcticus.

His ſextus accedit] Horizon, ſive Finitor.

Quinque illos orbes] Circulos. nempe, Æquinoctialem, binos Tropicos, binos circulos polares, Arcticum & Antarcticum, qui deſcribuntur ab Eclipticæ ſive Zodiaci polis, motu primi mobilis.

Efficit decem partes] Puncta potius interſectionis, in quibus Horizon quinque illos circulos bis ſecat, in parte ortiva ſemel, deinde in occidua. Hæc tamen in ſphæra ſtante (ubi nempe polus alter eſt ſupra verticem capitis) vera non ſunt: nam ibi Horizon in Æquinoctialem incidit, nec ullum ex quinque illis circulis ſecat.

Regiones duas adjicit] Septemtrionis, & Auſtri.

In proximum ferunt] Potius *feruntur*: ibique deficiunt & exſpirant.

A latere univerſi mundi impetus]

Non

Digitized by Google

Non veniunt ab ultimo Horizonte, ſed è vicino naſcuntur.

Atabulus Apuliam infeſtat] Horat. lib. 1. Sat. 5.

Incipit ex illo montes Apulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus. ———

ſic dictus, quia ἄτην βάλλει, *noxam affert*, ut creditur. Vide, ſi vacat, quæ nos de ventis provincialibus, lib. 4. cap. 7. Meteorol.

Calabriam Iapyx] Apulejus lib. de Mundo: *Apuli Iapyga, ex Iapyge ſinu, id eſt, ex ipſo Gargano venientem appellant. Hunc Caurum eſſe manifeſtum eſt.* Hoc vento è pugna navali Actiaca Cleopatra fugit, & Antonium amoris vinculis conſtrictum, & fortunam ejus poſt ſe traxit. Id enim tam dudum ante, ſcilicet, viderat Æneas in clypeo illo inenarrabili, ſibi à vitrico Vulcano, in Ætnæis incudibus fabrefacto. Dicit enim Poëta lib. 8.

Illam inter cædes pallentem morte futura
Fecerat ignipotens, undis & Iapyge ferri.

Athenas Sciron] Idem, Olympias. Ariſtoteles lib. 2. cap. 6. Meteor. Scirona & Olympiam confundit cum Argeſte, ſive Cauro. Plinius tamen lib. 2. cap. 47. *Peculiaris Athenienſibus Sciron, paullum ab Argeſte deflexus, reliquæ Græciæ ignotus.*

Pamphyliam Catagis] A καταιγίζειν, cum impetu flare.

Galliam Circius] Cato Cercium vocat. dictus à circinando, ſi Apulejo credimus. Idem apud Agellium Phavorinus philoſophus: *Noſtri Galli* (Phavorinus enim Gallus fuit Arelatenſis) *ventum ex ſua terra flantem, quem ſæviſſimum patiuntur, Circium appellant, à turbine, opinor, ejus ac vertigine.* Vide de eo Plinium lib. 2. cap. 47.

Auguſtus templum illi] Idem fecit Cometæ, qui à funere Julii patris emerſit. Plin. lib. 2. cap. 25. *Cometes in uno totius Orbis loco colitur, in templo Romæ, admodum fauſtus D. Auguſto, judicatus ab ipſo: qui incipiente eo apparuit ludis quos faciebat Veneri genitrici, non multo poſt obitum patris Cæſaris, in collegio ab eo inſtituto.* Vellem ab ignibus fatuis, & capris ſaltantibus, aliquid etiam commodi accepiſſes, Auguſte, brevi totam Meteorologiam conſecratam haberemus.

Cap. XVIII. *Magis naſci Reip. profuerit*] Evertit enim quidem Remp. Julius Cæſar, ſed ab eo occaſio transferendi in monarchiam ſub Auguſto pacatiorem & feliciorem, niſi inde ſtatim in tyrannidem deſciviſſet.

Non poteſt his repenſari] Igitur plus noxæ, quam emolumenti (quod tamen contra eſt) ventos ferre exiſtimat: & tacite ac acute, Cæſarem plus nocuiſſe, quam profuiſſe Reip. indicat.

Periclitamur periculi cauſſa] Per unum periculum aliud quærimus; per undas & tempeſtates, bellum, ut mox dicet.

Perſarum rex ſtolidiſſimus] Xerxes ille ad Salamina victus à Themiſtocle.

Cum impleverit] Exercitum enim quingentorum millium, mille navium claſſe in Græciam advexerat, ut poſt Æſchylum, in Themiſtocle narrat Plutarchus.

Diras Tribuni] Nam exeuntem Conſulem Craſſum contra populi voluntatem Attejus Metellus Trib. pleb. accenſo in platea foculo, thure & aſperſione cum imprecationibus, diris hoſtilibus devoverat.

Tempeſtates longiſſimi maris] Cum enim Brunduſio, cœlo adhuc hiemante Craſſus ſolviſſet, tempeſtate jactatus multas naves amiſit.

Præſaga fulmina] Fulmine enim disjectus pons, quo Euphratem ſtraverat.

Cui videre expedit] Per oculorum enim feneſtras libido, invidia, & turba vitiorum intrat animum.

Cui loqui] Linguæ intemperantia multis exitium attulit. exempla paſſim.

In quibus vita conſumitur] Nam divitiæ vitæ periculis parantur, quarum deinde luxu vita conſumitur, & dies præcipitantur.

Digitized by Google

LIBER SEXTUS.

Cap. I. S*Abianumque littus*] Vetus Cod. *Stabianumque*. Rectè. Plinius lib. 32. cap. 2. *In Stabiano Campaniæ ad Herculis petram*, &c.

Ex aperto conductum] Lege ex vet. Cod. Opſopœi: *ex aperto reductum amœno ſinu cingunt.*

Diebus hibernis] Georg. Agricola & alii, qui ſolem nil afferre credunt ad terræ motum, hinc argumentum ſumunt: quia, inquam, diebus hibernis, quando ſol imbecillis, & exhalationes pro movenda terra vaporare invalidus, etiam accidunt terræ motus. quos lib. 4. cap. ult. art. 1. & 5. Meteorol. refellimus.

Regulo & Virginio Coſſ.] Anno nempe V.C. DCCCXVI. Verum Tacitus Annal. 15. refert ad præcedentis anni Coſſ. Unde hunc, aut Senecam memoria lapſum fateri oportet: etſi in Ægyſthum aliquem Taciti adulteratorem culpam totam conferat Lipſius.

Qui Campaniam numquam ſecuram] Cauſſa penes tot ignes & ſpiritus ſubterraneos, quos Campania multis ſparſim crateribus in auras exſpirat. Ii quandoque clauſi, nec ſe capientes impetu viam rumpunt, aut hac illac libertatem quæritantes, obſtantia moliuntur, & latera cavernarum concutiunt. Et ecce, dum hæc commentor, anno Chriſti CIↃ.IↃC.XXVII. audimus, die ultima Julii horribili terræ motu quaſſatam Campaniam, multoſque cum oppidis ſuis aut vicis mortales in profundum hauſtos.

Sexcentarum ovium gregem exanimatum] Cauſſam in halitum peſtilentem, diductu aut agitatione terræ exhalantem, refert infra cap. 27.

Impotes ſui erraſſe] Metu partim, aut ſpiritu terræ peſtilente afflati & lymphati.

Subterranea domus] Fulmen enim ultra quinque pedes in terram negatur penetrare. & hoc eſt quod ſtatim dicet, *exiguo terræ objectu retundi.*

Ipſa ubique tantumdem eſt] Mors mea non tantum ſub tumulo, ſed ubique terrarum eſt; quia ubique abſens eſt, qui nuſquam eſt.

Omnia ejuſdem ſortis ſunt] Nimis tamen, & ultra verum exaggeras hanc omnium regionum paritatem, Seneca. Quædam enim ſoliditate ſua ſpiritum terræ motorem reſpuunt, ut fere noſtrum Belgium; aliæ nimia laxitate effugium ſine rixa & concuſſione præbent, ut Delos. Vide quæ nos lib. 4. cap. ult. art. 3. Meteor. nuper ſcripſimus.

Ruina ſua fulta ſunt] Nam loca ſubterranea, ante vacua & hiantia, ſuperiorum ruina complentur, & firmantur in futurum.

Nunc illa ſuſpenditur] Extra perpendiculum, inclinata in ruinam.

Aſia duodecim urbes ſimul perdidit] Tacit. Annal. 2. *Eodem anno* (V. C. DCCLXX. C. Cœlio, L. Pomponio Coſſ. imperante Tiberio) *duodecim celebres Aſiæ urbes collapſæ, nocturno motu terræ, quo improviſior graviorque peſtis fuit.* Et Plin. lib. 2. cap. 84. *Maximus terræ, memoria mortalium, exſtitit motus, Tiberii Cæſaris principatu, 12. Aſiæ urbibus una nocte proſtratis.* Quas liberalitate ſua ſublevavit Princeps Tiberius. Sueton. Tiberii cap. 48. *Ne Provincias quidem ulla liberalitate ſublevavit, excepta Aſia, disjectis terræ motu civitatibus.* Hanc urbium duodecim ruinam Oroſius, & poſt eum non ſatis cogitate Cæſar Baronius ad tempus refert Chriſti Domini patientis. *Bonum Oroſium*, inquit non immerito noſter Lipſius, *quam fugit ratio, qui hunc tremorem terræ ad tempus refert mortis noſtri Servatoris? quod nos quidem ſcimus totis quatuordecim annis poſterius fuiſſe. Scilicet egebant hoc fuco ſacra Litteræ.* Calculus enim eſt facilis. Nam in 3. annum Tiberii Tacito teſtante, hic terræ motus incidit, cum Chriſtus poſtea circa annum ejus 18. paſſus ſit.

Repetit] Arenæ vox. Gladiatores enim repetere dicuntur; dum iterant pugnam, aut ictum geminant. Hinc illud Suetonii Caligul. cap. 58. intelliges: *Jacentem* (Caligulam) *contractiſque*

que

Digitized by Google

que membris clamitantem ſe vivere, cæteri vulneribus triginta confecerunt. nam ſignum erat omnium, Repete.

Rarius ſollicitat] Ut Locros & Crotonem in Italia, ſi fides Plinio; qui etiam omnino immunes facit: *Locris,* inquit lib. 2. cap. 96. *& Crotone peſtilentiam numquam fuiſſe, nec ullo terræ motu laboratum, annotatum eſt.* Quod ſane mirum, in illa Italiæ parte tam obnoxia. *Sollicitat,* autem eleganter poſitum pro *movet,* ut Lucretius dixit,

——— *corpora materiai*
Sollicitata ſuis trepidant in ſedibus intus.

Oraque terrarum] Nam illæ maxime ſollicitantur, ut Ariſtoteles lib. 2. cap. 8. Meteor. tibi dicet.

In ſervitutem fati] Stoicum hoc, non Chriſtianum fatum eſt, qui nullum, niſi quod libere Deus fatus eſt, fatum agnoſcimus. nec divina fata ſive decreta libertatem evertunt creatæ voluntatis.

Summam manere, partibus ruere] Totam terram perſeverare, ſed partes confundi. ſic aqua in amphora eadem eſt, etiamſi agitatione partes ſus deque permutent ſitum. Partes deinde aliquæ terræ in aquam aut aliud elementum intereunt, ſed tantumdem aliunde ei regeneratur.

Cap. II. *Sine remedio timor ſtultus eſt*] Nam ſtultum eſt timere, quod evitari non poteſt. ideo enim futura mala timemus, ut effugium aliquod timor inveniat. Sic quoſdam negantes audivi ſe mortem metuere, quia ſine effugio eſſet, futuroſque ſe trepidiores, & circumſpecturos fugam, niſi Deus omnes ſepiviſſet vias.

Diſcutiamur] Animus abrumpatur à corpore: aut certe errorem Stoicorum adſpicit, qui animum nobis ex igne concinnant, quem aliquando diverberet & diſcutiat motus.

Subito diſſipantur] Rhectes, aut oſtes dicitur is terræ motus qui ſubito diſſipat. palmatias autem vibrando, ſuperpoſita diducit & laxat, chaſmatias toto hiatu aperit.

Vult ille] Reſcribe, *non vult ille:* ſignante ſenſu.

Ita videlicet nati ſumus] Sarcaſmus & irriſio eſt. Tales enim revera non ſumus, ſed imbecillis, fragilis, & puſilli corpuſculi, quod pituita, & tot aliæ cauſſæ fulminibus & terræ tremoribus minores poſſunt obruere.

Unguiculi nos] Ex tenui cauſſa inflammatio digituli unguiculum, & deinde gangræna invadere poteſt, quæ poſtmodum ad vitalia noxam & mortem ſpargat.

Craſſior ſaliva ſuffocat] Catarrhus ſuffocans, ex cerebro, ubi humor refrigeratus eſt, in fauces & pulmones univerſim delapſus.

Quoſdam ſtrangulaverit potis] Si nempe, ut mox dicet, *male,* id eſt, contraria via, *labatur per fauces:* quippe in aſperam arteriam, cum deberet potius in ventriculum. Hinc merito olim ab Eraſiſtrato nobili medico, Ariſtotelis ex filia nepote, deriſus Plato, quod cibum potumque diverſis itineribus crediſiſſet in interanea delabi: cibum nempe per œſophagum in ventriculum, potum per τραχεῖαν ἀρτηρίαν, *aſperam arteriam,* in pulmones. Credit etiamnum hodie vulgus, qui dum bibit, opinatur ſe pulmones irrigare. Alcæus etiam olim:

Τέγγε πλεύμονας οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται:

Riga pulmones vino, canicula enim oritur.

Contra tamen eſt. nam ſi quid forte per conniventem epiglottida in pulmones delapſum, hi tuſſiendo & flabellando non ceſſant, donec reſpuerint. Vide Plutarch. lib. 7, q. 1. Sympoſ. & Agell. lib. 17. cap. 11. Noctium.

Stillicidio perire te poſſe] Gutta unica, ſeu modico humore in fauces deciduo. Et ut intelligamus, quam ex levibus cauſſis exanimari poſſimus, *Fabius Senator Prætorius,* ait lib. 7. cap. 7, Plinius, *in lactis hauſtu uno pilo ſtrangulatus eſt.* Anacreon, poeta ille amatius, acino uno uvæ paſſæ, Niger nobilis in Galatia Orator tempore Plutarchi, ſpina piſcis unica & tenui, ſuffocantur. Vere igitur noſter ad Marciam cap. 11. *Quid eſt homo? quodlibet quaſſum vas, &*

Digitized by Google

quodlibet fragile & jactatum, non tempeſtate magna, ut diſſiperis, eſt opus. Ubicumque arietaveris, ſolvêris. Quid eſt homo? imbecillum corpus, & fragile, nudum, ſuapte natura, inerme, alienæ opis indigens, ad omnes fortunæ contumelias projectum, &c.

Sub terram correpere fulminum metu] In mente ei, fortaſſe Imp. Caligula, de quo Sueton. cap. 51. *Qui deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua & fulgura connivere, caput obvolvere; ad vero majora, proripere ſe è ſtrato, ſub lectumque condere ſolebat.* Unde ut trepidationem, credo, iſtam celaret, machinam (teſtis mihi Dion) meditatus eſt, qua cœlo obſtreperet & retonaret Jovi. imo hunc tonantem ad pugnam, & quidem ſine miſſione pugnandam, evocare ſolitus, Homericum illud exclamans:

Ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σε:

Aut me tolle, aut ego te.

ſicut lib. 1. cap. 16. de Ira narrat noſter. De Octavio etiam Cæſare Sueton. cap. 90. *Tonitrua & fulgura paullo infirmius expaveſcebat: ut ſemper & ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio: atque ad omnem majoris tempeſtatis ſuſpicionem in abditum & concameratum locum ſe reciperet.* De Tiberio lib. 15. cap. ult. Plinius: *Tiberium principem*, inquit, *tonante cœlo coronari ea* (lauro) *ſolitum ferunt contra fulminum metus.* Vide, niſi graveris, quæ nos de re iſta lib. 2. cap. 3. art. 8. Meteorol. commenti ſumus. Ideo autem loca ſubterranea tuta putantur à fulmine, quia non ultra fere quintum in terram pedem, jactum ejus animadverſum eſt penetrare.

Majore perire ratione juvet] Magnificum enim eſt, à magnis cauſſis opprimi. Et glorioſus ille Æneas Virgilianus Lauſo imputat, quod cadat magna & ſua manu:

Hoc tamen infelix miſeram ſolabere mortem:
Æneæ magni dextra cadis. ———

Egregie Vagellius meus] Nicot. Cod. *Egregie vero Agellius noſter.* Non tamen ille (ut forte quis nimis ſimpliciter exiſtimet) Noctium Atticarum auctor, qui aliter A. Gellius dicitur. nam hic Seneca noſtro non paullo poſterior, & ſub Hadriano demum Grammaticus floruit.

Præſumere animo] Antecapere, & hac opinione animum in anteceſſum implere.

Cap. III. *Nihil horum deos facere*] Epicureum hoc. Audi etiam illum è grege illo grunnientem. Lucretius eſt lib. 2. præclaræ ſcilicet illius philoſophiæ:

——— *Natura videtur*
Libera continuo dominis privata ſuperbis,
Ipſa ſua per ſe ſponte omnia dis agere expers.
Nam (pro ſancta Deum tranquilla pectora pace,
Quæ placidum degunt ævum, vitamque ſerenam)
Quis regere immenſi ſummam, quis habere profundi
Endo manu validas potis eſt moderanter habenas?

Nempe, quia capitellum Lucretii non ſufficit omnibus familiæ ſuæ cogitationibus, & partem curarum in uxorculam inclinare oportet; idcirco capaciſſima ac infinita Dei mens omnibus univerſim creaturis intendere non poterit?

Ut corpora noſtra] Veluti febri conturbantur & vibrantur corpora noſtra; ſic tremoribus quaſſatur terra. imo non ignobiles hodie Copernicani, terram revera febrire, cum tremit, & magnum quoddam animal eſſe exiſtimant. Etſi tamen hoc vane.

Cum facere videntur] Terra cum impoſitos homines ſorbet, aut cum nubes fulmina in nos jacit; ſpiritu ante rumpitur, & injuriam accipit.

Cujus obſcuratio frequentior] Luna enim anguſtior eſt umbra terræ, adeoque facilius ab hac tegitur, quam ipſa tegat ſolem longe ſe ampliorem. Hinc ergo eclipſes lunæ frequentiores quam ſolis.

Longeque magis illa] Vere hoc, quidquid aſtrologaſtri quidam aliter. nam aſtæ in tranſverſum faces, & id genus ignita, aërem ſpiritu multo intertextum,

tum, & valetudini gravem ſignificant; quod eclipſes, ſtatis & ſolemnibus temporibus evenientes, non poſſunt.

Quidquam inveniri dignius poteſt] Magna ſcientiæ hujus naturalis commendatio, & cui propius aſſentior, quam nugatori Ariſtophani, qui ubique exſibilat. Non probem tamen Strepſiadæ factum, qui creditorem Daniſtam in Meteorologicis examinat, antequam pecuniam reddat; quaſi ſolos Meteorologiſtas pecunia dignos cenſeat. Daniſtam enim minantem tribunal Judicis, ni ſtatim creditam pecuniam redderet, ridicule interrogat, Ecquænam cauſſa imbrem cœlo dejiciat? & cum diceret, neſcire ſe, neque ſcire velle, ipſe interim pecuniam redderet; tum Strepſiades:

Πῶς δ' ἂν ἀπολαβεῖν ἀργύριον δίκαιος εἶ,
Εἰ μηδὲν οἶδας τῶν μετεώρων πραγμάτων;
Quomodo igitur tu dignus es argentum accipere,
Si nihil rerum Meteorologicarum didiciſti?

Cap. IV. *Intervallum ruina ſua diu ſerviet*] Spatium temporis extendat, quo quatit terram, & ruinas agit: id eſt, duret diutius & pertinacius.

Mille miracula movet] Miracula iſta, & eorum cauſſas, lib. 4. cap. ult. art. 7. Meteorologiæ noſtræ diffuſe ſatis enarravimus.

Miraculo colitur] Non ad lucellum, ut cauſidicina, ſed admirationem, & Auctoris naturæ laudationem, hæc naturalis ſcientia debet diſci & coli.

De motu terrarum volumen juvenis ediderim] Liber hic cum aliis pluribus injuria temporum ſuppreſſus & oppreſſus eſt. quem tamen *non deſideres*, ait cap. 10. vitæ Senecæ noſter Lipſius, *quia tamdem materiam in Quæſtionibus Nat. retractavit*: nempe, iſtis quas jam commentamur. Suſpicor vero Senecam juvenem, impetum ſcriptionis De Motu terrarum ſumpſiſſe ex illo famoſo, ſub Tiberio Principe, qui 12. in Aſia urbes disjecit. Seneca enim tum circiter octavum decimum ætatis annum agebat, ſi vera eſt Lipſii conjectura, eum in exceſſu Auguſti intra quintum & decimum fuiſſe: nam motus ille Aſiæ triennio poſt, id eſt, tertio Tiberii anno, accidit, ut ex Annal. 2. Taciti liquet. Ipſe etiam Epiſt. 108. *In Tiberii Cæſaris principatum juventæ ſuæ tempus incidiſſe* ait, *cum alienigena ſacra movebantur* (id eſt, Ægyptia & Judaica ſacra Urbe pellebantur, ut ad annum V. C. DCCLXXII. narrat Tacitus:) quod ſecundo poſt illum Aſiæ terræ motum anno factum, cum Seneca 20. annorum juvenis eſſet. Circa igitur hæc tempora volumen illud à juvene, aut valde fallor, editum fuit. Sed ecce quid jam etiam in mentem venit. Dum de juventute Senecæ, & extremo, id eſt, quinquageſimo ſeptimo Imperii Auguſti, annum vitæ (niſi Lipſii augurium nos fallit) decimum quintum egiſſe cogito; natum eum oportet anno Auguſti quadrageſimo ſecundo, id eſt ipſo Chriſti Domini natali; ſi vera Euſebii, & Cæſaris Baronii, Chriſtiana Chronologia.

Cap. V. *Maxima atque involutiſſima*] Centena mage majora & involutiora in philoſophia tibi dabimus, Seneca: & vis pulveris in cuniculis ſubterraneis rareſcentis nobis pleraque terræ motus miracula evolvit, quæ olim involuta vobis. Vide, niſi faſtidioſum eſt, quæ nos lib. 4. cap. ult. art. 9. Meteor. ſcribimus. ubi terræ motum cum illo cuniculorum militarium ſaltu componimus.

Cap. VI. *Spiritu tam tenui*] Maluit Thales graviſſimum terræ pondus aqua, ut navem bene onuſtam, quam tenui aëris ſpiritu, contra lapſum ſuſtentari. Idem pugnaciſſime nuper lib. 2. Theat. defendebat Jo. Bodinus: quia alias nullis oculis videbat, quomodo fontes è montium alicubi verticibus emicare valeant, niſi quia terra aquas maris, ut navigium, premat, & extra venas exprimat eam in altum. Vide nos, ſi vacat, lib. 5. cap. 2. art. 2. Meteorol.

Erumpunt ſibi novi fontes] Humore per terræ vulnera, tremore rupta & aperta, emicante: quomodo fere abruptis corporis humani venis exſilit ſanguis.

Si immodice depreſſa ſunt] Sic ut onera na-

ra navis ſuperent pondus aquæ, quam capere navis poteſt: tunc enim aqua ſuperfunditur, & navis nimis onuſta fundum petit.

Dextra ſiniſtraque ſolito magis ſurgit] Si onera non ſint tam gravia & propenſa ut mergant navem, hæc tamen intra aquas deſidit profundius, & minor ejus limbus ſuperficie maris aut fluvii extat, ſurgitque ac intumeſcit aqua utrimque altius.

Sed manere] Quieſcere umquam. Cum enim mare undabundum ſemper, aut inquietum ſit, terram in ea natantem jugiter fluctuabit, vel ſuccutiet ſaltem & vibrabit.

A lateribus terra circumfunderetur] Maxime enim deſidunt & merguntur naves, cum per latus inclinatum ſuperfuſus humor intrat. igitur & terra totum mare littoribus ſuperfuſum acciperet, ubi vacillare & inclinari eam contingeret, non tantum è viſceribus ejus, veluti per ſentinæ rimas latex emicaret.

Sentina ſubreperet] Aqua ſentinæ navis influens. Sumit enim continens pro contento. nam proprie ſentina eſt pars ima navis, quò ſordes & purgamenta corrivantur.

Ferente univerſa] Univerſum quippe terræ orbem, & omnia in ipſo defixa aut jacentia, quæ univerſim immenſum pondus & intolerabile concinnant.

Medius inter pacata & hoſtilia fluit, Danubius] Citra enim Danubium & Rhenum omnia tunc pacata & obedientia Romanis, ultra, hoſtilia. Quomodo tamen id verum, cum lib. De brevit. vitæ cap. 5. dicat Auguſtum *ultra Rhenum, Euphratem, & Danubium terminos moviſſe?* igitur ultra eos fluvios pacata etiam & Romana quædam erant. Et Tacitus de Moribus German. *Eſt in eodem obſequio Mattiacorum gens* (Northollandos aut gentem circa Lipſius exiſtimat.) *Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, ultraque veteres terminos Imperii reverentiam.* Verum non ultra proximos Rheni accolas duce Druſo, termini veteris Imperii promoti. Et de Danubio, Lipſii noſtri Commentarius: *Movet*, inquit, *cæpe, movere conatur & ſperat*. Vide quæ nos Præfat. libri 1. nu. 25. & 26. commentati ſumus.

Cap. VII. *Europam Aſiamque diſterminans*] Itane vero? Imo potius mare Euxinum (in quod Danubius ſex oſtiis evolvitur) & quidquid aquarum è Mæoti in Ægæum defluit, illam Europæ Aſiæque diviſionem facit. Itaque verba hæc ab aliquo ignaro ferruminatore immiſſa cenſet Fortunatus. ut ſimpliciter dixerit noſter: *alter* (Danubius) *Sarmaticos impetus cohibens, alter* (Rhenus) *Germanos*, &c. Sic enim lib. 1. Præfat. *Danubius Sarmatica ac Romana diſterminet.* Citra enim Danubium, tempore Senecæ, Dalmatia & Pannoniæ pacatæ & obedientes, ultra Daci ſive Getæ & Sarmatæ colebant, gens adhuc invicta, donec poſtea Trajanus ſtrato Danubio admirabili illo 20. pilarum lapideo ponte, Decebalo Dacorum Rege victo, Daciam in Provinciam redegit, Dione teſte. Daci putantur hodie Tranſſilvani, Raſcii, Servii, Bulgari, & alii quidam circa. Eoſdem vero eſſe cum Getis affirmat Dion lib. 51.

Alter Germanos] Nam Germanos à Belgio & Gallus, quæ tunc in Imperio, vel ſocietate Romanorum erant, Rhenus dividit.

Ex repoſito multoque funderet] Tartaro illo, ut Plato, ſeu *abyſſo magna*, ut ſcriptor ſacer Gen. 7. vocat. Hæc autem occultis venis & meatibus mari alitur, viciſſimque ipſum alit.

Superiora cum tot animalibus] Terræ ſuperficies nudata mari, ut nobis, terreſtribuſque una animalibus locum ad cultum daret. Hæc vero ſuperficies libera aquis, dimidiata cenſetur, aut circiter, totius globi terreſtris.

Omnis aer creat] Præſertim ſi motu aëris ſpontaneo & animali (ut Seneca & Stoici credunt) non refrigeratione exhalationis (quod putamus) generantur flatus. Sic enim omnis aër, etiam intra cavernas conceptus, ubi nullæ exhalationes, fluctuare & in ventum effundere ſe poteſt.

Cap. VIII. *Interruptum Tigrim*] Plin. lib. 2. cap. 103. *Subeunt terras rurſuſque redduntur, Lycus in Aſia, Eraſinus*

in Argolica, Tigris in Meſopotamia. Sorbet vero Tigrim 20. millium paſſ. cuniculus, & deinde revomit. Vide quæ de hoc, item Alpheo ac Arethuſa, ad lib. 3. cap. 26. diximus.

Ut allatum virtutum] Talis certe primo Imperii quinquennio Nero fuit, quando Seneca, in gratia tum ferventi Principis alumni, hæc ſcripſit. Lib. 1. cap. 11. De Clementia eum in hac virtute etiam ſupra Auguſtum attollit, cujus Clementiam *laſſam* potius *crudelitatem* appellat. *Hac autem eſt*, inquit, *Cæſar, clementia vera, quam tu præſtas, quæ non ſævitiæ pœnitentia cœpit; nullam habere maculam, numquam civilem ſanguinem fudiſſe.* Verum expecta paulliſper, Seneca, infinitorum civium, & tuum etiam fundet. Sed laudes iſtæ eo, opinor, ibant, ut efferum Neronis animum & crudelitati pronum retineret. Senecam enim diſcipuli indoles etiam tunc non latuit. Indicat lib. 13. Annal. Tacitus. Nam de Burrho & Seneca Imperatoriæ juventæ rectoribus: *Diverſa arte ex æquo*, inquit, *pollebant. Burrhus militaribus curis, & ſeveritate morum; Seneca præceptis eloquentiæ, & comitate honeſta: juvantes invicem, quo facilius lubricam Principis ætatem, ſi virtutem aſpernaretur, voluptatibus conceſſis retinerent.*

Ad inveſtigandum caput Nili] Sed & alia de cauſſa, ut narrat lib. 6. cap. 29. Plinius: *Cætera ſolitudines, nuper renuntiavere Principi Neroni, miſſi ab eo Prætoriani milites cum Tribuno ad explorandum, inter reliqua bella & Æthiopicum cogitanti.* Cæterum, exundatio illa Nili tam ſolemnis & æſtiva, cum cæteri fluvii, canicula & cœlo ardente ſiccari aut tenuari ſolent, multos Principes hujus cauſſæ & originis curioſos fecit. Seſoſtris enim & Philadelphus Ægypti Reges, Cambyſes Perſarum, & Alexander Macedo exploratores ad noſcitandos Nili fontes miſerunt. Julius Cæſar etiam apud Lucanum lib. 10. multa ſuper hac re cum Achoreo, ſacerdote & philoſopho Ægyptio, diſceptat.

A Rege Æthiopiæ inſtructi auxilio] Reges enim Æthiopiæ pacem tunc habebant cum Romanis, victa ſub Auguſto Regina Candace; quæ effuſa in Ægyptum, omnia ad Elephantinam urbem populata fuerat. ſed ultra Nili cataractas à P. Petronio Ægypti Præfecto in Æthiopiam ſuam repulſa, & multis ibi expugnatis oppidis & urbe regia direpta dirutaque ad pacis conditiones adacta fuit: Romano tamen Imperio non adjecti Æthiopes, ſed modum imponere, & intra Ægyptum ac Nili cataractas ſtare magnitudinem ejus placuit.

Ad immenſas paludes] Iſtæ ipſæ ſunt fortaſſe, de quibus Ant. Fernandus, Æthiopiæ diu incola: *Ad extremos*, inquit, *Provinciæ Goyama fines palus eſt fundo carens, perennes habens atque mirabiles ebullientium aquarum ſcaturigines. Hic Nilo principium eſt.* Quamquam hæc non ſatis in *limoſam & obſitam* Senecæ *paludem* cadant. Sed neque principium ibi eſſe Nili, Fernando accredo; neque tu, opinor, facies, ſi leges quæ nos lib. 5. cap. 3. art. 2. Meteorol. ſcribimus.

Non ferat] Quo aqua tamen lutoſior & denſior, eo etiam navigiorum & onerum eſt ferentior. ſed hoc vult: amplum & multorum capax navigium, lutum paludis moroſe & ægre ſulcare.

In terras ex priore recepta curſu redit] Sive vis illa aquarum ex ſubterraneo aliquo priore curſu, in terræ ſuperficiem & lucem ibi rebullit. Quidquid id eſt, Nili ibi acceſſio, non caput eſt; quod longe inde, & circa Tropicum Capricorni & finem pæne Africæ quærendum in Meteorol. oſtendimus.

Cap. IX. *Quæ ſuperſunt ſtantque*] Id eſt, ſuper quæ ſunt. *quæ*, enim accuſandi caſus eſt, flagitante ſenſu.

Componunt] Sepeliunt, & hiatu illo ſe condunt. Inter enim funebria eſt, *componendi* verbum. Horat. lib. 1. Serm. 9.

Omnes compoſui. felices. nunc ego reſto.

Id eſt, omnes cognatos ſepelivi, inquit garrulus ille. Virgilius etiam (lubet enim paulliſper hic grammaticum agere) diem morientem ait componi, hoc eſt, ſepeliri à veſpero:

Ante diem clauſo componet veſper Olympo.

Com-

Componet, id eſt, claudet, inquit Calepinus, & alii poſt eum paſſim. Non audio. uti neque Nonium hic:

— mens placida compoſtus pace quieſcit.

Æneid. 1. Compoſtus, id eſt, refectus, recreatus, inquit. Conditus & ſepultus, dicere debuit. Quidam tamen compoſitionem illam defuncti in ſola collocatione in lectulo ad elationem, in atrio domus, conſiſtere putant, ex iſto Perſii:

—— tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit. —

Sed vocabuli vis longius, & ad ſepulturam ipſam ſe extendit. Nam tumulo aliquem componi dicimus. Sic dormientes *quiete compoſitos* dixit Quinctilianus, quomodo Virgilius,

—— vino ſomnoque ſepultos.

Cap. X. *Vetuſtate ſolvantur*] Lucret. lib. 6.

Terra ſuperne tremit magnis concuſſa ruinis,
Subter ubi ingentes ſpeluncas ſubruit ætas.

Vicina concutit fluctu] Hoc quoque Lucretianum eſt:

Fit quoque, ubi magnas in aquæ vaſtaſque lacunas
Gleba vetuſtate è terra provolvitur ingens,
Ut jactetur aquæ fluctu quoque terra vacillans:
Ut vas in terra non quit conſtare, niſi humor
Deſitit in dubio fluctu jactarier intus.

Cap. XI. *Quidam ignibus quidem aſſignant*] Omnium iſti probabiliſſimi ſunt, & exemplis ac rationibus affirmavimus lib. 4. cap. ult. art. 1. & 3. Meteorol. Nulla enim loca ſæpius movent & tremunt, quam ubi montes ignivomi, & ſuppoſiti ſolo ignes.

Oppoſita diffundit] Quid ſi, *diffindit?* inquit Pincianus. Non plane abjiciam: ſed *diffundit*, retinere malim; quia vim intenſi ſpiritus, undique ſe terramque diſpergentis & diffundentis, melius exprimit.

Cap. XII. *Quamvis hiberno tempore, & inquieto*] Hieme enim & autumno plures & atrociores flatus. Autumnum tamen, quam hiemem ſolemnius incidunt terræ motus, ut lib. 4. cap. ult. art. 5. adverſus Georg. Agricolam demonſtravimus.

Raro duo flavere ſimul venti] Si enim frontibus adverſis arietent, & ore contrario reflent, validior imbecilliorem cito ſternit, aut in partem ſuam rapit.

Penes Ariſtotelem] Ita enim diſerte lib. 2. cap. 8. Meteor.

Cap. XIII. *Dulcis eloquii virum*] Quinctil lib. 10. cap. 1. *In Theophraſto tam eſt eloquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque traxiſſe dicatur.* Theophraſtus enim, divine loquentem ſonat. Ob hanc linguæ, & una vitæ ſuavitatem, Ariſtoteles moriens eum Lycei ſucceſſorem deſignavit. Vide Agellium lib. 13. cap. 5.

Straton] Is Theophraſto in Lyceo ſucceſſit: à ſcientia naturæ, cognomento Phyſicus. Ptolemæum Philadelphum Ægypti Regem diſcipulum habuit, teſte Suida.

Rurſus eruptio] Fuſcus ſenſus: quem hac interpretatiuncula illuſtro. Æſtate cum in ſubterraneis congregatus calor diſſolvitur, & rurſus in auras per dehiſcentes terræ poros fit eruptio, tunc in aëre compeſcitur frigus, & in viſcera terræ compellitur, ſucceditque calori, mox ibi futurum potentius. *Rurſus*, igitur valet, *retro ſurſum* in auras, unde calor ille deſcenderat in viſcera terræ.

Cap. XIV. *Per ſua itinera*]. Arterias, aut nervos. Per illas enim vitalis, per iſtos animalis ſpiritus diſcurrit.

Animam vocaverit] Animam hic & alii ſæpe pro ſpiritu, qui pulmones, nervos, & arterias intendit, ſumunt: cui ſimiles quodammodo ſubterranei venti. Sed vera & Chriſtiana ſententia, ſpiritus illi animæ inſtrumentum ſunt, non ipſa.

Venarum quoque] Arteriarum potius: his enim, non venis communicatur ille à corde pulſus. Vide quæ nos ad cap. ult. libri 4. num. 127. adnotavimus.

Maligne fugit] Tenuiter & parce, ut in anguſto & difficili tranſitu ſolet.

Aſia

Alia intercidit] Pincianus, *interſcindit*. Nec abnuo.

Vi ſua diducat & diſſipet] Multitudine ſcilicet ſpiritus à tergo affluentis conſtipatus, & ſubita deinde rarefactione ex illo mutuo confrictu diffuſus.

Fundamento ſpoliata] Id eſt, ipſo ſpiritu, cavernam intendente & ſuſpendente, ne concidat.

Cap. XV. *Multos illic caſus impoſuit*] Multi aditus & meatus cuniculique ſubterranei, aqua vel ſpiritu terram caſu terebrante, facti, præter eos quos Deus ſulcavit in prima elementi conformatione.

Cap. XVI. *Fiet diſſenſio*] Nicotii cod. *Fiet diſceſſio*. Rectius. alludit enim, opinor, morem pedibus in ſententias diſcedendi.

Vitali, & vegeto] Nulli tamen ſpiritus proprie vitales in terra; cum ipſa careat vita; ſed plantæ ſuccum ejus, & mortuos ſpiritus in vitales decoquunt.

Quaſdam altius trahat] Quatenus arborum radices in terram penetrent, & quomodo eum aquæ pluviæ & cœleſtis caloris illapſu congruant, explicavi lib. 5. cap. 6. art. 2. Meteorol.

Totum hoc cœlum] Aërem & quidquid corporum tranſparentium hinc ad ſidera expanſum eſt, more ſacræ Scripturæ, cœlum vocat. Hoc enim eſt, quod æther & mundi pars ſumma claudit.

Tam prope à nobis agens curſum ſol] Itane prope, qui Ptolemæi calculo diſtat mille ducentis novem terræ ſemidiametris? Sed prope tamen, ſi ſidera fixa adſpicias, quæ Alphraganus ultra vicies bis millenas ſexcentas undecim ſemidiametros à terræ ſuperficie rejicit. Idcirco igitur ſol avidius terram & aquas populatur, iiſque alitur & ſe ſuſtentat, ſi Senecæ & Stoicis credere velis.

Non poſſit autem] Nec revera poteſt. Non enim alendis unico etiam die tot ſiderum populis ſufficeret, etiamſi tota ſe in animam & auras exſpiraverit. Magis circumſpecte Ariſtoteles, qui cœlum nutriri negat ſublunaribus, ſed quintam eſſentiam quamdam eſſe affirmat, divinæ naturæ & conditionis, quæ non egeat vilibus iſtis alimentis.

Ad tempus quidem] Aliquid hic mutilum, aut turbatum. Hoc ſine dubio dicere voluit. Aliquid è cœlo & aëre relabi, & rurſus in terram redire, unde reparentur ac renaſcantur quædam ejus partes, quæ iterum in alimenta ſiderum exhalentur. atque ita (ſed fruſtra) expedire conatur, quomodo terra tantilla ſufficere poſſit cottidianis diſpendiis. Hunc ſenſum ferme repræſentabis, ſi pro, *naſcitur*, repoſueris, *renaſcitur*.

Vagatione gaudens] Scripta omnia exemplaria, Opſopœo teſte, legunt, *agitatione gaudens*. quod non paullo melius.

Cap. XVII. *Inde ventus*] Idem accidiſſe terræ motu circa Herculeam in Ponto, ſuo tempore fatetur Ariſtoteles lib. 2. cap. 8. Meteor. *Intumuit terra*, inquit, *& aſſurrexit cum ſonitu inſtar collis, ac tumore tandem rupto, ſpiritum favilla & cinere mixtum efflavit.*

Cap. XVIII. *Solicitat*] Solo, ſive loco movet, ut alibi ante notavi: etſi geminata tertia littera, ſæpe ſcribatur, *ſollicitat*. Hinc Suetonius Galbæ cap. 5. *ſolicitari*, pro permoveri ad conſenſum, ſeu perſuaderi, poſuit. *Amiſſa uxore Lepida, duobuſque ex ea filiis, remanſit in cælibatu, neque ſolicitari ulla conditione amplius potuit.*

Raritate facta] Apertis illa concuſſione terræ venis.

Laxamentum ſibi parat] Locum hunc, tamquam deſperatæ ſalutis, depono, inquit Opſopœus, tollat qui novit. Ego vero non intelligo cauſſam tantæ deſperationis, cum ne in morbo quidem cubare exiſtimem. Hoc ergo vult & dicit Seneca. Spiritus per minimos terræ poros ac venulas transfuſus ac inſinuatus, ruptis venarum parietibus locum laxiorem capacioremque ſibi facit: quo poſtquam multus confluxit, ibi compreſſus, incitatus, ac tandem rarefactus, clauſtra ſua initio jactat, & tandem diſſipat ac diſſtringit.

Omnis in fuga ventus eſt] Fuga enim iſta & motus eſſentiam venti ingreditur. veluti enim non quævis aqua (non enim in lacu ſtagnans) flumen eſt, ſed quæ fluit, & per alveum delabitur; ſic non qualibet exhalatio, ſed quæ in motu

motu & fluxu, ventus eſt. Ventus quippe aërium flumen eſt. Si non credis, vide quæ nos lib. 4. cap. 3. Meteor. ſcripſimus, fortean accredes.

Qua ſuo vigore tenebat] Spiritu enim intento ſuſtinentur nervi, arteriæ, venæ, & totum corpus, ne flacceſcat, & oneri ſuo ſuccumbat.

Cap. XIX. *Sub terra pendentium vaſtitas*] Alii, *pandentium*. Male, ut recte notat Gruterus. Nam & Virgil. Æneid. 1.

Fronte ſub adverſa ſcopulis pendentibus antrum.

Simul] Ita ſæpe ſimpliciter & eleganter, pro, *ſimulac*, aut *ſimul atque*. Horat. lib. 3. Od. 27.

Qua ſimul centum tetigit potentem
Oppidis Creten. ———

Cap. XX. *Fulmini ſimilis*] Oſtendi hoc lib. 4. cap. ult. art. 1. & 4. Meteorol. Spiritus enim iſte fulmineus, igne ſubterraneo exhalatus, fere unica eſt cauſſa terræ motus. Et vere ſtatim Epicurus. *Nullam illi* (Epicuro) *placet cauſſam motus eſſe majorem, quam ſpiritum:* & Seneca ipſe mox conſentit.

Cap. XXI. *Quo nihil eſt in rerum natura potentius*] Affirmant hoc ſtrages, quas flamma & ſpiritus pulveris nitroſi in tormentis noſtris fulminalibus, & cuniculis militaribus edit.

Theraſiam noſtra ætatis inſulam] Quomodo poteſt, cum Plinius lib. 2. cap. 87. Theram & Theraſiam, Olympiadis 135. anno IV. tam dudum ſcilicet ante ætatem Senecæ, inter Cyclades enatas affirmet? Strabo etiam Seneca aliquanto vetuſtior, lib. 1. Geograph. inter Theram & Theraſiam, novam inſulam ſpiritu ſuccolante evectam narrat, quam lib. 2. cap. 26. num. 3. eam eſſe cenſuimus, quam ibi Seneca, *majorum* (non ſua) *memoria, in Ægæo mari ſurrexiſſe* dicit. Unde M. Ant. Muretus hunc Senecæ locum ſic reſcribit: *Inter Theram & Theraſiam, hanc noſtra ætatis inſulam*, &c. nempe ut iſta ſuæ ætatis inſula, non Theraſia, ſed Thia ſit, de qua Plinius lib. 2. cap. 87. *Ab ea* (inſula Hiera inter Theram & Theraſiam) *duobus ſtadiis poſt annos* C X. *in noſtro ævo, M. Junio Silano, L. Balbo Coſſ. ad 8. Id. Julias, Thia enata.* Sed novitiam hanc ſuæ ætatis inſulam, quia fortaſſe nomine adhuc carebat, Theraſiam à vetuſtiore illa & vicina Theraſia, Seneca videtur appellaſſe, quæ deinde Thia dicta fuit. Vide quæ lib. 2. cap. 26. commentati ſumus.

Duo genera ſunt] Ariſtoteles etiam duobus eſt contentus. nos lib. 4. cap. ult. art. 2. Meteorol. ex Auctore Libri de Mundo ſeptem genera recenſuimus: Epiclinten, braſten, chaſmatian, rheCten, oſten, palmatian, & myeetian. quamquam ad tria genera revocari cetera poſſe cum Seneca diximus.

Cap. XXII. *Per vices vehiculorum*] Nicot. *per vicos:* quod reſpuit Opſopœus. *Per vices vehiculorum*, inquit, id eſt, *longo vehiculorum ordine*, ut noſter Epiſt. 90. *Nec in hunc uſum, ait, pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro gravia penderent.* Itaque nihil muto: aut ſi aliquid debet, voce una immiſſa legam: *Si quando magna onera per vices vehiculorum plurium ordine tracta ſunt.*

Terram concuti ſenties] Lucret. lib 6.

Terra ſuperne tremit magnis concuſſa ruinis
Subter, ubi ingentes ſpeluncas ſubruit ætas.
Et merito, quoniam plauſtris concuſſa tremiſcunt
Tecta viam propter non magno pondere tota.
Nec minus exultant, ubi currus fortis equum vis
Ferratos utrimque rotarum ſuccutit orbes.

Succutit] Hoc à Pinciano eſt: manu ſcripti, *cum ſonitu venit.* Unde concinnandus integer Virgilii verſ. Æneid. 8.

Cum ſonitu venit, & ruere omnia viſa repente.

Cap. XXIII. *Nobile ingenium*] Hic Calliſthenes Ariſtotelis conſobrinus & diſcipulus fuit. philoſophus & orator extemporalis diſertiſſimus: in quo tamen aliquando Ariſtoteles judicium deſiderare ſe dixit. Conjectus ab Alexandro in vincula, in quibus paullo poſt morbo pediculari interiit, ut Chares

tes apud Plutarchum ſcribit. Aliter lib. 8. Curtius! *Calliſthenes tortus interiit, initi conſilii in caput regis innoxius: ſed haudquaquam aulæ & aſſentantium accommodatus ingenio.* Linguæ enim, quam pro aula, liberioris erat; nec vitia & adorationem illam, qua Alexander, ceu numen, coli volebat, pari ſilentio potuit. Non ergo inter conſpiratores, etſi id prætenderetur, fuit: & apud Alexandrum excuſavit Hermolaus, de ſe non diffitens, & mori certus.

Alexandri crimen æternum] Animoſe, vere tamen, & pro philoſopho philoſophus Seneca. Et fatetur profecto Curtius, *nullius cædem, majorem apud Græcos Alexandro excitaſſe invidiam.*

Helice Buriſque merſæ ſunt] Urbes Achaiæ erant, iſta clade apud poſteros nobiliſſimæ. De iis Ovid. 15. Metamorphoſ.

Si quæris Helicen & Burin, Achaidas urbes,
Invenies ſub aquis; & adhuc oſtendere nautæ
Inclinata ſolent cum mœnibus oppida merſis.

Buris terræ hiatu abſorpta, Helice fluctibus proluta, ut Strabo lib. 1. narrat. Helicen amplam fuiſſe indicat Homerus, qui Iliad. β. εὐρεῖαν, *ſpatioſam* eam vocat.

Frequentiſſime mari oppoſita vexantur] Hoc à præceptore & conſobrino Ariſtotele didicit Calliſthenes. Ille enim lib. 2. cap. 8. Meteor. idcirco terram littoralem Helleſponti, Achaiæ, Siciliæ, Eubœæ, maxime terræ motu tentari dicit; quia, opinor, fluctus plangens & identidem flagellans littora, terram perforat, cuniculoſque ducit, & ſpirituum terræ moventium receptacula concinnat: deinde etiam ſpiritum ipſum illac exiturientem in ſubterranea repellit, & alio itinere exitum quærere cogit.

Ἐννοσίγαιον] *Terra quaſſatorem.* Ab eadem mente, σεισίχθων, *terra motor*, dicitur. Quia vero Romani veteres incertum habebant, ſpirituſne, an aquæ ſubterraneæ fluctus, terram concuteret, ideo *ubi terram moviſſe ſenſerant, & ferias ejus rei cauſſa edicto imperabant, Dei nomen, ita uti ſolet, cui ſervari inferias oporteret, ſtatuere & edicere quieſcebant, ne alium pro alio nominando, falſa religione populum alligarent*, ait Agell. lib. 2. cap. 28.

Cap. XXIV. *Hoc incredibile eſt*] Spiritum nempe per ſummam terræ cutem, perque tenuiſſimos poros in viſcera terræ penetrare. Falſo tamen. nam & cutis noſtra, præſertim calore æſtatis relaxata, ſpiritum extrinſecus admittit, quidquid Seneca hic reſiſtet. Terra etiam æſtivo fervore reſoluta ſpiritus ſubterraneos undique exſpirat.

Niſi per quem trahitur] Per aſperam arteriam, in pulmones & thoracem.

Ab imo] Idcirco lib. 4. cap ult. art. 1. Meteorol. oſtendi principem terræ motus cauſſam non eſſe ſpiritus terræ cavitatibus ſuperne infuſos, ſed ignibus ſubterraneis exhalantes.

Cum frigore inhorruimus] Aëre ſcilicet gelido intra viſcera per dehiſcentes poros inſinuante. Hinc ſæpe horror talis ab effuſa urina nos concutit: quod aër viſcerum calefactus in veſicam metu vacui influens, alium frigidum extrinſecus corpus ambientem in locum ſuum attrahat.

Atalantam inſulam] Illam ſitam in Opuntiis, quam terræ motus ab Eubœa avulſit, ut lib. 2. cap. 88. ſcribit Plinius. Eſt alia ejuſdem nominis, quæ Atticæ adſidet.

Idem Sidoni] Strabo lib. 1. *In Phœnice facto terræ motu, oppidum ſuper Sidonem ſitum, abſorptum fuiſſe, Poſidonius auctor eſt, & Sidonis mediætatem ferme corruiſſe.*

Cap. XXV. *Oſſam Olympo cohæſiſſe*] Terræ itidem motu Siciliam ablatam Italiæ, Cyprum Syriæ, Eubœam Bœotiæ, aliaſque aliis, Plinius lib 2. cap. 88. & fama vulgavit. Ovid. 15. Metamorph.

——— *Zancle quoque juncta fuiſſe*
Dicitur Italiæ, donec confinia pontus
Abſtulit & media tellurem reppulit unda.

Alii verius terræ tremore diſcidium factum credunt; veluti etiam Zelandiam à noſtra Flandria, Britanniam à Gallia receſſiſſe.

Digitized by Google

Exiguæ partes laborant] Superpoſitæ ſcilicet, aut vicinæ illis ſpecubus.

Per ducenta milliaria] Id eſt, per 67. fere leucas Belgicas. Sed Seneca lib. 4. cap. ult. art. 4. Meteorol. à me rejectus. Ubi oſtendi, ad CCC. leucas quandoque, & nuper anno CIↃ. IↃCI. ab Aſia per Hungariam, Germaniam, Italiam, Galliam uſque ad Oceanum, momento pæne temporis cucurriſſe.

Qui implevit fabulis urbem] Quique Pompeios evertit: de quo, hujus libri initio.

Cum laboravit Ægium] Ita recte à Pinciano reſtitutum. Ægium urbs eſt Peloponneſi, non procul à Patris.

Quantum illa ſub terris] Lib. 4. cap. ult. art. 4. Meteorol. demonſtravi, inanem ſub terra ſpecum maximas in ſuperficie terræ regiones poſſe ſuſtinere, modo ille valde ſit profundus, & ſic Europam etiam univerſam poſſe concuti.

Cap. XXVI. *Ex limo tota concreverit*] Sic enim ſubterranea omnia pleniora, & ſine ſpirituum terræ moventium receptaculis eſſe oportet. Talis etiam fortaſſe cauſſa Belgium noſtrum, præſertim Hollandiam, Brabantiam, & vicinas Provincias ſatis tutas præſtat. Ab æſtu enim etiam oblimante increviſſe, lib. 4. cap. ult. art. 3. Meteorol. probabile fecimus. Quod & arbores illæ ſubterraneæ in Brabantiæ Campania affirmare poſſunt, quæ ſtantes adhuc, aut ab Africo (acri hic & in totum quandoque annum pertinace vento) in Caciam procumbentes aut pronæ effodiuntur. Vento enim familiari in eam partem inclinatæ videntur, deinde ruptis aggeribus, mari tam diu inundatæ, donec reſiduo limo ſepelirentur, & terra aggeſtione illa altius ſurgeret, quam ut poſſet amplius tumente æſtu ablui.

Si Homero fides eſt] Odyſſ. 4. narrat Menelaus Telemacho de diſtantia Phari ab Ægypto:

Τόσσον ἄνευθ' ὅσσον τε πανημερίη
γλαφυρὴ νηῦς
Ἤνυσεν, ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν:

Tantum diſtans, quantum toto die cava
navis
Confecerit, cui ventus ſecundus adſpirat
à puppi.

Homero ſane fidem habet Plinius lib. 2. cap. 85. Et Ovid. 15. Metamorph.

Fluctibus ambitæ fuerant Antiſſa,
Pharoſque,
Et Phœniſſa Tyros, quarum nunc in-
ſula nulla eſt.

Sed Strabo lib. 1. Homero non credit: ſed cum exaggerationes terrarum, inquit, alibi factas poeta intellexiſſet, fabulamenti gratia, majus inter Pharum & Ægypti continentem tempore Menelai intervallum quam ſuo, fuiſſe finxit. Brodæus etiam lib. 3. cap. 5. Miſcellan. Homerum ridet. Navis enim ſecundo flatu, una hora octo millia paſſ. facile emetiri valet. *Sed nos remiſſius*, inquit, *cum poëta agamus, ac ſex tantum millia paſſ. numeremus. Quatuor igitur & viginti horis, qui eſt diei & noctis curſus*, 144. *millia paſſ. ambulat navis Homerica: quo ſpatio Pharus à Nilo aberat. Nunc quæro, qui fieri poteſt, ut à capto Ilio ad Alexandriam conditam, id eſt*, M. *plus minus annis, totum illud ſpatium limo Nilus congeſſerit, ab Alexandri vero obitu ad hanc noſtram ætatem, id eſt*, M.DCCC. *circiter annis, ne jugerum quidem ſoli invexerit?* Quid adverſus iſta regeri poſſit, nil ſolide circumſpicio: niſi fortaſſe moles olim ante Alexandrum in mare jactas, quæ Pharo Ægyptum admoverent, & oblimationem Nili intra annos illos adjuverint. Nam alias profecto limus cum Nilo in mare evolutus, non tam facile ſolus ſtare, & firmari poteſt, fluctu & tempeſtatibus toties jactatus.

Semper ultra tulit] Promovit verſus Pharum. Unde acceſſionem iſtam Ægypto, non inſulæ Pharo, factam ſignificat.

Sed movetur & Ægyptus] Moviſſe enim ſane, poſt tempora tamen Senecæ, ſcribit Agathias, cum Alexandriæ in ſtudiis ageret.

Quam Virgilius ſtare juſſit] Delos clariſſima Cycladum olim fluctuaſſe & nataſſe more navigii, ac tandem ab Apol.

Digitized by

Apolline (qui in ea cum ſorore Diana ex Latona natus) firmata; & juſſa conſiſtere ac contemnere ventos, à poëta dicitur. Ut autem non rem factam, ſed fabulam eſſe ſignificet, lepide à Virgilio, non ab Apolline, juſſam ſtare dixit. De ea Plinius lib. 4. cap. 12. *Ipſa longe clariſſima, Cycladum media, templo Apollinis & mercatu celebrata Delos, diu fluctuata (ut proditur) ſola motum terræ non ſenſit ad M. Varronis ætatem. Mutianus prodidit bis concuſſam. Hanc Ariſtoteles ita appellatam prodidit, quoniam repente apparuerit enata.* Nempe ἀπὸ τοῦ δηλοῦ, quod *apparens* ſignificat.

Credula natio] Libenter enim, exercendo ingenio, fabuloſa quandoque & incredibilia pro veris factiſque arripiunt, ut ingenioſe cauſſas inveſtigent. Lepidum exemplum de Democrito, qui circa radices arboris cauſſam inſolitæ dulcedinis olivarum quærit, quas in olla forte melle adhuc uncta ancilla poſuerat; neque ancillæ credere vult, eum ſaporem mellis eſſe, ne meditationis & quæſtionis illius dulcedinem amittat. apud Plutarch. lib. 1. q. ult. Sympoſ.

Auctore Pindaro] Qui poëta & fidei levis, quales veritatem ubique fabellis ſolent adulterare.

Columna ignis immenſi] Ariſtoteles Cometem fuiſſe dicit. Vide hunc noſtrum lib. 7 cap. 5.

Quæ dent deprehenſo aëri reditum] Hac etiam de cauſſa Leodium in Belgio, tot venis carbonariis ſubaratum, vix umquam tremere docui, lib. 4. cap. ult. art. 3. Meteorol.

Certioris ſoli] Firmioris, & minus tremoribus obnoxii.

Falſa hæc eſſe] In parte, fateor, non in totum, Seneca. Ariſtoteles enim & experientia dicunt, littora, quàm partes mediterraneas, ſæpius concuti, quia fiſtuloſa, & ſinuoſis anguſtiſque ſpirituum conceptaculis plena. Ubi vero, ut in Delo & aliubi, hiantes aut laxæ ſolo ſubſunt inanitates, ſpiritus liberius meat, raroque arietat & ſollicitat terram.

Cap. XXVII. *Timore accidiſſe*] Bruta enim non ſolent ſic timoris ejuſmodi cauſſas apprehendere, ut exanimentur.

Peſtilentiam fieri] Dixi lib. 4. cap. ult. art. 7. Meteorol.

Antequam ut ab homine] Homo enim caput à terra elevatum habet, & medio inter terram & os ejus intervallo exhalatio ſuperficie terræ ebulliens, per aërem ſincerum diſpergitur, ne tam denſa & conferta ori ejus inſpiretur. Ad hæc, oves in terram deſpiciunt, & ſpiritum inferne, homines ſuperne aut ex tranſverſo in pulmones attrahunt; ideoque puriori fruuntur.

XXVIII. *Pluribus Italiæ locis*] Talis Avernus in Campania, & Charoniæ ſcrobes in agro Puteolano.

Aves quoque] Avernum adſpicit. De quo Poëta lib. 6. Æneid.

Quem ſuper haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis. ——

Hinc ibi ab eo poſitum limen inferorum.

Deſpectantia] Qualia bruta, ore prono & deſpectante in terram.

Laxitas cæli] Aëris. more etiam ſacræ Scripturæ, cum volucres aëris, *volatilia cœli* appellat.

Cap. XXIX. *Attonitiſque ſimiles*] Qui attoniti lib. 2. cap. 27. diximus.

Sine aliqua jactura ſanitatis expavit] Timor enim ſanguinem & ſpiritum ad interiora revocat, ait Galenus; unde aliqui ſubito timore extincti & ſuffocati ſunt, univerſo ſanguine ad ſuum principium revocato. Aliis, ſi non mortem, ſenectutem & canitiem creat derepente metus. *Subducto namque à pilis alimento calveſcimus, vitiato canities ſubit*, ait Jul. Scaliger Exercit. 312. *nempe refrigerato ſuccedit humor non naturalis. Hiſtoria vero noſtra tempeſtatis eſt ſub Franciſco Gonzaga Mantuæ Principe. Is affinem ſuum ſuſpectum conjurationis cum in turri portæ Cæſareæ ad quæſtionem aut ſupplicium ſervari juſſiſſet, nunciatum eſt mane, totum repente canum factum. Quod quaſi prodigium flexit Principis animum, qui ei propterea & veniæ & vitæ fecit gratiam.*

Erravere lymphatici] Sine mente, & furo-

furore perciti. Feſtus: *Lymphæ dicti ſunt à Nymphis. vulgo autem memoria proditum eſt: quicumque ſpeciem quamdam è fonte, id eſt, effigiem Nymphæ viderint, furendi non facere finem, quos Græci νυμφολήπτους vocant, Latini lymphaticos appellant.* Alios quoſdam dicebant Faunis agitari. Plinius lib. 30. cap. 10. *Magi tradunt lymphatos, ſanguinis talpæ aſperſu reſipiſcere, eos vero qui à nocturnis Diis Fauniſque agitentur, draconis lingua, & oculis,* &c. Iſidorus à rabido cane morſos etiam lymphaticos vocat, quia lympham ſive aquam metuunt. unde morbus iſte ὑδροφοβία appellatur. Plautus in Pœnulo, lymphaticos nummos dicit qui crumena exire inſaniunt. Imitantur prodigi in Gallia, cum aiunt: *Mon argent eſt enragé.*

Exempla vaticinantium invenies] Plinius nepos, de illo terræ motu ſub Tito, cum Veſuvius mons arſit, & Plinius major, ejus avunculus cinere extinctus eſt, Epiſt. ad Tacitum: *Tremor terræ perſeverabat, & plerique lymphati terrificis vaticinationibus & ſua & aliena mala ludificabantur.* De lymphaticorum, & melancholicorum vaticiniis, vide ſi lubet Schenckium lib. 1. Obſervat. medicinal.

Concitata eſt ex ſe] Nam mundum eſſe animal, quod ſe à ſe moveat & concitet, perperam Stoici credunt.

Ut ex toto] Pars enim mundi ab anima totius excitata magnas habet vires, ut brachium hominis niſu totius animæ ſe movens. Ad hanc enim aut ſimilem comparationem reſpicit.

Rejecta eſt] Nicotii cod. *reſicta eſt*. Veriſſima lectio, exclamat Gruterus: & alluſum ad Siciliæ etymon. Sicilia enim quaſi Sicilita, id eſt, reſecta. Nam *ſicilio* apud Caſcos reſeco ſignificat.

Aliquando autem] Ego, *aliquanto*, præteram *aliquantulum*, cum Eraſmo.

Deductis ædificiis angulis] Vide, ſi lubet, quæ de talibus exemplis nos lib. 4. cap. ult. art. 2. & 9. Meteorol.

Non erat impelli] Vox, *neceſſe*, aut alia ſimilis videtur excidiſſe. Vult enim non fuiſſe neceſſe vi magna impelli ad cadendum, ſed ſuffeciſſe leviter agitari quæ jam ante majore motu quaſſa & debilitata erant.

Spiritus omnis exciderat] Alii, *exierat*: quod paullo melius.

Oberrabat] In ſpecubus ſubterraneis.

Cap. XXXI. *Vehementius exitum*] Pincianus, *vehementiſſimus*; ego, *vehementior*, reſcribo.

Pavimento recedente] Teſſellis tremore ſoli laxatis & ſe diducentibus.

Molles materias mollius] Gruterus reſcribit, *macerias mollius crebriuſque tremere, quam quæ natura dura ſunt.* Sed vulgata lectio proba adæque.

Cap. XXXII. *Fortiores fieri, quam doctiores*] Vere, & à non Chriſtiano Chriſtiane. Virtutes enim quæ moderantur affectus pluris eſſe nobis debent, quàm naturales & omnes humanæ ſcientiæ.

Mors provocanda eſt] Ultro laceſſenda, non ſolum exſpectanda donec feriat: quia minime terribilis, & vitam tantum, id eſt, rem non magnam à nobis petit.

In primis ſuum] Id eſt, licet cœlum ignibus ſuis ardeat. Et alludit, opinor, Stoicam, imo Chriſtianam ἐκπύρωσιν, & ultimam illam cœlorum & mundi conflagrationem: de qua ante lib. 3. cap. 29. Nat. Et alibi conſolans ſuam Marciam cap. ult. *Cum tempus advenerit, quo ſe renovaturus mundus extinguat, viribus iſta ſuis ſe cædent, & ſidera ſideribus incurrent, & omni flagrante materia, uno igne, quidquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit.*

Stabit ſuper illam voraginem intrepidus] Magnifice hæc & tumide jactata à Stoicis de ſuo Sapiente, quem omnibus animi perturbationibus conantur exuere. Motus tamen primo primos (ut noſtri Theologi vocant) nequaquam poſſunt. Fatetur noſter Epiſt. 57. *Quædam ſunt,* inquit, *quæ nulla virtus effugere poteſt. Itaque & vultum adducet ad triſtitiam, & inhorreſcet ad ſubita, & caligabit ſi vaſtam altitudinem in crepidine conſtitutus deſpexerit.*

Non

Non eſt hic timor; ſed naturalis affectio inexpugnabilis rationi. Vide etiam excuſationem aliquem Stoici, cum aliorum riſu in tempeſtate expalleſcentis, apud Agell. lib. 19. cap. 1.

Ipſis deus de felicitate] Stoicum enim paradoxon eſt, *Sapientem eſſe Deo parem.* Noſter Epiſt. 59. *Sapiens cum Diis ex pari vivit.* Et æque ſuperbe, ante Chryſippus, apud Stobæum: *Nulla parte,* ait, *meliorem & auguſtiorem, optabilioremque Jovis felicitatem hac humana* (Sapientis) *eſſe.* Nimis grandia, ſuperba, ac impia hæc ſunt; damnatque palam lib. 3. Diſſert. 14. Manuduct. noſter Lipſius, qui alias tam propitius volenſque Stoicis, ubi Chriſtiana religio veniam facit.

In expedito habenda] Paratam habere oportet, ad abjiciendum illico, ubi mors repetet.

Rerum natura te] Deus, quem naturam communem, & πῦρ τεχνικὸν, *ignem artificem,* appellabant. Vide Lipſium lib. 1. Diſſert. 6. Phyſiologiæ.

Locus melior] Lunæ cœlum. Eo enim ſapientum animas ſubvolare Stoici exiſtimabant; vulgarium autem circa terram vagari, donec à ſapientibus doctæ & vitiis expurgatæ, eodem ſubirent. Hæc & plura illorum inſipientium ſapientum ſomnia vide apud Lipſium lib. 3. Diſſert. 14. Phyſiol.

Arma contraria] Potius, *contrarie* ex Fortunati, Nicot. Mem. Grut. codicibus.

Helicen Burinque] Vide quæ lib. iſto cap. 24. de inſulis illis adnotavimus.

Humiles facit] Puſillanimos. quales inter omnes philoſophos maxime Epicurei, qui memoriam mortis ita horrebant, ut ad has voces, Ἀπόλωλε, οὐκ ἔστι, *periit, eſſe deſiit,* ſanguinem & vocem amitterent, ut de iis ſcribit libro contra Epicurum Plutarchus. Nam τοῦ θανάτου τὸ πρόσωπον, ὡς φοβερὸν, καὶ σκυθρωπὸν, καὶ σκοτεινὸν, ἅπαντες ὑποδειμαίνουσι, *faciem mortis, tamquam formidabilem, triſtem, & obſcuram, omnes trepidant,* inquit idem. Sic ſolent, qui hujus vitæ miſeræ voluptates in ſummo aut magno bono ponunt.

Cui parcit] Quam non aufert, & exanimat.

Omnia iſta dilatat] Majora vero apparere facit. metus enim omnia in majus auget.

In puncto fugientis temporis] Momento: quod ſolum eſt præſens. nam præteritum jam fugit, futurum nondum venit.

Lælius ille ſapiens] Sic cognominatus, quod cum in Gracchorum ſeditione plebi favere cœpiſſet, videretque imminentem tempeſtatem nobilitatis, ſapienter deſtiterit, ut ſcribit Plutarchus in Gracchis.

Quos non habes] Quia annos habere, eſt non habere. & elapſos eſſe.

Incomprehenſibilis vitæ conditionem] Quæ comprehendi & teneri à nobis non poteſt, cum ſemper ſit in fuga.

Omiſſos] Otioſos, remiſſos, & inutiles, in quibus nil dignum homine egimus. In quo ſignificatu vox illa aliquoties mihi lecta apud Terentium. Sic fere Suet. in Othone cap. 6. *Laxato calceo reſtitit, donec omiſſa mora ſuccollatus,* &c. id eſt, remiſſa & penitus rejecta.

Mors tributum officiumque mortalium] Tertull. lib. de Anima cap. 50. *Publica totius generis humani ſententia mortem naturæ debitum pronunciamus.* Negabat tamen Epicurus, *negans debitum iſtud ad nos pertinere,* ut ibidem Tertullianus: quia nempe nemo qui non eſt, tributum & debitum ſolvere poteſt. Nullam vero noſtri partem à funere ſuperſtitem credebat infelix Epicurus.

Remedium eſt] Probis, mi Seneca; improbis vero initium ſempiternorum malorum.

Optabit illam] Senex jam forte & fractis viribus, cui vita invita: vel ſane, metu ejus agitatus & pæne exanimatus. talibus enim ſæpe metus mortis eſt gravior ipſa.

Effice illam tibi cogitatione] O ſalutare monitum, & ſæpe in ſacris etiam Litteris inculcatum! Noſter iterum Epiſt. 24. & 54. quamquam quædam ibi

miſceat non ex vero. Ait enim mortem non metuendam; quia *nihil refert, utrum non incipias, an deſinas: utriuſque rei hic eſt effectus, non eſſe.* Peſſime. quaſi ſunus omnem noſtri partem aboleat, aut tam ſimus aliquando futuri nihil, quam fuimus antequam eſſemus. Error enim Stoæ eſt: Animas quidem corpori ſuperſtites, ſed non æternas eſſe. nam generali ecpyroſi, ſeu igne conflagrationis, arſuras & conſumendas perperam credunt.

LIBER SEPTIMUS.

Cap. I. N*iſi laborantem*] Ita Virgil. lunæ deliquium, *laborem* vocavit.

Defectus ſolis varios, lunaque labores.

Et paſſim lunam delinquentem, *laborare* dicunt: quia lunam in eclipſi magicis carminibus cœlo diripi, vimque pati ac laborare credebant. Fabula nata, ut notat Plutarchus, ab Aglaonice nobili fœmina Theſſala, quæ aſtrologiam docta, prævidens lunæ eclipſim, carmina quædam obmurmurans, ſuis perſuaſit, lunam ſe cœlo deducere. Hinc æra in ejus deliquio pulſata, quaſi crepitu diſſono contra veneficia auxiliarentur, ait lib. 2. cap. 12. Plinius. Unde Juven.

Æra auxiliaria lunæ, dixit. Et Sat. 6. de fœmina,

——— *quæ docta nimis cupit & facunda videri*, ait:

——— *Verborum tanta cadit vis,*
Tot pariter pelves, & tintinnabula dicas
Pulſari. jam nemo tubas atque æra fatiget.
Una laboranti poterit ſuccurrere lunæ.

Interlunio vero, etſi lateat, *laborare non creditur*, ut lib. 2. cap. 9. Plinius fatetur: quia nempe extincta non eſt, cum lumen in facie obverſa ſoli ſervet. Sol autem in eclipſi ſua numquam laborat, quia lux ejus (licet objectu lunæ intercepta ne luceat) incolumis manet. Semel tamen Lucan. lib. 7. defectum ejus, *laborem* dixit; ſed cum lucem ſolis rapi & extingui, lunari ritu, optaret, ne cædem Pharſalicam & fugam Magni videret.

——— *Currumque polo rapiente retorſit,*
Defectuſque pati voluit, raptaque labores
Lucis. ———

Urbes conclamant] Clamoribus enim & tinnitu diſſono æris putabant, uti jam dixi, laboranti auxiliari.

Superſtitione vana trepidat] In hac olim ſuperſtitione dux Athenienſium Nicias, magno ipſorum malo. Cum enim cum quadraginta Athenienſium millibus Sicilia profugere pararet, & luna forte in procinctu defeciſſet, victus ſuperſtitione non auſus eſt anchoras levare: neque ſolum tres dies (quod antiquæ ſuperſtitionis leges in tali eventu præſcribunt) ſed alteram lunam exſpectandam cenſuit, donec à Syracuſanis circumventus, ſe omnemque Athenienſium remp. perdidit.

Ut ita dicam] Gradus audacter vocat, Seneca: nam per eos gradatim & ſcanſim ſol per eclipticam graditur & ſcandit ab occaſu verſus ortum. Imitatione Senecæ paſſim jam aſtrologi *gradus* appellant, quos tamen quidam religioſiores, malunt *partes*,

Quot dies] Pauciores tamen aliquanto gradus, quam dies ſunt. Hi enim circa totum annum CCCLXV. & pluſculum quod abundat, ut quarto quoque anno accumulet diem intercalarem; gradus tamen ſoli CCCLX. numerantur. Unde ſol non toto gradu quotidie reciprocat per eclipticam.

A ſolſtitio] Æſtivo, quod Latini ſimpliciter ſolſtitium; nam hibernum, brumam vocant. Vide quæ lib. 5. cap. 16. num. 47. notavimus.

Dat ſpatium noctibus] Spatioſiores & longiores facit, dum dies contrahit.

Sidera abſcondis] Interdiu: dum luculas eorum luce majori obruit, & velut flumine inundat.

Nec obſcurat] Telluris interjectu. alias tellus potius quam ſol lunam in deliquio obſcurat.

Flamma contracta] Flammæ raræ nodus quidam & vertex. quod affirmare

mare debent, qui ſidera levitate ſua ætheri liquido innatare cenſent.

Per igneos tractus labentia] Per liquentem & ignitum æthera circa mundum volantia, & ab igne illo, ac motu inſuper attrictuque flammam aut lucem rapientia.

Magni fuere viri] Anaxagoras, qui ſolem, lapidem flammatum dixit, ideoque in carcerem ab Athenienſibus conjectus; unde ab amico Pericle vix ereptus.

Turbine ſuo diſſipaſſet] Impetu illo, & gyratione rapida.

Cap. II. *Longius exeant*] In barbam, caudam, aut comas.

Menſibus ſenis] Nam infra cap. 12. longiſſimam Cometarum durationem menſibus ſenis definit.

Utrum mundus] Cœlum. Pythagoras enim, teſte Laërtio, primus cœlum *κόσμον, mundum*, ab ornatu appellavit. Et Galenus conſentienter: Πυθαγόρας πρῶτος ὠνόμασε τὴν τῶν ὅλων περιοχὴν κόσμον: *Pythagoras primus hunc univerſorum ambitum appellavit mundum.* Et vere ac proprie cœlum mundus, ab illo ſiderum, ceu gemmarum collucentium tam admirabili ornatu: cujus comparatione terra & elementa immunda & deformia. Latius deinde vox ſparſa, ut non tantum *univerſi ambitum*, ſed totum univerſum cum elementis cœlo ambitis comprehenderet.

Terra vertatur] Eam verti Pythagoras, Ariſtarchus, Philolaus, Hicetas, Seleucus, Cleanthes, Ecphantus olim exiſtimaverunt, & ſæculo elapſo, Nic. Copernicus. Philoſophiam iſtam hodie Samiam appellitant; quia Pythagoras, Ariſtarchus, & plerique in ea, Samii fuerunt. Theophraſtus Platonem jam ſenem in eam etiam ſententiam libenter impelleret; quia in Timæo, inter ὄργανα χρόνου, *inſtrumenta temporis*, nominat terram: unde eam, non ſolem, per Zodiacum annuo motu, & circa ſuum centrum cottidiano, rapi ſignificat. nam nullum inſtrumentum ſine motu tempus fundere nobis poteſt; cum tempus ſit duratio motus. Verum Plutarchus in Quæſtionibus Platonicis Platonem liberat. Nec enim, inquit, Plato terram, *inſtrumentum temporis* (quod alii putant) appellat; ſed ait *animas in terram, lunam, & cætera ſua organa* (id eſt, corpora quibus pro inſtrumentis utuntur) *tempore diſpergi.* Nam alias motui terræ Pythagorico, inquit, ἀντίκειται πολλὰ τῶν ὁμολογουμένως ἀρεσκόντων τῷ ἀνδρί, *multa, ſine dubio, adverſantur quæ illi viro placuere.* Vide quæ de hoc motu terræ Pythagorico-Copernicano nuperrime in Ant-Ariſtarcho noſtro ſcripſimus.

Sed ipſos oriri] Recte correxit alicubi Lipſius, *ſed ipſos non oriri.*

Nuper in Græciam invecta] Nuper? imo, annis ante Imperium Neronis (quando hæc commentabaris, Seneca) non minus quingentis, Democritus, & ante hunc etiam Anaxagoras, de Cometis aliquid ſcriptitavit. Sed rudimenta tantum & primas lineas duxerant; vultque, opinor, exactiorem quamdam (quamquam nec adhuc hodie exactam & ultimam manum hæc diſciplina ſenſerit) obſervationem, novam & nuperam eſſe.

Cap. III. *Democritus quoque, ſubtiliſſimus antiquorum*] Hoc ab Epicuro habes Seneca: quo teſte, Democritus primus philoſophiæ naturalis fores aperuit, ut intraret (ſi Deo placet) Epicurus. Nam hic à Democrito atomos ſuas, & animæ mortalitatem accepit, & divinam providentiam è medio, id eſt, Deum ipſum ſuſtulit. Si igitur ſubtilitatem Democriti cum Platone aut Ariſtotele conferas, nullum piſtillum hebetius erit, & bubonem inter aquilas videbis. Vide, ſi lubet, quæ de ejus & Epicuri ingenio nuper in Labyrintho noſtro cap. 7. narravimus. In re tamen naturæ (id eſt fabis & piſis) callidus ſatis fuit, & primus poſt Pythagoram, teſte Plinio, magiam herbarum in Europam intulit. Cum etiam Hippocrates ejus diſcipulus lac capræ afferri juſſiſſet, de ſolo aſpectu, eſſe nigræ capræ & primiparæ, vere conjectavit. A talibus philoſophiis, vulgo non philoſophus, ſed σοφία, *ſapientia ipſa*, eſt appellatus. In divinis autem (ut de Epi-

 curo,

curo, ei ſimillimo, Cleomedes) *τῶν ἀσπαλάκων τυφλότερος, omnes talpas cæcitate anteivit.* Neque divinus ille Plato in tot ſuis voluminibus eum vel leviſſima memoriola dignum, ſed omnes univerſim ejus libros igni cremandos eſſe cenſuit.

Quæ currant] Hauddubie, *concurrant*, ſcriptum fuit. Nam Ariſtoteles lib. 1. cap. 6. Meteor. concurſum talem & cœtum plurium Planetarum in unum Cometam à Democrito aſſertum dicit, & diſſuit.

Quinque ſiderum curſibus] Errantium, ſeu Planetarum. Nam quinque Planetæ à ſole & luna diverſi, ſidera ſimpliciter aut ſtellæ ſæpe vocantur: quia ſol & luna propter excellentiam grege illo ſiderum eximi merentur. Unde jam aſtronomi, more ſacræ Scripturæ, eos luminaria appellant.

Eudoxus] Philoſophus & aſtronomus Cnidius. Hic aſtrologiam verſibus deſcripſit. Platonis diſcipulus, & Ariſtotelis condiſcipulus fuit. Amore ſiderum & cœli ſic flagravit, ut ſæpe optaret ſolis magnitudinem & pulchritudinem ex propinquo cernere, & ignibus ejus illico conflagrare inſtar Phaethontis.

Conon] Mathematicus excellens. De eo Virgilius Ecloga 3.

In medio duo ſigna, Conon: & quis fuit alter
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem?

Epigenes] Non ille Comicus, ſed Philoſophus Byzantinus.

Apollonius Myndius] Plures Philoſophi hoc nomine. hic Myndius ex Caria.

Accendi turbine quodam] De eo ipſo hoc Epigene Plutarch. lib. 3. cap 2. de Placit. *Epigenes ait Cometam eſſe πνεύματος ἀναφορὰν γεώδους, πεπυρωμένου, ſpiritus terreni & accenſi elevationem.*

Cap. IV. *Natura ventoſa & frigida*] Ptolemæus & univerſi omnes naturam & vim frigorificam tribuunt Saturno. Virgilius:

Frigida Saturni quo ſeſe ſtella receptet.

Fulminare credunt, cum frigore nubes & exhalationem in iis fulminatricem ſic adſtringit, ut flammam concipiat, & ignis ſua clauſtra diſtringat. Ventoſa etiam ejus natura creditur, quia frigore eodem halitus udos & flatulentos ita comprimit & denſat, ut refluant deorſum in ventos. A frigida etiam iſta Saturni craſi ait de eo Ptolemæus: *Facit ventre frigidos, phlegmaticos, diſtillationibus obnoxios, macilentos, invalidos, dyſentericos, tuſſientes, diffluenter expuentes, colicos, leproſos.*

Cap. V. *Mendacio*] Mendacium hic (ut quandoque etiam apud Ciceronem) pro ſimpliciter falſo accipitur, etiamſi quis ſe verum dicere exiſtimet, nec contra mentem ſuam eat. Noſter iterum infra cap. 13. *Hoc ex his quæ mentitur* (Artemidorus) *leviſſimum eſt: tota ejus narratio mundi, mendacium impudens eſt.* Et ante lib. 2. cap. 34. *Si dicas, flamma vim majorem eſſe, quam fumi, non mentieris.*

Circa terras concipitur] Turbinem pro vertice illo venti qui terram ſæpe verrit, & pulverem in orbem verſat, Seneca cepiſſe videtur (quod ex cap. etiam 9. ſequenti patet, ubi ex plurium ventorum colluctatione effici dicit) cum Epigenes hauddubie pro typhone, qui Latine etiam turbo: quem Ariſtoteles, auctor minime mendax, in nubibus etiam concipi, & indidem explodi dixit.

Editior cœli pars] Cœlum iterum pro aëre, ut alibi ante notavi. Lucret. lib. 4.

Conſtituuntur in hoc cœlo, qui dicitur aer.

Nubibus obſtiterunt] Eripientes nobis earum aſpectum. quo argumento nubibus ſuperiores, & in ſuprema regione aëris naſci convincit. Sed ſane, veluti ſtellæ & in ſumma aëris regione diſcurrere, & è nubibus inſtar nuclei è digitis, ut ait Ariſtoteles, exprimi deorſum poſſunt; cur non & faces & trabes tam citra quam ſupra nubes formari poterunt?

Super iſta velociter definit] Id eſt, inſuper, præterea. Ita etiam Interpres ſacer Luc. 24. *Et nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie.*

Ipſe ſe ſua vi rumpit] Contorta enim

cum

cum parte nubis exhalatio impetu nimio diſiluit.

Ariſtoteles ait] Lib. 1. cap. 6. Meteor. ubi *magnam Cometen* appellat, & *ab occaſu æquinoctiali* exortum.

Sparſum ignem] Comantem, & in crines, barbam, aut caudam, ut Cometæ ſolent, diſperſum. Simili & eleganti phraſi Plin. lib. 2. cap. 25. *Sparguntur aliquando & errantibus ſtellis cæteriſque crines.*

Cometa faciem] Sparſis jam comis.

Intermiſſam aut languidam] Circa extremos margines in crines & radios interciſam, ideoque raram & languidius vibrantem.

Cap. VI. *Nec locum mutant*] Quia in infima, media, aut ea parte ſupremæ regionis aëris ſunt, quæ cœli nondum ſequitur raptum. Plin. lib. 2. cap. 25. *Moventur alii* (Cometæ) *errantium modo, alii immobiles hærent.*

In unam partem] Pogonias vocat Ariſtoteles; quia non undique comantes, ſed barbam ſolam aut caudam in partem unam, eamque à ſole averſam, jaculantur. Vide quæ nos diffuſe lib. 3. cap. 4. art. 1. Meteorol.

Ætate noſtra] Prior ſub Claudio, alter ſub Nerone. De iſtis infra cap. 17.

Per anguſta eliſus] Per anguſtias nubium quibus comprimebatur, in ſupremam regionem expreſſus.

Propellere ex nitido] Ex aëris illa parte purgata, conſumptis ibi alimentis idoneis igni, in partem ſequentem, ubi flamma aliud inveniat alimentum.

In ſuperiora elevantur] Manuſcripti, *eluctantur:* quod venuſtius eſt.

Cap. VII. *Supra quam ventis ire licet*] Venti enim mediam regionem & nubium ſtationem non excedunt. Brutus ad Catonem, apud Lucan. lib. 2.

Fulminibus propior terræ ſuccenditur aër,
Imaque telluris ventos, tractuſque coruſcos
Flammarum accipiunt: nubes excedit Olympus.
Lege Deum minimas rerum diſcordia turbat,
Pacem ſumma tenent.

Deinde ſi illos] Judices aliquid præceſſiſſe: nam Seneca jam primum Epigeni reſpondere incipit. Niſi, *deinde*, non ad tempus, ſed ad locum referas: ut ſit ſenſus: *Deinde* (id eſt, ex eo loco) *ſi illos aquilo*, &c. Aut legendum juxta Fortunati, Memmii, & Nicotii cod. *aquilone deinde pellantur. Si illos aquilo*, &c. Vel hoc pacto, addita vocula: *Sed ſi illos*, &c.

Varie concurrunt] Mallem, *diſcurrunt.* aut, ut Mem. cod. *excurrerunt.*

Omnes in flexum] Oblique omnes ſub cœli fornice diſcurrunt, nullus directe à polo ad polum, aut ab ortu ad occaſum, vel retro. Vide nos, ſi libet, lib. 3. cap. 4. art. 4. Meteorol.

Quod iter non daret ventus] Quia venti non tantum in flexum & obliquum per azymutha, ſed etiam directe à mundi cardinibus ſpirant & reſpirant; ideoque Cometam quandoque in oppoſitos cardines directa linea propellerent.

Cap. VIII. *Abſcendat*] Motu nempe proprio, qui lentus, & planetarum (excepta luna, quæ velocior) æmulus. In fine tamen, ubi Cometa jam emori, aut carpi cœpit, id maxime verum: nam initio plerumque feſtini; & facile cottidie, ex aſpectu fixarum, notari poteſt, quantum per diem & noctem tranſierit.

Verticoſus] Huc illuc ſe verſans & contorquens.

Aut lunam] Pincianus mavult, *aut lumina:* id eſt, *luminaria*, ſolem ſcilicet & lunam; quomodo jam Mathematici Chriſtiani ex cap. 1. Geneſ. duo iſta majora ſidera appellant. Sed inſolens eſt (niſi forte apud poëtas) ſolem & lunam, *lumina* vocari. Itaque nihil muto. Pincianus, credo, interpolandam vulgarem lectionem ideo eſt ſuſpicatus; quod ſolem in comparationem Cometarum non afferret. Verumtamen luna ei ſolum & cæteri planetæ quinque, qui nocte viſuntur cum Cometis, fuere in oculis; de ſole, diurno ſidere, in mentem non venit.

Quinque ſidera] Planetæ diverſi à luminaribus, ut cap. 3. num. 22. hujus libri diximus.

Digitized by Google

Vertices iſti comprehendere terrena] Exhalatio vaporque in unum nodum rotati & convoluti.

Supra lunam efferrent] Pincianus iterum, *ſupra lumina*, nobis ingerit: ſed non recipimus.

Per ſuperiora labentes] Cometæ & ſidera labi dicuntur, etiamſi æquali à terra diſtantia in orbem eant, quia à meridiano in occaſum defluere & labi videntur.

Maturius corrumpitur] Quia globus ille convolutus, quo latior, eo difficilius aëra terebrat, magiſque cum obſtantibus rixatur; unde facilius diſſilit & diſſipatur.

Cap. IX. *Uni vis omnium cedit*] Sic Ariſtoteles lib. 2. cap. 6. Meteor. ait, *Contrarios ventos non poſſe ſimul ſecundum eamdem diametrum flare; cum alter eorum mature ſternatur, violentiam à validiore paſſus.*

Remittuntur omni violentia] Malim, *remittunt omnem violentiam.*

Quo celſior, eo ſolutior] Quia fortaſſe levitas materiæ, cum juxta terram & propior mundi centro, preſſius ſurſum ſcandit; quandoquidem lineæ recti motus à centro verſus circumferentiam perpetuo à ſe abeant & divaricentur.

Ab eo motu, qui univerſum trahit] Raptu ſiderum, qui ætherem unà 24. horarum ſpatio, ab ortu verſus occaſum in orbem corripit.

Terra ſolida fortiſque compages] Sed profecto Epigenes Senecæ è navi reſpondere poſſet: In hac onera (niſi forte tempeſtate jactata) ne quidem concuti, licet tumente velo & celerrimo curſu auferantur. Item tenuis aquæ ſpuma raptu fluminis delata non diſſolvitur: quod accidit, quia ſine rixa omnia fluunt in eamdem partem.

Cap. X. *Niſi ipſe quoque*] Qui enim eo tulit, ſuſtinere ibi debet, ne refluat deorſum.

Motus motu] Aſcenſus turbinis raptu ætheris ab ortu in occaſum.

Advocationem] Moram & tempus ibi conſiſtendi: phraſi Senecæ uſitata. Vide Lipſii noſtri Commentarium in cap. 10. Senec. ad Marciam. ubi ait audaciſſime hic à Seneca *advocationem* accipi pro *ſtatu & quiete.* Sed profecto audacia tali nil opus: nam pro mora & ſpatio temporis, ut ſolet alibi, poteſt & debet ſumi. Forma loquendi à foro (ubi quorum cauſſa minus inſtructa, ſolent à judice poſtulare advocationem, id eſt, ſpatium advocatos aut peritos conſulendi) ad alia longius extracta. Proprie Seneca in Apocolocyntoſi Claudii: *Procedit P. Petronius, homo Claudiana lingua diſertus, & poſtulat advocationem.*

Irrevocabilis eſt] Solum motum raptus in mente habuit; nam proprius & periodicus Planetarum quandoque revocatur & agitur retro, ut dicet cap. 25.

Sideris longi]. Ob barbæ aut caudæ ſyrma.

In columnæ modo] Lucret. lib. 6. de preſtere, qui turbo inflammatus:

Nam fit, ut interdum tamquam demiſſa columna
In mare de cœlo deſcendat. ——

Cap. XI. *In morem barba*] Ideo Ariſtoteli dictus Pogonias.

Comam ſpargunt] Hi ſunt qui propriiſſime Cometæ appellantur.

In verticem tendens] Tales Xiphiæ dicuntur. Plinius lib. 2. cap. 25. *Breviores & in mucronem faſtigiatas, Xiphias vocavere, quæ omnium ſunt palliſſimæ, & quodam gladii nitore, ac ſine ullis radiis.*

In interiora deductos] Breves & veluti circa caput accinctos.

In latera diviſos] Inſtar radiorum diſcriminatos. Memmii tamen, Nicot. & Gruteri cod. *In latera demiſſos.* quod probum magis; quia concinnius opponitur *in interiora deductis.*

Diſſipatum ignem trahentis] Plerumque nego: radii enim ſolis ſunt, non ignis, quibus ut plurimum Cometæ caput ſe crinit.

Quibuſdam antiquorum] Anaxagoræ & Democrito, ut ex Ariſtotele lib. 1. cap. 6. Meteorol. jam ante ad cap. 3. monui.

Cap. XII. *Solere autem eodem tempore*] Hoc argumentum ab Ariſtotele lib.

lib. 1. cap. 6. Meteor. ut alia pleraque cepit.

Stella ſub alterius ſtellæ veſtigium venit] Pulchre Ariſtoteles de ſuopte experimento lib. 1. cap. 6. Meteor. Αὐτοὶ ἑωράκαμεν τὸν τοῦ Διὸς ἀστέρα τῶν ἐν τοῖς Διδύμοις συνελθόντα τινὶ δὶς ἤδη καὶ ἀφανίσαντα, ἀλλ' οὐ κομήτην γενόμενον: *Ipſi jam bis vidimus ſtellam Jovis quamdam aliam in Geminis ſubiiſſe & occultaſſe, nec tamen Cometen factum.*

In ſtellis congreſſio] Meminii, Fortunat. & Nicot. cod. *digreſſio.* Quod fere præpoſuerim, inquit Gruterus: ego omnino præpono, clamante & flagitante ſenſu. Celerius, inquit, digredi oportet & à cœtu ſe expedire ſtellas tanto minores luminaribus, quæ corpore in ſpeciem breviori & circumciſiori orbiculo ſunt, ideoque una alteram citius nudat deſinitque tegere.

Senis menſibus manent] Non tam eos vitales tamen facit Plinius lib. 2. cap. 25. *Breviſſimum quo cernerentur* (Cometæ) *ſpatium ſeptem dierum annotatum eſt, longiſſimum octoginta.* Sed M. Ant. Muretus exiſtimat, *centum*, Plinio excidiſſe, ut ſcriptum ab eo fuerit *centum octoginta*, aut per numerorum notas 180. id eſt, ſeni menſes, ſive annus dimidiatus.

Quomodo ergo poteſt] Poteſt ſane. nam licet ſtella fixa, exempli cauſſa, ingenti intervallo à luna, vel Mercurio diſſideat; juncta tamen ei apparere poteſt, quia radii ejus limbum lunæ aut Mercurii ita radunt aut diſtringunt, ut hi ab uno ſidere videantur in oculum mitti. Nec refert, ingenti regione utramque ſtellam diductam eſſe; quia intervallum illud non eſt tranſverſale (quale v. g. inter ſolem & lunam in plenilunio) ſed ſecundum lineam rectam, quæ à ſtella fixa per corpus planetæ in oculum deſcendit; ideoque nos è terra ſentire intervallum non poſſumus.

Veſpertina] Crepuſcula videlicet. Et fortaſſe vox iſta textu excidit.

Alterne arcus ſolis viſitur] Ita Fortunatus emendare putavit; cum lectio vetus, *Quemadmodum arcum alterne ſol viſit.* Alia membrana apud Opſopœum, *Quemadmodum arcus aliter niſi ſole vincitur.* quomodo etiam Nicot. cod. Unde *eruant alii quod poſſunt, ego jam hoc eruo*, ait Opſopœus: *Quemadmodum arcus aliter niſi ſole viſitur.* Ego vero, ſi conjecturæ meæ res ſit, potius faciam: *Quemadmodum alterne arcus ſolis pingitur.* Dixit enim ante, crepuſculum utrumque flaveſcere, jam vero Iridem ſolarem alterne pingi: nempe aſpiciens varietatem illam & alternationem colorum quos adverſo ſole trahit.

Superiora pura & ſincera ſunt] Nulla opacitate infuſcata, quæ radium illapſum in varios colores permiſceat.

Stellis intra Signiferum] Planetis. nam fixæ alios gyros premere poſſunt.

Cap. XIII. *Innumerabiles ferri per occultum*] Nec omnino vane, ut novitia jam aliquot aſtra circa Jovem ſolemque, per arundinem Batavicam detecta, affirmant.

Cum ad extremam eorum venere] Poſitionem in perigæo, quæ terris eſt viciniſſima. Sic quidam, & in iis Cornel. Gemma noſter, novum CaſſiopϾ anni M. D. LXXII. ſidus ex altiſſimo æthere, ingenti epicyclo delapſum, & poſtea eodem ſe recepiſſe exiſtimaverunt. Sed non credidi nuper lib. 3. cap. 2. art. 2. Meteorol.

Summa cœli ora ſolidiſſima eſt] Si hoc impudens mendacium eſt, næ jam olim omnes etiam impudentiſſime mentimur, bone Seneca. nam fixarum ſaltem orbem, & Empyreum Chriſtianorum ſolidiſſimum, in modum tecti duratum, alii craſſique corporis fecimus: etſi non à congeſtione & acervatione fortuita atomorum, ſed fabri Omnipotentis manu. Empedocles etiam, teſte Plutarcho lib. 2. cap. 13. de Placit. Τοὺς μὲν ἀπλανεῖς ἀστέρας συνδεδέσθαι τῷ κρυστάλλῳ, τοὺς δὲ πλανήτας ἀνεῖσθαι, *Stellas fixas illigatas cryſtallo, planetas vero liberos & abſolutos* dixit. Λεύκιππος καὶ Δημόκριτος χιτῶνα κύκλῳ καὶ ὑμένα περιτείνουσι τῷ κόσμῳ: *Leucippus & Democritus*, ait cap. 7. *tunica circulari aut membrana mundum involvunt.*

In

In exteriora labuntur] Mavelim, *elabuntur*.

Ex illa utraque mundi jacente materia] Memmii & Nicot. cod. *utraque mundum*. unde Opſopœus fecit, *ultra mundum*. ſatis feliciter: huc enim ducit palam ſenſus.

Manum exercere] Colon. cod. *inanum exercere*. Hinc à conjectura ſua reſcribit Gruterus, *inane* (id eſt, aërem) *exercere*. Quod non diſplicet: ſic enim etiam S. Paulus 1 Corinth. 9. dixit: Οὕτω πυκτεύω, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων: *Sic pugno, non quaſi aërem verberans*. Sumptum à pugilibus, qui irrito ictu aëra interdum pro adverſario feriunt.

Cap. XIV. *Firma lacunaria impoſuit*] Venuſte. nam lacunaria ſive laquearia in cœnationibus & ædibus ſunt fornices & camerationes; quales etiam imaginamur in cœlo. Hinc Interpretes LXX. ubi Iſa. 40. legimus, *Extendit cœlos velut nihilum*, verterunt, *velut cameram*. Sequiturque mox. *Et expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum*. Lacunaria autem iſta tam ædium quam cœli πλινθία, à πλινθίῳ, *laterculo*, dicuntur: nam *lacunaria ſic fiebant*, inquit recte, ex Vitruvii lib. 9. cap. 9. Turnebus, *ut in tabulato lacus in quadrum texti redderentur*. Unde à figura etiam iſta laterculi quadrata, πλινθία in vitreis feneſtris ſunt, *quas hodie Galli vocant* lauſangias, *quaſi* laurangias, *à lauri folio*, *quod habet rhombi figuram*, ut ad Varronem nuper conjectabat Joſ. Scaliger.

Quid fuit] Omnipotens opifex, ô Seneca. Nec vectibus, aut trochleis attrahi eo materiam oportuit: ibi creata, non aliunde tranſlata eſt.

Neceſſe eſt & magni ponderis ſit] Non eſt. quia pondus, ſive gravitas, non materiæ cœleſtis, ſed elementaris denſitatem ſequitur, ſi Ariſtotelem audis.

Se onere ſuo frangit] Non faciat, etiamſi tota illa machina à natura graviſſima ſit: nam amplitudo ejus eam detinet, ne in ſpatium aliquod anguſtius (ut, exempli cauſſa, in ſphæram elementi aëris) integra decidere poſſit. Frangi itaque & diſſolvi ante oporteat, ut fruſtatim cadat. Diſſolvi vero non poteſt, quia firmiſſima compages, & partium nexus adverſus ſuperne deprimens pondus eſt pertinaciſſimus.

Aliqua eſſe retinacula] Sed nec retinaculis iſtis & uncis extrinſecus injectis, aut tibicinibus inferne molem excipientibus & fulcientibus eſt opus.

Mundum ferri per immenſum] Per ſpatium imaginarium infinitum, in unam partem perpetuo decidere. Quod profecto nemo dicat: quia mundus in hanc potius quam iſtam partem extrinſecus non propendet, ſed tota moles intrinſecus ad centrum quod intra mundum eſt, ſpectat & vergit.

Quidam de terra dixerunt] Sed ſane, ſi terra per infinitum ſpatium decideret, cœlos & aſtra ac totum mundum circa ſequi hunc terræ caſum oporteret; alias enim terra omnibus cœlis excideret, & jam dudum ſine ſole & luna, & omnibus aſtris per noctem & perpetuas tenebras ſpatiorum imaginariorum devolveremur. Xenophanes paullo providentior, ut terram in medio aëre ſtabiliret, τὸ κάτω τῆς γῆς ἄπειρον εἶναι, καὶ ἄπειρον αὐτὴν ἐῤῥιζῶσθαι, *inferiorem partem terræ ſine fine eſſe, & radicem in infinitam profunditatem projeciſſe* dixit; ἵνα μὴ πράγματ' ἔχῃ ζητῶν τὴν αἰτίαν, *ne cauſſam aliam diu quæritando negotium ſibi faceſſeret*, inquit lib. 2. cap. 12. Cœli, Ariſtoteles eum irridens.

Cap. XV. *Magnitudo ejus diſtricta eſt*] Sic etiam ille nuperus anni M. DC. XVIII. & univerſi pæne omnes. paullatim & particulatim diſtringuntur, carpuntur, & tabeſcunt deinde, evaneſcuntque in ætherem.

Suſtulit ſe] Ita ferme fit: initio humillimi, deinde pedetentim in altum à terra ſuſtolluntur. Cauſſam apud nos, niſi piget, vide lib. 3. cap. 4. art. 4. Meteorol.

Æquaret] Syrmate & coma, opinor. Sic noſter anni M. DC. VIII. aliquando ad totum circuli cœleſtis quadrantem barbam ejecit.

Quot ergo convenire debent erratica] Sed non fuit neceſſe, forſan reſpondeat Artemidorus, ut totum caudæ

ſyrma

ſyſtma ſtellis erraticis contexeretur, ſed caput dumtaxat; & caudam illam, aut barbam tam prolixam, nihil aliud fuiſſe quam radium ſolarem per cerebrum Cometæ trajectum.

Cap. XVI. *Ephoro: hiſtoricus eſt*] Diſcipulus Iſocratis, & Theopompi hiſtorici condiſcipulus fuit hic Ephorus, quem etiam in hiſtoria ſua *ὕπτιον ϰ̀ νωθρὸν, ſocordem & languidum*, Suidas facit.

Mendacium obrepit] Dum nimium negligentes ſunt inquirendæ & noſcitandæ veritatis.

Quibuſdam placet] Ut magnitudine aut inſolentia rei, pariant admirationem.

De tota natione] Hiſtoricorum. Nimis ſevere tamen hæc univerſim de illa gente Cenſor iſte cenſuit. Hiſtorici enim nec pauci ſunt (etſi forte inter Græculos, rariores) in quibus fidei religionem non deſideres. Tales Romæ, Salluſtius, Tacitus (licet hunc tamen, quia de ſacris Judaicis perperam quædam effutierat, *mendaciorum loquaciſſimum* appellet Apologet. cap. 16. Tertullianus) & Suetonius. Quid de Nicephoro, qui pluſquam Ephorus, admirabilem quemdam è ſtellis etiam erraticis Cometam, ſub Imp. Theodoſio, coiviſſe narrat, exiſtimemus, lib. 3. cap. 2. art. 3. Meteor. ſatis diximus.

Cap. XVII. *Cum in imum*] In perigæum epicycli ſui aut eccentrici deſcendit.

Sub Claudio] De eo Plinius lib. 2. cap. 25. *In noſtro ævo circa veneficium, quo Claudius Cæſar Imperium reliquit Domitio Neroni, ac deinde Principatu ejus, ſidus aſſiduum prope ac ſævum.*

Sub Auguſto] Illud eſt, quod lib. 1. cap. 1. *circa Divi Auguſti exceſſum vidiſſe* ſe dicit. Unde Lipſius Senecam tunc grandiuſculum, & circiter annum ætatis quintum & decimum fuiſſe conjicit.

Hunc qui ſub Nerone] Ita tamquam præſentem & adhuc in oculis, Cometam illum appellat. De eo Tacitus ad annum V. C. DCCCXIII. *Inter quæ & ſidus Cometes effulſit, de quo vulgi opinio eſt, tamquam mutationem Regis portendat. Igitur quaſi jam depulſo Nerone, quiſnam deligeretur inquirebant.* Is ergo quinquennio ſolum ante Senecæ necem effulſit, qui anno V. C. DCCCXVIII. à Nerone mori juſſus. unde libros iſtos Natural. proxime vitæ finem ſcripſiſſe manifeſte colligas.

Detraxit infamiam] Qua Cometæ paſſim, tamquam Principibus funeſti, laborant. Nam hic nihil ultra minas & terrorem Neroni attulit. Verum alius quatto poſt anno emergens, innocentiam hujus, ſanguine Senecæ & tot illuſtrium capitum, quæ conjuraverant in Neronis, egregie penſavit. De eo lib. 15. Annal. Tacitus: *Fine anni vulgantur prodigia imminentium malorum nuntia. Vis fulgurum non alias crebrior, & ſidus Cometes, ſanguine illuſtri ſemper Neroni expiatum.* Inter vero hoſtias iſtas piaculares Seneca unus proximo anno fuit.

Poſt necem divi Julii] Suetonius in Julio c. 88. *Ludis quos primo conſecratos ei heres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa undecimam horam. Creditum eſt animam eſſe Cæſaris in cœlum recepti: & hac de cauſſa ſimulacro ejus in vertice additur ſtella.* Hinc Ovidius Auguſti adulator, lib. 15. Metamorph. Julium in Cometen transfigurat:

Cæſar in urbe ſua Deus eſt, quem Marte togaque
Præcipuum, non bella magis finita triumphis,
Reſque domi geſtæ, properataque gloria rerum
In ſidus vertere novum, ſtellamque comantem,
Quam ſua progenies. ———

Unde divinos honores Cometæ iſti Romæ habitos narrat lib. 2. cap. 25. Plinius: *Cometes*, inquit, *in uno totius Orbis loco colitur, in templo Romæ, admodum fauſtus Divo Auguſto judicatus ab ipſo. qui, incipiente eo, apparuit ludis quos faciebat Veneri genitrici.*

Circa undecimam horam diei] Veſperi, & occaſo jam ſole. Vulgus enim (teſte Plinio lib. 2. cap. 77.) diem & horas à luce

à luce ad tenebras numerat. Sic etiam in ſacris litteris, Matth. 20. Paterfamilias *circa undecimam*, hoc eſt, diei exitum, *exiit conducere operarios in vineam ſuam.* Hunc autem Cometen inter Septemtrionem & occaſum effulſiſſe, auctor eſt Dion. Solem igitur Occidentem non longe ſequebatur, caudamque verſus Orientem effuſam pone trahebat, gemellus illi anni M. D. LXXVII. de quo tam multa Tycho eſt commentatus.

Alius ruber] Hos Mathematici vocant Martiales, uti candidos & digeſtæ lucis, Venereos, pallidos autem & plumbo ſimiles, Saturnios.

Fumidi ardoris] Talis Plinio *lampadias, qui*, ut ait lib. 2. cap. 25. *ardentes imitatur faces.*

Cap. XVIII. *Intra quod*] Potius, *intra quos*, ut Nicot. & Grut. cod. habent. Ubi *ſidus ἁπλῶς* iterum pro erratico ſumit.

Per Cometen autem] Quandoque fortaſſis, non ſemper. nam plurimi tam denſi, aut opaci corporis, ut nulla oculorum acie penetrari valeant. imo ipſe Seneca cap. 26. dicet: *Non in ea parte aciem tranſmitti, qua ſidus ipſum eſt ſpiſſi ac ſolidi ignis, ſed qua rarus ſplendor excurrit, & in crines diſpergitur.* Id eſt, per barbæ aut caudæ crines, non per Cometæ caput ultiora poſſunt cerni. Quod etiam in Cometa anni M. DC. XVIII. experimento didicimus. Nec inde tamen pro Apollonio conficias, Cometas ſidera eſſe ex illis perpetuis & cœlo coævis: nam etiam fungoſa & ſolutilis nubes ſolem interdum ſic abſcondit, ut per ipſam videri non poſſit.

Cap. XIX. *Congruere judicat ſtellas*] In talem aſpectum mutuum venire, ut radii earum in aliqua parte cœli ita ſe decuſſent, & in modum luminis convolvantur, ut imaginem novi aſtri repræſentent. Sed tranſlatio & motus quem in Cometis experimur, longe Principem illum Stoæ refellit.

Cap. XX. *Plerique noſtrorum*] Stoicorum.

Longos à tergo] Numeros meminit hic Seneca, ſi verba aut certe eorum ſeriem teneret, quæ apud Poëtam Georg. 1. venuſtior:

Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.

Relinquunt ignes ſuos] Locus ſine dubio deformatus, quem ex Optopœi cod. ſic reformabis: *Perſtringunt aciem & relinquunt* (alius, *remittunt*) *ignes ſunt aëris attriti*, &c. Hoc enim, aut proximum aliud, dicere voluit.

Clypeique flagrantes] Plinius lib. 2. cap. 34. *Clypeus ardens ab occaſu ad ortum ſcintillans tranſcurrit, ſolis occaſu, L. Valerio, C. Mario Coſſ.*

Non adverterent animos] Ad ſe converterent, & raperent in admirationem. Phraſis elegans, & aliis uſurpata.

Et repentinum ignem] Lectio in mendo eſt. Cod. vetuſtus: *Ad hæc ſtupent omneſque cum repentinum ignem ex alto effert.* unde hanc emendationem elicio: *Ad hæc ſtupent omnes, cum quid repentinum ignem ex alto effert.* Tales ſunt fulgurum, aut ſtellarum diſcurrentium, ſubiti ignes.

Loco miraculi ſtetit] Ut capræ, trabes, Cometæ, quæ ardent in materia pertinaciori.

Lacuna cedentis] Hiatus imaginarius ab exhalatione intra nubem accenſa, & nubem (ſic videtur) vaſta voragine aperiente.

Non exſpectata noctu fulſerunt] Plinius etiam lib. 2. cap. 26. *Emicant & faces, non niſi cum decidunt, viſa: qualis Germanico Cæſare gladiatorum ſpectaculum edente, præter ora populi, meridiano tranſcurrit.*

Sparſi ignes] Quos Seneca Cometæ comam, aut caudam eſſe exiſtimat.

Ipſa ſtella] Cometæ caput, nimis vicinum ſoli; ideoque cum ipſo occidens, & oculos effugiens.

Radios ſolis effugerunt] Quando capite caudaque, id eſt, toti apparent. Malim tamen, *effugerint*.

Cap. XXI. *Noſtris*] Stoicis. quos tamen cap. 25. & 26. refellit, ubi Cometas veris perpetuiſque ſideribus adnumerat.

Sicut tubas] Gruterus ex ſuo & Colon.

Digitized by Google

lon. codice, *ſicut jubas*, audacter reſcribit. Sed licet jubæ dependeant Cometæ qui Hippeus dicitur; tubæ tamen hoc loco, non jubas aut meteori alicujus alterius additamentum, ſed totum & ſingulare meteorum ſignificant. Sicut ergo Cometes Acontias jaculum, Xiphias gladium, Ceratias cornu imitatur; ita alius (ſi materia in directum exporrecta ſit) tubam poteſt. Tubas enim bellicas olim rectas fuiſſe, ſuggerit mihi Ovid. Metamorph. 1.

Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galea, non enſis erat. ———

Alimentum ſuum ſequitur] Ex Stoicorum & falſa opinione id dicit. Nimis enim compoſito cœleſti motu circumducitur Cometes, ut plane appareat ab æthere, non à vena pabuli vaga & inconſtante trahi. Nam exhalationes quæ ignes meteorologicos alunt, ſine lege hac & illac in aëre ſummo fluctuant, aut diſtorte & enormiter jacent, non extenduntur uno & perpetuo filo ab ortu in occaſum. ut Cometarum ignis per eas ſerpens, ſtellarum raptum imitari videatur.

Sex enim menſibus] Hinc conſtat de Pliniano iſto mendo, lib. 2. cap. 25. *Breviſſimum quo cernerentur ſpatium, ſeptem dierum annotatum eſt, longiſſimum octoginta.* Nam Plinius Neronianum illum ſemeſtrem Cometen oculis ſuis ſpectavit, qui tunc naturæ curioſiſſimus cum Seneca Romæ degebat, quique *dubii ſermonis octo libros ſcripſit ſub Nerone, noviſſimis annis cum omne ſtudiorum genus paullo liberius & erectius, periculoſum ſervitus feciſſet*, ait Epiſt. ad Macrum nepos Plinius. Scripſerit ergo centum octoginta (id eſt, ſex menſium) ut alibi ante cum M. Ant. Mureto adnotavimus.

Neronis principatu lætiſſimo] Hoccine putas adulationi in Principem à Seneca datum? Excuſemus tamen, & ipſi de ſe apud Tacitum 15. Annal. affirmanti credamus: *non ſibi promptum in adulationes fuiſſe ingenium.* Lætiſſimus igitur Principatus initio & intra primum quinquennium, quamdiu metu & reverentia matris ac Senecæ, à ſceleribus cohibitus Princeps fuit: poſt enim in Neronem & crudelitatis nomen abivit. Quamquam anno imperii V. & V. C. DCCCXII. matrem interfici juſſerit, ante videlicet Cometæ hujus exortum, qui anno ſequenti effulſit. Sed Seneca necem Agrippinæ non in ſcelere grandi videtur poſuiſſe, cum nomine Neronis litteras Neapoli ad Senatum ſcripſerit, quibus jure oppreſſam videri voluit, ut Annal. 14. narrat Tacitus.

Ille enim à Septentrione] Claudianus, qui ab oculis Senecæ & tempore quo ſcribebat, remotior.

Hic ab eadem parte] Neronianus.

Ille humidiora habuit] Falluntur & fallunt te tui Stoici, Seneca. Nam obſcuritas illa ſub finem à ſenio Cometarum & defectu materiæ, digeſtæ jam & evaneſcentis, non ab humoris abundantia eſſe ſolet, ut lib. 3. Meteorol. ſæpe inculcavimus.

In dextrum motus ſit] Occidentem: nam ante Cometen hunc Neronianum *in occidentem tetendiſſe* dixit. Aſtrologi autem ex Thuſcorum diſciplina, occaſum dextram, ortum lævam mundi partem exiſtimant; quia ſi quiſpiam à Septemtrione in Meridiem ſpectet, occidens ad dextram, oriens ad lævam erit. *Læva fulmina proſpera exiſtimantur*, ait lib. 2. cap. 54. Plinius, *quoniam læva parte mundi, ortus eſt.* Et deinde: *Thuſci partes cœli octo ab exortu ſiniſtras, totidem è contrario appellavere dextras.*

Contrarius mundo] Cœlo. nam cœlum, ab ornatu, κόσμος, *mundus*, à Pythagora primum eſt appellatus, ut cap. 2. num. 16. monuimus.

Illæ quæ eunt] Proprio & ſpontali motu.

Quæ auferuntur] Rapiuntur motu primi mobilis.

Cap. XXII. *Quam quem natura, ne umquam excuteretur*] Memmii & Nicot. cod. *Quam quæ natura, ne umquam excuterentur, aptavit.* Quod paullo mollius & venuſtius aures influit. Hæc autem eſt ſiderum & æternorum illorum ignium periphraſis: quæ natura (ne umquam more Cometarum excuterentur-

terentur & diſſiparentur) peripheriæ mundi firmiſſime infixit.

Numquam Cometes] Falſum hoc, niſi nos fallunt hiſtoriæ, quas lib. 3. cap. 1. art. 6. Meteor. adſcripſimus; ex quibus Cometarum ſublunarium quoddam genus aſſeruimus.

Cap. XXIII. *Sideris proprium eſt*] Non eſt. nam etiam exhalationis ſuſpenſus & natans in æthere nodus duci in orbem poteſt, ut ligni aut ſpumæ globus in ſumma aquæ ſuperficie, ſecundo flumine defluit.

Duo noſtra ætate fecerunt] Claudianus, & Neronianus, de quibus jam ante cap. 21.

Illa dico divinis] A Deo fabricatis. Stoici cum Academicis ſidera ignea exiſtimant; quod abnuunt Peripatetici.

Pareſque ſunt] Æquali corporis ſemper mole, nec ignium noſtrorum more, augentur aut detrectantur.

Sed excedit] In altum, extra conſpectum mortalium ſe abducit. Quod tamen lib. 3. cap. 2. art. 2. Meteorol. longe refutavimus.

Cap. XXIV. *Ceteris partibus torpeat*] Circa mundi polos, & extra Signiferum, quo (ſolito & trito illo ſuo itinere) numquam perveniunt Planetæ.

Quam ubi ſit] In qua parte corporis. Nam Straton inter duo ſupercilia, Erophilus in ventriculo cerebri, Eraſiſtratus in membrana ejus, Democritus & Plato in toto cerebro, Parmenides in ſtomacho, Diogenes in ſinu cordis, Stoici in ſolido corde, Empedocles in ſanguine, alii in alio corporis angulo animam illatebrant; cum verius ſit, toti infuſam eſſe.

Dicet eſſe ſpiritum] Ut Stoici, qui dicebant eſſe πνεῦμα ἔνθερμον, *ſpiritum calidum*.

Alius concentum quemdam] Ut Plato & Dicæarchus.

Alius vim divinam] Zeno, & Stoici iterum. Vide Lipſium lib. 2. Diſſert. 10. Phyſiol.

Alius tenuiſſ. aërem] Anaxagoras.

Alius incorporalem potentiam] Ariſtoteles & alii. *Incorporalem potentiam* iſtam vehementer ſuſpectat Opſopœus, tamquam ex Thomæ vel Scoti, inquit, potius Schola, quam Senecæ. Sed ſit ſecutus; nam Seneca alibi ante, *incorporalem rationem* dixit, & *potentia* pro δυνάμεως uſus. Et Cajus l. 1. D. de rerum diviſ. *Quædam res*, inquit, *corporales ſunt*, *quædam incorporales*. Cæterique Juriſconſulti paſſim, qui eloquentia minime Thomiſtæ aut Scotiſtæ ſunt, ſed omnium mortalium loquuntur caſtiſſime. Denique Epiſt. 89. apertiſſime noſter: *Naturalis pars philoſophiæ in duo ſcinditur, corporalia & incorporalia.*

Cap. XXV. *Anni mille quingenti*] Quomodo tot eſſe poſſunt, cum *Anaximander Mileſius* (dicit Plinius lib. 2. cap. 8.) *obliquitatem Signiferi intellexiſſe, hoc eſt, rerum fores aperuiſſe primus tradatur, Olympiade 58. Signa deinde in eo Cleoſtratus, & prima Arietis ac Sagittarii?* Hoc igitur factum annis vixdum ſexcentis, antequam hæc ſcriberentur à Seneca. Sed altius, & ad tempora ferè Atlantis adſpexit, qui *ſphæram*, ut ibidem Plinius, *ante multo tradiderat*. Vixiſſe enim Atlantem cum Moſe, & Cecrope primo Athenienſium Rege, circa annum ab Orbe condito MMCCCL. aut MMCCCC. id eſt MDC. ferme ante Senecam annis, ſatis conſtans eſt Chronologorum conjectura. Ab eo igitur ſtellarum & cœleſtium quarumdam imaginum nomina ad Græcos perveniſſe, & deinde paullo poſt aucta fuiſſe, exiſtimare (quod & quidam alii faciunt) videtur Seneca. Nam ſane Homeri & Heſiodi temporibus (tam dudum ſcilicet antequam Aratus nomina illa cœleſtia verſibus illigaret) vulgata jam erant, ut ex poëmatis eorum liquet. Atlas vero & Ægyptii ab Abrahamo & Chaldæis nomina & ſcientiam totam ſideralem acceperant: & in Jobi cap. 9. qui Atlante vetuſtior fuit, jam tum *Arcturi, Orionis, & Hyadum* mentionem invenimus. Quamquam voces iſtæ Græcanicæ. & ab interprete ſint, qui *Cheſil* & *Chima*, quæ apud Jobum, in Græca illa nomina transfiguravit.

Nuper ratio ad certum perduxit] Plinius

Digitized by

nius lib. 2. cap. 12. *Primus Romani generis in vulgus extulit* (ſolis & lunæ defectus) *Sulpitius Gallus, qui Coſ. cum M. Marcello fuit* (an. V. C. DLXXXVII. id eſt annis CCXXI. ante Principatum Neronis, ſub quo Seneca iſthæc ſcripſit :) *ſed tum tribunus militum ſolicitudine exercitu liberato, pridie quam Perſeus Rex ſuperatus à Paullo eſt, in concionem ab Imperatore productus ad prædicendam eclipſin, mox & compoſito volumine.*

Non æqua portione] Majorem enim vitiis, quam ſtudiis damus.

Veniet tempus] Nondum ſane venit, nec illud umquam venturum autumo, quo poſteris noſtris Cometas ſideribus illis æternis adnumerandos, certum & apertum ſit: ſimii enim tantum ſiderum, non legitima ſidera ſunt, ut lib. 3. Meteorol. diffuſe tractavimus.

Qui matutini veſpertinique ortus] Quando mane oriantur ante ſolem, & veſperi occidant poſt ipſum. Ut in Venere patet: quæ cum præcedit ſolem, Lucifer; cum ſequitur, Heſperus appellatur.

Quæ ſtationes] Planeta ſtare dicitur, cum motum proprium ab occaſu in ortum ſiſtere videtur.

In rectum feruntur] Directi ſunt, & motum proprium, ſine ſtatione, vel reflexione in occaſum, recta verſus orientem incitant.

Aguntur retro] Verſus occaſum, unde motus ſuos proprios & periodicos Planetæ incipiunt.

Modo cœpimus ſcire] Ante igitur Ptolemæum, qui aliquanto poſt, ſub Antoninis Principibus floruit, Planetarum illi luſus cogniti Romanis (quod etiam lib. 2. cap. 15, 16, 17. Plinius dicet) quos Ptolemæus poſtea eccentricorum & epicyclorum ingeniolis imaginatione expedivit.

Ut ſemel miſſa ſunt] Alludit fortaſſe ad curſus Circenſes, in quibus Prætor aut alius Magiſtratus, miſſa deorſum candida mappa, ſignum currendi aurigis dabat. Quemadmodum enim Prætor mappa aurigas è carceribus mittit, & in Circum (qui cœli, in quo ſol & aſtra curricula exercent, imaginem habet) effundit; ita Deus ab initio conditi Orbis, ſidera in circulos iſtos, quos hactenus continuant, miſit. Nicotii tamen cod. *ut ſemel juſſa*, legit. quod placet Opſopœo, nec omnino mihi diſplicet.

Si quando conſtiterint] Quieſcent & interpellabuntur.

Alia ex adverſo incident] Gallica membrana apud Gruterum: *alia aliis incident*. Nec male. Sane melius quam altera Opſopœi: *alia ex aliis incident*. Siſtetur, inquit, irrevocabilis ille ſiderum curſus, cum aliæ cauſſæ ex adverſo incident, & inſolenter obviam ibunt, motumque ea compriment, quæ nunc æquabili ac ſolenti tenore fluunt.

Cap. XXVI. *Solis occurſus*] Similem cauſſam ſtationis & regreſſus Planetarum imaginatus Plinius lib. 2. cap. 16. *Percuſſa* (ſtellæ errantes) *in qua diximus parte, & triangulo ſolis radio inhibentur rectum agere curſum, & ignea vi levantur in ſublime. Hoc non protinus intelligi poteſt viſu noſtro, ideoque exiſtimantur ſtare, unde & nomen accepit ſtatio. Progreditur deinde ejuſdem radii violentia, & retroire cogit vapor repercuſſus.*

Natura illarum circulorumque] Epicyclorum.

Videntur tamen ſtare] Si in proram, aut in puppim earum directe adſpicias, quando recto curſu veniunt, aut recedunt à nobis.

Erit qui demonſtret aliquando] A mille jam pæne & ſexcentis annis nemo adhuc repertus qui faceret: imo plerique Cometas non ſidera ex illis æternis, ſed collectitios & ſolutiles exhalationum nodos jam facimus.

Per ſtellas, inquit] Malim, *inquis*. Argumentum enim ipſius Senecæ eſt, quod cap. 18. Apollonio Myndio objecit, & in ſententiam Senecæ ipſius jam redit, & eam oppugnat.

Qua rarus ſplendor excurrit] Id eſt, per barbam, caudam, aut comam, non per caput Cometæ, ſidera ultra ipſum è terra cernimus.

Stella, inquit, omnes rotundæ] Iterum, *inquit*,

inquis, magis probem. Nam auctorem neminem citat, & mox ſequetur: *Quis enim tibi concedet*, &c.

Quare luna diſſimillimum] Non tam Archimedæa & difficilis eſt quæſtio, quam putas, Seneca. Nam lumen ſolis longitudine ſpatii qua it in lunam, & deinde redit ad terram, laſſatum, debilitatur & languidius apparet. Luna deinde inæquale, ſordidum, & pæne terreſtre ſpeculum eſt, ideoque ſolare lumen dilute & maligne bibit.

Cap. XXVII. *Quare modo rubeat*] Quia medius aër halitus oppandit, per quos trajectum lunæ lumen ſic erubeſcit. Ab hac enim etiam cauſſa auroram, aut ſolem mane colorari cernimus, quod & ei accidet, quoties ipſum per exundantem camino fumum adſpicies.

Quare lividus illi] Quia, *cum à conſpectu ſolis excluditur* (id eſt, in deliquio) deſtituitur lumine illo ſolis uberi, quo antea ore pleno perfundebatur.

Quare in Leone] Quia propinquior vertici, & radios in ſe pæne recurrentes in terram noſtram jacit, ideoque pleniori lumine plus etiam ardoris fundit.

In Aquario adſtringat hiemem] Non lumine, aut alia ſua influentia, ut philoſophi loquuntur, id facit; ſed obliquior tunc & invalidior, cauſſas frigorificas & adſtringentes non diſſolvit.

Libra tardiſſime emergit] Gruteri cod. *mergitur*. Male: & optime, *emergit*, reſtitutum à Fortunato. Nam in obliqua & Romana ſphæra, Libra recte, ideoque tarde, Aries oblique, & idcirco brevi tempore ſupra Finitorem totus emergit: quod ex flexura Zodiaci, & inæqualitate angulorum cum Finitore provenit. Nam Romæ cum arcu Libræ, qui ſolum 30. gradus comprehendit, aſcendunt interea 38. gradus & 27. minuta Æquinoctialis; cum Ariete vero ſoli gradus 17. & 21. minuta ejuſdem Æquatoris.

Vides enim quam ſimillima] Alii, *Vides quam ſimillima eſt illa*. aut, *Vides enim ſimillima eſt illa*. Sed eodem ſenſu, & ironico. Nam ſtella illa (Saturnus eſt) quæ *trigeſimo anno revertitur*; non eſt *ſimillima huic* (Soli videlicet) *qui intra annum reviſit ſedem ſuam*, ſed ſane magnitudine & luce diſſimillima. Unde non de nihilo quidam reſcribendum exiſtimant, *Vides enim quam diſſimillima*.

Eduxit à turba] Ut Cometas, ſi ei credimus, qui ſinguli fere incedunt, uti & Planetæ, niſi quod primulum jam per arundinem Belgicam quoſdam comitatiores, quam à Seneca & olim creditum, intelleximus. Nam Saturnum duobus ſideribus Auſtriacis (ſic vocare placet) Jovem Mediceis, Solem Borbomis ſtipatum videmus.

Quædam in gregem miſit] Sidera fixa, quæ gregatim eunt, contexta & illigata ſuis imaginibus.

Quorum formoſior facies eſt] In principio & juventa ſat formoſa quandoque Cometis facies eſt, quæ tamen mature ſeneſcit & palleſcit in mortem. Unde hoc formæ eorum argumentum retorqueri poteſt in Senecam.

Sive amplitudinem] Hæc ſane ſatis ampla ſæpe, ſed mox carpitur, ac tandem tota digeritur & refunditur in ætherem.

Sive fulgorem] Flagrant tamen plerumque impura & caliginoſa luce Cometæ, non argentea illa & bene digeſta, qua nictant & rident veræ ſtellæ.

Multarum ſtellarum amplexa regionem] Amplitudo Cometæ, ſi circumfuſi præſertim crines in partem capitis imputentur, amplitudini par eſt, & ſpatium occupat multarum ſtellarum conjectarum in unum cœtum.

Cap. XXVIII. *Non judicat ſidus eſſe*] Non, Seneca. Nam Ariſtoteles lib. 1. cap. 7. Meteor. cauſſam anni ſicci & ventoſi penes copiam exhalationum habet, quibus ſuffertus eſt aër, & quarum coagulo concreſcere putat Cometen. De imbribus vero ibi nihil: imo ait diſerte, tempore Cometarum, ξηροτέρους ἀναγκαῖον εἶναι τὸν ἀέρα, καὶ διακρίνεσθαι καὶ διαλύεσθαι τὸ διατμίζον ὑγρὸν ὑπὸ τοῦ πλήθους τῆς θερμῆς ἀναθυμιάσεως, ὥστε μὴ συνίστασθαι ῥαδίως εἰς ὕδωρ: *neceſſe eſſe, ut aër reddatur ſiccior, & ut diſ-*

ra.

gregetur ac diſſidvatur humidus vapor à copia calida exhalationis, ne facile concreſcere valeat in aquam.

In calorem frigusque flectentis anni] Æquinoctia enim ſunt veluti duo anni freta, quibus à frigore hiemis in calorem æſtatis, & retro, ab iſto in illud annus tranſit.

Chaldæi cavent]. Hi enim in genethliaca illa aſtrologia olim Principes: quorum vanitatem libris 12. Picus Mirandulæ Princeps egregie confutat. Lege etiam de iis, ſi lubet, Agellium lib. 14. cap. 1.

Annum totum ſuſpectum facit] Ariſtotelem ante, ſed non pro opinione Senecæ loquentem, audivimus. Nec enim annus quem inciderit Cometes ideo ventoſus, quia eo modo longos & circa totum annum flatus, quo ſtella natalis (opinione Chaldæorum) totius vitæ fatum ſignificat: ſed quia exhalationum in unum nodum convolutatum Cometes eſt quidam cumulus, idcirco *σημαίνει πνεύματα καὶ αὐχμούς, διὰ τὸ πολλὴν εἶναι τοιαύτην ἔκκρισιν*, *ſignificat ventos & ſiccitates, cum multa tunc & copioſa fit exhalatio*; quæ per aërem palatur & fluctuat; cujus una ſolum particula in Cometen ceſſit, reliqua facile abitura in ventos, & paritura ſiccitates.

Compelluntur in cardines] Verſus mundi polos. Vide nos lib. 3. cap. 4. art. 4. Meteor.

Cap. XXIX. *Levitatis argumentum habet*] In ſententia Stoicorum, qui ſtellas igneas, & in nullo ſolido orbe defixas, ſed pendulas in ſummo & liquido æthere exiſtimant.

Hic proximus] Sub Nerone.

Prior] Sub Claudio.

Non deſertur] Deorſum fertur, tamquam gravis.

Erigenſque ſinum curſum] Ab occidente verſus meridiem.

In rectum aſſidue celſior ferri] Nempe quia *à Septemtrione in verticem ſurgebat*, ut cap. 21. dixit, quamquam addat, ſub finem *orientem petiviſſe*, & ſic à linea recta excidiſſe. Sic enim ſolent fere Cometæ: exſpirantes & jamjam morituri, jactant ſe, & à circuli maximi ſegmento, quod hactenus obſervabant, curſum detorquent, & in cochleam ſe conſpirant, ut notavi in calce libri 3. Meteorol.

Dii ſciunt] Putidum & puerile eſt iſtud, *Dii ſciunt*, inquit Fortunatus, qui, *diſcutiant*, reſtituit. Neſcio quas nares habuerit; certe gratiſſime mihi olet.

Conjecturare in occulto] Pincianus, *conjectare*, mavult: & ſine dubio eſt fidelius. Non diſplicet tamen, quod in Memmii & Nicot. cod. reperit Gruterus: *conjectura ire in occulta tantum licet.*

Cap. XXX. *Vultum ſubmittimus*] Ad ritum enim, non ad pavorem Turni poeta reſpexit, lib. 12.

——— *inceſſu tacito progreſſus, &c. aram*

Suppliciter venerans demiſſo lumine Turnus.

Togam adducimus] Conſtat togam laxum & fluxum Indumentum fuiſſe; & quod *hominem ſarcina veſtiret*, ut Lib. de Pallio cap. 5. loquitur Tertullianus. Rugoſæ etiam erant, quod feminarum noſtrarum Brabantinarum calyptræ ſive pallia imitantur in parte. Indicat ibidem Tertull. *Nec artifice neceſſe eſt, qui pridie rugas* (togæ) *ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum cuſtodibus forcipibus* (quarum morſus & compreſſura rugas illas figuram ſuam cuſtodire doceat) *aſſignet. Dehinc diluculo (tunica prius cingulo correpta, quam præſtabat moderatiorem texuiſſe) recognito ruſſus umbone, & ſi quid exorbitaverit, reformato, partem quidem de lævo promittat; ambitum vero ejus, ex quo ſinus naſcitur, jam deficientibus tabulis retrahat à ſcapulis*, &c. Ubi, ſi linguam illam Afram intelligis, ita togam graphice depingit, ut nemo ſartor fingere poſſit expreſſius. Juſta togæ menſura fuit 6. ulnarum, ut docet Porphyrio in illud Horat. Epod. Od. 4.

Videſne ſacram metiente te viam,
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc, &c.

Manutius vero ex Quinctiliano , ad media crura vel ipſos talos deſluxiſſe colligit.

In omne argumentum modeſtia fingimur] Legamus hæc Chriſtiani, & erubeſcamus, qui tam incompoſiti, aſpectu vago, fluente & diſſoluto pallio, & in omne argumentum immodeſtiæ ficti, ſacroſanctis & tremendis myſteriis aſſiſtimus.

Tam alte jacent] Veluti in puteo Democriti, in quo iſte veritatem deliteſcere prædicabat.

Panætio] Philoſophus Stoicus (alibi ante mihi dictum) is fuit, Rhodi ſcholam habuit, præceptor & familiaris Scipionis Africani poſt Polybium, ait Suidas.

In occulto movet] In altiſſimo æthere & ultra conſpectum mortalium.

Deditque circa ſe] Induit ſe hoc mundo viſibili, tamquam corpore. Deus enim Stoicis eſt anima mundi. unde ſtatim vocat *partem majorem & meliorem operis ſui.* Et mox cap. proximo dicet, *maximam partem mundi, Deum latere.*

Cap. XXXI. *Cognata numini ſummo*] Sidera intelligit, quæ Stoici Deos minorum gentium eſſe cenſebant. Vide Lipſium lib. 2. Diſſert. 14. Phyſiol.

Implent & effugiunt] Stellas enim oculis cernimus, nec tamen intellectu comprehendimus.

Sine quo nil eſt] Deus, à quo omnia fiunt, & conſervantur.

Quam multa animalia] Spargente ſe per Africam & alias circum Orbis partes Romano Imperio, ſub Cæſaribus. Tunc enim undique animalia peregrina protracta Romam, feræ præſertim, in Amphitheatri Arenam ad pugnam beſtiariorum.

Omnis mundus habeat] Homines omnium ætatum & ſæculorum.

Eleuſis ſervat] Alii cod. *Eleuſina.* Eleuſis urbs Atticæ erat, ubi ſacra Eleuſina in honorem Cereris & Proſerpinæ. Deſcribit ea Tertullianus initio libri adverſus Valentinianos. Arcana autem erant & difficillimi aditus. Admiſſi & initiati ſilentium jurabant eorum quæ oſtendebantur (turpia enim & obſcœna erant) nec ad univerſa ſimul admittebantur, ut initiatos quotannis novitate aliqua revocarent. Myſteria tamen hæc, ut teſtatur Juſtinus, Alcibiades, qui profanus irrepſerat, evulgavit.

In veſtibulo ejus hæremus] Non ſumus naturæ initiati, nec ad ſecreta interioris ſacrarii ejus penetravimus. Alluſum iterum ad ſacra Eleuſina, in quibus nondum initiatos, in veſtibulo, tamquam profanos, emanere oportebat. De voce iſta, *veſtibulum*, docte quædam Agellius lib. 16. cap. 5. ubi negat veſtibulum *eſſe partem domus primorem, quam vulgus atrium vocat*, ut quidam non indocti opinantur; ſed cum Cæcilio Gallo & Sulpitio Apollinare, *ſpatium grande ante fores ædium relictum, in quo ſtant qui veniunt, priuſquam in domum intromittantur.*

Lævitate & politura corporum] Vellendo barbam ac crura, & pumice ad lævorem poliendo. Vide quæ lib. 5. cap. 17 diximus.

Colores meretricios] Ad lacernas & pænulas *coloris improbi* (ut Epiſt. 114. loquitur) id eſt, purpurei, adſpicit. Illæ enim, candidis & Romanis togis abjectis, cœperant delicatulis quibuſdam eſſe in uſu. *Qui lacernas, ait, coloris improbi ſumunt, qui perlucentem togam, qui nolunt facere quidquam, quod hominum oculis tranſire liceat.* Toga perlucens erat bombycina, per quam corpus inverecunde tranſpareret. De ſtola feminea tali Martial. lib. 8.

Femineum lucet ſic per bombycina corpus,
Calculus in nitida ſic numeratur aqua.

Petronius *ventum textilem*, vel, *nebulam lineam*, D. Nazianzenus *veſtem aëream* vocat.

Non ambulamus, ſed incedimus] Incedunt enim, qui tardo, gravi, & formicino gradu, ac vix eunt. Plautus: *Eccum incedit, movet formicinum gradum.* id eſt, minutum & tardum, qualem ſolent formicæ.

In omni articulo gemma diſponitur] Ita tunc in more & luxu; cum tamen olim

olim uni ſiniſtræ tantum digito annuli inſeri ſoliti. *Quiſquis primus inſtituit*, ait lib. 33. cap. 1. Plinius, *cunctanter id fecit, læviſque manibus ac latentibus induit, cum ſi honos ſecurus fuiſſet, dextra fuerit oſtentandus.* Et deinde: *Singulis primo digitis geri mos fuerat, qui ſunt minimis proximi: ſic in Numæ & Servii Tullii ſtatuis videmus. Poſtea pollici proximo induere, etiam Deorum ſimulacris: dein juvit & minimo dare. Gallia Britanniaque in medio dicuntur uſæ. Hic nunc ſolus excipitur, cæteri omnes onerantur; atque etiam privatim articuli minoribus aliis. Sunt qui tres uni minimo congerant: alii vero & huic unum tantum, quo ſignantem ſignent.* Tertull. lib. de Habitu muliebri cap. 9. *Siniſtra per ſingulos digitos de ſaccis* (pecuniariis loculis) *ſingulis ludit.* Agellius lib. 10. cap. 10. ait veteres Græcos & Romanos *annulum habuiſſe in digito ſiniſtra manus, qui minimo eſt proximus* (unde is etiam annularis appellatur;) *quia repertum eſt, nervum quemdam tenuiſſimum ab eo uno digito ad cor hominis pergere ac pertinere.*

Alius genitalia excidit] Caſtrati enim & eunuchi tunc erant in deliciis: quos tamen poſtea Domitianus excidi lege vetuit. Sueton. cap. 7. *Caſtrari mares vetuit. Spadonum qui reſidui apud mangones erant, pretia moderatus eſt.* Mangones autem pueros venalitios caſtrabant, ut pretia accenderent, & pluris venderent.

In obſcœnam partem ludi fugit] Quæ autem iſta ludi pars obſcœna? Lipſius noſter lib. 1. cap. 18. Saturnal. ambigit, an ad ἀποδυτήριον, ſive Spoliarium (ea ludi pars gladiatorum veſtes, arma, vulneratos etiam ipſos, aut cæſos excipiebat) an ad ſpongiam & latrinas ludi referat, quarum mentio apud Senecam Epiſt. 70. Sed bellius eſt & magis placet, ſi *partem ludi*, in *artem ludi* emendes. Loquitur enim palam de voluntariis gladiatoribus, qui pretio ſe Arenæ addicebant & auctorabant. Id vero obſcœnum, ſive infame erat. nam obſcœnum, non tantum in re libidinis, ſed in quacumque turpitudine dicitur. Quin imo Virgilius pro pernicioſo ſumpſit: *Obſcœnamque famem, & quæ prima pericula vito.*

Infamia armatur] Memmii, Nicot. Fortun. cod. *in fame.* Opſopœi *infame* balbutit. Si lectionem vulgarem ſollicitare velim, potius ſimpliciter legam, *in mortem infamem armatur.*

Egenus etiam] Nobiles egeni, re & ſpe omni fracta, eligunt aliquid in quo morbum (id eſt inopiam, opinor, & miſeriam) exerceant, locando ſe ad gladium, aut venatorium cultrum, ut noſter Epiſt. 87. loquitur. Nam Equites aut Senatores quidam ære alieno preſſi in Arenam fugiebant, & pretio (quod proprie auctoramentum appellabant) inter gladiatores aut beſtiarios in ſpectaculis depugnabant. Vide Lipſium lib. 2. cap. 3. Saturnal.

Cap. XXXII. *Cum ludi intercalantur*] Intermittuntur. eleganti tranſlatione, aliis etiam uſurpata. Intercalatio enim eſt immiſſio diei unius aut plurium in annum, qui ea re intercalaris appellatur. Ludi ergo intercalari dicuntur, cum feriæ, & quies interjecta eos diſtinguit. Verſus etiam in carmine intercalaris vocatur, qui identidem & ſæpe inter alios recurrit. ut ille Virgilianus Eclog. 8.

Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.

Pluvius intervenit dies] Quo in amphitheatro & ſub dio ſedere ad ſpectandum non licet. Quamquam in pluvia ſæpe perſeverent pænulati contra imbrem.

Quem perdere licet] Sic delicati illi exiſtimabant, diem, inquam, omnem perditum, qui inter ſpectacula & voluptates non exiret.

Veteres & minores] Fortunat. *juniores* legit: nec diſplicet. Veterum Academicorum Princeps Plato, minorum aut juniorum Arceſilas & Carneades. Nam Academia junior duplex eſt, Media, & Nova. hujus auctor Carneades, ignorantiæ profeſſor; illius Arceſilas, qui etiam nihil nos ſcire exiſtimat. In quo vero demutent iſti Academici à Pyrrhoniis, vide Agellium lib. 11. c. 5.

Digitized by Google

Præcepta Pyrrhonis] Princeps Scepticorum, ſive dubitantium, hic fuit.

Pythagorica illa invidioſa turba ſchola] Pythagoræ vetuſtiſſima & illuſtriſſima ſchola circa tempora extremorum Romæ Regum, in Italia floruit: invidenda prorſus, ſive turbam, ſive excellentiam diſcipulorum ſpectes. Ex ea Zaleucus & Charondas legiſlatores, Timæus, Lyſis, Archytas, aliique ſine numero, ingentis famæ philoſophi. Gruterus tamen, *invidioſa turba ſchola*, legere geſtit: quia popello, inquit (ob carnium, credo, abſtinentiam & alia quædam) invidioſa ſecta Pythagoræ fuit. Quod non omnino diſplicet. Quam vero cito σύςημα Pythagoricæ ſcholæ diſſolutum ſit, vide Lipſium lib. 1. Diſſert. 6. Manuduct.

Sextiorum nova] Duo enim Sextii, pater & filius, Romæ philoſophi fuere. Pater ſub Auguſti Principatu floruit. Hic eſt, quem à Rep. ad philoſophiam transfugiſſe, & latum clavum, ſeu dignitatem Senatoriam, à D. Julio oblatam reſpuiſſe, Epiſt. 98. noſter narrat: quem deinde Epiſt. 59. *virum acrem, Græcis verbis, Romanis moribus philoſophantem* dicit: quem denique initio philoſophiæ, impetum cepiſſe, ut ſe in mare deſperabundum dejiceret, alicubi refert Plutarchus; quia inter primas difficultates & ſpinas adhæreſcens, ingenium ſibi ad profectum impar crederet. Sextius filius circa annum Imperii Auguſti 42. natus, ſi Euſebio credimus: unde Senecæ parem ætate, aut circiter, fuiſſe oportuit, ſi vera ſunt quæ Lipſius & nos ante, de ævo Senecæ conjectavimus. Sed quomodo *novam ſectam Sextiorum* hic appellat, cum Epiſt. 64. Sextium patrem Stoicum, alii Pythagoricum fuiſſe dicant? Sed res ita habuit. Secta eorum non una è veteribus pura & ſine miſcela alterius, ſed ex Stoica & Pythagorica miſcellanea fuit: quod ex Epiſtola noſtri 108. intelligimus, ubi Sextium in abſtinentia animalium pythagorizantem facit.

Pyladis & Batilli domus] Hiſtriones & pantomimi ſub Auguſto fuerunt. De Batillo Juvenal. Sat. 6.

Chironomon Ledam molli ſaltante Batillo.

Seneca pater lib. 3. Declamat. ait Pyladem in comœdia, Batillum in tragœdia excelluiſſe. Auguſtus *Pyladem urbe atque Italia ſubmovit, quod ſpectatorem, à quo exſibilabatur, demonſtraſſet digito*, inquit cap. 45. Sueton. Revocavit tamen poſtea, ut populo placeret, & hic volentius duriuſculas quaſdam leges, & ſervitutem patientius acciperet. Unde *Pylades ab Auguſto quondam objurgatus*, inquit l. 54. Dion, *quod cum Batillo, eamdem artem exercente & Mecenatis familiari, rixaretur, reſpondiſſe fertur: Expedit tibi Cæſar, populum nobis intentum, tempus conſumere.* Eadem prope Macrob. lib. 2. cap. 6. Satur. niſi quod cum Hyla, itidem pantomimo, non cum Batillo jurgium Pyladis fuiſſe narret. Ex quibus intelligis, quam vere Tacitus lib. 1. Annal. Auguſtum, *militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexiſſe* in ſervitutem, dixerit. Huic enim fini, athletis, hiſtrionibus & pantomimis, ac omni genere certaminum Romam implevit.

Urbe tota ſonat pulpitum] Locum editiorem & proſcenium, in quo ſaltabant & canebant hiſtriones, vocabant pulpitum. Nota autem illius ævi luxum: ut non tantum publice in theatris, ſed privatim & domeſticatim hiſtriones & pantomimi haberentur, & inter eos à civibus Rom. tam viris quam feminis ſaltaretur.

Uter det latus illis] Vetuſti aliquot cod. *ut detur latus illis.* Aut, *ut dent latus illius.* Nicot. *uter det latus. Illius deinde*, &c. Et ſane, *illis*, videtur redundare. Contendunt ergo uter det latus, id eſt, honoratiorem locum accipiat. Qui enim à dextris eſt, dat latus alteri tegendum, eſtque ei ſiniſter quaſi pro ſcuto, quod ſiniſtræ inſeri ſolet, ut inerme illud latus tegat: nam ferrum, quod dextra regitur, dextrum latus ſatis tutum præſtat. Qui igitur dat latus, dexter; qui tegit, ſiniſter eſt. Horat. lib. 2. Sat. 5.

Viſne tegam ſpurco Damæ latus?

Locum enim ſiniſtrum minus eſſe honora-

notatum, etiam olim (quidquid pauci quidam remurmurent) ex iis quæ à Turnebo, & Lipſio in hanc rem ſcripta, nimis jam paſſivum eſt & protritum.

Sub perſona] Velata enim facie & perſonati ſaltabant hiſtriones. Sueton. de Nerone: *Tragœdias quoque cantavit perſonatus.* Perſona aliter larva dicitur, quam à perſonando, cum C. Baſſo, derivat Agellius lib. 5. cap. 7. *Quoniam indumentum illud oris, clareſcere & reſonare vocem facit, cum ſit una tantum voci emittenda via pervium*, ideoque vagam & fluentem vocem colligit & denſat, ut fortius aërem terebret.

Tranſitur ad ganeam] Dicitur etiam, *ganeum*. Quod Nonius interpretatur *locum libidini & vinolentiæ aptum:* Feſtus *locum abditum, & velut ſub terra*. Unde à γαῖα, *terra*, palam derivat: quod etiam facit Donatus. At vero Turnebus, *ganeum*, inquit, *dicitur fornix, quaſi Græce γάνειον*. Ego malim ſimpliciter à γανάω, id eſt, *voluptatibus indulgeo*, derivare. Verum Fortunati & Gruteri cod. non *ad ganeam*, ſed *ad galeam*, legunt: quaſi Seneca velit, à perſona & hiſtrionia iri à feminis ad galeam & Arenæ pugnam: nam feminarum eo tempore impudentiam ad galeam, gladium, & Arenam deſcendiſſe, ex Tacito, Suetonio, aliiſque certum eſt. Juvenal. Sat. 2.

Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem?

Vide Lipſium lib. 2. cap. 4. Saturnal. Nec inter ſe ſolum, ſed cum beſtiis etiam in Arena depugnabant. Juvenal. Sat. 1.

Cum tener uxorem ducat ſpado, Mævia Thuſcum
Figat aprum, & nuda tenens venabula mamma,
Difficile eſt, ſatyram non ſcribere. —

Et ſane, bellior erit imago illa loquendi, qua frons diu perfricta & quaſi detrita ſub theatrali perſona, transfertur ad galeam. Nam perſonæ, ſive larvæ illius ævi, inſtar galearum erant; cum non ſolum faciem, ſed caput etiam operirent, ut ex verbis C. Baſſi apud Agellium lib. 5. cap. 7. intelligitur. Sed tamen *ganeam* in *galeam* nondum permutare auſim, quidquid id facere pruriat Fortunatus.

In quo veritas poſita eſt] Ad puteum Democriti, in quo deliteſcere aiebat veritatem (quod ante adhuc alias) iterum alluſum. Libro etiam 7. cap. 1. de Beneficiis: *Involuta veritas, in alto latet.*

Digitized by Google

LIBERTI FROMONDI,

in Academia Lovanienſi Philoſophiæ Profeſſoris,

N O T Æ

IN

L. ANNÆI SENECÆ

CLAUDII CÆSARIS

ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΝ.

P R Æ F A T I O.

Libellum iſtum inter totius rei litterariæ mendoſiſſimos difficillimoſque, confeſſum eſt apud omnes, & nos ſane egregie experti ſumus. Emendavimus tamen Rhenani, Fabri, Junii, Gruteri, aliorumque Notis adjuti, enarravimuſque, quantum in nobis ingenii & Minervæ fuit. Totus autem Satyra Menippea eſt, qua ſale nigro fatuum Claudii Cæſaris caput lepide defricat. Quia enim mortuo cœleſtes honores fuerant decreti, fingit eum in cœlum aſcendiſſe, & poſtulaſſe inter Deos recipi. Cauſſa ejus in Concilio Deorum agitari cœpta, Dieſpiter & Hercules in eum proni, alios etiam inclinaverant; cum Divus Auguſtus exſurgens, recenſitis pari eloquentia & animi indignatione cædibus, queis in domum ſuam & Rom. nobilitatem paſſim Claudius graſſatus erat, brevi perfecit, ut omnes pedibus in ſententiam & Claudii damnationem concederent, detraheretur que ad Inferos, ubi teſſeris ludit pertuſo fritillo, datuſque inſuper Menandro Æaci (ſive Caii Caligulæ mavelis) liberto, ut ei eſſet à cognitionibus: ut nempe calidiſſimus aleator, & toto Principatu libertis ſuis obnoxius, in utroque quo peccaverat, puniretur. Cæterum, cauſſa ſatyricæ ſcriptionis, fatuitas Claudii, & memoria injuriæ, qua ab eo, ceu Juliæ filiæ Germanici adulter, Seneca in exilium pulſus fuerat. Aliter tamen longe olim de eo aut ſenſit, aut certe ſcripſit in Conſolatione quam ex Sardinia & exilio ad Polybium Claudii libertum miſit. Quem enim hic crudelem, fatuum & omnibus cucurbitis inſulſiorem facit, atque ad infima tandem Inferorum miniſteria detrahit, ibi *mitiſſimum Cæſarem*, inter cujus virtutes *clementia primum locum obtinet:* ad hæc, *memoria tenaciſſima omnium ſapientum præcepta* retinere: denique, *maximum & clariſſimum numen*, aliaque non pro philoſopho & Seneca adulatur, animo & corpore in exilio fractus, ut Lipſius noſter excuſat. De titulo Libri inter eruditos non convenit. Beatus Rhenanus, qui reperiſſe & primus typis publicaſſe dicitur, Ludum de morte Claudii Cæſaris appellaſſe potius, quam ſic inveniſſe creditur. Junius & omnes jam paſſim, Claudii Cæſaris Apocolocyntoſin, Dione præeunte, nuncupatum vadunt. Is enim ad lib. 60. & vitæ Claudii calcem: Συνέθηκε μὲ γδ καὶ Σενέκας σύγγραμμα, Α᾿ποκολοκύντωσιν αὐτὸ, ὥσπερ τινα ἀπαθανάτισιν, ὀνομάσας,

nus, *Compoſuit*, inquit, *Seneca libellum Apocolocyntoſin, ſic eum nominans, veluti quamdam inter Deos immortales adſcriptionem.* Non autem quomodo Latine reddidit Xylander, *De immortalitate fungo parta.* Nam κολοκύντη, aut κολοκύνθη, unde ἀποκολοκύντωσις derivatur, cucurbitam ſignificat, non fungum aut boletum. Sed quam ob cauſſam ſic inſcriptus liber? *Eo quod Claudius medicato boleto, quaſi pharmaco purgatorio, quod olim frequens è colocynthide concinnabatur, periit*, inquit Junius lib. 1. cap. 17. Animadverſ. Quod Dan. Heinſio, & mihi profecto videtur frigidum: ſic enim à boleto potius quam colocynthide deducere oportuit nomen. Itaque conjectura Heinſii hic allubeſcit; in quam etiam digitum intendiſſe videtur Dion. Ait enim Senecam Ἀποκολοκύντωσιν nuncupaſſe, quomodo alii ſolent ἀπαθανάτωσιν, ſive ἀποθέωσιν. hæc autem relationem ſeu adſcriptionem in numerum Deorum, vel etiam metamorphoſin & converſionem alterius rei in Deum ſignificat. Igitur Claudii Ἀποκολοκύντωσις relationem Claudii inter cucurbitas, aut metamorphoſin ejus in cucurbitam ſignificabit: quo nihil dici poteſt feſtivius. Cum enim fabuloſis illis metamorphoſibus homines in rem vicinam & naturæ ſuæ conſentaneam tranſmutari ſoleant (ſic enim Circe iracundos in leones, ebrioſos in porcos, impudentes in canes transformabat;) Claudius, qui tota vita ſtupore & fatuitate pæne cucurbita fuerat, non in aliud ſane potius quam cucurbitam (ſi ab Agrippina & Senatu Rom. transformandus erat) mutari debuit. Cucurbitas autem & pepones capita fatuella & inſulſa dici, nimiſquam eſt protritum. Poſſumus & alteram inſcriptionis cauſſam ſatis etiam bellam comminiſci. Nempe ut ἀποθέωσιν, quæ à termino *ad quem*, ut philoſophi loquimur, nomen habet, voluerit lepide potius à termino *à quo*, ἀποκολοκύντωσιν appellare: id eſt, pro transfiguratione in Deum, cucurbitæ transfigurationem dicere. Nam hominem in Deum, aut in cucurbitam mutari, non adeo miræ & inſolentis metamorphoſis eſt; ſed cucurbitam in Deum, eſt maxime admirabile.

COMMENTARIUS.

ANte diem tertium] Adſatetur Sueton. Nam Claudius *exceſſit*, inquit, 3. *Idus Octobris*, *Aſinio Marcello, Acilio Aviola Coſſ.* 64. *ætatis, Imperii* 14. *anno.* Quos annos nondum impletos fuiſſe patet ex Dione: *Claudius, ait, noctu amiſſa loquendi audiendique facultate, diem clauſit, 3. Idus Octobris, cum vixiſſet annos 63. imperaſſet 13. menſeſque præterea 8. dies 20.*

Anno novo] Annum novum non Kalend. Januarias intelligit, quomodo Epiſt. 83. *Qui anno novo, quemadmodum legere, ſcribere, dicere aliquid, ſic auſpicabar in Virginem* (fontem Romæ gelidiſſimum) *deſilire:* ſed annum primum novi Imperii Neronis. nam quodcumque anni tempus, novi quidpiam affert, dicitur etiam novus annus. Sic Agel. lib. 18. cap. 1. æſtatem, ſic Tibullus lib. 1. Eleg. 1. autumnum *novum annum* appellat, quia novos educat fructus, ut recte notat Turnebus:

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deum.

Non diſplicet tamen conjectura Dan. Heinſii, qui ad anni Magni ſive Mundani ἀνάστασιν, *everſionem*, & ἀποκατάστασιν, *redintegrationem*, alluſum putat: quaſi Seneca finem & everſionem omnium rerum in Imperio Claudiano, redintegrationem in Neroniano conſtituat. Seneca enim ſecta Stoicus fuit, & ex Stoæ diſciplina eſt illa anni Magni ἀναστάσεως & ἀποκαταστάσεως. Macrobius illi anno ſola quindecim millia annorum donat, alii augent pæne in immenſum. Vide Lipſium lib. 2. Diſſert. 22. Phyſiol.

Sæculi feliciſſimi] Tale ſub Nerone tuo futurum ſperabas, Seneca: ſed quam falſus!

Nihil offenſa] Offenderat enim Senecam Claudius, & primo ſtatim Im-

perii anno in Corſicam ejecerat, ſuſpectatum adulterii cum Julia Germanici filia.

Ita vera] Curionis cod. *vero*, legit: paullo melius.

Aut Regem, aut fatuum] Ut quis nempe feliciſſimus ſit, & quidlibet facere & dicere impune liceat. omnia enim licent Regibus, & fatuis. Proverbium autem verum fecerat Claudius, regia illa dominatione & tot illuſtrium cædibus, quibus Imperator graſſatus fuerat: fatuitate præterea totius vitæ tam nota & inſigni. Dupliciter igitur felix, & quod Rex, & quod fatuus ſimul fuerit. Vide Eraſmum in Chiliad. ubi longiſſimo in hocce proverbium excurſu conatur demonſtrare, *Vix ſæculis aliquot unum aut alterum extitiſſe Principem, qui non inſigni ſtultitia maximam perniciem invexerit rebus humanis.*

Jurato res exegit] Ita cod. S. Amandi apud Junium. Curio contendit reſcribendum, *jure autores.* Male. Omnes MSS. *juratores*, unica, non cæſa voce. Recte. Turnebus lib. 19. cap. 12. juratores cenſet eſſe Cenſores, *qui eum quem cenſebant*, inquit, *jurejurando adigebant, ut ex ea intelligi poteſt formula: Et tu ex animi tui ſententia uxorem habes? nam qui juravit, juratus dicitur; qui ad jurandum adigit, jurator dici videtur.* Idque ex Plauti Pœnulo evincere tendit. Sed repugnat Epiſt. ad Carrionem noſter Lipſius: *Juratores, teſtes dixerunt*, inquit, *quia produci ſolent jurati. Falluntur qui aliter in Plauti Pœnulo aut explicant aut legunt: Vos juratores eſtis, quaſo operam date.* Itaque *juratores* hic teſtes juratos accipiamus, quo clariſſime etiam mihi præit Macrobius lib. 5. cap. 19. Saturnal. *Illic invocato loci numine, teſtatum faciebat eſſe juratori, de quo juraret.* Quin tamen etiam *jurator*, aut, *conjurator*, Cenſor appelletur in Plauti Trinummo, *Heus ſenex, cenſui conjuratori recte rationem dedi*, non facile Lipſius à me impetraſſit.

Druſillam euntem in cœlum] Is fuit L. Geminius Senator, qui *vidiſſe ſe Druſillam* (Imp. Caligulæ ſororem & pellicem) *in cœlum aſcendentem, ac cum Diis converſantem juravit, perniciem ſibi liberiſque, ſi vanum id aſſeruiſſet, imprecatus*, ait Dion. Ridicule ergo Seneca non dubitare ſe fingit, quin idem ille ineptus Caligulæ adulator Claudium in cœlum aſcendentem viderit.

Non paſſibus æquis] Ad Virgilii verſum, & ſimul ad tarditatem pedum Claudii alludit. De eo cap. 30. Sueton. *Ingredientem deſtituebant poplites minus firmi.*

Appiæ viæ curator eſt] Reparandæ præfectus, ideoque in ea multus; ut, velit nolit, ſi oculos habeat, videre eum oporteat illac tranſeuntes. Lepide vero comminiſcitur, quaſi Auguſtus & Tiberius, paullo ante Druſillam, eadem Appia viſi ſint ſubiiſſe in cœlum; perinde atque ſi Appia, lactea via ſit, de qua poeta ingenioſus lib. 1. Metamorph.

Hac iter eſt ſuperis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum. ——

Cæterum Appia Roma Capuam verſus, ad 350. milliaria tendebat. Eam tibi Lipſius lib. 3. cap. 10. Magnit. Rom. ex Procopio graphice deſcribet.

D. Auguſtum] Sueton. cap. 100. *Nec defuit vir Prætorius, qui ſe effigiem cremati* (Auguſti) *euntem in cœlum vidiſſe juraſſet.* Hunc autem fatuum adulatorem Dion *Numerium Atticum* vocat: *Livia*, inquit lib. 56. *Numerio cuidam Attico, Senatori & Prætorio decies HS.* (id eſt, noſtrate moneta, ſupra ſexaginta duo millia florenorum) *dono dedit; quod juraverat, vidiſſe ſe Auguſtum in cœlum aſcendentem, ſicuti olim Romulum Proculus vidiſſe perhibetur.* Hæc mendacii & perjurii felicitas alios, ut etiam Tiberium & Claudium viderent, invitavit; ſed ſimilitudo præmii non contigit.

Verbis conceptis] Formula loquendi petita à Juriſconſultis. concipere enim jusjurandum certis verbis dicitur, qui formulam verborum concipit & præit ei, cui jusjurandum defert. Eodem ſignificatu, *conceptio juramenti*, appellatur l. 34. D. de Jurejurando.

Certe

Certe clara aſſero] Altera lectio, *certa clara*. Non invenuſte.

Ita illum ſalvum] Appiæ curatori ridicule ita ſalutem & felicitatem apprecatur, ut iſta de Claudii divinitate & in cœlum adſcenſu, certa & clara ab eo denarrata eſſent.

Contraxerat ortum Lucis] Prope aliquando fui, ut *orbem* mallem reſcribere. Nam orbes lucis, ſive paralleli, quos ſol hieme ſupra Finitorem deſcribit, contractiores ſunt, ideoque dies breviores hibernis menſibus. Niſi, *contrahere ortum lucis*, ſit in anguſtiori cœli ſpatio oriri: qualis, adſpectu noſtri, eſt pars illa cœli circa Capricornum.

Tempora ſomni] Turneb. ex uno MS. *cornua ſomni*, legit. Nam poëtæ fingunt Somnum cornu aqua lethæa pleno perfundere & ſoporare homines tempore nocturno: quod indicat Papinius Thebaid. 6. Solis ortum deſcribens:

Clara laboriferos cœlo Titonia currus
Extulerat, vigileſque Dea pallentis habenas
Et nox, & cornu fugiebat Somnus inani.

Cum igitur hieme noctes longiores ſunt, creſcere etiam oportet, & largius implendum eſt ſoporiferum illud cornu; quia liberalius perfundendi homines & animalia ut ſomnum producant. Sed contra omnium aliorum exemplarium fidem nil temere mutem.

Augebat Cynthia regnum] Beatus Rhenanus & Turnebus, *lychnum*, malunt: quod luna alieno lumine, ut lychnus candelæ, ſplendeat, inquit Beatus. Sed cum Hadr. Junio retineo, *regnum*. Nam Phœbus diei, luna ſoror, noctis habenas moderatur. Hæc autem, cum noctes productiores, latius etiam regnat, longius extra radios fratris poſita, qui tarde ſurgit, cito cadit.

Carpebat honores] Hiems enim prima carpit & participat aliquid de fructibus, amœnitate, & honoribus extremi & contigui autumni.

Carpebat raras] Ea racematio appellatur, cum in fine vindemiæ, raræ uvæ & racemi a vindemiatoribus præteriti leguntur.

Facilius inter philoſophos] Obliquo ſchemate, diſcordiam philoſophorum majorem, quam horologiorum, ſignificat. Sic Juvenalis, volens effrænem Hippiæ libidinem, & medici Themiſonis imperitiam oſtendere, de re quapiam innumerabili loquens:

Promptius expediam quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno.

Porro omnium philoſophorum diſſidia huc congerere, faciat Rhenanus; ego extra oleas tam procul non vado.

Inter ſextam & ſeptimam erat] Noctu tamen Claudium diem clauſiſſe narrat Dion. Et Sueton. cap. 44. *Multi ſtatim hauſto veneno obmutuiſſe aiunt, excruciatumque doloribus nocte tota, defeciſſe prope lucem.* Itaque non more vulgi Romani, ab ortu ſolis numerandæ horæ (quaſi inter ſextam & ſeptimam poſt ortivum ſolem Claudius animam exhalaverit;) ſed à media nocte, quomodo *ſacerdotes Romani, & qui diem definivere civilem*, ait lib. 2. cap. 77. Plinius, & nos hodie ſolemus. Unde circa meridiem, *animam agere cœpiſſe, nec invenire exitum potuiſſe*, Seneca mox dicet. Toto ergo illo dimidiato die uſque ad auroram ſequentis cum boleto ſuo & Parcis luctatus eſt, celataque mors, donec *medio diei, tertio ante Idus Octobris, foribus palatii repente diductis, comitante Burrho, Nero egreſſus ad cohortem, quæ more militiæ excubiis aderat*, inquit Tacitus Annal. 12.

Acquieſcunt oneri poëtæ] Libri vett. *omnes poëta*: ſed cum quibus lectionem noſtram haut permutem, quam non male enarrat Turnebus lib. 25. cap. 4. Ridet enim ambitionem poëtarum, qui in ortus & occaſus ſolis, ac meridiem avidiſſime, tamquam in locos communes excurrunt; atque per deridiculum, nimis eſſe ruſticos & patientes quia onera iſta deſcriptionum invitis & tamquam jumentis ſibi imponi ſinant.

Digitized by Google

ſinant. Vide lepidum quid de Montano Julio, tali poëta apud hunc noſtrum Epiſt. 122. Sic etiam in Ætnam aut Mæandrum libentiſſime deſiliunt poëtæ. Hinc Epiſt. 79. Ætnam *ſolemnem omnibus poëtis locum*; & Epiſt. 104. Mæandrum *poëtarum omnium exercitationem & ludum* appellat.

Ingenio ejus delectatus eſſet] Cur autem Mercurius ingenio Claudii delectatus? *Propter cognitiones cauſſarum, quibus expilabat populum. Eſt enim Mercurius ἀγοραῖος*, ait Rhenanus. Aut certe magis eſt, ut liberalia Claudii ſtudia Seneca in oculis habuerit. Nam *hiſtoriam in adoleſcentia, hortante T. Livio, Sulpitio vero Flavo etiam adjuvante, ſcribere aggreſſus eſt*, inquit cap. 41. Suetonius.

Ut tamdiu cruciaretur] Citius enim interfici & mori debuit.

Annus ſexageſimus & quartus eſt] Agebatur, nondum erat exactus, ut ſupra diximus.

Cum anima luctatur] Ad illiberales illos Claudianos crepitus, *ea parte qua facilius loquebatur*, alluſum Rhenanus putat. Poteſt etiam, ut ad corporis & animi ejus imbecillitatem, quacum ab infantia ei lucta fuit. Sueton. cap. 2. *Per omne fere pueritiæ atque adoleſcentiæ tempus, variis & tenacibus morbis conflictatus eſt: adeo ut animo ſimul & corpore hebetato, ne progreſſa quidem ætate, ulli publico privatoque muneri habilis exiſtimaretur.*

Patere mathematicos] Tandem ſemel verum dicant Aſtrologi, qui eum moriturum, tam ſæpe mentiti ſunt. Videntur autem mathematici ſive Chaldæi conſulti ſæpe ante ab Agrippina ſuper morte Claudii, ſpemque ejus & Neronis vanis prædictionibus aluiſſe. Nam iis addictam ex fine 12. Annal. Taciti patet: *Crebro vulgabat*, inquit, *ire in melius valetudinem Principis* (Claudii jam jam defuncti,) *quo miles bona in ſpe ageret, tempuſque proſperum ex monitu Chaldæorum attentaret.* In iis tunc Babilus ille, cujus mentio & nefarium conſilium de expiatione Cometes per necem illuſtrium, apud Sueton. cap. 36. Neronis. Unde cum Tacitus narrat paullo ante: *De mathematicis Italia pellendis factum Senatuſconſultum, atrox & irritum*; opinor Agrippinæ artibus, apud quam mathematici gratioſi, eam fruſtrationem Senatuſconſulti accidiſſe.

Omnibus menſibus efferunt] Junii cod. *omnibus menſis*. Quod ipſe probat, *ut ludens inſinuet*, inquit, *Claudium temulentum, & crapulæ cottidianæ addictiſſimum ſæpenumero fallere Genethliacorum prædictiones, non in annos modo, ſed in ſingulas etiam paſtiones menſaſque exitum illius opperientium.* Vox autem, *efferunt*, funerea eſt. Nam mortui ad rogum efferri dicebantur. Martial.

Effert uxores Fabius, Criſtilla maritos.

Sueton. Neronis cap. 33. *Britannicum poſtero die raptim inter maximos imbres tralatitio extulit funere.* Et noſter Epiſt. 63. Quem amabas extuliſti, quære quem ames. Mathematici ergo Claudium efferebant, quia efferendum, ex aſtris conjectabant. Phraſim imitatus Interpres ſacer: *Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matri ſuæ*, Luc. 7.

Horam ejus nemo novit] Nativitatis horam intelligit, ex qua horoſcopus & totius vitæ fatum concipi debet.

Natum putavit] Lugduni enim in Gallia, non Romæ natus. Deinde *Antonia mater portentum eum hominis dictabat, nec abſolutum à natura, ſed tantum inchoatum*, inquit Sueton. cap. 3.

Dede neci] Virgilii verſus Georg. 4. de altero apum duce necando huc venuſte tranſlatus.

Melior] Nempe tuus Nero, ô Seneca. Sed omnibus mathematicis vanior augur fuiſti.

Civitate donaret] Dion lib. 60. *Multos indignos Claudius civitate ſpoliavit, multis aliis ſingulatim, aut confertim eam dedit, abſque etiam diſcrimine. Quia enim fere omnibus in rebus Romani peregrinis potiores habebantur, multi civitatis jus ab eo petebant, multi à Meſſallina ac familia ejus redimebant. Itaque jus illud ma-*

magna quondam pecunia venditum, adeo nunc vile factum eſt, ut vulgo jactatum fuerit, poſſe id vel vitreorum vaſorum fragmentis parari. Hanc ergo ejus in danda civitate ſtultam prodigalitatem irridet Seneca.

Britannos] Quædam exemplaria auctiora, & addunt, *Sauromatas, & ſi qui ultra glacialem Boream incolunt barbari* Sed hæc à pluribus abſunt, & ab aliquo erudito adjecta videntur, ridicule & ſatis longe ultra verum.

In ſemen relinqui] Peregrinorum: ne ſi omnes omnino Romana civitate donarentur, tota peregrinitas extingueretur.

Baba] Ixion & Baba, homines notæ fatuitatis illis temporibus. Noſter Epiſt. 15. *Quam tu nunc vitam dici exiſtimas ſtultam? Baba & Ixionis? Non ita eſt. noſtra dicitur.* Nec Augurinum plus cerebri habuiſſe oportuit. Similes ergo habent labra lactucas, & dignus fatuello hoc commorientium comitatu fatuus Claudius.

At Lacheſis] Poſtquam Clotho ſtamen vitæ Claudianæ abrupit, Lacheſis altera Parcarum felix & aureum (ita exiſtimabat Seneca) Neronis Imperium nere incipit. Unde fingit fila, dum educuntur, flaveſcere & in aurum verti.

Deſcendunt ſtamina fuſo] Ita correxit ex veteri exemplari Rhenanus. Omnes prius excuſi, *diſtendunt*. Non male: ne iteret quod ante, *deſcendunt facula filo*.

Vincunt Tithoni] Vaniſſimum augurium. Nero enim periit trigeſimo & ſecundo ætatis anno, Imperii quarto & decimo.

Similis vultu] Capillo enim ſufflavo, ut Apollinem poetæ fingunt, & vultu pulchro magis tamen quam venuſto, Nero fuit, teſte Tranquillo.

Nec cantu] Exiguæ tamen & fuſcæ vocis Neronem fuiſſe conſtat: quam nihilominus tam accurate habuit, ut nihil eorum omitteret, quæ vel conſervandæ vel augendæ facerent. inquit Suetonius. Hæc ergo immodice & ſupra verum blanditur Seneca ſuo alumno.

Affuſo cervix formoſa] Fuit enim Nero cervice obeſa: & quam Seneca *formoſam*, Suetonius *pudendam* vocat cap. 51. *Circa cultum habitumque*, ait, *adeo pudendus, ut comam ſemper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem ſummiſerit.*

Fortiſſimo] Lipſius Epiſt. ad Lud. Carrionem, *formoſiſſimo*, legit. Et quam animo non forti fuerit, dicet cap. 42. Suetonius. *Poſtquam Nero Galbam & Hiſpanias deſciviſſe cognovit, collapſus, animoque male fracto, diu & ſine voce & prope intermortuus jacuit.* Vox etiam *orditur*, quæ omnibus pæne exemplaribus exciderat, iterum immiſſa, ex Lipſii MS.

Χαίροντες] Verſum hunc ex fabula Cteſiphonte Euripidis reſtituit ex cod. MS. Junius, cum alii ſimpliciter legerent χαίρειν. Valet autem: *Gaudentes & fauſta acclamantes efferre domo.*

Deſiit vivere videri] Antea enim vivere tantum videbatur, cum phantaſma potius hominis eſſet, quam homo vivens. Adſpexit, opinor, ad Antoniam Claudii matrem, quæ filium ſuum *portentum hominis dictabat, nec abſolutum à natura, ſed tantum inchoatum*. Sueton. cap. 3.

Dum comœdos audit] Salſum hoc nigro ſale, ſed tamen falſum. Nam ab Agrippina per ſimulationem, mortuo jam Claudio, inducti iſti comœdi, qui velut deſiderantem oblectarent, ait Suetonius, donec circa Neronis ſucceſſionem omnia ordinarentur.

Quæ facilius loquebatur] Inferiorem gutturem, ut Plautus loquitur, intelligit, quo nimis ruſtice & illiberaliter ſonare ſolitus Claudius. Id enim nullo dedecori habebat. imo *dicitur meditatus edictum*, ait cap. 32. Suetonius, *quo veniam daret flatum crepitumque ventris in conviviis emittendi; cum periclitantem quendam præ pudore ex continentia reperiſſet.* Lingua vero titubanti, rauca, & incondita erat Claudius; quod Epiſtola ad Liviam ſuam, nepotis vicem dolens

Digitized by Google

dolens & querens, ſignificat Auguſtus, apud Sueton. Claudii cap. 4.

Omnia certe concacavit] Imperium totum, quod cædibus & ſtoliditate polluit & conſpurcavit. Exemplaria quædam auctiora, verba hæc pluſcula immittunt: *Nec poſt boletum opipare medicamentis conditum, plus cibi ſumpſit.* Sed à ſciolo aliquo hauddubie infarcta, qui apud Juvenal. Sat. 5. legerat:

Boletus domino, ſed qualem Claudius edit,
Ante illum uxoris, poſt quem nil amplius edit.

Nam quale eſt, ut Seneca Agrippinæ veneficium, tam occulte habitum, voluerit hic publicare? ut recte animadverſum à Fabro.

Memoria publicitim gaudium impreſſerunt] Curionis, Eraſmi, & plures alii codices, *impreſſit.* non paullo melius. Difficulter autem excidunt ea quæ gaudium memoriæ imprimit; quia voluptas mentem ad ea quæ blandiuntur idemtidem reflectit, & memoriam, ne oblitteretur, refricat & quodammodo reſcribit.

Bona ſtatura] Nam Claudius *prolixo, nec exili corpore erat, & ſpecie canitieque pulcra, opimis cervicibus.* Suetonius cap. 30.

Caput movere] Hæc ſimul & ſemel enarret nobis Sueton. *Cæterum & ingredientem* (Claudium) *deſtituebant poplites minus firmi; & remiſſe quid vel ſerio agentem multa dehoneſtabant: riſus indecens, ira turpior, ſpumante rictu, humentibus naribus; præterea linguæ titubantia, caputque, cum ſemper, tum in quantulocumque actu vel maxime tremulum.*

Non intelligere ſe linguam ejus] De lingua iſthac Claudiana Auguſtus ad Liviam: *Tiberium nepotem tuum placere mihi declamantem potuiſſe, peream niſi, mea Livia, admiror. Nam qui tam ἀσαφῶς loquatur, qui poſſit, cum declamat, σαφῶς dicere quæ dicenda ſunt, non video.*

Monſtra timuerit] Faber & Lipſius, *domuerit*; mavelint. Sed, *timuerit*, etiam probum; imo magis acutum. Nec enim ſine timore tanta monſtra domantur.

Tertium decimum laborem] Duodecim labores Herculis, & totidem monſtra ſuperata, etiam pueris decantata ſunt. Igitur decimum tertium, Claudium, ſibi ſupereſſe credidit.

Græculo] Non Herculi, ſed Claudio, opinor. Nam hunc Græculum fuiſſe, & magna cura ſtudia Græca ſectatum, & amorem præſtantiamque linguæ, omni occaſione profeſſum, narrat Tranquillus cap. 42. Faciliime igitur linguam illam intellexit Claudius ex poeta præſertim familiari. Homeri enim verſus eſt, ex Odyſſ. Α. qui ſic integrandus:

Τίς, πόθεν εἶς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες;

Quis? unde es hominum? ubi tibi civitas, atque parentes?

Sæpe autem, etiam pro tribunali, Homericis verſibus Claudius loquebatur. Et *quoties hoſtem vel inſidiatorem ultus eſſet, excubitori Tribuno ſignum de more poſcenti, non temere aliud dedit, quam,*

Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Virum propulſare, cum quiſpiam prior me laceſſiverit.

ex Odyſſ. Π. ut cap. 42. Suetonius.

Hiſteriis ſuis locum] Nam Claudius Græcas ſcripſerat hiſtorias, teſte ibidem Suetonio.

Ἰλιόθεν με φέρων] Verſus iterum Homeri eſt, Odyſſ. I.

Ab Ilio me ferens ventus Ciconibus appulit.

Quo Claudium Cæſarem ſe eſſe, & ab Julo Trojano, Æneæ filio, oriundum ſignificat.

Ἔνθα δ' ἐγὼ] Sequitur mox in Homero iſte verſus, & belliſſime in cædes & ſævitiam Claudii cadit. Latine verbatim:

Ibi ego urbem depopulatus ſum, interfeci autem ipſos.

Narrat autem Ulyſſes Alcinoo ſe Cicones Thraciæ populum perdidiſſe: Seneca lepide in Claudium deflectit, qui urbem

urbem Rom. cædibus impleverat. Non libet hic meminiſſe quæ fingit, refingit, interpolat, & nugatur Rhenanus.

Homini minime vaſro] Ita optime correctum à Junio, cum vetuſta exemplaria legerent, *fabro*. Alia quædam prolixius: *impoſuerat Herculi minimo diſcrimine fabulam.* Unde Alciatus & Rhenanus, *fibulam*, fabricati ſunt. Et turpiculam illam ac notam fibulam interpretantur, qua veteres ſe contra libidinis motum, aut ad vocalitatem aſtringebant. ¡Fibulam ergo Herculi imponere, erit, eum compeſcere, ne ultra Claudii patriam ſciſcitaretur: *metaphora duriuſcula*, inquit Rhenanus. Sed nihil opus duritiem illam Senecæ impingere; nil enim mollius & elegantius noſtra lectione. Facile, inquit, deceperat Claudius, & impoſuerat Herculi, ut ſolet hominibus minime vafris, qualis Hercules, & ei ſimiles, grandes, robuſti, toroſi, ac ſtolida corporis prolixitate, qui ſimpliciores eſſe ſolent, ac minime mali.

Fano ſuo relicto] Fanum Deæ Febris Romæ in Palatio fuiſſe, dicit Plinius lib. 2. cap. 7. Et bellam iſtam Deam cum bellatulis ſuis fraterculis irridens D. Auguſt. lib. 4. cap. 23. Civit. *Priapus*, inquit, *& Cloacina, & Pavor, & Pallor, & Febris, & cætera non numina colendorum, ſed crimina colentium.* Sed cur Febris Claudium in cœlum comitata? Rhenanus ſolemniter ſubtilis: *Tacite notat*, inquit, *impietatem & ἀθεότητα Claudii, quem nemo Deorum comitatus ſit, præter Febrim, & hanc infeſtam.* Sed Seneca palam adſpicit longas febres & invaletudinem, qua Claudius *per omne fere pueritiæ atque adoleſcentiæ tempus conflictatus eſt, hebetato etiam inde progreſſa ætate corpore*, ut cap. 2. narrat Sueton. Nam & Febris mox dicet, ſe *cum ipſo tot annos vixiſſe.* Fortaſſe etiam Febri eum deceſſiſſe Seneca videri voluit, ut boleti & veneficii Agrippinæ ſuſpicionem averteret.

Lugduni natus eſt] Non eſt Romanus, inquit, nec ab Ilio venit, ut ex Homero ſuo mentitus eſt, ſed Lugduno ex Galliis. Sueton. cap. 2. *Claudius natus eſt, Julio Antonio, Fabio Africano Coſſ. Kal. Auguſtis, Lugduni, eo ipſo die quo primum ara ibi Auguſto dedicata eſt: appellatuſque Tiberius Claudius Druſus.*

Marci municipem vides] Turneb. lib. 25. cap. 4. Marci Tullii Ciceronis municipem vocari credit, quia Claudius Ciceroni ſimilis, & in municipio Lugdunenſi natus, ut ille in Arpinate. quod paulliſper contortum mihi apparet. Propius verum eſt, quod Rhenanus, *Munatii*, legendum conjectavit. Nam L. Munatius Plancus coloniam Lugdunum deduxerat, ut ex epigrammate Cajetano oſtendit Sigonius in Faſtis: Quis autem proprie municeps, & quomodo non recte vulgo municipia confundantur cum coloniis, vide erudite Agellium lib. 16. cap. 13.

Romam cepit] Acute. Galli Senones (notiſſima hiſtoria) Romam olim ceperunt; unde poſtea à Camillo expulſi. Claudius Gallus iterum cepit, id eſt, vaſtavit & cædibus complevit, ut illi vetuſti.

Tibi recipio] Ita Junius ex cod. MS. veterem lectionem mutavit. Recipere autem quidpiam dicimur, cum fidem interponimus & aſtringimus. Cætera exemplaria, *Hunc ego reddo tibi.* Quod non omnino improbabile: ut Febris Claudium à ſe extinctum affirmet, & venenum Agrippinæ celet.

Licinius multos annos regnavit] Hic natione Gallus, & Julii Cæſaris quondam libertus: ab Auguſto Galliæ præpoſitus, regnum & tyrannidem apertam in gentem ſuam furtis & rapinis exercuit. Cum in ſingulos menſes tributum ei penderent Galli, annum quatuordecim menſium fecit: Decembrem ex etymo nominis, decimum, non ultimum eſſe dictitans, duoſque alios inter ipſum & Januarium interjecit, quos Auguſtos vocavit. Accuſatus à Lugdunenſibus & tota pæne Gallia, cum diſcrimen præſens cerneret, hoc aſtu evaſit. Auguſtum in ſecreta domus & theſauros induxit, &c.

Ecce

Ecce Domine, inquit, ingentem iſtam auri & argenti vim tibi acervavi, ne nimia opulentia Galli inſoleſcerent. Narrat Dion lib. 54.

Mulio perpetuarius] Eraſmus in adagio, Muli Mariani, *mulus perpetuarius*, legit, & eumdem cum Mariano mulo facit. Muli vero Mariani, vulgari adagione, ſeduli & laborum ferentes ac patientes dicuntur. Sed *mulionem* & exemplarium fidem retineamus. Mulio igitur perpetuarius eſt, qui mulam veterinam perpetuo, quoad ea vixerit, conductam habet, & ea vellaturam facit, ut recte Alciatus. Tales enim ad vecturas & colligendum lucrum quacumque diſcurrere ſolent. Simili ſignificatu Impp. Theod. & Valent. L. ult. C. de locat. præd. civil. *perpetuarium* vocant, qui fundum in totam vitam conduxit. Aliter paullo Senecæ phraſin enarrat Rhenanus, ſed non audio.

Inter Xanthum & Rhodanum] Rhenanus *taxari* hic putat *Claudium*, *qui cum in Gallia*, inquit, *natus eſſet*, *Græcus videri geſtiebat*, *ut quem patria ſua puderet*. Sed ipſe nec cœlum nec terram, ut Belgæ loquimur, tangit. Certus & unicus ſenſus eſt iſte. Claudius paullo ante verſu illo Homerico, Ἰλιόθεν; &c. (quem male expunxerat Rhenanus) dixerat ſe Ilio ſive Troja veniſſe, negat jam id Herculi Febris; &, Procul, inquit, natale ejus ſolum Ilio abeſt: ſcis enim, ô Hercules, qui tam multas terras peragraſti, quot millium intervallo Xanthus Trojanus fluvius à Rhodano Lugdunenſi diſtet.

Nemo intelligebat] Si enim lingua ejus ſemper ἄσημος, rauca, & titubans, quanto magis jam in ira? *Riſus indecens*, *ira turpior*, *ſpumante rictu*, *humentibus naribus*, *præterea lingua titubantia*. &c. Sueton. cap. 30.

Febrim duci jubebat] Nam ἁπλῶς & proprie *duci* dicuntur, qui ad ſupplicium. Noſter iterum infra: *quos Narciſſus duci juſſerat*. Tranquillus Caligulæ cap. 27. *Cuſtodiarum ſeriem recognoſcens*, *nullius inſpecto elogio*, *ſtans tantummodo intra porticum mediam*, *à calvo ad calvum duci imperavit*.

Ad hoc unum ſatis firma] Non tantum capitis, ſed etiam manuum tremori obnoxium Claudium Dion narrat. Soluta igitur, tremente, & in digitos ſparſa manu ſignum cædis dare ſolitus erat.

Omnes illius eſſe libertos] O amarum morſum! Uxorum enim, & aliquot libertorum non miniſter ſolum, ut Suetonius, ſed mancipium erat, ut Dion loquitur. Nam eum regebant, ut nervis alienis mobile lignum, ridebantque ceu caudicem & fatuum. Itaque jam in cœlo nemo magis eum curat, aut imperanti obſequitur, quam ſi omnes ejus eſſent liberti, aſſueti imperia patroni ſui contemnere. Præter autem Harpocram, Poſidem, & Felicem, tres alii liberti Principem plane agebant: Polybius à ſtudiis, Pallas à rationibus, Narciſſus ab epiſtolis.

Deſine fatuari] Fatuum agere, qualis tota vita fuerat Claudius. Unde à præceptore Seneca fortaſſis edoctus Nero, *Morari eum* (Claudium) *inter homines deſiiſſe*, *producta prima ſyllaba*, *jocabatur*, *multaque decreta & conſtituta*, *ut inſipientis atque deliri*, *pro irritis habuit*, ait Sueton. Neronis cap. 33. *Morari* autem à Græco μωρὸς, quod fatuum ſignificat, inflectebat; cum Latinum *morari* primam corripiat.

Mures ferrum rodunt] Criticorum, quantum equidem viderim, hic (extra unum Rhenanum) altum ſilentium. Aut non intelligo, aut ridicule Hercules terrere vult Claudium. Si, inquit, mures hic tam ſunt mordaces & acuti dentis, ut ferrum etiam rodere valeant, quales dentes & ferociam nos Deos habere exiſtimas? Itaque cave, ne Febri aut cuiquam alteri Deorum hic iraſcaris, & in naſum nobis etiam bilem concias.

Citius mihi verum] Nempe, *dicito*. Eſt enim ſermo abruptus & imperfectus, qualis iratorum ſolet, Virgiliano iſti ſimilis:

Quos ego. ſed motos præſtat componere
fluctus.

Alio-

Alogias excutiam] Verberibus ſtultitiam tibi excutiam. Alogias proprie Galli vocant *impertinences*. Qui Herculis laborum & fabellarum gnari, ſequentium etiam verſuum ſententiam non ignorabunt.

Vidi duobus] Graphice ſitum urbis Lugdunenſis deſcribit, ubi confluunt Arar & Rhodanus.

Mentis ſuæ non eſt] Hercules, etſi hæc tragice & ad terrorem cothurnatus intonuerit, nondum tamen ſecuræ & ſuæ mentis eſt, timetque *μωροῦ πληγὴν* (ſic ex cod. MS. belle reſtituit Junius) *ſtulti ictum*. Stulti enim, quales Claudius, cum laceſſuntur, in iram & verbera prorumpunt, & obvios quoſque ſine delectu feriunt.

Idem gratia] Gratia enim militum, poſt Caji cædem, Claudium Principem fecerat, & ut neminem Romæ haberet ſibi parem.

Gallum in ſuo ſterquilinio] De gallo quidem gallinaceo eſt proverbium; alludit tamen venuſte ad Gallicam Claudii nativitatem.

Affuturum apud alios]. Apud Latinos, *adeſſe*, verbum eſt fori, & patrocinari ac advocatum in cauſſa ſe præbere ſignificat. Suetonius Claudii cap. 38. *Scribam Quæſtorium inauditum & innoxium relegavit, quod adverſus privatum ſe* (Claudium) *intemperantius affuiſſet*. Loco ejus verbi, temporibus ſuis (id eſt, Hadriani Cæſaris) queritur verbum *ſupereſſe* invaluiſſe lib. 1. cap. 22. Agellius. *Irroboravit inveteravitque*, inquit, *falſa atque aliena verbi ſignificatio, quo dicitur, Hic illi ſupereſt, cum dicendum eſt, Advocatum eſſe quem cupiam, cauſſamque ejus defendere*. Quomodo etiam abuſus Suetonius Hadriani Scriba, cap. 56. Auguſti. *Cunctari ſe, ne, ſi ſupereſſet, eriperet legibus reum: ſin deeſſet, deſtituere ac prædamnare amicum exiſtimaretur*. Ubi, *deeſſe*, eſt cauſſam & advocationem deſerere, ut verbo *ſupereſſe*, ſeu *adeſſe*, opponatur.

Notorem petiſſet] Variant & titubant hic Critici, inſolentia *notoris* conturbati. Junius vocem cædit; legitque, *à me noto rem petiſſet*. Rhenanus ſolenti audacia, *auctorem*, aut è Latio in Græciam fugiens, *ἀμύντορα*, *vindicem*, nobis obtrudit. Fruſtra. *Notor*, Latina vox eſt, nec aliam hoc loco recipimus. Noſter iterum Epiſt. 39. *Qui notorem dat, ignotus eſt*. Eadem uſus Petronius Arbiter. Igitur *notor* eſt, qui tamquam gnarus adhiberi ſolet; ut alterum aliis ignotum noſcitet & agnoſcat. Cicero *cognitorem*, Græci *γνωστῆρα* appellitant. Vide Turneb. lib. 29. cap. ult.

Jus dicebam totis diebus] Sueton. cap. 14. *Jus & Conſul & extra honorem laborioſiſſime dixit, etiam ſuis ſuorumque diebus ſolemnibus, nonnumquam feſtis quoque antiquitus & religioſis*. Dion lib. 60. *Quotidie propemodum, vel cum univerſo ſenatu, vel ſolus ipſe, plerumque in foro, quandoque alibi pro tribunali de cauſſis Claudius cognoſcebat*.

Julio & Auguſto] Tempore etiam meſſis ac feriato (cum

—— *Latia non miſcent jurgia lites,*
Et pacem piger annus habet, meſſeſque reverſæ
Dimiſere forum. ——

Papin. lib. 4. Silvar.) non ſe abſtinuiſſe juriſdictione ſignificat. *Julio* enim *menſe maxime lites interquieſcunt*, ut ait lib. 8. Epiſt. nepos Plinius. Seneca vero intempeſtivam fatui iſtius Judicis diligentiam irridet.

Cum cauſſidicos audirem] De hac Claudiana patientia cap. 15. Sueton. *Illud quoque à majoribus natu audiebam; adeo cauſſidicos patientia ejus ſolitos abuti, ut deſcendentem è tribunali non ſolum voce revocarent, ſed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenſo retinerent. Ac ne cui hæc mira ſint, litigatori Græculo vox in altercatione excidit*, καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός, Et tu ſenex es, & fatuus.

Cloacam Augiæ] Αὐγείου βουστασίας, *ſtabuli Augiæ* repurgationem; inter 12. Herculis labores, etiam pueri ſciunt.

Sed quoniam volo] Lacunam hic dialogiſmi ſat late hiantem ſuſpicantur Rhenanus & Junius: & ſane cæcus

ſit, qui deeſſe, aut turbatum aliquid non videat. Junius, *ſed quo ἐμβολὴ*, legendum conjectat. Verba enim Deorum ad Herculem eſſe videntur, admirantium & increpantium, quod ſtolido & ſolito corporis robore, cœli fores impulerit, & ad cœlites ſic intraverit. Antiqua lectio ordine paulliſper inverſo: *Sed non miror, quod impetum in curiam feciſti: quoniam volo* (fortaſſe, *violens*) *& nihil tibi clauſi eſt.*

Ἐπικάρσιος θεὸς] Græca hæc ſuſpecta, quia à Rhenano, tenuium, uti fatetur, veſtigiorum ſecuto indicio, reſtituta ſunt.

Οὔτι αὐτὸς] Sic non infeliciter repoſitum à Rhenano, ſuffragante tacite Lipſio in ſua Menippæa. Epicureorum enim deſidioſorum & inter voluptates molliter conſeneſcentium lex erat: Οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα, &c. *Neque negotium habere, neque alteri exhibere.* Verum, quomodo Claudius, Deus Epicureus fieri non poteſt, ſi *neque ipſe negotium habeat, neque aliis exhibeat?* Imo vero idcirco Deo Epicuri ſimilior, qui ſecurum agit ævum, nec in negotia & res iſtas humanas curam & providentiam demittit. Itaque præpoſita una vocula, ὃς οὔτι αὐτὸς, &c. ſententiam Latine ſic concipiendam exiſtimo. Claudius *Epicureus Deus non poteſt eſſe, qui* (nempe Deus) *neque ipſe negotium habet, neque aliis exhibet.* Ut ſignificet, Claudium & ſibi negotioſum fuiſſe, & tot aliis quos inter fecit, negotium faceſſiſſe, proindeque Deo Epicuri eſſe diſſimillimum.

Rotundus eſſe] Stoici enim Mundum, qui rotundus eſt, Deum eſſe cenſebant, ut diximus Præfat. lib. 1. Natural. Igitur ſic argutantur nugaces iſti Dii: Quomodo poteſt Claudius fieri Deus Stoicorum, cum non ſit actus in orbem, ſed caput, pedes, præputium, cæteraque hominis, non globi, habeat?

Eſt aliquid in eo] Verba alicujus ſemidei ſunt, qui in Claudium acrius intuens, alios corrigit, qui Deum Stoicorum non poſſe fieri centuerant. Imo, inquit, ut video, eſt ſatis rotundus; nam neque cor, neque caput habet: quia nempe ſapientia carebat. Sapientes enim corde & cerebro abundare dicuntur. Unde Scipionem à ſapientia, Corculum cognominaverunt veteres illi Romani.

Si mehercules] Locus ſauciatus videtur, & aliquid præceſſiſſe quod exciderit. Hic vero ſemideorum quiſpiam ait, Claudium beneficium ἀποθεώσεως & divinitatis à Saturno obtenturum fuiſſe, ſi à Saturno petiſſet: & cauſſam ſubjungit.

Cujus menſem] Junius, *menſam*, legi poſſe affirmat; & ita in editione ſua legit Schottus. ſed non tam belle poteſt. Menſis ille Saturni, December eſt; circa cujus dimidium, quinque dies Saturnalium Romæ, cum duobus Sigillarium ſequentibus, omni luxu conviviorum & comeſſatione celebrabantur. Servi etiam tunc habitum dominorum, miniſtrantibus dominis, aſſumebant. Noſter Epiſt. 18. *December eſt menſis, cum maxime civitas deſudat. Jus luxuriæ publicæ datum eſt, ingenti apparatu ſonant omnia: tamquam aliquid inter Saturnalia interſit, & dies rerum agendarum. Adeo nihil intereſt, ut non videatur mihi erraſſe, qui dixit, olim menſem Decembrem fuiſſe, nunc annum.* Belliſſime ad hujus loci enarrationem, ubi Claudius dicitur *toto anno celebraſſe Saturni menſem.* Lege, amabo, Suetonii cap. 32. & 33. cum Seneca dices & mecum. Imperium etiam permiſerat ſuis libertis (ut Saturnalibus ſolet) quorum verius mancipium erat quam Imperator. Hinc cum exercitus in Gallia ſeditionem agitaret, nolletque in Britanniam ſequi A. Plautium Prætorem, miſſuſque à Claudio eſſet princeps libertorum Narciſſus ad compeſcendum, & hic verba facturus aſcendiſſet tribunal, milites, inquit Dion, orta maxima indignatione, exclamare cœperunt, *Io Saturnalia! io Saturnalia!* & ultro volentesque Prætorem ſecuti ſunt. Saturnalibus etiam aleatorium forum calefacere in nullo probro ponebatur:

Clau-

Claudius vero toto anno *aleam ſtudioſiſſime luſit*, ait Sueton. *de cujus arte librum quoque emiſit: ſolitus etiam in geſtatione ludere, ita eſſedo alveoque adaptatis, ne luſus confunderetur.* Veriſſime ergo toto anno celebravit Decembrem.

Ejus Princeps non tuliſſet] Locum prodigioſe deformatum, ut loquitur & clamat Rhenanus, magis ipſe deformat. Legit enim, *Caius Princeps*; Junius vero, *Saturnalitius Princeps.* Lipſii conjectura, Epiſt. ad Lud. Carrionem, placet. *Saturnalia ejus*, immiſſum eſſe a gloſſographo, volente enarrare, quis ſit ille *Saturni menſis*: nempe December & Saturnalitius. Totus itaque locus, addita interrogandi nota, ſic eſt reſcribendus: *Si mehercules à Saturno petiſſet hoc beneficium, cujus menſem toto anno celebravit Princeps, non tuliſſet?*

Illum Deum ab Jove] Rhenanus perſuaſiſſimum ſibi ait, iſtas voces, *Deum ab Jove*, nihil ad ſenſum facere: itaque Græciſſat ſuo more, &, *Illum ἀποθεῶσαι*, legit. Turneb. lib. 18. cap. 15. ſuperiora paulliſper interpolata cum ſequentibus ſic continuat: *Ejus preces* (ita mavult quam *Princeps*) *non tuliſſent illum Deum à Jove, quem, quantum in illo fuit, damnavit inceſti: qui L. Silanum generum ſuum occidit, ſororemque ſuam.* Sed fruſtra vulnus ſatis manifeſtarium tentavit conſuere. verba enim compluſcula, aut ſententiæ totæ exciderunt. Minima tamen jactura ſenſus poſſumus cum interrogatiuncula ſic legere: *Illum Deum ab Jove, (nempe, fieri) quem, quantum quidem in illo fuit, damnavit inceſti?* A Saturno, inquit, cujus menſem, in Principatu, toto anno celebravit, ſpes fuit ferendi beneficium ἀποθεώσεως, non ab Jove, quem damnavit inceſti. Qui ſic? *L. Silanum enim, &c.* Hiſtoria in Tacit. Annal. 12. L. Silanus Claudii gener & filiæ Octaviæ ſponſus, accuſatus de inceſtu cum Junia Calvina ſorore, Senatorio ordine motus, & Magiſtratum ejurare compulſus mortem ipſe ſibi conſcivit, aut (ut Suetonius cap. 29.) *mori coactus eſt.* Hac vero in L. Silanum ſententia Claudius Jovem etiam inceſti damnavit; quia Jupiter olim Junonem, ſororem ſuam duxit uxorem. Lipſius paullo aliter, ad illum 12. Tacit. Annal. hunc locum & lectionem refingit, ſed, ſi ſatis oculis valeo, minus concinne. quamquam in editione ſua ſecutus eum Schottus, qui etiam, *ab Jove*, auſus in *apage* transfigurare; ſed cujus exemplaris fide?

Oro per quid] Ita cod. S. Amandi apud Junium. Rhenani MS. *Oro per quid.* Alii, *Oropen ſororem ſuam.* Ridicule: nam non Orope, ſed Junia Calvina, ſoror Silani vocabatur. Probabilior Lipſii conjectura: *Oro, propter quid? Sororem ſuam, &c.* ut hæc ſit ad interrogationem reſponſio. totus enim libellus dialogiſmis, & crebra alternantium perſonarum interlocutione conciſus eſt.

Feſtiviſſimam omnium puellarum] Tacit. 12. Annal. *decoram & procacem* vocat: & hinc Venus appellata.

Maluit Junonem vocare] Uxoris loco habere. nam, ut recte ex Plauto ſuo olim notavit Lipſius, mariti blanduli uxores ſuas, *Junones* ſolent appellare. Alludit etiam, opinor, ad Jovis & Junonis conjugium: quaſi Silanus voluerit Jovem imitari, & ex ſorore Junonem, id eſt, uxorem facere.

Quare, inquit] Corrupta omnia, & Sibyllæ folium juxta intelligenda, ait Turnebus. Rhenanus divinat: *Quare invidit Rom. hiſtorias ſuas?* Quam lepide & ridicule! Lipſius: *Quare, inquit, quare iniit ſororem ſuam? Stulte, ſtulte, Athenis, &c.* Sed omnes univerſi vetuſti codices, Fabro teſte, *ſtude*, legunt. Placet itaque locum totum ſic refingere ad Turnebi, & proxime veteris lectionis exemplum. *Quare*, inquit, *quare ſororem ſuam?* ut turpiculum aliquod verbum ſubticeatur, & verba ſint Claudii, quæ quiſpiam ſemideorum repetit. Nonne, aiebat Claudius, Silanus mortem commeritus, qui Calvina ſorore, tamquam uxore abuſus? Cui reſpondet nequiculus ille Deus: *Stulte, ſtude: Athenis dimidium licet, Alexandria*

Præcepta Pyrrhonis] Princeps Scepticorum, ſive dubitantium, hic fuit.

Pythagorica illa invidioſa turba ſcholæ] Pythagoræ vetuſtiſſima & illuſtriſſima ſchola circa tempora extremorum Romæ Regum, in Italia floruit: invidenda prorſus, ſive turbam, ſive excellentiam diſcipulorum ſpectes. Ex ea Zaleucus & Charondas legiſlatores, Timæus, Lyſis, Archytas, aliique ſine numero, ingeniis famæ philoſophi. Gruterus tamen, *invidioſa turba ſchola*, legere geſtit: quia popello, inquit (ob carnium, credo, abſtinentiam & alia quædam) invidioſa ſecta Pythagoræ fuit. Quod non omnino diſplicet. Quam vero cito σύςημα Pythagoricæ ſcholæ diſſolutum ſit, vide Lipſium lib. 1. Diſſert. 6. Manuduct.

Sextiorum nova] Duo enim Sextii, pater & filius, Romæ philoſophi fuere. Pater ſub Auguſti Principatu floruit. Hic eſt, quem à Rep. ad philoſophiam transfugiſſe, & latum clavum, ſeu dignitatem Senatoriam, à D. Julio oblatam reſpuiſſe, Epiſt. 98. noſter narrat: quem deinde Epiſt. 59. *virum acrem, Græcis verbis, Romanis moribus philoſophantem* dicit: quem denique initio philoſophiæ, impetum cepiſſe, ut ſe in mare deſperabundum dejiceret, alicubi refert Plutarchus; quia inter primas difficultates & ſpinas adhæreſcens, ingenium ſibi ad profectum impar crederet. Sextius filius circa annum Imperii Auguſti 42. natus, ſi Euſebio credimus: unde Senecæ parem ætate, aut circiter, fuiſſe oportuit, ſi vera ſunt quæ Lipſius & nos ante, de ævo Senecæ conjectavimus. Sed quomodo *novam ſectam Sextiorum* hic appellat, cum Epiſt. 64. Sextium patrem Stoicum, alii Pythagoricum fuiſſe dicant? Sed res ita habuit. Secta eorum non una è veteribus pura & ſine miſcela alterius, ſed ex Stoica & Pythagorica miſcellanea fuit: quod ex Epiſtola noſtri 108. intelligimus, ubi Sextium in abſtinentia animalium pythagorizantem facit.

Pyladis & Batilli domus] Hiſtriones & pantomimi ſub Auguſto fuerunt. De Batillo Juvenal. Sat. 6.

Chironomon Ledam molli ſaltante Batillo.

Seneca pater lib. 3. Declamat. ait Pyladem in comœdia, Batillum in tragœdia excelluiſſe. Auguſtus *Pyladem urbe atque Italia ſubmovit, quod ſpectatorem, à quo exſibilabatur, demonſtraſſet digito*, inquit cap. 45. Sueton. Revocavit tamen poſtea, ut populo placeret, & hic volentius duriuſculas quaſdam leges, & ſervitutem patientius acciperet. Unde *Pylades ab Auguſto quondam objurgatus*, inquit l. 54. Dion, *quod cum Batillo, eamdem artem exercente & Mæcenatis familiari, rixaretur, reſpondiſſe fertur: Expedit tibi Cæſar, populum nobis intentum, tempus conſumere.* Eadem prope Macrob. lib. 2. cap. 6. Satur. niſi quod cum Hyla, itidem pantomimo, non cum Batillo jurgium Pyladis fuiſſe narret. Ex quibus intelligis, quam vere Tacitus lib. 1. Annal. Auguſtum, *militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexiſſe* in ſervitutem, dixerit. Huic enim fini, athletis, hiſtrionibus & pantomimis, ac omni genere certaminum Romam implevit.

Urbe tota ſonat pulpitum] Locum editiorem & proſcenium, in quo ſaltabant & canebant hiſtriones, vocabant pulpitum. Nota autem illius ævi luxum: ut non tantum publice in theatris, ſed privatim & domeſticatim hiſtriones & pantomimi haberentur, & inter eos à civibus Rom. tam viris quam feminis ſaltaretur.

Uter det latus illis] Vetuſti aliquot cod. *ut detur latus illis*. Aut, *ut dent latus illius*. Nicot. *uter det latus. Illinc deinde*, &c. Et ſane, *illis*, videtur redundare. Contendunt ergo uter det latus, id eſt, honoratiorem locum accipiat. Qui enim à dextris eſt, dat latus alteri tegendum, eſtque ei ſiniſter quaſi pro ſcuto, quod ſiniſtræ inſeri ſolet, ut inerme illud latus tegat: nam ferrum, quod dextra regitur, dextrum latus ſatis tutum præſtat. Qui igitur dat latus, dexter; qui tegit, ſiniſter eſt. Horat. lib. 2. Sat. 5.

Viſne tegam ſpurco Damæ latus?

Locum enim ſiniſtrum minus eſſe honora-

Digitized by Google

noratum, etiam olim (quidquid pauci quidam remurmurent) ex iis quæ à Turnebo, & Lipſio in hanc rem ſcripta, nimis jam paſſivum eſt & protritum.

Sub perſona] Velata enim facie & perſonati ſaltabant hiſtriones. Sueton. de Nerone: *Tragœdias quoque cantavit perſonatus.* Perſona aliter larva dicitur, quam à perſonando, cum C. Baſſo, derivat Agellius lib. 5. cap. 7. *Quoniam indumentum illud oris, clareſcere & reſonare vocem facit, cum ſit una tantum vocis emittenda via pervium*, ideoque vagam & fluentem vocem colligit & denſat, ut fortius aërem terebret.

Tranſitur ad ganeam] Dicitur etiam, *ganeum.* Quod Nonius interpretatur *locum libidini & vinolentiæ aptum:* Feſtus *locum abditum, & velut ſub terra.* Unde à *γαῖα*, *terra*, palam derivat: quod etiam facit Donatus. At vero Turnebus, *ganeum*, inquit, *dicitur fornix, quaſi Græcè γάνεον.* Ego malim ſimpliciter à *γανίω*, id eſt, *voluptatibus indulgeo*, derivare. Verum Fortunati & Gruteri cod. non *ad ganeam*, ſed *ad galeam*, legunt: quaſi Seneca velit, à perſona & hiſtrionia iri à feminis ad galeam & Arenæ pugnam: nam feminarum eo tempore impudentiam ad galeam, gladium, & Arenam deſcendiſſe, ex Tacito, Suetonio, aliiſque certum eſt. Juvenal. Sat. 2.

Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem?

Vide Lipſium lib. 2. cap. 4. Saturnal. Nec inter ſe ſolum, ſed cum beſtiis etiam in Arena depugnabant. Juvenal. Sat. 1.

Cum tener uxorem ducat ſpado, Mævia Thuſcum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma,
Difficile eſt, ſatyram non ſcribere. —

Et ſane, bellior erit imago illa loquendi, qua frons diu perfricta & quaſi detrita ſub theatrali perſona, transfertur ad galeam. Nam perſonæ, ſive larvæ illius ævi, inſtar galearum erant; cum non ſolum faciem, ſed caput etiam operirent, ut ex verbis C. Baſſi apud Agellium lib. 5. cap. 7. intelligitur. Sed tamen *ganeam* in *galeam* nondum permutare auſim, quidquid id facere pruriat Fortunatus.

In quo veritas poſita eſt] Ad puteum Democriti, in quo deliteſcere aiebat veritatem (quod ante adhuc alias) iterum alluſum. Libro etiam 7. cap. 1. de Beneficiis: *Involuta veritas, in alto latet.*

LIBERTI FROMONDI,

in Academia Lovanienſi Philoſophiæ Profeſſoris,

NOTÆ
IN
L. ANNÆI SENECÆ
CLAUDII CÆSARIS
ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΝ.

PRÆFATIO.

Libellum iſtum inter totius rei litterariæ mendoſiſſimos difficillimoſque, confeſſum eſt apud omnes, & nos ſane egregie experti ſumus. Emendavimus tamen Rhenani, Fabri, Junii, Gruteri, aliorumque Notis adjuti, enarravimuſque, quantum in nobis ingenii & Minervæ fuit. Totus autem Satyra Menippea eſt, qua ſale nigro fatuum Claudii Cæſaris caput lepide defricat. Quia enim mortuo cœleſtes honores fuerant decreti, fingit eum in cœlum aſcendiſſe, & poſtulaſſe inter Deos recipi. Cauſſa ejus in Concilio Deorum agitari cœpta, Dieſpiter & Hercules in eum proni, alios etiam inclinaverant; cum Divus Auguſtus exſurgens, recenſitis pari eloquentia & animi indignatione cædibus, queis in domum ſuam & Rom. nobilitatem paſſim Claudius graſſatus erat, brevi perfecit, ut omnes pedibus in ſententiam & Claudii damnationem concederent, detraheretur que ad Inferos, ubi teſſeris ludit pertuſo fritillo, datuſque inſuper Menandro Æaci (ſive Caii Caligulæ mavelis) liberto, ut ei eſſet à cognitionibus: ut nempe callidiſſimus aleator, & toto Principatu libertis ſuis obnoxius, in utroque quo peccaverat, puniretur. Cæterum, cauſſa ſatyricæ ſcriptionis, fatuitas Claudii, & memoria injuriæ, qua ab eo, ceu Juliæ filiæ Germanici adulter, Seneca in exilium pulſus fuerat. Aliter tamen longe olim de eo aut ſenſit, aut certe ſcripſit in Conſolatione quam ex Sardinia & exilio ad Polybium Claudii libertum miſit. Quem enim hic crudelem, fatuum & omnibus cucurbitis inſulſiorem facit, atque ad infima tandem Inferorum miniſteria detrahit, ibi *mitiſſimum Cæſarem*, inter cujus virtutes *clementia primum locum obtinet:* ad hæc, *memoria tenaciſſima omnium ſapientum præcepta* retinere: denique, *maximum & clariſſimum numen*, aliaque non pro philoſopho & Seneca adulatur, animo & corpore in exilio fractus, ut Lipſius noſter excuſat. De titulo Libri inter eruditos non convenit. Beatus Rhenanus, qui reperiſſe & primus typis publicaſſe dicitur, Ludum de morte Claudii Cæſaris appellaſſe potius, quam ſic inveniſſe creditur. Junius & omnes jam paſſim, Claudii Cæſaris Apocolocyntoſin, Dione præeunte, nuncupatum vadunt. Is enim ad lib. 60. & vitæ Claudii calcem: *Συνέθηκε μὲν γὰρ καὶ Σενέκας σύγγραμμα, Ἀποκολοκύντωσιν αὐτὸ, ὥσπερ τινὰ ἀπαθανάτισιν, ὀνομάσας,*

ex, *Compoſuit*, inquit, *Seneca libellum Apocolocyntoſin, ſic eum nominans, veluti quamdam inter Deos immortales adſcriptionem.* Non autem quomodo Latine reddidit Xylander, *De immortalitate fungo parta.* Nam κολοκύντη, aut κολοκύνθη, unde ἀποκολοκύντωσις derivatur, cucurbitam ſignificat, non fungum aut boletum. Sed quam ob cauſſam ſic inſcriptus liber? *Eo quod Claudius medicato boleto, quaſi pharmaco purgatorio, quod olim frequens è colocynthide concinnabatur, periit*, inquit Junius lib. 1. cap. 17. Animadverſ. Quod Dan. Heinſio, & mihi profecto videtur frigidum: ſic enim à boleto potius quam colocynthide deducere oportuit nomen. Itaque conjectura Heinſii hic allubeſcit; in quam etiam digitum intendiſſe videtur Dion. Ait enim Senecam Ἀποκολοκύντωσιν nuncupaſſe, quomodo alii ſolent ἀπαθανάτωσιν, ſive ἀποθέωσιν. hæc autem relationem ſeu adſcriptionem in numerum Deorum, vel etiam metamorphoſin & converſionem alterius rei in Deum ſignificat. Igitur Claudii Ἀποκολοκύντωσις relationem Claudii inter cucurbitas, aut metamorphoſin ejus in cucurbitam ſignificabit: quo nihil dici poteſt feſtivius. Cum enim fabuloſis illis metamorphoſibus homines in rem vicinam & naturæ ſuæ conſentaneam tranſmutari ſoleant (ſic enim Circe iracundos in leones, ebrioſos in porcos, impudentes in canes transformabat;) Claudius, qui tota vita ſtupore & fatuitate pæne cucurbita fuerat, non in aliud ſane potius quam cucurbitam (ſi ab Agrippina & Senatu Rom. transformandus erat) mutari debuit. Cucurbitas autem & pepones capita fatuella & inſulſa dici, nimiſquam eſt protritum. Poſſumus & alteram inſcriptionis cauſſam ſatis etiam bellam comminiſci. Nempe ut ἀποθέωσιν, quæ à termino *ad quem*, ut philoſophi loquimur, nomen habet, voluerit lepide potius à termino *à quo*, ἀποκολοκύντωσιν appellare: id eſt, pro transfiguratione in Deum, cucurbitæ transfigurationem dicere. Nam hominem in Deum, aut in cucurbitam mutari, non adeo miræ & inſolentis metamorphoſis eſt; ſed cucurbitam in Deum, eſt maxime admirabile.

COMMENTARIUS.

ANte diem tertium] Adfatetur Sueton. Nam Claudius *exceſſit*, inquit, 3. *Idus Octobris, Aſinio Marcello, Acilio Aviola Coſſ. 64. ætatis, Imperii 14. anno.* Quos annos nondum impletos fuiſſe patet ex Dione: *Claudius, ait, noctu amiſſa loquendi audiendique facultate, diem clauſit, 3. Idus Octobris, cum vixiſſet annos 63. imperaſſet 13. menſeſque præterea 8. dies 20.*

Anno novo] Annum novum non Kalend. Januarias intelligit, quomodo Epiſt. 83. *Qui anno novo, quemadmodum legere, ſcribere, dicere aliquid, ſic auſpicabar in Virginem* (fontem Romæ gelidiſſimum) *deſilire:* ſed annum primum novi Imperii Neronis. nam quodcumque anni tempus, novi quidpiam affert, dicitur etiam novus annus. Sic Agel. lib. 18. cap. 1. æſtatem, ſic Tibullus lib. 1. Eleg. 1. autumnum *novum annum* appellat, quia novos educat fructus, ut recte notat Turnebus:

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deum.

Non diſplicet tamen conjectura Dan. Heinſii, qui ad anni Magni ſive Mundani ἀνάστασιν, *everſionem*, & ἀποκατάστασιν, *redintegrationem*, alluſum putat: quaſi Seneca finem & everſionem omnium rerum in Imperio Claudiano, redintegrationem in Neroniano conſtituat. Seneca enim ſecta Stoicus fuit, & ex Stoæ diſciplina eſt illa anni Magni ἀναστάσεως & ἀποκαταστάσεως. Macrobius illi anno ſola quindecim millia annorum donat, alii augent pæne in immenſum. Vide Lipſium lib. 2. Diſſert. 22. Phyſiol.

Sæculi feliciſſimi] Tale ſub Nerone tuo futurum ſperabas, Seneca: ſed quam falſus!

Nihil offenſa] Offenderat enim Senecam Claudius, & primo ſtatim Imperii

 perii

perii anno in Corſicam ejecerat, ſuſpectatum adulterii cum Julia Germanici filia.

Ita vera] Curionis cod. *vero*, legit: paullo melius.

Aut Regem, aut fatuum] Ut quis nempe feliciſſimus ſit, & quidlibet facere & dicere impune liceat. omnia enim licent Regibus, & fatuis. Proverbium autem verum fecerat Claudius, regia illa dominatione & tot illuſtrium cædibus, quibus Imperator graſſatus fuerat: fatuitate præterea totius vitæ tam nota & inſigni. Dupliciter igitur felix, & quod Rex, & quod fatuus ſimul fuerit. Vide Eraſmum in Chiliad. ubi longiſſimo in hocce proverbium excurſu conatur demonſtrare, *Vix ſæculis aliquot unum aut alterum extitiſſe Principem, qui non inſigni ſtultitia maximam perniciem invexerit rebus humanis.*

Jurato res exegit] Ita cod. S. Amandi apud Junium. Curio contendit reſcribendum, *jure autores.* Male. Omnes MSS. *juratores*, unica, non cæſa voce. Recte. Turnebus lib. 19. cap. 12. juratores cenſet eſſe Cenſores, *qui eum quem cenſebant*, inquit, *jurejurando adigebant, ut ex ea intelligi poteſt formula: Et tu ex animi tui ſententia uxorem habes? nam qui juravit, juratus dicitur; qui ad jurandum adigit, jurator dici videtur.* Idque ex Plauti Pœnulo evincere tendit. Sed repugnat Epiſt. ad Carrionem noſter Lipſius: *Juratores, teſtes dixerunt,* inquit, *quia produci ſolent jurati. Falluntur qui aliter in Plauti Pœnulo aut explicant aut legunt: Vos juratores eſtis, quaſo operam date.* Itaque *juratores* hic teſtes juratos accipiamus, quo clariſſime etiam mihi præit Macrobius lib. 5. cap. 19. Saturnal. *Illic invocato loci numine, teſtatum faciebat eſſe juratori, de quo jurarent.* Quin tamen etiam *jurator*, aut, *conjurator*, Cenſor appelletur in Plauti Trinummo, *Heus ſenex, cenſus conjuratori recte rationem dedi*, non facile Lipſius à me impetraſſit.

Druſillam euntem in cælum] Is fuit L. Geminius Senator, qui *vidiſſe ſe Druſillam* (Imp. Caligulæ ſororem & pellicem) *in cælum aſcendentem, ac cum Diis converſantem juravit, perniciem ſibi liberiſque, ſi vanum id aſſeruiſſet, imprecatus*, ait Dion. Ridicule ergo Seneca non dubitare ſe fingit, quin idem ille ineptus Caligulæ adulator Claudium in cœlum aſcendentem viderit.

Non paſſibus æquis] Ad Virgilii verſum, & ſimul ad tarditatem pedum Claudii alludit. De eo cap. 30. Sueton. *Ingredientem deſtituebant poplites minus firmi.*

Appia via curator eſt] Reparandæ præfectus, ideoque in eâ multus; ut, velit nolit, ſi oculos habeat, videre eum oporteat illac tranſeuntes. Lepide vero comminiſcitur, quaſi Auguſtus & Tiberius, paullo ante Druſillam, eadem Appia viſi ſint ſubiiſſe in cœlum; perinde atque ſi Appia, lactea via ſit, de qua poeta ingenioſus lib. 1. Metamorph.

Hac iter eſt ſuperis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum. ———

Cæterum Appia Roma Capuam verſus, ad 350. milliaria tendebat. Eam tibi Lipſius lib. 3. cap. 10. Magnit. Rom. ex Procopio graphice deſcribet.

D. Auguſtum] Sueton. cap. 100. *Nec defuit vir Prætorius, qui ſe effigiem cremati* (Auguſti) *euntem in cælum vidiſſe juraſſet.* Hunc autem fatuum adulatorem Dion *Numerium Atticum* vocat: *Livia*, inquit lib. 56. *Numerio eidem Attico, Senatori & Prætorio decies HS.* (id eſt, noſtrate moneta, ſupra ſexaginta duo millia florenorum) *dono dedit; quod juraverat, vidiſſe ſe Auguſtum in cælum aſcendentem, ſicuti olim Romulum Proculus vidiſſe perhibetur.* Hæc mendacii & perjurii felicitas alios, ut etiam Tiberium & Claudium viderent, invitavit; ſed ſimilitudo præmii non contigit.

Verbis conceptis] Formula loquendi petita à Juriſconſultis. concipere enim jusjurandum certis verbis dicitur, qui formulam verborum concipit & præit ei, cui jusjurandum defert. Eodem ſignificatu, *conceptio juramenti*, appellatur l. 34. D. de Jurejurando.

Certe

by Google

Certe clara aſſero] Altera lectio, *certa clara*. Non invenuſte.

Ita illum ſalvum] Appiæ curatori ridicule ita ſalutem & felicitatem apprecatur, ut iſta de Claudii divinitate & in cœlum adſcenſu, certa & clara ab eo denarrata eſſent.

Contraxerat ortum Lucis] Prope aliquando fui, ut *orbem* mallem reſcribere. Nam orbes lucis, ſive paralleli, quos ſol hieme ſupra Finitorem deſcribit, contractiores ſunt, ideoque dies breviores hibernis menſibus. Niſi, *contrahere ortum lucis*, ſit in anguſtiori cœli ſpatio oriri: qualis, adſpectu noſtri, eſt pars illa cœli circa Capricornum.

Tempora ſomni] Turneb. ex uno MS. *cornua ſomni*, legit. Nam poëtæ fingunt Somnum cornu aqua lethæa pleno perfundere & ſoporare homines tempore nocturno: quod indicat Papinius Thebaid. 6. Solis ortum deſcribens:

Clara laboriferos cœlo Titonia currus
Extulerat, vigileſque Dea pallentu habenas
Et nox, & cornu fugiebat Somnus inani.

Cum igitur hieme noctes longiores ſunt, creſcere etiam oportet, & largius implendum eſt ſoporiferum illud cornu; quia liberalius perfundendi homines & animalia ut ſomnum producant. Sed contra omnium aliorum exemplarium fidem nil temere mutem.

Augebat Cynthia regnum] Beatus Rhenanus & Turnebus, *lychnum*, malunt: quod luna alieno lumine, ut lychnus candelæ, ſplendeat, inquit Beatus. Sed cum Hadr. Junio retineo, *regnum*. Nam Phœbus diei, luna ſoror, noctis habenas moderatur. Hæc autem, cum noctes productiores, latius etiam regnat, longius extra radios fratris poſita, qui tarde ſurgit, cito cadit.

Carpebat honores] Hiems enim prima carpit & participat aliquid de fructibus, amœnitate, & honoribus extremi & contigui autumni.

Carpebat raras] Ea racematio appellatur, cum in fine vindemiæ, raræ uvæ & racemi a vindemiatoribus præteriti leguntur.

Facilius inter philoſophos] Obliquo ſchemate, diſcordiam philoſophorum majorem, quam horologiorum, ſignificat. Sic Juvenalis, volens efrænem Hippiæ libidinem, & medici Themiſonis imperitiam oſtendere, de re quapiam innumerabili loquens:

Promptius expediam quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno.

Porro omnium philoſophorum diſſidia huc congerere, faciat Rhenanus; ego extra oleas tam procul non vado.

Inter ſextam & ſeptimam erat] Noctu tamen Claudium diem clauſiſſe narrat Dion. Et Sueton. cap. 44. *Multi ſtatim hauſto veneno obmutuiſſe aiunt, excruciatumque doloribus nocte tota, defeciſſe prope lucem.* Itaque non more vulgi Romani, ab ortu ſolis numerandæ horæ (quaſi inter ſextam & ſeptimam poſt ortivum ſolem Claudius animam exhalaverit;) ſed à media nocte, quomodo *ſacerdotes Romani, & qui diem definivere civilem*, ait lib. 2. cap. 77. Plinius, & nos hodie ſolemus. Unde circa meridiem, *animam agere cœpiſſe, nec invenire exitum potuiſſe*, Seneca mox dicet. Toto ergo illo dimidiato die uſque ad auroram ſequentis cum boleto ſuo & Parcis luctatus eſt, celataque mors, donec *medio diei, tertio ante Idus Octobru, foribus palatii repente diductis, comitante Burrho, Nero egreſſus ad cohortem, quæ more militiæ excubiis aderat*, inquit Tacitus Annal. 12.

Acquieſcunt oneri poëtæ] Libri vett. *omnes poëtæ:* ſed cum quibus lectionem noſtram haut permutem, quam non male enarrat Turnebus lib. 25. cap. 4. Ridet enim ambitionem poëtarum, qui in ortus & occaſus ſolis, ac meridiem avidiſſime, tamquam in locos communes excurrunt; atque per deridiculum, nimis eſſe ruſticos & patientes quia onera iſta deſcriptionum invitis & tamquam jumentis ſibi imponi ſinant.

Digitized by Google

magna quondam pecunia venditum, *adeo tunc vile factum eſt*, *ut vulgo jactatum fuerit*, *poſſe id vel vitreorum vaſorum fragmentis parari.* Hanc ergo ejus in danda civitate ſtultam prodigalitatem irridet Seneca.

Britannos] Quædam exemplaria auctiora, & addunt, *Sauromatas, & ſi qui ultra glacialem Boream incolunt barbari.* Sed hæc à pluribus abſunt, & ab aliquo erudito adjecta videntur, ridicule & ſatis longe ultra verum.

In ſemen relinqui] Peregrinorum: ne ſi omnes omnino Romana civitate donarentur, tota peregrinitas extingueretur.

Baba] Ixion & Baba, homines notæ fatuitatis illis temporibus. Noſter Epiſt. 15. *Quam tu nunc vitam dici exiſtimas ſtultam? Baba & Ixionis? Non ita eſt. noſtra dicitur.* Nec Augurinum plus cerebri habuiſſe oportuit. Similes ergo habent labra lactucas, & dignus fatuello hoc commorientium comitatu fatuus Claudius.

At Lacheſis] Poſtquam Clotho ſtamen vitæ Claudianæ abrupit, Lacheſis altera Parcarum felix & aureum (ita exiſtimabat Seneca) Neronis Imperium nere incipit. Unde fingit fila, dum educuntur, flaveſcere & in aurum verti.

Deſcendunt ſtamina fuſo] Ita correxit ex veteri exemplari Rhenanus. Omnes prius excuſi, *diſtendunt.* Non male: ne iteret quod ante, *deſcendunt ſæcula filo.*

Vincunt Tithoni] Vaniſſimum augurium. Nero enim periit trigeſimo & ſecundo ætatis anno, Imperii quarto & decimo.

Similis vultu] Capillo enim ſufflavo, ut Apollinem poetæ fingunt, & vultu pulchro magis tamen quam venuſto, Nero fuit, teſte Tranquillo.

Nec cantu] Exiguæ tamen & fuſcæ vocis Neronem fuiſſe conſtat: quam nihilominus tam accurate habuit, ut nihil eorum omitteret, quæ vel conſervandæ vel augendæ facerent, inquit Suetonius. Hæc ergo immodice & ſupra verum blanditur Seneca ſuo alumno.

Affuſo cervix formoſa] Fuit enim Nero cervice obeſa: & quam Seneca *formoſam*, Suetonius *pudendam* vocat cap. 51. *Circa cultum habitumque*, ait, *adeo pudendus*, *ut comam ſemper in gradus formatam*, *peregrinatione Achaica etiam pone verticem ſummiſerit.*

Fortiſſimo] Lipſius Epiſt. ad Lud. Carrionem, *formoſiſſimo*, legit. Et quam animo non forti fuerit, dicet cap. 42. Suetonius. *Poſtquam Nero Galbam & Hiſpanias deſciviſſe cognovit*, *collapſus*, *animoque male fracto*, *diu & ſine voce & prope intermortuus jacuit.* Vox etiam *orditur*, quæ omnibus pæne exemplaribus exciderat, iterum immiſſa, ex Lipſii MS.

Χαίροντας] Verſum hunc ex fabula Creſiphonte Euripidis reſtituit ex cod. MS. Junius, cum alii ſimpliciter legerent *χαίρειν*. Valet autem: *Gaudentes & fauſta acclamantes efferre domo.*

Deſiit vivere videri] Antea enim vivere tantum videbatur, cum phantaſma potius hominis eſſet, quam homo vivens. Adſpexit, opinor, ad Antoniam Claudii matrem, quæ filium ſuum *portentum hominis dictabat*, *nec abſolutum à natura*, *ſed tantum inchoatum.* Sueton. cap. 3.

Dum comœdos audit] Salſum hoc nigro ſale, ſed tamen falſum. Nam ab Agrippina per ſimulationem, mortuo jam Claudio, inducti iſti comœdi, qui velut deſiderantem oblectarent, ait Suetonius, donec circa Neronis ſucceſſionem omnia ordinarentur.

Qua facilius loquebatur] Inferiorem gutturem, ut Plautus loquitur, intelligit, quo nimis ruſtice & illiberaliter ſonare ſolitus Claudius. Id enim nullo dedecori habebat. imo *dicitur meditatus edictum*, ait cap. 32. Suetonius, *quo veniam daret flatum crepitumque ventris in conviviis emittendi*; *cum periclitantem quendam præ pudore ex continentia repperiſſet.* Lingua vero titubanti, rauca, & incondita erat Claudius; quod Epiſtola ad Liviam ſuam, nepotis vicem dolens

Digitized by Google

dolens & querens, ſignificat Auguſtus, apud Sueton. Claudii cap 4.

Omnia certe concacavit] Imperium totum, quod cædibus & ſtoliditate polluit & conſpurcavit. Exemplaria quædam auctiora, verba hæc plulcula immittunt : *Nec poſt boletum epipare medicamentis conditum, plus cibi ſumpſit.* Sed à ſciolo aliquo hauddubie infarcta, qui apud Juvenal. Sat. 5. legerat :

Boletus domino, ſed qualem Claudius edit,
Ante illum uxoris, poſt quem nil amplius edit.

Nam quale eſt, ut Seneca Agrippinæ veneficium, tam occulte habitum, voluerit hic publicare? ut recte animadverſum à Fabro.

Memoria publicum gaudium impreſſerunt] Curionis, Eraſmi, & plures alii codices, *impreſſit*, non paullo melius. Difficulter autem excidunt ea quæ gaudium memoriæ imprimit; quia voluptas mentem ad ea quæ blandiuntur idemtidem reflectit, & memoriam, ne oblitteretur, refricat & quodammodo reſcribit.

Bona ſtatura] Nam Claudius *prolixo, nec exili corpore erat, & ſpecie canitieque pulcra, opimis cervicibus.* Suetonius cap. 30.

Caput movere] Hæc ſimul & ſemel enarret nobis Sueton. *Ceterum & ingredientem* (Claudium) *deſtituebant poplites minus firmi; & remiſſe quid vel ſerio agentem multa dehoneſtabant; riſus indecens, ira turpior, ſpumante rictu, humentibus naribus; præterea lingua titubantia, caputque, cum ſemper, tum in quantulocumque actu vel maxime tremulum.*

Non intelligere ſe linguam ejus] De lingua iſthac Claudiana Auguſtus ad Liviam : *Tiberium nepotem tuum placere mihi declamantem potuiſſe, peream niſi, mea Livia, admiror. Nam qui tam ἀσαφῶς loquatur, qui poſſit, cum declamat, σαφῶς dicere quæ dicenda ſunt, non video.*

Monſtra timuerit] Faber & Lipſius, *domuerit*; mavelint. Sed, *timuerit*, etiam probum; imo magis acutum. Nec enim ſine timore tanta monſtra domantur.

Tertium decimum laborem] Duodecim labores Herculis, & totidem monſtra ſuperata, etiam pueris decantata ſunt. Igitur decimum tertium, Claudium, ſibi ſupereſſe credidit.

Græculo] Non Herculi, ſed Claudio, opinor. Nam hunc Græculum fuiſſe, & magna cura ſtudia Græca ſectatum, & amorem præſtantiamque linguæ, omni occaſione profeſſum, narrat Tranquillus cap. 42. Facillime igitur linguam illam intellexit Claudius ex poeta præſertim familiari. Homeri enim verſus eſt, ex Odyſſ. *A.* qui ſic integrandus :

Τίς; πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες;

Quis? unde es hominum? ubi tibi civitas, atque parentes?

Sæpe autem, etiam pro tribunali, Homericis verſibus Claudius loquebatur. Et *quoties hoſtem vel inſidiatorem ultus eſſet, excubitori Tribuno ſignum de more poſcenti, non temere aliud dedit, quam,*

Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Virum propulſare, cum quiſpiam prior me laceſſiverit.

ex Odyſſ. Π. ut cap. 42. Suetonius.

Hiſtorias ſuas legam] Nam Claudius Græcas ſcripſerat hiſtorias, teſte ibidem Suetonio.

Ἰλιόθεν με φέρων] Verſus iterum Homeri eſt, Odyſſ. I.

Ab Ilio me ferens ventus Ciconibus appulit.

Quo Claudium Cæſarem ſe eſſe, & ab Julo Trojano, Æneæ filio, oriundum ſignificat.

Ἔνθα δ' ἐγὼ] Sequitur mox in Homero iſte verſus, & belliſſime in cædes & ſævitiam Claudii cadit. Latine verbatim :

Ibi ego urbem depopulatus ſum, interfeci autem ipſos.

Narrat autem Ulyſſes Alcinoo ſe Cicones Thraciæ populum perdidiſſe: Seneca lepide in Claudium deflectit, qui urbem

Digitized by Google

urbem Rom. cædibus impleverat. Non libet hic meminiſſe quæ fingit, refingit, interpolat, & nugatur Rhenanus.

Homini minime vafro] Ita optime correctum à Junio, cum vetuſta exemplaria legerent, *fabro*. Alia quædam prolixius: *impoſuerat Herculi minimo diſcrimine ſabulam*. Unde Alciatus & Rhenanus, *fibulam*, fabricati ſunt. Et turpiculam illam ac notam fibulam interpretantur, qua veteres ſe contra libidinis motum, aut ad vocalitatem aſtringebant. Fibulam ergo Herculi imponere, erit, eum compeſcere, ne ultra Claudii patriam ſciſcitaretur: *metaphora duriuſcula*, inquit Rhenanus. Sed nihil opus duritiem illam Senecæ impingere; nil enim mollius & elegantius noſtra lectione. Facile, inquit, deceperat Claudius, & impoſuerat Herculi, ut ſolet hominibus minime vafris, qualis Hercules, & ei ſimiles, grandes, robuſti, toroſi, ac ſtolida corporis prolixitate, qui ſimpliciores eſſe ſolent, ac minime mali.

Fano ſuo relicto] Fanum Deæ Febris Romæ in Palatio fuiſſe, dicit Plinius lib. 2. cap. 7. Et bellam iſtam Deam cum bellatulis ſuis fraterculis irridens D. Auguſt. lib. 4. cap. 23. Civit. *Priapus*, inquit, *& Cloacina, & Pavor, & Pallor, & Febris, & cætera non numina colendorum, ſed crimina colentium.* Sed cur Febris Claudium in cœlum comitata? Rhenanus ſolemniter ſubtilis: *Tacite notat*, inquit, *impietatem & ἀθεότητα Claudii, quem nemo Deorum comitatus ſit, præter Febrim, & hanc infeſtam.* Sed Seneca palam adſpicit longas febres & invaletudinem, qua Claudius *per omne fere pueritiæ atque adoleſcentiæ tempus conflictatus eſt, hebetato etiam inde progreſſa ætate corpore*, ut cap. 2. narrat Sueton. Nam & Febris mox dicet, ſe *cum ipſo tot annos vixiſſe*. Fortaſſe etiam Febri eum deceſſiſſe Seneca videri voluit, ut boleti & veneficii Agrippinæ ſuſpicionem averteret.

Lugduni natus eſt] Non eſt Romanus, inquit, nec ab Ilio venit, ut ex Homero ſuo mentitus eſt, ſed Lugduno ex Galliis. Sueton. cap. 2. *Claudius natus eſt, Julio Antonio, Fabio Africano Coſſ. Kal. Auguſti, Lugduni, eo ipſo die quo primum ara ibi Auguſto dedicata eſt: appellatuſque Tiberius Claudius Druſus.*

Marci municipem vides] Turneb. lib. 25. cap. 4. Marci Tullii Ciceronis municipem vocari credit, quia Claudius Ciceroni ſimilis, & in municipio Lugdunenſi natus, ut ille in Arpinate. quod paulliſper contortum mihi apparet. Propius verum eſt, quod Rhenanus, *Munatii*, legendum conjectavit. Nam L. Munatius Plancus coloniam Lugdunum deduxerat, ut ex epigrammate Cajetano oſtendit Sigonius in Faſtis: Quis autem proprie municeps, & quomodo non recte vulgo municipia confundantur cum coloniis, vide erudite Agellium lib. 16. cap. 13.

Romam cepit] Acute. Galli Senones (notiſſima hiſtoria) Romam olim ceperunt; unde poſtea à Camillo expulſi. Claudius Gallus iterum cepit, id eſt, vaſtavit & cædibus complevit, ut illi vetuſti.

Tibi recipio] Ita Junius ex cod. MS. veterem lectionem mutavit. Recipere autem quidpiam dicimur, cum fidem interponimus & aſtringimus. Cætera exemplaria, *Hunc ego reddo tibi*. Quod non omnino improbabile: ut Febris Claudium à ſe extinctum affirmet, & venenum Agrippinæ celet.

Licinius multos annos regnavit] Hic natione Gallus, & Julii Cæſaris quondam libertus: ab Auguſto Galliæ præpoſitus, regnum & tyrannidem apertam in gentem ſuam furtis & rapinis exercuit. Cum in ſingulos menſes tributum ei penderent Galli, annum quatuordecim menſium fecit: Decembrem ex etymo nominis, decimum, non ultimum eſſe dictitans, duoſque alios inter ipſum & Januarium interjecit, quos Auguſtos vocavit. Accuſatus à Lugdunenſibus & tota pæne Gallia, cum diſcrimen præſens cerneret, hoc aſtu evaſit. Auguſtum in ſecreta domus & theſauros induxit, &c.

Ecce Domine, inquit, ingentem iſtam auri & argenti vim tibi acervavi, ne nimia opulentia Galli inſoleſcerent. Narrat Dion lib. 54.

Mulio perpetuarius] Eraſmus in adagio, Muli Mariani, *mulus perpetuarius*, legit, & eumdem cum Mariano mulo facit. Muli vero Mariani, vulgari adagione, ſeduli & laborum ferentes ac patientes dicuntur. Sed *mulionem* & exemplarium fidem retineamus. Mulio igitur perpetuarius eſt, qui mulam veterinam perpetuo, quoad ea vixerit, conductam habet, & ea vellaturam facit, ut recte Alciatus. Tales enim ad vecturas & colligendum lucrum quacumque diſcurrere ſolent. Simili ſignificatu Impp. Theod. & Valent. L. ult. C. de locat. præd. civil. *perpetuarium* vocant, qui fundum in totam vitam conduxit. Aliter paullo Senecæ phraſin enarrat Rhenanus, ſed non audio.

Inter Xanthum & Rhodanum] Rhenanus *taxari* hic putat *Claudium, qui cum in Gallia*, inquit, *natus eſſet, Græcus videri geſtiebat, ut quem patria ſua puderet.* Sed ipſe nec cœlum nec terram, ut Belgæ loquimur, tangit. Certus & unicus ſenſus eſt iſte. Claudius paullo ante verſu illo Homerico, Ἰλιόθεν, &c. (quem male expunxerat Rhenanus) dixerat ſe Ilio ſive Troja veniſſe, negat jam id Herculi Febris; &, Procul, inquit, natale ejus ſolum Ilio abeſt: ſcis enim, ô Hercules, qui tam multas terras peragraſti, quot millium intervallo Xanthus Trojanus fluvius à Rhodano Lugdunenſi diſtet.

Nemo intelligebat] Si enim lingua ejus ſemper ἄσημος, rauca, & titubans, quanto magis jam in ira? *Riſus indecens, ira turpior, ſpumante rictu, humentibus naribus, præterea linguæ titubantia*, &c. Sueton. cap. 30.

Febrim duci jubebat] Nam ἀπάγεσθαι & proprie *duci* dicuntur, qui ad ſupplicium. Noſter iterum infra: *quos Narciſſus duci juſſerat.* Tranquillus Caligulæ cap. 27. *Cuſtodiarum ſeriem recognoſcens, nullius inſpecto elogio, ſtans tantummodo intra porticum mediam, à calvo ad calvum duci imperavit.*

Ad hoc unum ſatis firma] Non tantum capitis, ſed etiam manuum tremori obnoxium Claudium Dion narrat. Soluta igitur, tremente, & in digitos ſparſa manu ſignum cædis dare ſolitus erat.

Omnes illius eſſe libertos] O amarum morſum! Uxorum enim, & aliquot libertorum non miniſter ſolum, ut Suetonius, ſed mancipium erat, ut Dion loquitur. Nam eum regebant, ut nervis alienis mobile lignum, ridebantque ceu caudicem & fatuum. Itaque jam in cœlo nemo magis eum curat, aut imperanti obſequitur, quam ſi omnes ejus eſſent liberti, aſſueti imperia patroni ſui contemnere. Præter autem Harpocram, Poſidem, & Felicem, tres alii liberti Principem plane agebant: Polybius à ſtudiis, Pallas à rationibus, Narciſſus ab epiſtolis.

Deſine fatuari] Fatuum agere, qualis tota vita fuerat Claudius. Unde à præceptore Seneca fortaſſis edoctus Nero, *Morari eum* (Claudium) *inter homines deſiiſſe, producta prima ſyllaba, jocabatur, multaque decreta & conſtituta, ut inſipientis atque deliri, pro irritis habuit*, ait Sueton. Neronis cap. 33. *Morari* autem à Græco μωρὸς, quod fatuum ſignificat, inflectebat; cum Latinum *morari* primam corripiat.

Mures ferrum rodunt] Criticorum, quantum equidem viderim, hic (extra unum Rhenanum) altum ſilentium. Aut non intelligo, aut ridicule Hercules terrere vult Claudium. Si, inquit, mures hic tam ſunt mordaces & acuti dentis, ut ferrum etiam rodere valeant, quales dentes & ferociam nos Deos habere exiſtimas? Itaque cave, ne Febri aut cuiquam alteri Deorum hic iraſcaris, & in naſum nobis etiam bilem concias.

Citius mihi verum] Nempe, *dicito.* Eſt enim ſermo abruptus & imperfectus, qualis iratorum ſolet, Virgiliano iſti ſimilis:

> *Quos ego. ſed motos præſtat componere fluctus.*

Alo-

Alogias excutiam] Verberibus ſtultitiam tibi excutiam. Alogias proprie Galli vocant *impertinences*. Qui Herculis laborum & fabellarum gnari, ſequentium etiam verſuum ſententiam non ignorabunt.

Vidi duobus] Graphice ſitum urbis Lugdunenſis deſcribit, ubi confluunt Arar & Rhodanus.

Mentis ſuæ non eſt] Hercules, etſi hæc tragice & ad terrorem cothurnatus intonuerit, nondum tamen ſecuræ & ſuæ mentis eſt, timetque μωρῦ πληγὴν (ſic ex cod. MS. belle reſtituit Junius) *ſtulti ictum*. Stulti enim, qualis Claudius, cum laceſſuntur, in iram & verbera prorumpunt, & obvios quoſque ſine delectu feriunt.

Idem gratia] Gratia enim militum, poſt Caji cædem, Claudium Principem fecerat, & ut neminem Romæ haberet ſibi parem.

Gallum in ſuo ſterquilinio] De gallo quidem gallinaceo eſt proverbium; alludit tamen venuſte ad Gallicam Claudii nativitatem.

Affuturum apud alios] Apud Latinos, *adeſſe*, verbum eſt fori, & patrocinari ac advocatum in cauſſa ſe præbere ſignificat. Suetonius Claudii cap. 38. *Scribam Quæſtorium inauditum & innoxium relegavit, quod adverſus privatum ſe* (Claudium) *intemperantius affuiſſet*. Loco ejus verbi, temporibus ſuis (id eſt, Hadriani Cæſaris) queritur verbum *ſupereſſe* invaluiſſe lib. 1. cap. 22. Agellius. *Irreboravit inveteravitque*, inquit, *falſa atque aliena verbi ſignificatio, quo dicitur, Hic illi ſupereſt, cum dicendum eſt, Advocatum eſſe quem cuipiam, cauſſamque ejus defendere*. Quomodo etiam abuſus Suetonius Hadriani Scriba, cap. 56. Auguſti. *Cunctari ſe, ne, ſi ſupereſſet, eriperet legibus reum: ſin deeſſet, deſtituere ac prædamnare amicum exiſtimaretur*. Ubi, *deeſſe*, eſt cauſſam & advocationem deſerere, ut verbo *ſupereſſe*, ſeu *adeſſe*, opponatur.

Notorem petiſſet] Variant & titubant hic Critici, inſolentia *notoris* conturbati. Junius vocem cædit; legitque, *à me noto rem petiſſet*. Rhenanus inſolenti audacia, *auctorem*, aut è Latio in Græciam fugiens, *ἀμύντορα*, *vindicem*, nobis obtrudit. Fruſtra. *Notor*, Latina vox eſt, nec aliam hoc loco recipimus. Noſter iterum Epiſt. 39. *Qui notorem dat, ignotus eſt*. Eadem uſus Petronius Arbiter. Igitur *notor* eſt, qui tamquam gnarus adhiberi ſolet, ut alterum aliis ignotum noſcitet & agnoſcat. Cicero *cognitorem*, Græci γνωςῆρα appellitant. Vide Turneb. lib. 29. cap. ult.

Jus dicebam totis diebus] Sueton. cap. 14. *Jus & Conſul & extra honorem laborioſiſſime dixit, etiam ſuis ſuorumque diebus ſolemnibus, nonnumquam feſtis quoque antiquitus & religioſis*. Dion lib. 60. *Quotidie propemodum, vel cum univerſo ſenatu, vel ſolus ipſe, plerumque in foro, quandoque alibi pro tribunali de cauſſis Claudius cognoſcebat*.

Julio & Auguſto] Tempore etiam meſſis ac feriato (cum

——— *Laxa non miſcent jurgia lites,*
Et pacem piger annus habet, meſſeſque reverſæ
Dimiſere forum. ———

Papin. lib. 4. Silvar.) non ſe abſtinuiſſe juriſdictione ſignificat. *Julio* enim *menſe maxime lites interquieſcunt*, ut ait lib. 8. Epiſt. nepos Plinius. Seneca vero intempeſtivam fatui iſtius Judicis diligentiam irridet.

Cum cauſſidicos audirem] De hac Claudiana patientia cap. 15. Sueton. *Illud quoque à majoribus natu audiebam; adeo cauſſidicos patientia ejus ſolitos abuti, ut deſcendentem è tribunali non ſolum voce revocarent, ſed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenſo retinerent. Ac ne cui hæc mira ſint, litigatori Græculo vox in altercatione excidit, καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρὸς*, Et tu ſenex es, & fatuus.

Cloacas Augiæ] Αὐγείου βουςάσιας, *ſtabuli Augiæ* repurgationem, inter 12. Herculis labores, etiam pueri ſciunt.

Sed quoniam volo] Lacunam hic dialogiſmi ſat late hiantem ſuſpicantur Rhenanus & Junius: & ſane cæcus ſit,

ſit, qui deeſſe, aut turbatum aliquid non videat. Junius, *ſed quo ἐμβολὴ*, legendum conjectat. Verba enim Deorum ad Herculem eſſe videntur, admirantium & increpantium, quod ſtolido & ſolito corporis robore, cœli fores impulerit, & ad cœlites ſic intraverit. Antiqua lectio ordine paulliſper inverſo: *Sed non miror, quod impetum in curiam feciſti: quoniam volo* (fortaſſe, *violens*) *& nihil tibi clauſi eſt.*

Ἐπικούρειος θεὸς] Græca hæc ſuſpecta, quia à Rhenano, tenuium, uti fatetur, veſtigiorum ſecuto indicio, reſtituta ſunt.

Οὔτι αὐτὸς] Sic non infeliciter repoſitum à Rhenano, ſuffragante tacite Lipſio in ſua Menippæa. Epicureorum enim deſidioſorum & inter voluptates molliter conſeneſcentium lex erat: Οὔτι αὐτὸς πρᾶγμα, &c. *Neque negotium habere, neque alteri exhibere.* Verum, quomodo Claudius, Deus Epicureus fieri non poteſt, ſi *neque ipſe negotium habeat, neque aliis exhibeat?* Imo vero idcirco Deo Epicuri ſimilior, qui ſecurum agit ævum, nec in negotia & res iſtas humanas curam & providentiam demittit. Itaque præpoſita una vocula, ὃς οὔτι αὐτὸς, &c. ſententiam Latine ſic concipiendam exiſtimo. Claudius *Epicureus Deus non poteſt eſſe, qui* (nempe Deus) *neque ipſe negotium habet, neque aliis exhibet.* Ut ſignificet, Claudium & ſibi negotioſum fuiſſe, & tot aliis quos inter fecit, negotium faceſſiſſe, proindeque Deo Epicuri eſſe diſſimillimum.

Rotundus eſſe] Stoici enim Mundum, qui rotundus eſt, Deum eſſe cenſebant, ut diximus Præfat. lib. 1. Natural. Igitur ſic argutantur nugaces iſti Dii: Quomodo poteſt Claudius fieri Deus Stoicorum, cum non ſit actus in orbem, ſed caput, pedes, præputium, cæteraque hominis, non globi, habeat?

Eſt aliquid in eo] Verba alicujus ſemidei ſunt, qui in Claudium acrius intuens, alios corrigit, qui Deum Stoicorum non poſſe fieri cenſuerant. Imo, inquit, ut video, eſt ſatis rotundus; nam neque cor, neque caput habet: quia nempe ſapientia carebat. Sapientes enim corde & cerebro abundare dicuntur. Unde Scipionem à ſapientia, Corculum cognominaverunt veteres illi Romani.

Si mehercules] Locus ſauciatus videtur, & aliquid præceſſiſſe quod exciderit. Hic vero ſemideorum quiſpiam ait, Claudium beneficium ἀποθεώσεως & divinitatis à Saturno obtenturum fuiſſe, ſi à Saturno petiiſſet: & cauſſam ſubjungit.

Cujus menſem] Junius, *menſam*, legi poſſe affirmat; & ita in editione ſua legit Schottus. ſed non tam belle poteſt. Menſis ille Saturni, December eſt; circa cujus dimidium, quinque dies Saturnalium Romæ, cum duobus Sigillarium ſequentibus, omni luxu conviviorum & comeſſatione celebrabantur. Servi etiam tunc habitum dominorum, miniſtrantibus dominis, aſſumebant. Noſter Epiſt. 18. *December eſt menſis, cum maxime civitas deſudat. Jus luxuria publica datum eſt, ingenti apparatu ſonant omnia: tamquam aliquid inter Saturnalia interſit, & dies rerum agendarum. Adeo nihil intereſt, ut non videatur mihi erraſſe, qui dixit, olim menſem Decembrem fuiſſe, nunc annum.* Belliſſime ad hujus loci enarrationem, ubi Claudius dicitur *toto anno celebraſſe Saturni menſem.* Lege, amabo, Suetonii cap. 32. & 33. cum Seneca dices & mecum. Imperium etiam permiſerat ſuis libertis (ut Saturnalibus ſolet) quorum verius mancipium erat quam Imperator. Hinc cum exercitus in Gallia ſeditionem agitaret, nolletque in Britanniam ſequi A. Plautium Prætorem, miſſuſque à Claudio eſſet princeps libertorum Narciſſus ad compeſcendum, & hic verba facturus aſcendiſſet tribunal, milites, inquit Dion, orta maxima indignatione, exclamare cœperunt, *Io Saturnalia! io Saturnalia!* & ultro volenteſque Prætorem ſecuti ſunt. Saturnalibus etiam aleatorium forum calefacere in nullo probro ponebatur:

Clau-

Digitized by Google

Claudius vero toto anno *aleam ſtudioſiſſime luſit*, ait Sueton. *de cujus arte librum quoque emiſit: ſolitus etiam in geſtatione ludere, ita eſſedo alveoque adaptatis, ne luſus confunderetur.* Veriſſime ergo toto anno celebravit Decembrem.

Ejus Princeps non tuliſſet] Locum prodigioſe deformatum, ut loquitur & clamat Rhenanus, magis ipſe deformat. Legit enim, *Caius Princeps*; Junius vero, *Saturnalitius Princeps*. Lipſii conjectura, Epiſt. ad Lud. Carrionem, placet. *Saturnalia ejus*, immiſſum eſſe a gloſſographo, volente enarrare, quis ſit ille *Saturni menſis*? nempe December & Saturnalitius. Totus itaque locus, addita interrogandi nota, ſic eſt reſcribendus: *Si mehercules à Saturno petiſſet hoc beneficium, cujus menſem toto anno celebravit Princeps, non tuliſſet?*

Illum Deum ab Jove] Rhenanus perſuaſiſſimum ſibi ait, iſtas voces, *Deum ab Jove*, nihil ad ſenſum facere: itaque Græciſſat ſuo more, &, *Illum ἀποθεωθῆναι*, legit. Turneb. lib. 18. cap. 13. ſuperiora paulliſper interpolata cum ſequentibus ſic continuat: *Ejus preces* (ita mavult quam *Princeps*) *non tuliſſent illum Deum à Jove, quem, quantum in illo fuit, damnavit inceſti: qui L. Silanum generum ſuum occidit, ſororemque ſuam.* Sed fruſtra vulnus ſatis manifeſtarium tentavit conſuere. verba enim compluſcula, aut ſententiæ totæ exciderunt. Minima tamen jactura ſenſus poſſumus cum interrogatiuncula ſic legere: *Illum Deum ab Jove, (* nempe, *fieri) quem, quantum quidem in illo fuit, damnavit inceſti?* A Saturno, inquit, cujus menſem, in Principatu, toto anno celebravit, ſpes fuit ferendi beneficium ἀποθεώσεως, non ab Jove, quem damnavit inceſti. Qui ſic? *L. Silanum enim*, &c. Hiſtoria in Tacit. Annal. 12. L. Silanus Claudii gener & filiæ Octaviæ ſponſus, accuſatus de inceſtu cum Junia Calvina ſorore, Senatorio ordine motus, & Magiſtratum ejurare compulſus mortem ipſe ſibi conſcivit, aut (ut Suetonius cap. 29.) *mori coactus eſt*. Hac vero in L. Silanum ſententia Claudius Jovem etiam inceſti damnavit, quia Jupiter olim Junonem, ſororem ſuam duxit uxorem. Lipſius paullo aliter, ad illum 12. Tacit. Annal. hunc locum & lectionem refingit, ſed, ſi ſatis oculis valeo, minus concinne. quamquam in editione ſua ſecutus eum Schottus, qui etiam, *ab Jove*, auſus in *ἄπαγε* transfigurare; ſed cujus exemplaris fide?

Oro per quod] Ita cod. S. Amandi apud Junium. Rhenani MS. *Oro per quid*. Alii, *Oropen ſororem ſuam*. Ridicule: nam non Orope, ſed Junia Calvina, ſoror Silani vocabatur. Probabilior Lipſii conjectura: *Oro, propter quid? Sororem ſuam*, &c. ut hæc ſit ad interrogationem reſponſio. totus enim libellus dialogiſmis, & crebra alternantium perſonarum interlocutione conciſus eſt.

Feſtiviſſimam omnium puellarum] Tacit. 12 Annal. *decoram & procacem* vocat: & hinc Venus appellata.

Maluit Junonem vocare] Uxoris loco habere. nam, ut recte ex Plauto ſuo olim notavit Lipſius, mariti blanduli uxores ſuas, *Junones* ſolent appellare. Alludit etiam, opinor, ad Jovis & Junonis conjugium: quaſi Silanus voluerit Jovem imitari, & ex ſorore Junonem, id eſt, uxorem facere.

Quare, inquit] Corrupta omnia, & Sibyllæ folium juxta intelligenda, ait Turnebus. Rhenanus divinat: *Quare invidit Rom. hiſtorias ſuas?* Quam lepide & ridicule! Lipſius: *Quare, inquit, quare iniit ſororem ſuam? Stulte, ſtulte, Athenis*, &c. Sed omnes univerſi vetuſti codices, Fabro teſte, *ſtude*, legunt. Placet itaque locum totum ſic refingere ad Turnebi, & proxime veteris lectionis exemplum. *Quare*, inquit, *quare ſororem ſuam?* ut turpiculum aliquod verbum ſubticeatur, & verba ſint Claudii, quæ quiſpiam ſemideorum repetit. Nonne, aiebat Claudius, Silanus mortem commeritus, qui Calvina ſorore, tamquam uxore abuſus? Cui reſpondet nequiculus ille Deus: *Stulte, ſtude: Athenis dimidium licet, Alexandria*

dria totum. Negat ideo debuiſſe mori: nam ſi ſtudeas & legas hiſtorias, inquit, Athenis dimidias ſorores (id eſt, germanas ex eodem patre, non tamen uterinas) ducere licet, Alexandriæ vero totas ſorores, ſive germanas uterinaſque ſimul. Quod exemplo Cimonis Athenienſis qui Elpinicen germanam ſororem, & Ptolemæorum qui ſorores ſuas ſæpe inceſtarunt, clariſſimoque Philonis teſtimonio demonſtrat Turneb. lib. 18. cap. 13.

Mures molas lingunt] Rhenanus credit hic mollitiem Romanorum tangi, qui inſtar murium urbanorum, *ne quidem caſeum arrodant, ſed lingant molitam farinam*, inquit. Sed non accredo. Ridet enim Claudii Cenſuram per minima quæque delicta nimis ſevere euntem. Sueton. cap. 16. *Fuerunt & illa in Cenſura ejus notabilia. Quod eſſedum argenteum ſumptuoſe fabricatum ac venale ad Sigillaria, redimi concidique coram imperavit: quodque uno die* 20. *edicta propoſuit. Inter qua duo, quorum altero admonebat, ut uberi vinearum proventu, bene dolia picarentur: altero, nihil æque facere ad viperæ morſum, quam taxi arboris ſuccum*. Et alias Cenſuræ ejus minutias & nugas videſis apud eumdem. *Quia* igitur, inquit, *Roma mures molas lingunt*, quod minimi aut nullius delicti (id eſt, ob nulla Cenſura dignos defectus) *hic* (Cenſor Claudius) *nobis curva* (depravatos mores) *corrigit*. Qua etiam phraſi uſus Plinius junior lib. 5. Epiſt. ad Rufum: *Invenimus*, inquit, *qui curva corrigeret*. ut neceſſe non ſit de obſcœnitate hic ſublatente aliquid ſuſpicari cum Rhenano & Grutero. Quia autem mures molas farina reſperſas lingere ſolent, Homerus murem quemdam λειχομύλην, *mola linEterem*, appellavit.

Templum in Britannia] Tacit. Annal. 14. *Templum Divo Claudio conſtitutum* (in Britannia) *quaſi ara* (*arra*, mavelit Lipſius) *dominationis adſpiciebatur*.

Α᾽λαίου φιλάπτε χεῖν] Ita etiam cod. Curionis. In cujus margine tamen adſcriptum μωρὲ φιλτάτε. Junius vero ambiguis characterum veſtigiis in ſuo, μωρὲς κληρεχεῖν, aut μωρῷ ἀποχλιῶ, ſive ἀποτυχίλω, aut vicinum aliud legere ſibi eſt viſus. Sed nullo ſat bello ſenſu. Unde & Delium natatorem advocat. Sed è Delo jam accerſere, longum, ego Lovanio dabo, Clariſſimum, inquam, virum Pet. Caſtellanum, Medicinæ & Græcæ linguæ hic Profeſſorem. Is enim nuper paulliſper meditatus conjectabat, χηναλώπεκα φιλοῦσι, *vulpanſerem amant*, eſſe fortaſſe legendum. Amœno ſane ſenſu (ſive is revera olim expreſſus à Seneca, ſive propinquus alius) & eo mihi blandiore, quo à viro amiciſſimo, & Græca Latinaque litteratura, ſine jactantia (quod rariſſimum) eruditiſſimo cultiſſimoque venit. Ait igitur Seneca, nullam admirationem habere, quod Britanni ceu Deum, Claudium Cæſarem colant, quia *chenalopeca*, ſive *vulpanſerem amant*. Conſtat enim ex Plinio & aliunde, Britannos olim ſuper omnes delicias vulpanſerem (anſeris genus eſt, cui nomen inditum à vulpina quadam vafritie) in cibis dilexiſſe. Claudius autem chenalopex erat, quia Græco adagio ſic appellatur μαλακὸς, καὶ πένης, καὶ κυβευτὴς, *effeminatus*, *pauper*, *& aleator*, ut notat Ariſtophanis Interpres in Acharnen. Act. 3. Stroph. ult. & iterum in Lyſiſtrata. Quam vero hæc univerſa in Claudium competant, diſcet qui Tacitum, Sueton. Dionem, & hancce Menippæam legerit. De paupertate forte negabis: ſed non facies, ubi à libertis toties expilatum & exhauſtum intellexeris. Hinc *querente eo quondam*, ait Sueton. cap. 28. *de fiſci exiguitate, non abſurde eſt dictum, Abundaturum, ſi à duobus libertis* (Narciſſo & Pallante) *in conſortium reciperetur*. Rei etiam familiaris anguſtias ante Principatum vide cap. 9.

Privatis intra curiam] Rhenanus, *primateis intra curiam moranteis*, conjectat. Pithœus non *intra*, ſed *extra* legit: magis ad ſenſum. Jupiter enim vult Deorum Magiſtratum, privatis curia emanentibus, ſententiam dicere.

Mera

Mera mapalia feciſtis] Lipſii cod. *mera nuptialia.* Et ſermones nuptos, Venereos, & obſcœnos interpretatur. Junii MS. *vos me rapamalia.* unde, *vos me rapataulem* (id eſt, ſtipulæ tibicinem, & nihili hominem) *feciſtis.* Nam, *quid commune habet caium cum mapalibus?* inquit. Sed *mapalia* cum Turnebo & Scaligero retinere oportet: quod nomen Punicum, & tuguriolum, ſive caſam ruſticam, in antiquis gloſſariis *καλύβιον*, ſignificat. Itaque Jupiter iratus, Ego P. C. inquit, permiſeram Claudium à vobis interrogari, ut rei ſolent, & ſententias ordine perquirere, vos neglecta curiæ hujus diſciplina, alius alium interturbantes, non ut cælites decet, ſed tamquam Nomades, incondite & in mapalibus viventes, omnia egiſtis, &, ut eſt in proverbiis, *ex civitate rus feciſtis.*

Exiſtimabit] Claudius, cum ruſticitatem iſtam & confuſionem curiæ noſtræ cogitabit. *Qualiſcumque eſt*, id eſt, quantumcumque ſine corde & cerebro ſit.

Illo dimiſſo] Claudio juſſo ſecedere.

Poſtmeridianus Coſ.] In foro Jani templum erat (ideoque mox Seneca eum *in foro vivere* dicet) circa quod fœneratorum tabernæ; qui poſtmeridianis maxime horis (quando poſt negotia matutina, otioſorum hominum frequentia præcipue forum calefacere ſolet, & idcirco tempus iſtud, *πλήθουσαν ἀγορὰν* appellant, inquit Turnebus) æs locabant. Horum igitur dantium fœnori & accipientium Conſulem & Præſidem Janum patrem ridicule fingit Seneca.

Quantumvis vafer] Ita à Rhenano & Alciato optime reſtitutum: cum ante corrupte legeretur, *quantum via ſua fert.*

Ἅμα πρόσσω] Eſt Homeri hemiſtichium Iliad. γ. de ſene vafro, experiente, & circumſpecto.

——— *Ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω*
Λεύσσει: ———
——— *Simul ante & retrorſum*
Proſpicit. ———

Ob hanc Jani bifrontis circumſpectionem, Perſius felicem eum deprædicat, cui nemo à tergo linguam exerere, & irridere poſſit, cum oculos etiam in occipite habeat.

O Jane à tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas,
Nec lingua, quantum ſitiat canis Apula, tantum.

In foro vivat] Inter cauſſidicos. Ridicule, & quaſi oratores & cauſſidicos ſtatuæ Jani exaudiant, & eloquentiam ab iis diſcant. Porro de Jano fori Rom. *ſummo*, *imo*, *& medio*, vide Turneb. lib. 6. cap. 10. & Hieronymum Magium lib. 2. cap. 12. Miſcellan.

Notarius perſequi non potuit] Notarii olim per notas & compendia dictionum, orationes quamvis rapidiſſime fluentes aſſequebantur & excipiebant. Ars jam ignota, & inter eas quas barbaries poſterioris ævi nobis abſtulit. Alias in tempora Auſonii & SS. Patrum duravit. Ad Notarium ſuum Auſonius:

Tu ſenſa noſtri pectoris
Vix dicta jam ceris tenes.
Tu me loquentem prævenis.
Quis, quæſo, quis me prodidit?

Multæ SS. Patrum Homiliæ à Notariis ſic exceptæ creduntur, non ab illis editæ in lucem, ubi præſertim ſermo ſerpens aut pedeſtris, & cæteræ eorum eloquentiæ diſſimilis. De Notariis iſtis, vide Lipſium noſtrum Epiſt. 27. Centur. 1. ad Belgas, quæ eſt ad P. Leonardum Leſſium.

Fama nimium feciſti] Quid ſi, *Jani fana*, legas? ait Sept. Florens. Nolim ſane. Rhenanus, *ſama mimum fecit*, id eſt, ridiculum, & ludorum ſcenicorum argumentum. Simplicius & tolerabilius quod alii, *jam fama minimum fecit.*

Ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν] Hemiſtichium Homeri Iliad. Z. Diomedis ad Glaucum, quod è MS. reſtituit Rhenanus: uti & quod mox ſequitur, *ζείδωρος ἄρουρα.* Quibus ludere & illudere Claudio, Homericos verſus inter familiares

 ſer-

ſermones idemtidem citanti miſcentique, Seneca videtur.

Dedi larvis] Umbris infernalibus ad cruciatum.

Inter novos auctoratos] Alias, *noxios*: ſed, *novos*; non male reſtitutum à Rhenano. Auctorati ſunt gladiatores qui pretio operam Arenæ locabant. Novitii autem tales ferulacea rude, ſive gladio è ligno ferulæ, à laniſtis magiſtris exercebantur, & aberrantes ferula vapulabant. Vide Lipſium lib. 1. cap. 15. Saturnal.

Vica Pota filius] Turneb. cod. *Nicepota*: unde ipſe, *Nicephori* aut *Japeti filius*, nobis facit. Sed largiter exerrat. Vica Pota, à vincendo & potiundo dicta eſt, & Romæ templum habuit. Dieſpiter, Jupiter eſt, quaſi diei pater, ut pueri ſciunt, qui nondum ære lavantur.

Coſ. nummulariolus] Rhenanus dubitat, an non potius, *cultrariolus*, id eſt, qui olei culleos vendit. Sed nil mutamus. Dieſpiter enim *Coſ. nummulariolus*, quomodo Janus pater paullo ante, *Coſ. poſtmeridianus*: & Jovis Vicæ Potæ templum juxta forum & menſas nummulariorum videtur fuiſſe, ut ridicule & merito Coſ. & Præſes nummulariorum dici potuerit.

Vendere civitatulas ſolebat] Sept. Florens conjectat, *Vel aere civitatulas colebat*. Sed impendio nihil eſt quod veterem lectionem abrogem. Turnebus lib. 18. cap. 13. ſic enarrat: *Dieſpiter nummariolus vocatur, & civitatulas vendere ſolet: quod minutus eſſet fænerator, & parvulas civitates haberet obæratas, quarum nomina cum venderet vel delegaret, vendere civitatulas dicitur.* Dieſpiter ergo (id eſt, fœneratores Romani, templo ejus vicini) minores Italiæ civitates Romam ad fœnus confluentes, & ſibi obæratas, interdum vendebat.

Auriculam ei tetigit] Auricula pars ima auris eſt, in qua memoriæ ſedem veteres ſtatuebant. Plin. lib. 11. cap. 45. *Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes anteſtantur.* Ubi veterem morem alludit, quo actor præſentis teſtis auriculam tangebat, ut meminiſſet rei geſtæ: quo facto, adverſarium, gradum ſtruentem & renitentem, licebat in jus rapere obtorto collo. quod jam protritum ex Horat. lib. 1. Satyr. 9. Quod vero Cujacius lib. 7. cap. 16. Obſervat. contendit, non teſtem, ſed eum ſolum qui in jus rapitur, dici anteſtari, ſatis manifeſte refellitur ex Plauti Curculione, Act. 5. Sc. 2. Sed hic tangendi auriculam & anteſtandi ritus, quid ad noſtrum ludum? Sane enim Hercules non tangit Dieſpitris auriculam, ut teſtem advocet adverſus Claudium. Opinor igitur Herculem ſubruſtice, & belle ſuo more, voluiſſe ſimpliciter Dieſpitrem monere: juxta iſtud,

——— Cynthius aurem
Vellit & admonuit. ———

Aviam ſuam] Liviam. Nam Claudius filius Druſi, quem utero geſtabat ex Tib. Nerone Livia, cum nupſit Auguſto; *fuitque ſuſpicio*, ait Sueton. *ex vitrico* (Auguſto) *per adulterii conſuetudinem procreatum.* Merito ergo Dieſpiter ait eum, *D. Auguſtum ſanguine contingere.* ſed tamen etiam per Antoniam matrem, quæ filia M. Antonii & Octaviæ ſororis Auguſti, huncce eumdem contingebat.

Deam eſſe juſſit] Sueton. cap. 11. *Claudius aviæ Liviæ divinos honores, & Circenſi pompa currum elephantorum, Auguſto ſimilem decernendum curavit.*

Sapientia antecellat] Latus & apertus riſus. Sed quid ſi quiſpiam ſapientiam & laudes olim in Claudium congeſtas Senecæ in memoriam reducat? In Conſolatione enim ad Polybium Claudii libertum, *Exempla omnia*, ait, *quibus ad animi æquitatem compelleretur, tenaciſſima memoria retulit* (Cæſar Claudius) *omnium præcepta ſapientum aſſueta ſibi facundia explicuit.* Et deinde eum non ridicula ἀποκολοκύνθωσιν, ſed ſeria ἀποθέωσιν conſecrans, *Attolle te*, Polybio exclamat, *& quoties lacrymæ ſuboriuntur oculis tuis, toties illos in Cæſarem* (Claudium noſtrum) *dirige: ſiccabuntur maximi & clariſſimi conſpectu numinis.* Quid tam effuſis laudibus opponet?

net? Nempe quod pro ipſo Lipſius: *Scripſiſſe hæc olim in exilio, dum animo & corpore jaceret:* adulatione fatui Principis conatum ſe præſenti malo eripere.

E repub.] Romana, inquit Rhenanus: ſed cœleſti potius.

Romulo] Fortaſſe, *rhombulo*, id eſt, olla aliqua figuræ rhombi, ait Rhenanus. Sed χαρώδης ἀκαιρότης ſolens movet. Quia enim Romulus aſſa & ferventia rapa, ut Fabricius aliique in vetere & paupere Rom. repub. edere ſolebant, ideo fingit eos etiam in cœlo lubenter iis veſci. quod fecit etiam Martial. in Xeniis:

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus, in cœlo Romulus eſſe ſolet.

Significat ergo Claudium non boletorum tantum, ſed raporum cum Romulo avidum fuiſſe.

Ad μεταμορφώσεις Ovidii] Amœniſſime. Ut enim monſtroſa metamorphoſi apud Ovidium, quædam bruta, plantæ, lapides mutantur in Deos; ita hic Claudianus pepo & κολοκύνθη.

Ferrum ſuum in igne eſſe] Proverbium eſt, de periclitante, & cujus res agitur. Cum enim ferrum in igne eſt, mollitur & præparatur ad malleum. Periclitabatur autem Hercules cum Claudio, quia ipſe etiam ex homine mortali, in cœlum & inter Deos erat receptus.

Manus manum lavat] Proverb. de Græco expreſſum: χεὶρ χεῖρα νίπτει. Gemellum iſtud, *Mutuum ſcabunt muli.*

Surrexit ſententia ſua dicenda] Ex more id Rom. curiæ, in qua ſententiam dicturi ſurgebant: qui vero aſſentiebantur, ſedentes id faciebant. Cicero Epiſt. ad Metellum: *Nulla eſt umquam à me ſententia dicta in fratrem tuum: quotieſcumque eſt actum, ſedens aſſenſi iis qui mihi ſemper leniſſime ſentire viſi ſunt.*

Semper meum negotium ago] Vereor ne alludat ad Auguſti mores; quo negotium ſuum cum Ulyſſe ſtolato (Livia, inquam, ſua) callide ſemper agendo, remp. Rom. ſibi ſubjecit. quod etiam in cœlo agit, ſemper ſibi ſimilis.

Legibus urbem fundavi] Vide Sueton. Auguſti cap. 33. &c.

Operibus ornavi] Sueton. cap. 29. *Auguſtus plurima opera extruxit. Ex quibus vel præcipua, forum cum æde Martis Ultoris, templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Jovis in Capitolio.*


Meſſala Corvini diſertiſſimi viri] Hic è nobiliſſima Rom. familia Orator diſertiſſimus, & in Conſulatu collega Auguſti fuerat A. V. DCCXXII. De eo Quinctilian. lib. 10. cap. 1. *Meſſala nitidus & candidus, & quodammodo præ ſe ferens nobilitatem ſuam, viribus minor.* Hic tamen eſt, cui morbus proprii etiam nominis abſtulit memoriam, teſte Plin. lib. 7. cap. 24.

Præcidit jus imperii] Mureti editio, *periit jus imperii.* Sed lectio noſtra vetuſta, MS. & recta eſt. Verba ſunt ex oratione aliqua Meſſalæ: & valent, *caſtravit & enervavit jus imperii.*

Muſcam excitare] Proverb. de homine nimis miti & innocente. Credo adſpexiſſe ſignificationem verbi *excitare* theatralem, qua Diſſignator in amphitheatri orcheſtra aut alibi nimis honorate ſedentes, loco duriter depellebat, quos *excitare*, aut *ſuſcitare*, ſolemni verbo dicebatur, ut ex Suetonio & Martiali Lipſius cap. 15. Amphitheat. te docebit.

Quam canis exta edit] Ita à Rhenano & Alciato correctum, cum veteres omnes cod. legant, *quam canis*, vel, *caneis excidit.* Unde *videtur*, inquit Rhenanus, *Claudius canibus ex ſectis delectatus fuiſſe.* Ridicule. Mavult tamen legere, *exta edit*, cum alluſione ad Græcum Proverb. Κύων παρ' ἐντέροις, *Canis juxta inteſtina.* hæc enim avidiſſime vorant famelici canes. Simile iſtud Plautinum: *Tam facile, quam vulpes pirum comeſt.* Sed vetus lectio, *quam canis excidit*, penultima brevi (non, *excidit*, ut conjectabat paullo ante Rhenanus)

nanus) optima & retinenda. Canis autem iſte, non quadrupes, ſed talorum jactus eſt, omnium infeliciſſimus, ut recte alicubi notat Rutgerſius; qui Græcis etiam κύων, aut χῖος dicitur. Hic autem facilſimus eſt, quia (periclitare, ſic invenies) in nullam partem proclivior, & ſæpius ac facilius ſtat, quam in cane talus. Quodnam tamen tali latus Canem ſive Chium appellaverint, diſputant philologi. Sed clariſſime docet Ariſtoteles lib. 2. cap. 1. Hiſtor. animal. Ait enim: Ἀστράγαλοι τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δ' ὕπτιον εἴσω, καὶ τὰ μὲν κῷα καλούμενα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ χῖα καλούμενα ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω: *Tali pars prona foras, ſupina introrſum ſpectat, coa interius ſibi adverſa, chia exterius ſunt, antennæ ſupra.* Ego per poſterioris pedis bovini anatomiam hæc omnia inſpexi diſtincte, & intellexi χῖα, ſive canes, latera illa talorum eſſe, in quibus facillime acquieſcunt & conſiſtunt tali ex alto in tabulam relapſi; quia nempe latera illa protuberant, & gravitate ſua ſitum infimum poſtulant. Hinc etiam didici, tunc χῖον, ſive canem, aut κύον jaci, cum ea pars tali infra eſt, non cum ſupra & faciem nobis oſtentat: id eſt, canis jacitur, quando talus latere canino tabulam tangit, & in eo quieſcit. Aliter nempe, quam hodie, qui jactus à facie ſurſum ſpectante & nobis conſpicua nominamus. Niſi enim illud ſit, nihil fuiſſet cauſſæ, cur jactum canis damnoſiſſimum feciſſent veteres (Perſius autem *damnoſam caniculam*, Propertius *damnoſos canes* appellat) cum difficilius χῖον, ſive caninum latus, quam κῷον, ſurſum talus, converiat. Ideo tamen, ut omnes conſentiunt, canis omnium infeliciſſimus, quia omnium facillime excidit. Quod aperte ſatis, & divine ad hujus loci interpretationem, lib. 2. cap. 11. Cœli, indicat Ariſtoteles: Μυρίους ἀστραγάλους χίους βαλεῖν, ἀμήχανον, ἀλλ' ἕνα ἢ δύο ῥᾷον: *Valde multos talos chios* (neſcio quid Perionio & Conimbricentibus venerit in mentem, *Coënſes*, vertere) *jacere, difficile, unum vel duos, facile.* Idcirco autem facile, quia chium latus, ſive canis, plus materiæ & ponderis habet; unde jure ſuo, & ſecundum æquilibrii leges, locum imum facile occupat, ac oppoſitum coënſe latus reſupinat. Sed hæc oculis melius, quam ſolo intellectu conſpiciemus, & una opera Ariſtotelis Hiſtor. Animal. interpretabimur.



Primum binos aſtragalos, ſive talos, ſitu quo in poſteriori pede bovino ſibi aſſident, conjunctis inter ſe coëntibus lateribus, hic vides. Sunt autem proni, quia A. pars eorum prona (Ariſtoteli πρανὲς) nobis obverſa eſt, inſidentque parti concavæ (quam Ariſtoteles ὕπτιον appellat) tamquam quatuor pedibus; eſtque ſitus ille eorum maxime naturalis. In ſecunda imagine. B. eſt ὕπτιον, ſive pars ſupina & quaſi venter cavus, cui in priori imagine inſidebat talus. opponitur ex diametro parti pronæ, ſive convexæ. In tertia imagine, C. κῷον, ſive Venerem, ut Latini interpretantur, indicat. Latus iſtud cæteris planius eſt, quia ea ſuperficies eſt, qua talus unus alterum contingit. Nam τὰ κῷα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, *coa interius ſibi invicem obverſa*, dicit Ariſtoteles. Hæc autem, quia oppoſita cani, facillime ſupinatur: nam ſurſum eſt, quotieſcumque deorſum eſt canis. In imagine quarta, D. χῖον, ſive canem oſtendit; E. vero κεραίας, ſive cuſpidem tali ſuperiorem, in qua quandoque etiam conſiſtere poteſt talus. In cuſpide vero F. nimis acuta, quæque ad ungulam bovini pedis deſpectat, ſtare non valet, ideoque eam nominare Ari-

Ariſtoteles neglexit. Cum autem ait, *πρανὲς ἔξω, partem pronam foras ſpectare,* non vult dicere, *extrorſum ſub caudam,* ut perperam commentatur Jul. Scaliger, ſed in partem bovis prorſus oppoſitam, id eſt, ad caput, ſeu pedes anteriores, ut in anatomia poſterioris pedis bovini, in quo ſunt tali, oculis ſpectavimus. Quia enim pars pedis quæ ad caudam & aratorem ſpectat (ſi bos trahat aratrum) *καμπὴν* ſive flexuram habet concavam & interiorem, ſupra pedis ungulam; ideo partem iſtam *εἴσω*, *interiorem* appellavit: in quam ſpectat *ὕπτιον*, ſive tali concavum. Partem vero ei oppoſitam, quæ eſt tamquam pedis dorſum, & verſus pedes anteriores bovis vergit, vocat *ἔξω*, *exteriorem*; aitque verſus eam convexum & pronum illud aſtragali dorſum proſpicere. Verum ſi non totum pedem bovis, ſed gemellos ſolum talos profunditati pedis immerſos contemplemur, ait *ἐντὸς*, *à parte interiori*, ſuperficiebus *κῴοις*, ſive Venereis (quæ ideo cæteris planiores ſunt) ſibi obverti & ſe immediate contingere. His autem *ἔξω*, *exterius*, nempe in externa talorum circumferentia, opponuntur ex diametro *χῖαι*, ſuperficies, ſive canes, rotundiores & magis protuberantes quam *κῷα*. At vero *κεραῖαι*, ſive antennæ, *ἄνω*, *ſurſum*, verſus genu bovis erectæ ſtant, & acetabulo ac concavitate ſua extremitatem oſſis tibiæ excipiunt. Hæc plenius libuit enarrare, quia vulgo à multis non ſatis intellectus Ariſtoteles; & Beroaldus, Junius, Scaliger, aliique philologi nimium quantum ſe luſu iſto aſtragalorum fatigant. Vides etiam, quam apposite & concinne de aleatore & talorum luſui deditiſſimo Claudio dixerit Seneca, *tam facile homines occidere, quam* ei inter ludendum *canis excideret*.

De tot acribus viris] Lectio hæc à cod. MS. Junii. Ante, *de tot actibus jurис*. Rhenanus ſolemni audacia conjectat, *de tot præſtantibus viris*. vel longius, *de dodrantibus uſuris*. Acres tamen illi viri mihi ſuſpecti; ſed nil ſuccurrit melius.

Etiamſi Phormea Græce neſcit] Nox hic confuſa & deformis, in qua Argus nihil aut vix cernat. Veterem tamen hanc lectionem fatetur Faber: à qua latiſſime exerrat Rhenanus. Poſt longos enim, ut confitetur, labores & æſtus, tandem nobis concinnat: *nam τῆς ὀργῆς ægre ſeneſcit ὁ νόος*, id eſt, *ira morbus ægre ſeneſcit*. Deinde ſequentia, *ex qualibuſcumque*, ut ait, exemplaris ſui *veſtigiis*, ita legit: *Πυργοπολινίκης iſte quem videtis.* Nam Plautus Thraſonem ſuum, Pyrgopolinicen, quaſi *arcium expugnatorem*, appellat. Sed Junius queritur totum hunc locum à Rhenano turpiter deformatum, cum *ea obtrudat*, inquit, *quæ à manuſcripti codicis fide ſunt alieniſſima.* Sic vero ipſe interpolat, obſervato, ait, anxie characterum ductu. *Nam etiamſi φόρμιγγος neſcit, ego ſcio, ἐντόνως τὸ, Καλλίνικε Ἡρακλῆς. Iſte quem videtis*, &c. Additque, Græca iſta ſatis evidenter in MS. codice ſuo legiſſe. *Eſt autem*, inquit, *illud*, *Καλλίνικε Ἡρακλῆς*, *Archilochi poëtæ carminis initium, quod ad citharam canebatur, teſtante etiam Pindaro in Olympiis, hoc modo: Χαῖρε Καλλίνικε τήνελλα ἄναξ Ἡρακλῆς.* Fortaſſis igitur legendum: *Nam etiamſi φορμίζειν neſcit, ego ſcio, ἐντόνως*, &c. Ut Auguſtus affirmet Claudium mortalium ignariſſimum eſſe, qui ne quidem φορμίζειν, & citharam tangere ſciat: juxta Græcum Proverb. apud Ariſtophanem in Veſpis: *Σύγγνωθι, κιθαρίζειν γὰρ οὐκ ἐπίσταται: Ignoſce, nam cithara canere neſcit.* Et in Equitibus: *Οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι: Ne quidem muſicam didici.* Omnes enim olim, niſi opici plane & incultiſſimi haberi vellent, muſica & cithara exercebantur. Credo etiam hac figura parœmiæ Græcæ, qua Seneca ignorantiam & oblivionem Claudii mordet, ſcientiam muſicæ Neronis ſui voluiſſe extollere: cui etiam ſe ſimilem in cœlo Auguſtus dicit, & Olympicam illam cantare cantilenam (Neroni, opinor, familiarem) *Χαῖρε Καλλίνικε Ἡρακλῆς*, &c. Sententia igitur tota hæc erit; Non mirum eſſe, Claudium tam

ignarum ut domeſtica funera ignoret, & nobiliſſimos quoſque neſciens (ut mox Auguſtus narrabit) occideret; quandoquidem Græco proverbio, ne quidem φορμίζειν aut muſicam ſciret. Hoc eſt, quod in nocte iſta allucinans videre potui. Vox, *Græce*, à librario, opinor, textui inculcata fuit, qui cum *phormea*, aut *phormizein*, litteris Latinis exaraſſet, Græcam dictionem eſſe, non Latinam, Lectori indicare voluit.

Sub meo nomine latens] Ab Auguſto enim omnes deinde Cæſares appellati Auguſti.

Duas Julias] Rhenani & Schotti lectio, *duas amitas*. Male. Nam una Juliarum, filia Germanici fratris Claudii, & proinde Claudio neptis ex fratre fuit: altera filia junioris Druſi, qui Tib. Cæſaris filius erat, & Claudii patruelis. De earum cæde Sueton. cap. 29. *Ap. Silanum conſocerum ſuum, Juliaſque, alteram Druſi, alteram Germanici filiam, crimine incerto, nec defenſione ulla data, occidit: item Cn. Pompeium, majoris filiæ* (Antoniæ) *virum, & L. Silanum minoris* (Octaviæ) *ſponſum.* Hunc mox Auguſtus vocat abnepotem, quia filius Æmiliæ Lepidæ proneptis Auguſti per filiam Juliam & generum M. Agrippam. Vide Lipſium ad Tacit. 13. Annal.

An in cauſſa mala] Altera lectio, *An in tua, certe mala*. Venuſtius ergo ſic invertes, *An in cauſſa tua, certe mala*. Locus tamen mihi majoris mendi ſuſpectus. Tolerabilis tamen, certe clarior ſenſus erit, ſi, *in cauſſa tua*, valeat, *per te ſtabit*; vel aliud ſimile. quo fere modo, alicujus rei auctorem ſolemus dicere *eſſe in cauſſa*.

Qui tot annos regnat, uni] Sic interpolatum à Rhenano, qui ex, *regnatum*, voce ſingulari in duas cæſa, *regnat uni*, fecit. Vetuſti, & Junii MS. *Quoi tot annos regnatum, Vulcane*, &c. Recte.

Ῥῖψε ποδὸς] Verſus Homeri ex Iliad. A. ubi Vulcanus narrat ſe à Jove *arreptum pede de limine divino dejectum fuiſſe*, eiuſque ſibi confractum delapſis in inſulam Lemnon.

Iratus fuit uxori] Ita reſtitutum ex cod. MS. à Rhenano. Fabulæ meminit Homer. Iliad. O. Phyſici per Junonem à Jove ſuſpenſam, aërem intelligunt à cœlo in terram quaſi propendentem. Alligavit Jupiter pedibus ſuſpenſæ ἄκμονας δύο, *duas incudes*, id eſt, elementa duo gravia, aquam & terram, aëri contigua.

Avunculus major eram] Nam Auguſtus erat frater Octaviæ, quæ proavia Meſſallinæ fuit. Octavia enim ex M. Antonio genuit Antoniam majorem, hæc ex Domitio Ænobarbo Domitiam Lepidam, matrem Meſſallinæ. Fuit etiam Auguſtus avunculus major Claudii; quia iterum Octavia ſoror Auguſti, avia Claudii, & mater Antoniæ minoris, quæ ex Druſo Tiberii fratre concepit Claudium.

Neſcio, inquit] Quomodo Meſſallinæ cædes à Narciſſo liberto, neſciente Claudio, accelerata, vide Tacit. ad finem 11. Annal. Et de nece Conſularis viri, Sueton. cap. 29. *In quinque & triginta Senatores, trecentoſque amplius Equites Rom. tanta facilitate animadvertit, ut de nece Conſularis viri renunciante Centurione, factum eſſe quod imperaſſet, negaret ſe quidquam imperaſſe, nihilominus rem comprobaret.*

Iſte C. Cæſarem] Imp. Caligulam.

Mortuum proſequi] Amorene, an odio? Videtur illo potius. Nam *cum Senatus*, inquit Dion, *Caium ignominia notare vellet, ei Senatuſconſulto interceſſit; ipſe vero tantum ejus ſtatuas omnes noctu ſuſtulit.* Verum tamen eſt, *reſcidiſſe ea quæ à Caio, aut ab aliis propter eum, male eſſent ſtatuta*, ut idem ſubdit.

Occiderat ille ſocerum] M. Silanum, cujus filiam Juniam Claudillam duxerat Caius. Sueton. cap. 22. Caligul. *Silanum ſocerum ad necem, ſecandaſque novacula fauces compulit.*

Hic & generum] L. Silanum filiæ Octaviæ ſponſum.

Craſſi filium] Sueton. cap. 35. Caligul. *Vetera familiarum inſignia nobiliſ-*

ſimo

Digitized by Google

ſimo cuique ademit: Torquato torquem, Cincinnato crinem, Cn. Pompeio ſtirpu antiqua, Magni cognomen.

Nomen illi reddidit] Dion lib. 60. *Claudius Pompeio & appellationem* (Magni, à Caio ablatam) *reſtituit, & præterea filiam* (Antoniam) *in matrimonium collocavit.* Cujus tamen poſtea *caput tulit*, ſive abſtulit, ut Seneca mox ſubdit.

Craſſum Magnum] Pompeii Magni, generi ſui patrem, & filiæ Antoniæ ſocerum, ut ſtatim Auguſtus dicet.

Ut etiam regnare poſſet] Tam idoneus fatuitate & ſtultitia ad regnandum, quam Claudius. Unde mox, *tam ei ſimilem, quam ovo ovum*, dicit. Eraſmus in Adagio, *Aut regem, aut fatuum naſci oportet*, omnes reges fatuos à Seneca ſignificari, & plerumque eſſe credit. Verba compluſcula editiones quædam hic immittunt: ſed à ſciolo aliquo, non à Seneca eſſe, Faber & ego non dubitamus.

Diis iratis natum] De Claudii manuum & capitis tremore, de humente & ſalivante oris rictu, ante ex Suetonio dictum: nunc petulcum iſtum paulliſper audite. Juvenalis eſt, Sat. 6.

——— Minus ergo nocens erit Agrippina
Boletus. ſiquidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit
In cœlum, & longam manantia labra ſalivam.

Ubi notate, quæſo, *deſcendere in cœlum*. Boletus enim Agrippinæ eum in Orcum revera deſcendere juſſit: ſed *in cœlum* dixit; quia *funeratus eſt ſolemni Principum pompa, & in numerum Deorum relatus*, ait Tranquillus, & Orcus, in quem deſcendit, admirabili metamorphoſi in cœlum ab Agrippina tranſfiguratus fuit.

Tria verba cito dicat] Balbutiem Claudii & linguam ἄσημον tangit, quæ tria verba celeri & continenti filo enunciare non poſſit. Briſſonius autem lib. 5. Formular. *tria* iſta *verba* ſuſpicatur ſolemnia hæc eſſe, *Hic meus eſt*, uſurpata ab iis qui injecta manu ſervum ſibi vindicabant, ut indicat alicubi poëta ingenioſus:

Et dicam, Mea ſunt, injiciamque manus.

Et alter:

——— ut poſſeſſor agelli
Diceret, Hæc mea ſunt, veteres migrate coloni.

Itaque Auguſtus paratus eſt, injecta ſibi manu in ſervitutem à Claudio duci, ſi tria illa & ſolemnia verba συνεχῶς & ſine balbutie valeat continenter efferre.

Servum me ducat] Junius cum ſuo Caucho ſuſpicatur legendum, *in nervum* (id eſt, vincula) *me ducat.* Sed lectio noſtra aut concinnior eſt, aut me fallit auris. Faber prurit expungere, *ſervum*, & legere tantum, *me ducat.* Nam *id*, inquit, *per ſe ducendi verbo ſignificatur.* Fallitur. nam *ducere* ſimpliciter, non eſt *ſervum*, aut *in nervum*, ſed ad Gemonias & extremum ſupplicium, ut num. 69. à me adnotatum.

Ex tabella recitavit] Id ex veteri more, quo ſententiæ ex tabula pronunciabantur. Sueton. cap. 15. Claud. *De quodam negotio ita ex tabula pronunciaſſe creditur: Secundum eos ſe ſentire qui vera propoſuiſſent.* Et Agell. lib. 7. cap. 19. *Sempron. Gracchus juravit palam in amicitiam inque gratiam ſe cum P. Africano non rediſſe; atque ita decretum ex tabula recitavit.*

Quandoquidem D. Claudius] Iterum hæc præfatio ex ritu ſolemni. nam ſententiam à ratione quæ animum moviſſet auſpicabantur. Privatarum etiam litium Judices addere ſolebant: *Si quid mei judicii eſt*, ut conſtat ex Cic. lib. 2. de finib.

Socerum ſuum Ap. Silanum] Erat enim Silanus vitricus Meſſallinæ, uxoris Claudii. Sueton. cap. 29. vocat eum Claudii *conſocerum* (quomodo etiam quædam hic exemplaria legunt) quia filiam Octaviam L. Silano Ap. Silani filio deſponderat Claudius.

Socerum filiæ ſuæ] Antoniæ.

Frugi hominem] Ad Craſſi cognomen

men alludit: vocabatur enim Craſſus Frugi. De eo enim Sueton. cap. 17. Claud. *Craſſus Frugi equo phalerato, & in veſte palmata ſecutus*, &c. Sic L. Piſo Frugi, apud Cic. lib. 3. Tuſcul. Sic alius Craſſus Frugi, ex hujus noſtri, opinor, familia, quaſi res novas moliens, interfectus ſub Hadriano. Ridet autem & ludit Seneca dicens *hominem*, quaſi pro ſuo nomine, *frugi*; cum nihili & inutilis, ac fatuitate ſimillimus eſſet Claudio.

Quam ovo ovum] Cic. lib. 2. Academ. *Videſne, ut in proverbio ſit ovorum inter ſe ſimilitudo?*

Vacationem dari] In Curionis MS. *vocationem*. unde ipſe *advocationem* fecit: quaſi Claudius negata advocatione & indicta cauſſa condemnaretur, qui alios ſic damnare ſolitus erat. Sed omnes paſſim, *vacationem*, legunt, ſenſu optimo. Non eo tamen, quem putat Rhenanus, qui ad vacationem legis Papiæ Poppææ (de qua Sueton. cap. 19. Claud.) Senecam aſpexiſſe credit: ſed alio quem P. Pithœus lib. 2. cap. 20. Adverſar. attigit. Solet enim Claudius toto anno ſine vacatione, intra ferias etiam forenſes jus laborioſiſſime dicere. Cenſet igitur Auguſtus morem hic ejus imitandum, & quamvis menſe Octobri, feriis vindemialibus animam ebullierit, Deos tamen mittendos ſtatim in conſilium, cauſſamque ejus ſine vacatione & prolatione finiendam. Aut certe pœnam Claudio infligendam taxat (quod præponit Gruterus:) ut ſcilicet, qui juris dicundi tam diligens (diebus etiam religioſis, & nulla circa totum annum vacatione) fuiſſet, hac porro juriſdictionis ærumna, nulla vacationis interjecta quiete æternum cruciaretur.

Cœlo intra dies 30. excedere] Decorem & morem antiquum ſervat. Nam *his qui relegantur*, ait Ulp. l. 7. D. de Interdict. & relegat. *Dies excedendi à Præſidibus dari & poteſt & ſolet. Etenim moris eſt, ita pronunciari: Illum Provincia illa Inſuliſque iis relego, excedereque debebit intra illum diem.* Toto autem cœlo (hoc eſt, à ſummo ad terram uſque) excedendi, triginta dies videntur conſtituti, ut unicuique ſphæræ dies ternos diſtribuat. Decem enim cœleſtes ſphæræ, ſive regiones in ſententia Senecæ ſunt: Olympus, ſive regio fixarum, deinde regiones ſeptem totidem Planetarum, ætheris à Luna ad nubes, poſtrema aëris à nubibus ad terram. Si igitur ſingulis regionibus inferioribus tantum temporis, quantum Olympo excedendo impendat Claudius, triceſimo die perveniet ad terram.

Pedibus in hanc ſententiam] Curiæ Rom. morem lepide transfert ad cœleſtem. Qui enim nec ſententiam rogabantur, nec verbo aſſentiebantur, ſi ſententia placebat, in partes ejus qui cenſuerat, pedibus ibant. Vide Agell. lib. 3. cap. 18. & Briſſon. lib. 2. Formular.

Cyllenius] Mercurius: hic enim eſt miniſter & viator Deorum.

Collo obtorto] Ciceroni, Plauto, & aliis phraſis uſurpata, dum quis vi rapitur ad ſupplicium. Plaut. in Rudente: *Subveni, mi Charmides, rapior obtorto collo.* Id eſt, *veſte ad collum prehenſa gulam & fauces premere & angere, iiſque adſtrictis urgere & trahere*, enarrat lib. 26. cap. 2. Turnebus. Sed profecto id potius eſt, *obſtricto collo*, ut Plautus in Amphitr. loquitur, quam *obtorto* rapi: quamquam Eraſmus in Adag. inter duo iſta nihil diſcriminis interjiciat. Sed quid proprie *obtorto collo trahi*, fortaſſe ex Sueton. cap. 17. Vitell. diſcere poſſumus. *Vitellius veſte diſciſſa ſeminudus in forum tractus eſt, inter magna rerum verborumque ludibria, per totum via ſacra ſpatium, reducto coma capite, ceu noxii ſolent, atque etiam mento mucrone gladii ſubjecto, ut viſendam præberet faciem.* Noxiis igitur & ad ſupplicium protractis reſupinari facies, & collum in cervicem retorqueri ſolet: & id fortean proprie *obtorto collo trahi*.

Illuc unde negant] Hendecaſyllabus eſt ex luctu Paſſeris Catulliani:

Qui circumſiliens modo huc, modo illuc,

Ad

Ad ſolam dominam uſque pipilabat,
Qui nunc it per iter tenebricoſum,
Illuc unde negant redire quemquam.

Et cætera earumdem ineptiarum.

Per viam ſacram] Hæc eſt, quam Horatius *ſacrum clivum* appellat. hac enim aſcendebatur in Capitolinam arcem. Plin. lib. 19. cap. 1. *Cæſar Dictator totum forum Romanum intexit, viamque ſacram ab domo ſua ad clivum uſque Capitolinum.*

Impenſa cura plenum] Tacit. ad finem Annal. 12. *Cœleſtes honores Claudio decernuntur, & funeris ſolemne perinde ac D. Auguſto celebratur: æmulante Agrippina proaviæ Liviæ magnificentiam.*

Æneatorum tanta turba] Ita emendatum à Rhenano, cum in pleriſque legeretur, *ſenatorum*, & in uno S. Amandi *ſonatorum*. quod in ridiculo iſto dramate non omnino diſplicet. Cæterum in funeribus quoque Judæorum adhibitos tibicines, liquet ex S. Matth. cap. 9. Et quamquam tibicines, æneatores non ſint (non enim ex ære, ſed ligno, aut oſſe, præſertim aſinino, tibias olim concinnabant;) hos tamen illis permixtos in funeribus fuiſſe, ſuggerit Tertull. lib. de Corona mil. *Et mortuus tuba inquietabitur æneatoris?* Solos tamen milites, aut alios nobiliores, ad tubam funeratos alibi opinatur noſter Lipſius. Nam Propertius magnificentiam iſtam, & veluti Claudiani funeris pompam à ſuo reſpuens:

Nec mihi tunc fulcro ſternatur lectus eburno,
Nec tuba ſit fati vana querela mei.

Tantus conventus] Lipſ. Epiſt. ad Carion. malebat, *concentus.*

Claudius audire poſſet] Tam ſtupidus, & ſomnolentus, denique mortuus, inquit Rhenanus. Vel certe, quia in vivis gravi auditu, & præ ſenio ſurdaſter fuerat.

Agatho & pauci cauſſidici] Junius verſu uno Juvenalis illectus,

Cauſſidici nova cum veniat lectica Mathonis
Plena ipſo, ———

geſtit nobis *Mathonem* pro *Agathone* reponere. Sed dum Juvenalem etiam atque etiam reſpicio, de alio ſub Principe Domitiano, cauſſidico Mathone, loqui mihi videtur. Plorabant autem cauſſidici, & quidem ex animo, non ut ſolent conducti ad planctum; quia Claudius patientiſſimus iſtorum rabularum, & aſſiduus in foro & tribunali diebus etiam vacationum & feriatis erat; unde ipſis lucrum.

Juriſconſulti è tenebris] Qui ſic? Quia, opinor, parvus aut nullus reſponſorum ipſorum ſub Claudio Judice uſus. Nam *non ſemper præſcripta legum ſecutus, duritiam lenitatemque multarum, ex bono & æquo, perinde ut afficeretur, moderabatur.* Sueton. cap. 14.

Non ſemper Saturnalia erunt] Claudio enim imperante, totus annus December erat & Saturnalitius, cum ipſe cauſſidicis & libertis ſubditus eſſet, ut Saturnalibus domini ſolent ſuis ſervis. Vide quæ num. 52. commenti ſumus.

Intellexit ſe mortuum eſſe] Quaſi tam brutus & ſtolidæ mentis fuerit, ut mortuum ſe non intelligeret, niſi vidiſſet ſe ad rogum efferri.

Μεγαληγορία] Id eſt, *magnificentia.* Ita nobis prælegit Junius, propius alludens veſtigia Græcæ corruptæ lectionis quam Rhenanus, qui ὑπατικὸς χορικῶς licentia ſolemni confinxit.

Cordatus homo] Veteres omnes, Fabro teſte, *cordatus Jano.* Sed ratio metri anapæſtici *Janum* reſpuit unde Rhenanus in *Sino* eum transformavit, ut Claudium Sinoni illi Virgiliano calliditate pariari intelligat. Sed lectione vulgari nil hactenus repertum probabilius. *Cordatum* autem vetuſti ſapientem appellabant, ut protritum jam, & ante alibi à me dictum.

Vincere curſu] Ridiculum de ſene tardo, podagrico, & male pedato, qui dextrum pedem trahebat.

Rebelles Fundere Parthos] Parthi enim ſub Claudii Principatu rebellarunt, ut Annal. 11. & 12. narrat Tacit.

Vulnere parvo] Sagittæ, cui acies exilis, acuta & anguſto vulnere penetrabilis.

Fiſſa-

Pictaque Medi] Quia pictis ſagulis amicti, aut quia picta & imaginoſa ſcuta in terga rejiciebant fugientes.

Scuta Brigantas] Junius audacter, *Jovem lapideum dejerare auſim*, inquit, *ab auctore ſcriptum fuiſſe*, *Cæruleos cute Brigantas. Solebant namque olim omnes Britanni glaſto ſe inficere, quod cæruleum efficit colorem, ut horribiliore eſſent in pugna aſpectu.* Jo. Scaliger, *Scotobrigantas*, potius conjicit: quod avidiſſime Georg. Buchananus arripuit. Sed fruſtra veterem & conſtantem omnium exemplarium lectionem ſollicitant iſtiuſmodi conjecturis. Neque, ſi *omnes Britanni ſe luteo*, (alias, *glaſto*) *inficiunt*, *quod cæruleum efficit colorem*, *ut horribiliore ſint in pugna aſpectu*, quemadmodum lib. 5. Belli Gallic. narrat Cæſar, idcirco ſcuta ſine pictura erant: imo omnino vero ſimillimum eſt, etiam hæc ad augendum terrorem coloraſſe. Brigantes autem, Walliæ Angli, aut alii circum exiſtimantur. Ab iſtis, opinor, Galli Belgæ validos mendicos, *Brigans*, appellare ſolent: quales in Anglia & Inſulis illis hodie & olim plurimi, ſagulis & lodicibus operti vicatim incedentes, tepore blandiæ regionis in otium & ignaviam reſoluti. Leodienſes tales etiam vocant *Catty*, quia apud vicinos Hollandos & Cattos olim fortaſſe multa etiam erant illius farinæ mendicabula. Quia deinde paupertas multos ad latrocinia impellit, *Brigans*, Francis ſunt latrones.

Romuleis Colla catenis] Iſtud non ex riſu, ſed ex vero. nam *ſine ullo prælio aut ſanguine, intra pauciſſimos dies partem Inſulæ* (Britanniæ) *deditionem recepit.* Sueton. cap. 17.

Una tantum Parte audita] Vide Sueton. cap. 15. & 29. Claud.

Cretaa tenens] Minos Rex olim Cretæ, jam, ut fabulantur poëtæ, apud Inferos ſeverus Judex.

Venale genus] Quia linguam, & malarum cauſſarum patrocinium ſæpe vendunt.

Voſque Poëtæ] Qui communione litterarum apud Principem litterionem erant, opinor, gratioſi. Nam quam multa ante & in Principatu ſcriptitaverit Claudius, diſce ex Sueton. cap. 41. & 42.

Lucra fritillo] Ludus enim alearum & talorum Romæ fervebat vivente & præeunte Claudio, qui *aleam ſtudioſiſſime luſit: de cujus arte librum quoque emiſit*, & cætera quæ in hanc rem narrat Sueton. cap. 33. Multi igitur, aliis ſe pauperantibus, diteſcebant aleæ luſu; meritoque lugubria ſumebant in Principis aleonis exitu. Fritillus autem eſt vaſculum oblongum & turritum, plerumque buxeum, in quod aleæ, tali, teſſeræ conjectæ & agitatæ effundebantur in tabulam. Concavitas ejus erat gradatim exſculpta, ut concuſſæ aleæ ſæpius revolverentur, eſſetque jactus incertior. Indicat Auſon. in Nænia Tib. Victoris Orat. Burdigal. memoriam ejus extollens:

Vidimus & quondam tabulæ certamine longo,
Omnes qui fuerant enumeraſſe bolos,
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu,
Fundunt exciſi per cava buxa gradus.

Hunc Horatius *pyrgum*, Martialis Græcam vocem Latine reddens, *turriculam*, à forma appellat. Turnebus tamen *pyrgum*, ſive *turriculam* proprie faſtigium fritilli fuiſſe exiſtimat; per quod aleæ, vel tali mitterentur in alveolum. Id enim plane Suidas ſignificat. Sed tamen totus etiam forte fritillus perpetua turris erat, nec turritum illud faſtigium à reliqua baſi & alveo talorum capace ſolutile & diſcretum fuit. In vicem fritilli apud aleatores Gallos ſucceſſit cornu. Vox etiam Gallica, *fretiller*, quæ palpitationem & vibrationem ſignificat, ſimilem illi fere qua aleæ concutiuntur in fritillo, indidem, credo, habet originem.

Talthybius] Ita ridicule Mercurium appellat, dando ei nomen nuntii cujuſdam Homerici, quem Iliad. A. Agamemnon mittit ad Achillem, ut repetat Βρισηΐδα καλλιπάρῃον.

Capite obvoluto] Quia mortuorum manet

manet

manes vivorum oculos effugiunt, nec agnoſci poſſunt.

Viam rectam] Vett. omnes, *viam tectam.* quod probat Junius, *quia via*, inquit, *olim tegebantur velis.* Sed nomen proprium viæ Rom. fuiſſe, ſive ea *recta*, ſive *tecta* vocaretur, ſatis liquidum ex iſthoc Senecæ loco.

Anteceſſerat jam] Igitur Narciſſus potens ille Claudii libertus, initio ſtatim Principatus Neronis, ante triceſimum diem quo Claudius è cœlo Romam rediit, ad mortem adactus: quod principio 13. Annal. etiam ſatis indicat Tacitus. Hic autem *compendiaria via* ad Inferos deſcenderat, quia nulli cœleſtes honores ei Romæ decreti, neque mox à nece iverat in cœlos peregrinatum, ut Claudius.

Nitidus, ut erat a balineo] Lepide. Agrippina enim ut ſecurius Claudii necem patraret, fideliſſimum libertorum hunc Narciſſum ad balinea Campaniæ, adverſus podagram qua conflictabatur, amandaverat; & exinde redux, haut dudum poſt mori & dominum ſequi juſſus. Fingit ergo Seneca, nitidum adhuc à balineo, via compendioſiore & ſine diverticulo ad Inferos ante dominum perveniſſe, & ei e cœlo, Talthybio duce, reverenti occurriſſe.

Quid Dii ad homines?] Nempe, *redeunt.* Cur, inquit, Dii in cœlo ſuo non manent? quid apud Inferos inter homines agunt? Claudiani enim funeris pars magna fuerat Narciſſus, & cœleſtes honores, ipſo inter cæteros adnitente, viderat à Senatu decretos fuiſſe.

Ille autem patrono] Quia verba hæc uſque ad iſta, *Dicto citius*, à MS. ſuo aberant, ſuppoſititia ſuſpicatur Junius. Sed codex ille ejus unus non eſt nobis μάρτυρ ἐκ Διεσ δίλτων, & tot ipſi alios oppono.

Virga] Caduceo, quem fabre deſcribit Suidas in voce Κηρύκειον. Vide etiam Macrob. lib. 1. cap. 19. Saturnal.

Ut ait Horatius] Lib. 2. Od. 13.

——— *Ubi illis carminibus ſtupens*
Demittit atras bellua centiceps
Aures, & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues.

Lipſius tamen Epiſt. ad Carrionem, turbatum hic aliquid, & à Seneca ſic fortaſſe ſcriptum putat: *Ubi jacebat Cerberus triceps, vel, ut ait Horatius, bellua centiceps.*

In tenebris occurrere] Mali enim & mortalis ominis erat, nigrorum occurſus, præſertim in tenebris. Juvenal. Satyr. 5. de Æthiope Mauro:

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.] Ita Faber, rectius, quam quod ſuggerit Junius, aut obtrudit Rhenanus. Sunt autem verba ſolemnia in ſacris Oſiridis, quæ exultantes cantillabant, invento illo bove Deo. Valent autem: *Invenimus, congaudeamus.*

C. Silius Coſ. deſignatus] Hic eſt ille *juventutis Romanæ pulcherrimus*, ut ait Tacitus; cui Meſſallina Claudii uxor, vivente & Hoſtiam rei frumentariæ gratia profecto Claudio, cum ſummo dedecore nupſerat; & vigilantia & induſtria præſertim Narciſſi, cum adultera mature, antequam imperium invaderet, oppreſſus fuerat. Hic autem totus Senecæ locus à librariis Romanorum nominum ignorantibus, maculoſiſſimus fuit, & neque dum forte mendæ omnes (quantumcumque multi emendare conati) emaculatæ, ut mox videbis.

Sex. Trallus] Lipſius ad 11. Annal. Tacit. *Traulus*, potius reſcribendum cenſet. Deinde *M. Helvius, Tregus.* ut iſte ſit, *Sanſeius Tregus.* quorum Tacitus etiam meminit.

Cotta Tectus] Alii, *Coriotectus.* Junii & Fabri conjectura non diſplicet, *Cotta, Vectius Valens.* ut ſit Cotta Meſſallinus, & Vectius Valens, nobilis ille medicus, *adulterio Meſſallinæ Claudii Cæſaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ aſſectator*, ut lib. 29. cap. 1. ait Plinius.

Duci juſſerat] Ad ſupplicium, & interfici.

Mneſter Pantomimus] Rhenanus, *Neſtor* reponit. quam male! Mneſter enim pantomimus, notiſſimus eſt Meſ-

Digitized by Google

ſallinæ adulter, à Narciſſo & Claudio inter cæteros duci juſſus, ut ad finem Annal. 11. Tacitus: *Minorem* autem eum *fecerat* Claudius; quia, opinor, capite minuerat, etſi de genere necis apud Tacitum & alios ſilentium ſit. *Decoris* autem *cauſſa*; quod fortaſſe longo nimis & enormi corpore eſſet, ideoque reſecto capite ad juſtam ſtaturam redegiſſet. Gruterus tamen *decorem* iſtum refert ad id, quod Claudium pronum in miſericordiam Mneſteris *perpulere liberti*, ait Tacitus, *ne tot illuſtribus viris interfectis, hiſtrioni conſuleretur: ſponte an coactus tam magna peccaviſſet, nihil referre*. Itaque interfectum eſſe, non quia ſponte peccaſſet, ſed quia indecens foret, tot illuſtribus ſublatis, Pantomimum vivere. Libri quidam: *quem Claudius decoris cauſſa minitorem fecerat*. quod probat Gothofredus: neſcio quare.

Rumor percrepuit] Alii, *percrebuit*, aut, *percrebruit*. Omnes recte, ſed primum fortaſſe magis ad ſubitum illum Narciſſi clamorem, quo increpuit, *Claudius Cæſar venit*.

Polybius, Myron] Ita ex veteri cod. nomina iſta libertorum Claudii, patrono ſuo præmortuorum, optime reſtituit Junius; niſi quod pro *Pheronactis*, *Pheronattum* legat. De Pallante mentio hic nulla inter libertos, quia adhuc vivebat in ferventi gratia Senecæ & Agrippinæ; quem tamen Nero poſtea veneno ſuſtulit. Vide finem Annal. 14. Tacit.

Necubi imparatus eſſet] Nihil enim ſine libertorum ingenio & opera agere ſolitus erat. Quidam tamen legunt: *ne niſi imparatus eſſet*. Quod Faber non reſpuit, ut ſignificet, Claudium voluiſſe etiam apud Inferos à libertis ſuis imperari, & iis ſervire.

Quomodo vos huc veniſtis] Pleroſque enim, aut neſciente ipſo liberti vel uxores interfecerant, aut obliviosum ſenem memoria facti ſtatim effugerat. Hinc *occiſa Meſſallina*, inquit cap. 39. Tranquillus, *paullo poſtquam in triclinio decubuit, cur domina non veniret, requiſivit*.

In jus eamus] Verba erant ſolemnia, quibus actor reum ad Prætoris tribunal vocabat. Martial. lib. 2.

In jus ò fallax atque inficiator eamus.

Plautus in Perſa: *Age, in jus ambula*.

Sellas oſtendam] Judices enim in ſellis, aut ſubſelliis, ſedebant. Sueton. de Claudio noſtro cap. 23. *De majore negotio acturus in curia medius inter Conſulum ſellas, Tribunitio ſubſellio ſedebat*. Male igitur qui *ſtellas*, aut *ſtelas*, aut *ſitellas* dubitant legere.

Quærebat] Scite & proprie: nam qui rerum criminalium quæſtionibus præſidet, *Quæſitor* appellatur. Sueton. Tiberii cap. 25. *Judices aut è plano, aut è quæſitoris tribunali, legum & religionis, & noxa, de qua cognoſcerent, admonebat*. Seneca noſter cap. 17. de Brevit. vitæ: *Judex deſiit eſſe? quæſitor eſt*. Et Virgil. Æneid. 6. de Minoë, hujus quæſitoris Æaci apud Inferos collega:

Quæſitor Minos urnam movet. ———

Marcianus l. 1. ad legem Corneliam de Sicariis, *Judicem quæſtionis vocat*.

Poſtulat nomen ejus recipi] Inter noxios & reos. Iterum hoc ex formula veteri, qua accuſator poſtulabat, ut quæſtio de reo haberetur. Papinianus in l. 6. D. de Quæſtionib. *Patre vel marito de adulterio agente, & poſtulantibus de ſervis rei ut quæſtio habeatur*, &c. Et Ulpian. l. 27. ad legem Juliam de adulter. *Si poſtulaverit accuſator, ut quæſtio habeatur de ſervo adulterii accuſato*, &c.

Edit ſubſcriptionem] Pompeius accuſator. Nam accuſatores formabant & edebant libellos accuſatorios, quibus inſcripta reorum crimina: quale hic vides, *Occiſos Senatores* 30. &c. Juven. Sat. 6. de feminis Rom.

——— *accuſat Manilia, ſi rea non eſt.*

Componunt ipſa per ſe, formantque libellos.

Poſt crimina nomen ſuum accuſator ſubſcribebat in crimen, ut loquuntur Juriſconſulti qua ſubſcriptione, eadem ſe pœna conſtringebat, ſi interpellaſſet injuſte. Ulpianus l. 7. de accuſationib.

Digitized by Google

Si cui crimen objiciatur, precedere debet in crimen ſubſcriptio. que res ad id inventa eſt, ne faci e quis proſiliat ad accuſationem, cum ſciat multam ſibi accuſationem non futuram. Seneca, a tali ſubſcriptione, videtur hic totum libellum ſubſcriptionem appellaſſe.

Occiſos Senatores 30.] Vide Sueton. cap. 29.

Ὅσσα ψάμαθος] Homeri hemiſtichium Iliad. I.

Οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε:

Neque ſi mihi tantas opes daret, quantum pulveris eſt & arena.

Claudiana lingua diſertus] Tam balbus & ἀσαφής, quam ipſe Claudius.

Poſtulat advocationem] Defenſionem & patrocinium Claudii: ſive, ut cauſſam ejus adverſus accuſatorem Pedonem Pompeium defendere ſibi liceat.

Lixa multos] Alium plane verſum ex ſemeſis codicis ſui litteris deformat nobis Junius. At Faber in quodam veteri diſerte ſcriptum reperit:

Αἴκε πάθοις τά κ' ἔρεξας, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Quo nihil ad ſenſum melius dici poteſt: ſignificat enim legem talionis juſtam eſſe, & ut is qui alios altera tantum parte audita ſolitus condemnare, ſimilem etiam ſententiam ſubeat. Noſtra tamen lectio idem ſonat, & metri leges melius ſervat.

Quam novum] Quia ipſe quoque ſolitus erat *dicere cauſſas una tantum parte audita, ſæpe & neutra*, ut nænia paullo ante cantabat.

Uni Dii laturam feciſſent] Ita etiam Fabri & Junii codices. Alii, *ſi minus Dii latura feciſſent.* Rhenanus poſt multos cogitationum fluctus facit, *Semidii larvam faceſſeret*, id eſt, abjiceret, inquit, nempe *Claudius.* Quam emendationem *larvarum præſtigiis ſimilem* dicit Junius. Itaque legit ipſe, *ſi uni dilaturam feciſſent.* Alciatus vero in Parerg. *ſi ullam dilaturam feciſſent.* Sed Curio clamat, *dilaturam*, vocem ſordidam eſſe, & ne quidem in Grammaticorum fæcibus inveniendam. Fingit igitur, *niſi unius dæi jacturam feciſſent.* Locus, ſine dubio, vocibus quibuſdam exeſis mutilus, cujus ſententia clarior, quam verba. Manifeſte enim Deorum quidam cenſent, Tantalum, Siſyphum, Ixionem aliquando relevandos, & interea mittendum in eorum labores Claudium. Itaque ſimile quidpiam à Seneca ſcriptum fuerit: *ſi minus* immortalem *Dii naturam feciſſent*, &c.

Sufflaminandam] Lepide B. Rhenanus: Quid ſi legas, *ſublaminandam*, inquit, à lamina deducto verbo? Rem deridiculam fecerim, Beate. Nam propriiſſime ſufflaminantur rotæ, cùm injecto unco aut alio retinaculo impediuntur, ne nimis expedite circumagantur & devolvantur in præceps.

Miſſionem dari] Verbum Arenæ & gladiatorii ludi, ubi *miſſi* dicebantur veterani, aut alii commeriti, qui ludo & obligatione in Arena depugnandi abſolvebantur. Non placet autem, Tantalum, aut ullum ex veteranis Inferorum cruciatiis mitti, ut ſignificent pœnas ibi æternas, nec ulla unquàm quietis interpolatione ſufflaminandas eſſe.

Alicujus cupiditatis ſpecies] Ita correctum à Curione. Vulgo, *alicujus cupiditatis ſpes ſine fine eff ctus.* Rhenanus *propemodum ſe certum* ait, Senecam, *& alicujus cupiditatis ſpecimen ſine effectu*, ſcripſiſſe. Super omnia allubeſcit, ut vocula, *fine* (ex, *ſine*, perperam geminata) expungatur, legaturque, *alicujus cupiditatis ſpes ſine effectu.*

Colaphis vapulantem] Ut ſervi ſolent. Aulæ enim ludibrium ſub C. Caligula & Tiberio Claudius fuerat: qui etiam *ſtultitiam ſimulatam à ſe ex induſtria ſub Caio, quod aliter evaſurus perventuruſque ad ſuſceptam ſtationem non fuerit, quibuſdam oratiunculis teſtatus eſt*, ait Suetonius cap. 38.

Adjudicatur C. Cæſari] Aliter paullo vetus Junii codex: *Adjudicatur, C. Cæſar illum Æaco donat.* Quod probat Junius, & ego omnino adprobem, ſi Menander Æaci, non Caii libertus ſit.

Menandro liberto ſuo tradidit] Si vulgatam lectionem retineamus, Menandrum

drum Caji fuiſſe libertum ſignificat; quod etiam putant Rhenanus & Curio. Si enim Æaci libertus erat, dicere Seneca Latine debuit, *Is* (Caius) *Menandro liberto ejus tradidit*, non, *ſuo*. De Menandro tamen Caji liberto nihil mihi uſpiam lectum recordor. Lipſius noſter lib. 4. cap. 21. Antiquar. Lect. Æaci potius libertum eſſe judicat. Quod niſi falſum, tota lectio ad exemplum Juniani codicis ſic concinnanda erit: *Adjudicatur* (nempe C. Cæſari) *C. Cæſar illum Æaco donat. Is* (Æacus) *Menandro liberto ſuo tradidit.*

Ut à cognitionibus ei eſſet] Libri vett. *abeſſet*. Unde *proculdubio Caium notat*, inquit Rhenanus, *ut qui cognoſcendi provinciam ſæpe libertis ſuis committeret, quo magis à curis liber altiori otio frueretur.* Nec interpretamentum diſplicet Curioni. Sed lectio noſtra verior & concinnior. A cognitionibus enim quiſpiam alteri eſſe dicitur, quomodo ab epiſtolis, aut à ſtudiis: quibus muneribus ſub Rom. Principibus fungi ſolebant liberti. Sic enim Polybius à ſtudiis, Narciſſus ab epiſtolis, Pallas à rationibus Claudio noſtro fuere. *Itaque irridens Seneca temeritatem & imperitiam Claudii in cognoſcendo & judicando, ait εἰρωνικῶς*, inquit Lipſius lib. 4. cap. 21. Antiquar. lect. *illum traditum Menandro liberto Æaci, ut ſcilicet homo prudens illi à cognitionibus eſſet.* Addo etiam, liberto potiſſimum traditum fuiſſe, quia libertis ſervire aſſuetus; quorum toto Principatu non Princeps, ſed mancipium fuerat.

Sic Seneca Claudium Cæſarem è cœlo, quo eum, in lib. Conſolat. ad Polybium, viventem adulatione evexerat, mortuum ad Inferos detraxit: omnibus fatuis Principibus exemplum daturus, non parem eos famam ſecuturam poſt funus; & adulatorum linguas, ubi ſpe aut metu liberæ, non fingi amplius in virtutes, ſed vitia ex vero loqui.

L I-

Digitized by Google

LIBERTI FROMONDI
AD
L. ANNÆI SENECÆ
NATURAL. QUÆSTIONUM
LIBRUM PRIMUM
E X C U R S U S.

A.

CUm illud libri 1. cap. 6. (pag. 691. lin. 10.) legerem; *Littera quamvis minuta, per vitream pilam aqua plenam majores clarioreſque cernuntur*; cogitavi, an illo forte Senecæ ævo ſcientia & uſus noſtrorum perſpicillorum fuerit. Nam experimentum illud litteras minutas *per vitream pilam aqua plenam* augendi, & obſcuritatem enubilandi, noſtrorum perſpicillorum operationi tam prope alludit, ut facile Senecam & illos veteres uſque ad ſcientiam & artem conficiendi adjumenta iſta ſenilis viſus perducere valuerit.

Apud Plinium quoque lib. 37. cap. 5. lego, *Neronem Principem gladiatorum pugnas ſpectaſſe ſmaragdo*. An forte in formam perſpicilli fabre facto, & rerum imagines ampliante? Non credo tamen; ſed ſmaragdo Neronem uſum fuiſſe propter viroris gratiam. *Aſpectu enim ſmaragdi recreatur acies*, ut experientia & Plinius ibidem docet. Specilla deinde ſenum convexa, quæ imagines diffundunt in majus, inutilia Neroni futura fuiſſent, qui juvenis, anno ætatis ſecundo & trigeſimo, interiit. Nec ipſe Plinius, rerum mirabilium tam curioſus & dicax, mentionem ſpecillorum frequentare omiſiſſet, ſi ætate ejus uſus aut ars eorum fuiſſet. Plutarchus etiam, qui cum Plinio, & ultra ſub Trajano & Hadriano vixit, cum lib. 1. quæſt. 8. Sympoſ. moviſſet quæſtionem, Quare ſenes ex longinquo melius quam ex propinquo litteras legant; ne gry quidem de ſpecillis mutit: ubi tamen bellior occaſio, ſi ulla famæ eorum aura undecumque ad eum ex Orbe Latio aut Græco aſpiraſſet?

Sed neque poſterioribus SS. Patrum ſæculis in tot & tam variis eorum ſcriptis aliud invenire potui, quam ejus rei profundum ſilentium, uſque ad æræ Chriſtianæ annum M. & ultra. Si S. Fulgentii ævo (qui circa annum Chriſti D X X X. imperante Juſtiniano, vivere deſiit) notitia & uſus perſpicillorum in Africa fuiſſet, numquam etiam in tantillum vitam ſuam aſperam & anachoreticam remolliviſſet; & olera, quæ juvenis cruda & ſine oleo eſitare ſolebat, lautius & unctius ſenex eſitaret; *perſuaſus ſuperfundere oleum* (ait coætaneus & diſcipulus ejus, qui Magiſtri vitam ſcripſit) *ne caligo prævalens oculorum officium lectionis impediret*. Licet enim olei calor & perſpicuitas permixta oleribus ad digerendas oculorum caligines aliquid fortaſſe conferre valeat; modicum tamen & tardum hoc eſt, ſi ad magnam & ſemper paratam perſpicillorum commoditatem comparaveris. Nuper in libris noſtris de Anima, Problem. 5. & 6. de viſu hanc quæſtionem iterum retractans, conjectavi, circa ann. Chriſti M C C. aut M C C C. cum ſcientia Optices refore-

Digitized by Google

ſermones idemtidem citanti miſcentique, Seneca videtur.

Dedi larvis] Umbris infernalibus ad cruciatum.

Inter novos auctoratos] Alias, *noxios*: ſed, *novos*; non male reſtitutum à Rhenano. Auctorati ſunt gladiatores qui pretio operam Arenæ locabant. Novitii autem tales ferulacea rude, ſive gladio è ligno ferulæ, à laniſtis magiſtris exercebantur, & aberrantes ferula vapulabant. Vide Lipſium lib. 1. cap. 15. Saturnal.

Vica Pota filius] Turneb. cod. *Nicepota*: unde ipſe, *Nicephori* aut *Japeti filius*, nobis facit. Sed largiter exerrat. Vica Pota, à vincendo & potiundo dicta eſt, & Romæ templum habuit. Dieſpiter, Jupiter eſt, quaſi diei pater, ut pueri ſciunt, qui nondum ære lavantur.

Coſ. nummulariolus] Rhenanus dubitat, an non potius, *culleariolus*, id eſt, qui olei culleos vendit. Sed nil mutamus. Dieſpiter enim *Coſ. nummulariolus*, quomodo Janus pater paullo ante, *Coſ. poſtmeridianus*: & Jovis Vicæ Potæ templum juxta forum & menſas nummulariorum videtur fuiſſe, ut ridicule & merito Coſ. & Præſes nummulariorum dici potuerit.

Vendere civitatulas ſolebat] Sept. Florens conjectat, *Vel aere civitatulas colebat*. Sed impendio nihil eſt quod veterem lectionem abrogem. Turnebus lib. 18. cap. 13. ſic enarrat: *Dieſpiter nummariolus vocatur, & civitatulas vendere ſolet: quod minutus eſſet fenerator, & parvulas civitates haberet obæratas, quarum nomina cum venderet vel delegaret, vendere civitatulas dicitur.* Dieſpiter ergo (id eſt, fœneratores Romani, templo ejus vicini) minores Italiæ civitates Romam ad fœnus confluentes, & ſibi obæratas, interdum vendebat.

Auriculam ei tetigit] Auricula pars ima auris eſt, in qua memoriæ ſedem veteres ſtatuebant. Plin. lib. 11. cap. 45. *Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes anteſtantur.* Ubi veterem morem alludit, quo actor præſentis teſtis auriculam tangebat, ut meminiſſet rei geſtæ: quo facto, adverſarium, gradum ſtruentem & renitentem, licebat in jus rapere obtorto collo. quod jam proſtitum ex Horat. lib. 1. Satyr. 9. Quod vero Cujacius lib. 7. cap. 16. Obſervat. contendit, non teſtem, ſed eum ſolum qui in jus rapitur, dici anteſtari, ſatis manifeſte refellitur ex Plauti Curculione, Act. 5. Sc. 2. Sed hic tangendi auriculam & anteſtandi ritus, quid ad noſtrum ludum? Sane enim Hercules non tangit Dieſpitris auriculam, ut teſtem advocet adverſus Claudium. Opinor igitur Herculem ſubruſtice, & belle ſuo more, voluiſſe ſimpliciter Dieſpitrem monere: juxta iſtud,

——— *Cynthius aurem*
Vellit & admonuit. ———

Aviam ſuam] Liviam. Nam Claudius filius Druſi, quem utero geſtabat ex Tib. Nerone Livia, cum nupſit Auguſto; *fuitque ſuſpicio*, ait Sueton. *ex vitrico* (Auguſto) *per adulterii conſuetudinem procreatum*. Merito ergo Dieſpiter ait eum, *D. Auguſtum ſanguine contingere*. ſed tamen etiam per Antoniam matrem, quæ filia M. Antonii & Octaviæ ſororis Auguſti, huncce eumdem contingebat.

Deam eſſe juſſit] Sueton. cap. 11. *Claudius aviæ Liviæ divinos honores, & Circenſi pompa currum elephantorum, Auguſto ſimilem decernendum curavit.*

Sapientia antecellat] Latus & apertus riſus. Sed quid ſi quiſpiam ſapientiam & laudes olim in Claudium congeſtas Senecæ in memoriam reducat? In Conſolatione enim ad Polybium Claudii libertum, *Exempla omnia*, ait, *quibus ad animi æquitatem compelleremus, tenaciſſima memoria retulit* (Cæſar Claudius) *omnium præcepta ſapientum aſſueta ſibi facundia explicuit.* Et deinde eum non ridicula ἀποκολοκύνθωσιν, ſed ſeria ἀποθεώσει conſecrans, *Attolle te*, Polybio exclamat, *& quoties lacrymæ ſuboriuntur oculis tuis, toties illos in Cæſarem* (Claudium noſtrum) *dirige: ſiccabuntur maximi & clariſſimi conſpectu numinis.* Quid tam effuſis laudibus opponet?

Digitized by Google

net? Nempe quod pro ipſo Lipſius: *Scripſiſſe hac olim in exilio, dum animo & corpore jaceret:* adulatione fatui Principis conatum ſe præſenti malo eripere.

E repub.] Romana, inquit Rhenanus: ſed cœleſti potius.

Romulo] Fortaſſe, *rhombulo*, id eſt, olla aliqua figuræ rhombi, ait Rhenanus. Sed χερσὸς ἀκεσίνως ſolens movet. Quia enim Romulus aſſa & ferventia rapa, ut Fabricius aliique in vetere & paupere Rom. repub. edere ſolebant, ideo fingit eos etiam in cœlo lubenter iis veſci. quod fecit etiam Martial. in Xeniis:

Hac tibi brumali gaudentia frigore rapa
Qua damus, in cœlo Romulus eſſe ſolet.

Significat ergo Claudium non boletorum tantum, ſed raporum cum Romulo avidum fuiſſe.

Ad μεταμορφώσεις Ovidii] Amœniſſime. Ut enim monſtroſa metamorphoſi apud Ovidium, quædam bruta, plantæ, lapides mutantur in Deos; ita hic Claudianus pepo & κολοκύνθη.

Ferrum ſuum in igne eſſe] Proverbium eſt, de periclitante, & cujus res agitur. Cum enim ferrum in igne eſt, mollitur & præparatur ad malleum. Periclitabatur autem Hercules cum Claudio, quia ipſe etiam ex homine mortali, in cœlum & inter Deos erat receptus.

Manus manum lavat] Proverb. de Græco expreſſum: χεὶρ χεῖρα νίπτει. Gemellum iſtud, *Mutuum ſcabunt muli.*

Surrexit ſententia ſua dicenda] Ex more id Rom. curiæ, in qua ſententiam dicturi ſurgebant: qui vero aſſentiebantur, ſedentes id faciebant. Cicero Epiſt. ad Metellum: *Nulla eſt umquam à me ſententia dicta in fratrem tuum: quotieſcumque eſt actum, ſedens aſſenſi iis qui mihi ſemper leniſſime ſentire viſi ſunt.*

Semper meum negotium ago] Vereor ne alludat ad Auguſti mores; quo negotium ſuum cum Ulyſſe ſtolato (Livia, inquam, ſua) callide ſemper agendo, remp. Rom. ſibi ſubjecit. quod etiam in cœlo agit, ſemper ſibi ſimilis.

Legibus urbem fundavi] Vide Sueton. Auguſti cap. 33. &c.

Operibus ornavi] Sueton. cap. 29. *Auguſtus plurima opera exſtruxit. Ex quibus vel pracipua, forum cum ade Martis Ultoris, templum Apollinis in Palatio, adem Tonantis Jovis in Capitolio.*

Meſſala Corvini diſertiſſimi viri] Hic è nobiliſſima Rom. familia Orator diſertiſſimus, & in Conſulatu collega Auguſti fuerat A. V. DCCXXII. De eo Quinctilian. lib. 10. cap. 1. *Meſſala nitidus & candidus, & quodammodo pra ſe ferens nobilitatem ſuam, viribus minor.* Hic tamen eſt, cui morbus proprii etiam nominis abſtulit memoriam, teſte Plin. lib. 7. cap. 24.


Pracidit jus imperii] Mureti editio, *periit jus imperii.* Sed lectio noſtra vetuſta, MS. & recta eſt. Verba ſunt ex oratione aliqua Meſſalæ: & valent, *caſtravit & enervavit jus imperii.*

Muſcam excitare] Proverb. de homine nimis miti & innocente. Credo adſpexiſſe ſignificationem verbi *excitare* theatralem, qua Diſſignator in amphitheatri orcheſtra aut alibi nimis honorate ſedentes, loco duriter depellebat, quos *excitare*, aut *ſuſcitare*, ſolemni verbo dicebatur, ut ex Suetonio & Martiali Lipſius cap. 15. Amphitheat. te docebit.

Quam canis exta edit] Ita à Rhenano & Alciato correctum, cum veteres omnes cod. legant, *quam canis*, vel, *caneis excidit.* Unde videtur, inquit Rhenanus, *Claudius canibus ex ſectis delectatus fuiſſe.* Ridicule. Mavult tamen legere, *exta edit*, cum alluſione ad Græcum Proverb. Κύων παρ' ἐντέροις, *Canis juxta inteſtina.* hæc enim avidiſſime vorant famelici canes. Simile iſtud Plautinum: *Tam facile, quam vulpes pirum comeſt.* Sed vetus lectio, *quam canis excidit*, penultima brevi (non, *excidit*, ut conjectabat paullo ante Rhenanus)

Digitized by Google

nanus) optima & retinenda. Canis autem iſte, non quadrupes, ſed talorum jactus eſt, omnium infeliciſſimus, ut recte alicubi notat Rutgerſius; qui Græcis etiam κῷον, aut χῖος dicitur. Hic autem faciliſmus eſt, quia (periclitare, ſic invenies) in nullam partem proclivior, & ſæpius ac facilius ſtat, quam in cane talus. Quodnam tamen tali latus Canem ſive Chium appellaverint, diſputant philologi. Sed clariſſime docet Ariſtoteles lib. 2. cap. 1. Hiſtor. animal. Ait enim: Ἀστραγάλυ τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δ' ὕπτιον εἴσω, καὶ τὰ μὲν κῷα ἐν τοῖς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ χῖα καλέμενα ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω: *Tali pars prona foras, ſupina introrſum ſpectat, coa interius ſibi adverſa, chia exterius ſunt, antenna ſupra.* Ego per poſterioris pedis bovini anatomiam hæc omnia inſpexi diſtincte, & intellexi χῖα, ſive canes, latera illa talorum eſſe, in quibus facillime acquieſcunt & conſiſtunt tali ex alto in tabulam relapſi; quia nempe latera illa protuberant, & gravitate ſua ſitum infimum poſtulant. Hinc etiam didici, tunc χῖον, ſive canem, aut κῷον jaci, cum ea pars tali infra eſt, non cum ſupra & faciem nobis oſtentat: id eſt, canis jacitur, quando talus latere canino tabulam tangit, & in eo quieſcit. Aliter nempe, quam hodie, qui jactus à facie ſurſum ſpectante & nobis conſpicua nominamus. Niſi enim illud ſit, nihil fuiſſet cauſſæ, cur jactum canis damnoſiſſimum feciſſent veteres (Perſius autem *damnoſam caniculam*, Propertius *damnoſos canes* appellat) cum difficilius χῖον, ſive caninum latus, quam κῷον, ſurſum talus, converat. Ideo tamen, ut omnes conſentiunt, canis omnium infeliciſſimus, quia omnium facillime excidit. Quod aperte ſatis, & divine ad hujus loci interpretationem, lib. 2. cap. 11. Cœli, indicat Ariſtoteles: Μυρίους ἀστραγάλους χίους βαλεῖν, ἀμήχανον, ἀλλ' ἕνα ἢ δύο ῥᾷον: *Valde multos talos chios* (neſcio quid Perionio & Conimbricenſibus venerit in mentem, *Coënſes*, vertere) *jacere, difficile, unum vel duos, facile.* Idcirco autem facile, quia chium latus, ſive canis, plus materiæ & ponderis habet; unde jure ſuo, & ſecundum æquilibrii leges, locum imum facile occupat, ac oppoſitum coënſe latus reſupinat. Sed hæc oculis melius, quam ſolo intellectu conſpiciemus, & una opera Ariſtotelis Hiſtor. Animal. interpretabimur.



Primum binos aſtragalos, ſive talos, ſitu quo in poſteriori pede bovino ſibi aſſident, conjunctis inter ſe coëntibus lateribus, hic vides. Sunt autem proni, quia A. pars eorum prona (Ariſtoteli πρανὲς) nobis obverſa eſt, inſidentque parti concavæ (quam Ariſtoteles ὕπτιον appellat) tamquam quatuor pedibus; eſtque ſitus ille eorum maxime naturalis. In ſecunda imagine, B. eſt ὕπτιον, ſive pars ſupina & quaſi venter cavus, cui in priori imagine inſidebat talus, opponitur ex diametro parti pronæ, ſive convexæ. In tertia imagine, C. κῷον, ſive Venerem, ut Latini interpretantur, indicat. Latus iſtud cæteris planius eſt, quia ea ſuperficies eſt, qua talus unus alterum contingit. Nam τὰ κῷα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, *coa interius ſibi invicem obverſa*, dicit Ariſtoteles. Hæc autem, quia oppoſita cani, facillime ſupinatur: nam ſurſum eſt, quotieſcumque deorſum eſt canis. In imagine quarta, D. χῖον, ſive canem oſtendit; E. vero κεραίας, ſive cuſpidem tali ſuperiorem, in qua quandoque etiam conſiſtere poteſt talus. In cuſpide vero F. nimis acuta, quæque ad ungulam bovini pedis deſpectat, ſtare non valet, ideoque eam nominare

Ari-

Ariſtoteles neglexit. Cum autem ait, *πρανὲς ἔξω*, *partem pronam foras ſpectare*, non vult dicere, *extrorſum ſub caudam*, ut perperam commentatur Jul. Scaliger, ſed in partem bovis prorſus oppoſitam, id eſt, ad caput, ſeu pedes anteriores, ut in anatomia poſterioris pedis bovini, in quo ſunt tali, oculis ſpectavimus. Quia enim pars pedis quæ àd caudam & aratorem ſpectat (ſi bos trahat aratrum) *καμπὴν* ſive flexuram habet concavam & interiorem, ſupra pedis ungulam; ideo partem iſtam *εἴσω*, *interiorem* appellavit: in quam ſpectat *ὕπτιον*, ſive tali concavum. Partem vero ei oppoſitam, quæ eſt tamquam pedis dorſum, & verſus pedes anteriores bovis vergit, vocat *ἔξω*, *exteriorem*; aitque verſus eam convexum & pronum illud aſtragali dorſum proſpicere. Verum ſi non totum pedem bovis, ſed gemellos ſolum talos profunditati pedis immerſos contemplemur, ait *ἐντὸς*, *à parte interiori*, ſuperficiebus *κώοις*, ſive Venereis (quæ ideo cæteris planiores ſunt) ſibi obverti & ſe immediate contingere. His autem *ἔξω*, *exterius*, nempe in externa talorum circumferentia, opponuntur ex diametro *χῖαι*, ſuperficies, ſive canes, rotundiores & magis protuberantes quam *κῶαι*. At vero *κεραῖαι*, ſive antennæ, *ἄνω*, *ſurſum*, verſus genu bovis erectæ ſtant, & acetabulo ac concavitate ſua extremitatem oſſis tibiæ excipiunt. Hæc plenius libuit enarrare, quia vulgo à multis non ſatis intellectus Ariſtoteles; & Beroaldus, Junius, Scaliger, aliique philologi nimium quantum ſe luſu iſto aſtragalorum fatigant. Vides etiam, quam appoſite & concinne de aleatore & talorum luſui deditiſſimo Claudio dixerit Seneca, *tam facile homines occidere, quam* ei *inter* ludendum *canis excideret*.

De tot acribus viris] Lectio hæc à cod. MS. Junii. Ante, *de tot actibus juru*. Rhenanus ſolemni audacia conjectat, *de tot præſtantibus viris*, vel longius, *de dodrantibus uſuris*. Acres tamen illi viri mihi ſuſpecti; ſed nil ſuccurrit melius.

Etiamſi Phormea Græce neſcit] Nox hic confuſa & deformis, in qua Argus nihil aut vix cernat. Veterem tamen hanc lectionem fatetur Faber: à qua latiſſime exerrat Rhenanus. Poſt longos enim, ut confitetur, labores & æſtus, tandem nobis concinnat: *nam τῆς ὀργῆς agre ſeneſcit ὁ νόσος*, id eſt, *ira morbus ægre ſeneſcit*. Deinde ſequentia, *ex qualibuſcunque*, ut ait, exemplaris ſui *veſtigiis*, ita legit: Πυργοπολινίκης *iſte quem videtis*. Nam Plautus Thraſonem ſuum, Pyrgopolinicen, quaſi *arcium expugnatorem*, appellat. Sed Junius queritur totum hunc locum à Rhenano turpiter deformatum, cum *ea obtrudat*, inquit, *quæ à manuſcripti codicis fide ſunt alieniſſima*. Sic vero ipſe interpolat, obſervato, ait, anxie characterum ductu. *Nam etiamſi φόρμιγγος neſcit, ego ſcio, ἐντύνων τὸ, Καλλίνικε Ἡρακλῆς. Iſte quem videtis*, &c. Additque, Græca iſta ſatis evidenter in MS. codice ſuo legiſſe. *Eſt autem*, inquit, *illud*, Καλλίνικε Ἡρακλῆς, *Archilochi poëtæ carminis initium, quod ad citharam canebatur, teſtante etiam Pindaro in Olympiis, hoc modo:* Χαῖρε Καλλίνικε τήνελλα ἄναξ Ἡρακλῆς. Fortaſſis igitur legendum: *Nam etiamſi φορμίζειν neſcit, ego ſcio, ἐντύνων*, &c. Ut Auguſtus affirmet Claudium mortalium ignariſſimum eſſe, qui ne quidem φορμίζειν, & citharam tangere ſciat: juxta Græcum Proverb. apud Ariſtophanem in Veſpis: Σύγγνωθι, κιθαρίζειν γὰρ οὐκ ἐπίσταται: *Ignoſce, nam cithara canere neſcit*. Et in Equitibus: Οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι: *Ne quidem muſicam didici*. Omnes enim olim, niſi opici plane & incultiſſimi haberi vellent, muſica & cithara exercebantur. Credo etiam hac figura parœmiæ Græcæ, qua Seneca ignorantiam & oblivionem Claudii mordet, ſcientiam muſicæ Neronis ſui voluiſſe extollere: cui etiam ſe ſimilem in cœlo Auguſtus dicit, & Olympicam illam cantare cantilenam (Neroni, opinor, familiarem) Χαῖρε Καλλίνικε Ἡρακλῆς, &c. Sententia igitur tota hæc erit; Non mirum eſſe, Claudium tam

ignarum ut domeſtica funera ignoret, & nobiliſſimos quoſque neſciens (ut mox Auguſtus narrabit) occideret; quandoquidem Græco proverbio, ne quidem φορμίζειν aut muſicam ſciret. Hoc eſt, quod in nocte iſta allucinans videre potui. Vox, *Græce*, à librario, opinor, textui inculcata fuit, qui cum *phormea*, aut *phormizein*, litteris Latinis exaraſſet, Græcam dictionem eſſe, non Latinam, Lectori indicare voluit.

Sub meo nomine latens] Ab Auguſto enim omnes deinde Cæſares appellati Auguſti.

Duas Julias] Rhenani & Schotti lectio, *duas amitas*. Male. Nam una Juliarum, filia Germanici fratris Claudii, & proinde Claudio neptis ex fratre fuit: altera filia junioris Druſi, qui Tib. Cæſaris filius erat, & Claudii patruelis. De earum cæde Sueton. cap. 29. *Ap. Silanum conſocerum ſuum, Juliaſque, alteram Druſi, alteram Germanici filiam, crimine incerto, nec defenſione ulla data, occidit: item Cn. Pompeium, majoris filiæ* (Antoniæ) *virum, & L. Silanum minoris* (Octaviæ) *ſponſum.* Hunc mox Auguſtus vocat abnepotem, quia filius Æmiliæ Lepidæ proneptis Auguſti per filiam Juliam & generum M. Agrippam. Vide Lipſium ad Tacit. 13. Annal.

An in cauſſa mala] Altera lectio, *An in tua, certe mala.* Venuſtius ergo ſic invertes, *An in cauſſa tua, certe mala.* Locus tamen mihi majoris mendi ſuſpectus. Tolerabilis tamen, certe clarior ſenſus erit, ſi, *in cauſſa tua*, valeat, *per te ſtabit*; vel aliud ſimile. quo fere modo, alicujus rei auctorem ſolemus dicere *eſſe in cauſſa.*

Qui tot annos regnat, uni] Sic interpolatum à Rhenano, qui ex, *regnatum*, voce ſingulari in duas cæſa, *regnat uni*, fecit. Vetuſti, & Junii MS. *Quoi tot annos regnatum, Vulcano*, &c. Recte.

Ῥῖψε ποδὸς] Verſus Homeri ex Iliad. A. ubi Vulcanus narrat ſe à Jove *arreptum pede de limine divino dejectum fuiſſe*, cruſque ſibi confractum delapſu in inſulam Lemnon.

Iratus fuit uxori] Ita reſtitutum ex cod. MS. à Rhenano. Fabulæ meminit Homer. Iliad. O. Phyſici per Junonem à Jove ſuſpenſam, aërem intelligunt à cœlo in terram quaſi propendentem. Alligavit Jupiter pedibus ſuſpenſæ ἄκμονας δύο, *duas incudes*, id eſt, elementa duo gravia, aquam & terram, aëri contigua.

Avunculus major eram] Nam Auguſtus erat frater Octaviæ, quæ proavia Meſſallinæ fuit. Octavia enim ex M. Antonio genuit Antoniam majorem, hæc ex Domitio Ænobarbo Domitiam Lepidam, matrem Meſſallinæ. Fuit etiam Auguſtus avunculus major Claudii; quia iterum Octavia ſoror Auguſti, avia Claudii, & mater Antoniæ minoris, quæ ex Druſo Tiberii fratre concepit Claudium.

Neſcio, inquis] Quomodo Meſſallinæ cædes à Narciſſo liberto, neſciente Claudio, accelerata, vide Tacit. ad finem 11. Annal. Et de nece Conſularis viri, Sueton. cap. 29. *In quinque & triginta Senatores, trecentoſque amplius Equites Rom. tanta facilitate animadvertit, ut de nece Conſularis viri renunciante Centurione, factum eſſe quod imperaſſet, negaret ſe quidquam imperaſſe, nihilominus rem comprobaret.*

Iſte C. Cæſarem] Imp. Caligulam.

Mortuum proſequi] Amorene, an odio? Videtur illo potius. Nam *cum Senatus*, inquit Dion, *Caium ignominia notare vellet, ei Senatuſconſulto interceſſit; ipſe vero tantum ejus ſtatuas omnes noctu ſuſtulit.* Verum tamen eſt, *reſcidiſſe ea quæ à Caio, aut ab aliis propter eum, male eſſent ſtatuta*, ut idem ſubdit.

Occiderat ille ſocerum] M. Silanum, cujus filiam Juniam Claudillam duxerat Caius. Sueton. cap. 22. Caligul. *Silanum ſocerum ad necem, ſecandaſque novacula fauces compulit.*

Hic & generum] L. Silanum filiæ Octaviæ ſponſum.

Craſſi filium] Sueton. cap. 35. Caligul. *Vetera familiarum inſignia nobiliſſimo*

Digitized by Google

ſimo cuique ademit: Torquato torquem, Cincinnato crinem, Cn. Pompeio ſtirpis antiquæ, Magni cognomen.

Nomen illi reddidit] Dion lib. 60. *Claudius Pompeio & appellationem* (Magni, à Caio ablatam) *reſtituit, & præterea filiam* (Antoniam) *in matrimonium collocavit.* Cujus tamen poſtea *caput tulit*, ſive abſtulit, ut Seneca mox ſubdit.

Craſſum Magnum] Pompeii Magni, generi ſui patrem, & filiæ Antoniæ ſocerum, ut ſtatim Auguſtus dicet.

Ut etiam regnare poſſet] Tam idoneus fatuitate & ſtultitia ad regnandum, quam Claudius. Unde mox, *tam ei ſimilem, quam ovo ovum*, dicit. Eraſmus in Adagio, *Aut regem, aut fatuum naſci oportet*, omnes reges fatuos à Seneca ſignificari, & plerumque eſſe credit. Verba compluſcula editiones quædam hic immittunt: ſed à ſciolo aliquo, non à Seneca eſſe, Faber & ego non dubitamus.

Diis iratis natum] De Claudii manuum & capitis tremore, de humente & ſalivante oris rictu, ante ex Suetonio dictum: nunc petulcum iſtum paulliſper audite. Juvenalis eſt, Sat. 6.

——— Minus ergo nocens erit Agrippina
Boletus, ſiquidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit
In cœlum, & longam manantia labra ſalivam.

Ubi notate, quæſo, *deſcendere in cœlum*. Boletus enim Agrippinæ eum in Orcum revera deſcendere juſſit: ſed *in cœlum* dixit; quia *funeratus eſt ſolemni Principum pompa, & in numerum Deorum relatus*, ait Tranquillus, & Orcus, in quem deſcendit, admirabili metamorphoſi in cœlum ab Agrippina transfiguratus fuit.

Tria verba cito dicat] Balbutiem Claudii & linguam ἀσαφῆ tangit, quæ tria verba celeri & continenti filo enunciare non poſſit. Briſſonius autem lib. 5. Formular. *tria iſta verba* ſuſpicatur ſolemnia hæc eſſe, *Hic meus eſt*, uſurpata ab iis qui injecta manu ſervum ſibi vindicabant, ut indicat alicubi poëta ingenioſus:

Et dicam, Mea ſunt, injiciamque manus.

Et alter:

——— ut poſſeſſor agelli
Diceret, Hæc mea ſunt, veteres migrate coloni.

Itaque Auguſtus paratus eſt, injecta ſibi manu in ſervitutem à Claudio duci, ſi tria illa & ſolemnia verba σαφῶς & ſine balbutie valeat continenter efferre.

Servum me ducat] Junius cum ſuo Caucho ſuſpicatur legendum, *in nervum* (id eſt, vincula) *me ducat.* Sed lectio noſtra aut concinnior eſt, aut me fallit auris. Faber prurit expungere, *ſervum*, & legere tantum, *me ducat.* Nam *id*, inquit, *per ſe ducendi verbo ſignificatur.* Fallitur. nam *ducere* ſimpliciter, non eſt *ſervum*, aut *in nervum*, ſed ad Gemonias & extremum ſupplicium, ut num. 69. à me adnotatum.

Ex tabella recitavit] Id ex veteri more, quo ſententiæ ex tabula pronunciabantur. Sueton. cap. 15. Claud. *De quodam negotio ita ex tabula pronunciaſſe creditur: Secundum eos ſe ſentire qui vera propoſuiſſent.* Et Agell. lib. 7. cap. 19. *Sempron. Gracchus juravit palam in amicitiam inque gratiam ſe cum P. Africano non rediſſe; atque ita decretum ex tabula recitavit.*

Quandoquidem D. Claudius] Iterum hæc præfatio ex ritu ſolemni. nam ſententiam à ratione quæ animum moviſſet auſpicabantur. Privatarum etiam litium Judices addere ſolebant: *Si quid mei judicii eſt*, ut conſtat ex Cic. lib. 2. de finib.

Socerum ſuum Ap. Silanum] Erat enim Silanus vitricus Meſſallinæ, uxoris Claudii. Sueton. cap. 29. vocat eum Claudii *conſocerum* (quomodo etiam quædam hic exemplaria legunt) quia filiam Octaviam L. Silano Ap. Silani filio deſponderat Claudius.

Soceros filiæ ſuæ] Antoniæ.

Frugi hominem] Ad Craſſi cognomen

men alludit: vocabatur enim Craſſus Frugi. De eo enim Sueton. cap. 17. Claud. *Craſſus Frugi equo phalerato, & in veſte palmata ſecutus*, &c. Sic L. Piſo Frugi, apud Cic. lib. 3. Tuſcul. Sic alius Craſſus Frugi, ex hujus noſtri, opinor, familia, quaſi res novas moliens, interfectus ſub Hadriano. Ridet autem & ludit Seneca dicens *hominem*, quaſi pro ſuo nomine, *frugi*; cum nihili & inutilis, ac fatuitate ſimillimus eſſet Claudio.

Quam ovo ovum] Cic. lib. 2. Academ. *Videſne, ut in proverbio ſit ovorum inter ſe ſimilitudo?*

Vacationem dari] In Curionis MS. *vocationem*. unde ipſe *advocationem* fecit: quaſi Claudius negata advocatione & indicta cauſſa condemnaretur, qui alios ſic damnare ſolitus erat. Sed omnes paſſim, *vacationem*, legunt, ſenſu optimo. Non eo tamen, quem putat Rhenanus, qui ad vacationem legis Papiæ Poppææ (de qua Sueton. cap. 19. Claud.) Senecam aſpexiſſe credit: ſed alio quem P. Pithœus lib. 2. cap. 20. Adverſar. attigit. Solet enim Claudius toto anno ſine vacatione, intra ferias etiam forenſes jus laborioſiſſime dicere. Cenſet igitur Auguſtus morem hic ejus imitandum, & quamvis menſe Octobri, feriis vindemialibus animam ebullierit, Deos tamen mittendos ſtatim in conſilium, cauſſamque ejus ſine vacatione & prolatione finiendam. Aut certe pœnam Claudio infligendam taxat (quod præponit Gruterus:) ut ſcilicet, qui juris dicundi tam diligens (diebus etiam religioſis, & nulla circa totum annum vacatione) fuiſſet, hac porro juriſdictionis ærumna, nulla vacationis interjecta quiete æternum cruciaretur.

Cælo intra dies 30. excedere] Decorem & morem antiquum ſervat. Nam *his qui relegantur*, ait Ulp. l. 7. D. de Interdict. & relegat. *Dies excedendi à Præſidibus dari & poteſt & ſolet. Etenim moris eſt, ita pronunciari: Illum Provincia illa Inſulisque in relego, excedereque debebit intra illum diem.* Toto autem cœlo (hoc eſt, à ſummo ad terram uſque) excedendi, triginta dies videntur conſtituti, ut unicuique ſphæræ dies ternos diſtribuat. Decem enim cœleſtes ſphæræ, ſive regiones in ſententia Senecæ ſunt: Olympus, ſive regio fixarum, deinde regiones ſeptem totidem Planetarum, ætheris à Luna ad nubes, poſtrema aëris à nubibus ad terram. Si igitur ſingulis regionibus inferioribus tantum temporis, quantum Olympo excedendo impendat Claudius, triceſimo die perveniet ad terram.

Pedibus in hanc ſententiam] Curiæ Rom. morem lepide transfert ad cœleſtem. Qui enim nec ſententiam rogabantur, nec verbo aſſentiebantur, ſi ſententia placebat, in partes ejus qui cenſuerat, pedibus ibant. Vide Agell. lib. 3. cap. 18. & Briſſon. lib. 2. Formular.

Cyllenius] Mercurius: hic enim eſt miniſter & viator Deorum.

Collo obtorto] Ciceroni, Plauto, & aliis phraſis uſurpata, dum quis vi rapitur ad ſupplicium. Plaut. in Rudente: *Subveni, mi Charmides, rapior obtorto collo.* Id eſt, *veſte ad collum prehenſa gulam & fauces premere & angere, iiſque adſtrictu urgere & trahere*, enarrat lib. 26. cap. 2. Turnebus. Sed profecto id potius eſt, *obſtricto collo*, ut Plautus in Amphitr. loquitur, quam *obtorto* rapi: quamquam Eraſmus in Adag. inter duo iſta nihil diſcriminis interjiciat. Sed quid proprie *obtorto collo trahi*, fortaſſe ex Sueton. cap. 17. Vitell. diſcere poſſumus. *Vitellius veſte diſciſſa ſeminudus in forum tractus eſt, inter magna rerum verberumque ludibria, per totum via ſacra ſpatium, reducto coma capite, ceu noxii ſolent, atque etiam mento mucrone gladii ſubjecto, ut viſendam præberet faciem.* Noxiis igitur & ad ſupplicium protractis reſupinari facies, & collum in cervicem retorqueri ſolet: & id fortean proprie *obtorto collo trahi*.

Illuc unde negant] Hendecaſyllabus eſt ex luctu Paſſeris Catulliani:

Qui circumſiliens modo huc, modo illuc,

Ad

Ad ſolam dominam uſque pipilabat,
Qui nunc it per iter tenebricoſum,
Illuc unde negant redire quemquam.

Et cætera earumdem ineptiarum.

Per viam ſacram] Hæc eſt, quam Horatius *ſacrum clivum* appellat. hac enim aſcendebatur in Capitolinam arcem. Plin. lib. 19. cap. 1. *Cæſar Dictator totum forum Romanum intexit, viamque ſacram ab domo ſua ad clivum uſque Capitolinum.*

Impenſa cura plenum] Tacit. ad finem Annal. 12. *Cæleſtes honores Claudio decernuntur, & funeris ſolemne perinde ac D. Auguſto celebratur: æmulante Agrippina proavia Liviæ magnificentiam.*

Æneatorum tanta turba] Ita emendatum à Rhenano, cum in pleriſque legeretur, *ſenatorum*, & in uno S. Amandi *ſenatorum*. quod in ridiculo iſto dramate non omnino diſplicet. Cæterum in funeribus quoque Judæorum adhibitos tibicines, liquet ex S. Matth. cap. 9. Et quamquam tibicines, æneatores non ſint (non enim ex ære, ſed ligno, aut oſſe, præſertim aſinino, tibias olim concinnabant;) hos tamen illis permixtos in funeribus fuiſſe, ſuggerit Tertull. lib. de Corona mil. *Et mortuus tuba inquietabitur æneatoris?* Solos tamen milites, aut alios nobiliores, ad tubam funeratos alibi opinatur noſter Lipſius. Nam Propertius magnificentiam iſtam, & veluti Claudiani funeris pompam à ſuo reſpuens:

Nec mihi tunc fulcro ſternatur lectus eburno,
Nec tuba ſit fati vana querela mei.

Tantus conventus] Lipſ. Epiſt. ad Carion. malebat, *concentus.*

Claudius audire poſſet] Tam ſtupidus, & ſomnolentus, denique mortuus, inquit Rhenanus. Vel certe, quia in vivis gravi auditu, & præ ſenio ſurdaſter fuerat.

Agatho & pauci cauſſidici] Junius verſu uno Juvenalis illectus,

Cauſſidici nova cum veniat lectica Mathonis
Plena ipſo, ———

geſtit nobis *Mathonem* pro *Agathone* reponere. Sed dum Juvenalem etiam atque etiam reſpicio, de alio ſub Principe Domitiano, cauſſidico Mathone, loqui mihi videtur. Plorabant autem cauſſidici, & quidem ex animo, non ut ſolent conducti ad planctum; quia Claudius patientiſſimus iſtorum rabularum, & aſſiduus in foro & tribunali diebus etiam vacationum & feriatis erat; unde ipſis luctum.

Juriſconſulti è tenebris] Qui ſic? Quia, opinor, parvus aut nullus reſponſorum ipſorum ſub Claudio Judice uſus. Nam *non ſemper præſcripta legum ſecutus, duritiam lenitatemque multarum, ex bono & æquo, perinde ut afficeretur, moderabatur.* Sueton. cap. 14.

Non ſemper Saturnalia erunt] Claudio enim imperante, totus annus December erat & Saturnalitius, cum ipſe cauſſidicis & libertis ſubditus eſſet, ut Saturnalibus domini ſolent ſuis ſervis. Vide quæ num. 92. commenti ſumus.

Intellexit ſe mortuum eſſe] Quaſi tam brutus & ſtolidæ mentis fuerit, ut mortuum ſe non intelligeret, niſi vidiſſet ſe ad rogum efferri.

Μεγαληγορία] Id eſt, *magnificentia.* Ita nobis prælegit Junius, propius alludens veſtigia Græcæ corruptæ lectionis quam Rhenanus, qui ὀπτικὸς χρειώδης licentia ſolemni confinxit.

Cordatus homo] Veteres omnes, Fabro teſte, *cordatus Jano.* Sed ratio metri anapæſtici *Janum* reſpuit unde Rhenanus in *Sino* eum transformavit, ut Claudium Sinoni illi Virgiliano calliditate pariari intelligat. Sed lectione vulgari nil hactenus repertum probabilius. *Cordatum* autem vetuſti ſapientem appellabant, ut protritum jam, & ante alibi à me dictum.

Vincere curſu] Ridiculum de ſene tardo, podagrico, & male pedato, qui dextrum pedem trahebat.

Rebelles Fundere Parthos] Parthi enim ſub Claudii Principatu rebellarunt, ut Annal. 11. & 12. narrat Tacit.

Vulnere parvo] Sagittæ, cui acies exilis, acuta & anguſto vulnere penetrabilis.

Filla-

Pictaque Medi] Quia pictis ſagulis amicti, aut quia picta & imaginoſa ſcuta in terga rejiciebant fugientes.

Scuta Brigantas] Junius audacter, *Jovem lapideum dejerare auſim*, inquit, *ab auctore ſcriptum fuiſſe*, *Cæruleos cute Brigantas. Solebant namque olim omnes Britanni glaſto ſe inficere*, *quod cæruleum efficit colorem*, *ut horribiliore eſſent in pugna aſpectu.* Jo. Scaliger, *Scotobrigantas*, potius conjicit: quod avidiſſime Georg. Buchananus arripuit. Sed fruſtra veterem & conſtantem omnium exemplarium lectionem ſollicitant iſtiuſmodi conjecturis. Neque, ſi *omnes Britanni ſe luteo*, (alias, *glaſto*) *inficiunt*, *quod cæruleum efficit colorem*, *ut horribiliore ſint in pugna aſpectu*, quemadmodum lib. 5. Belli Gallic. narrat Cæſar, idcirco ſcuta ſine pictura erant: imo omnino vero ſimillimum eſt, etiam hæc ad augendum terrorem coloraſſe. Brigantes autem, Walliæ Angli, aut alii circum exiſtimantur. Ab iſtis, opinor, Galli Belgæ validos mendicos, *Brigans*, appellare ſolent: quales in Anglia & Inſulis illis hodie & olim plurimi, ſagulis & lodicibus operti vicatim incedentes, tepore blandæ regionis in otium & ignaviam reſoluti. Leodienſes tales etiam vocant *Catty*, quia apud vicinos Hollandos & Cattos olim fortaſſe multa etiam erant illius farinæ mendicabula. Quia deinde paupertas multos ad latrocinia impellit, *Brigans*, Francis ſunt latrones.

Romuleis Colla catenis] Iſtud non ex riſu, ſed ex vero. nam *ſine ullo prælio aut ſanguine*, *intra pauciſſimos dies partem Inſulæ* (Britanniæ) *deditionem recepit.* Sueton. cap. 17.

Una tantum Parte audita] Vide Sueton. cap. 15. & 29. Claud.

Cretaa tenens] Minos Rex olim Cretæ, jam, ut fabulantur poëtæ, apud Inferos ſeverus Judex.

Venale genus] Quia linguam, & malarum cauſſarum patrocinium ſæpe vendunt.

Voſque Poëtæ] Qui communione litterarum apud Principem litterionem erant, opinor, gratioſi. Nam quam multa ante & in Principatu ſcriptitaverit Claudius, diſce ex Sueton. cap. 41. & 42.

Lucra fritillo] Ludus enim alearum & talorum Romæ fervebat vivente & præeunte Claudio, qui *aleam ſtudioſiſſime luſit: de cujus arte librum quoque emiſit*, & cætera quæ in hanc rem narrat Sueton. cap. 33. Multi igitur, aliis ſe pauperantibus, diteſcebant aleæ luſu; meritoque lugubria ſumebant in Principis aleonis exitu. Fritillus autem eſt vaſculum oblongum & turritum, plerumque buxeum, in quod aleæ, tali, teſſeræ conjectæ & agitatæ effundebantur in tabulam. Concavitas ejus erat gradatim exſculpta, ut concuſſæ aleæ ſæpius revolverentur, eſſetque jactus incertior. Indicat Auſon. in Nænia Tib. Victoris Orat. Burdigal. memoriam ejus extollens:

Vidimus & quondam tabulæ certamine longo,
Omnes qui fuerant enumeraſſe bolos,
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu,
Fundunt exciſi per cava buxa gradus.

Hunc Horatius *pyrgum*, Martialis Græcam vocem Latine reddens, *turriculam*, à forma appellat. Turnebus tamen *pyrgum*, ſive *turriculam* proprie faſtigium fritilli fuiſſe exiſtimat; per quod aleæ, vel tali mitterentur in alveolum. Id enim plane Suidas ſignificat. Sed tamen totus etiam forte fritillus perpetua turris erat, nec turritum illud faſtigium à reliqua baſi & alveo talorum capace ſolutile & diſcretum fuit. In vicem fritilli apud aleatores Gallos ſucceſſit cornu. Vox etiam Gallica, *fretiller*, quæ palpitationem & vibrationem ſignificat, ſimilem illi fere qua aleæ concutiuntur in fritillo, indidem, credo, habet originem.

Talthybius] Ita ridicule Mercurium appellat, dando ei nomen nuntii cujuſdam Homerici, quem Iliad. A. Agamemnon mittit ad Achillem, ut repetat Βρισηΐδα καλλιπάρηον.

Capite obvoluto] Quia mortuorum manes

manes vivorum oculos effugiunt, nec agnoſci poſſunt.

Viam rectam] Vett. omnes, *viam tectam*. quod probat Junius, *quia via*, inquit, *olim tegebantur velis*. Sed nomen proprium viæ Rom. fuiſſe, ſive ea *recta*, ſive *tecta* vocaretur, ſatis liquidum ex iſthoc Senecæ loco.

Anteceſſerat jam] Igitur Narciſſus potens ille Claudii libertus, initio ſtatim Principatus Neronis, ante triceſimum diem quo Claudius è cœlo Romam rediit, ad mortem adactus: quod principio 13. Annal. etiam ſatis indicat Tacitus. Hic autem *compendiaria via* ad Inferos deſcenderat, quia nulli cœleſtes honores ei Romæ decreti, neque mox à nece iverat in cœlos peregrinatum, ut Claudius.

Nitidus, ut erat a balineo] Lepide. Agrippina enim ut ſecurius Claudii necem patraret, fideliſſimum libertorum hunc Narciſſum ad balinea Campaniæ, adverſus podagram qua conflictabatur, amandaverat; & exinde redux, haut dudum poſt mori & dominum ſequi juſſus. Fingit ergo Seneca, nitidum adhuc à balineo, via compendioſiore & ſine diverticulo ad Inferos ante dominum perveniſſe, & ei e cœlo, Talthybio duce, revertenti occurriſſe.

Quid Dii ad homines?] Nempe, *redeunt*. Cur, inquit, Dii in cœlo ſuo non manent? quid apud Inferos inter homines agunt? Claudiani enim funeris pars magna fuerat Narciſſus, & cœleſtes honores, ipſo inter cæteros adnitente, viderat à Senatu decretos fuiſſe.

Ille autem patrono] Quia verba hæc uſque ad iſta, *Dicto citius*, à MS. ſuo aberant, ſuppoſititia ſuſpicatur Junius. Sed codex ille ejus unus non eſt nobis μάρτυς ἐκ Διὸς δέλτων, & tot ipſi alios oppono.

Virga] Caduceo, quem fabre deſcribit Suidas in voce Κηρύκειον. Vide etiam Macrob. lib. 1. cap. 19. Saturnal.

Ut ait Horatius] Lib. 2. Od. 13.
—— *Ubi illis carminibus ſtupens*
Demittit atras bellua centiceps
Aures, & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues.

Lipſius tamen Epiſt. ad Carrionem, turbatum hic aliquid, & à Seneca ſic fortaſſe ſcriptum putat: *Ubi jacebat Cerberus triceps, vel, ut ait Horatius, bellua centiceps.*

In tenebris occurrere] Mali enim & mortalis ominis erat, nigrorum occurſus, præſertim in tenebris. Juvenal. Satyr. 5. de Æthiope Mauro:

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.] Ita Faber, rectius, quam quod ſuggerit Junius, aut obtrudit Rhenanus. Sunt autem verba ſolemnia in ſacris Oſiridis, quæ exultantes cantillabant, invento illo bove Deo. Valent autem: *Invenimus, congaudeamus.*

C. Silius Coſ. deſignatus] Hic eſt ille *juventutis Romanæ pulcherrimus*, ut ait Tacitus; cui Meſſallina Claudii uxor, vivente & Hoſtiam rei frumentariæ gratia profecto Claudio, cum ſummo dedecore nupſerat; & vigilantia & induſtria præſertim Narciſſi, cum adultera mature, antequam imperium invaderet, oppreſſus fuerat. Hic autem totus Senecæ locus à librariis Romanorum nominum ignorantibus, maculoſiſſimus fuit, & neque dum forte mendæ omnes (quantumcumque multi emendare conati) emaculatæ, ut mox videbis.

Sex. Trallus] Lipſius ad 11. Annal. Tacit. *Traulus*, potius reſcribendum cenſet. Deinde *M. Helvius, Trogus*, ut iſte ſit, *Sauſeius Trogus*: quorum Tacitus etiam meminit.

Cotta Tectus] Alii, *Corietectus*. Junii & Fabri conjectura non diſplicet, *Cotta, Vectius Valens*, ut ſit Cotta Meſſallinus, & Vectius Valens, nobilis ille medicus, *adulterio Meſſallinæ Claudii Cæſaris nobilitatus, pariterque eloquentia aſſectator*, ut lib. 29. cap. 1. ait Plinius.

Duci juſſerat] Ad ſupplicium, & interfici.

Mneſter Pantomimus] Rhenanus, *Neſtor*, reponit. quam male! Mneſter enim pantomimus, notiſſimus eſt Meſſallinæ

ſallinæ adulter, à Narciſſo & Claudio inter cæteros duci juſſus, ut ad finem Annal. 11. Tacitus: *Minorem* autem eum *fecerat* Claudius; quia, opinor, capite minuerat, etſi de genere necis apud Tacitum & alios ſilentium ſit. *Decoris* autem *cauſſa*; quod fortaſſe longo nimis & enormi corpore eſſet, ideoque reſecto capite ad juſtam ſtaturam redegiſſet. Gruterus tamen *decorem* iſtum refert ad id, quod Claudium pronum in miſericordiam Mneſteris *perpulere liberti*, ait Tacitus, *ne tot illuſtribus viris interfectis, hiſtrioni conſuleretur: ſponte an coactus tam magna peccaviſſet, nihil referre.* Itaque interfectum eſſe, non quia ſponte peccaſſet, ſed quia indecens foret, tot illuſtribus ſublatis, Pantomimum vivere. Libri quidam: *quem Claudius decoris cauſſa monitorem fecerat.* quod probat Gothofredus: neſcio quare.

Rumor percrepuit] Alii, *percrebuit*, aut, *percrebruit.* Omnes recte, ſed primum fortaſſe magis ad ſubitum illum Narciſſi clamorem, quo increpuit, *Claudius Cæſar venit.*

Polybius, Myron] Ita ex veteri cod. nomina iſta libertorum Claudii, patrono ſuo præmortuorum, optime reſtituit Junius; niſi quod pro *Pheronaſte*, *Pheronattum* legat. De Pallante mentio hic nulla inter libertos, quia adhuc vivebat in ferventi gratia Senecæ & Agrippinæ; quem tamen Nero poſtea veneno ſuſtulit. Vide finem Annal. 14. Tacit.

Necubi imperatus eſſet] Nihil enim ſine libertorum ingenio & opera agere ſolitus erat. Quidam tamen legunt: *ne niſi imperatus eſſet.* Quod Faber non reſpuit, ut ſignificet, Claudium voluiſſe etiam apud Inferos à libertis ſuis imperari, & iis ſervire.

Quomodo vos huc veniſtis] Pleroſque enim, aut neſciente ipſo liberti vel uxores interfecerant, aut obblivioſum ſenem memoria facti ſtatim effugerat. Hinc *occiſa Meſſallina*, inquit cap. 39. Tranquillus, *paullo poſtquam in triclinio decubuit, cur domina non veniret, requiſivit.*

In jus eamus] Verba erant ſolemnia; quibus actor reum ad Prætoris tribunal vocabat. Martial. lib. 2.

In jus ò fallax atque inficiator eamus.

Plautus in Perſa: *Age, in jus ambula.*

Sellas oſtendam] Judices enim in ſellis, aut ſubſelliis, ſedebant. Sueton. de Claudio noſtro cap. 23. *De majore negotio acturus in curia medius inter Conſulum ſellas, Tribunitio ſubſellio ſedebat.* Male igitur qui *ſtellas*, aut *ſtelas*, aut *ſtellas* dubitant legere.

Quærebat] Scite & proprie: nam qui rerum criminalium quæſtionibus præſidet, *Quæſitor* appellatur. Sueton. Tiberii cap. 25. *Judices aut è plano, aut è quæſitoris tribunali, legum & religionis, & noxa, de qua cognoſcerent, admonebat.* Seneca noſter cap. 17. de Brevit. vitæ: *Judex deſiit eſſe? quæſitor eſt.* Et Virgil. Æneid. 6. de Minoë, hujus quæſitoris Æaci apud Inferos collega:

Quæſitor Minos urnam movet. ———

Marcianus l. 1. ad legem Corneliam de Sicariis, *Judicem quæſtionis vocat.*

Poſtulat nomen ejus recipi] Inter noxios & reos. Iterum hoc ex formula veteri, qua accuſator poſtulabat, ut quæſtio de reo haberetur. Papinianus in l. 6. D. de Quæſtionib. *Patre vel marito de adulterio agente, & poſtulantibus de ſervis rei ut quæſtio habeatur*, &c. Et Ulpian. l. 27. ad legem Juliam de adulter. *Si poſtulaverit accuſator, ut quæſtio habeatur de ſervo adulterii accuſato*, &c.

Edit ſubſcriptionem] Pompeius accuſator. Nam accuſatores formabant & edebant libellos accuſatorios, quibus inſcripta reorum crimina: quale hic vides, *Occiſos Senatores* 30. &c. Juven. Sat. 6. de feminis Rom.

——— *accuſat Manilia, ſi rea non eſt.*

Componunt ipſa per ſe, formantque libellos.

Poſt crimina nomen ſuum accuſator ſubſcribebat in crimen, ut loquuntur Juriſconſulti qua ſubſcriptione, eadem ſe pœna conſtringebat, ſi interpellaſſet injuſte. Ulpianus l. 7. de accuſationib.

Si

Si cui crimen objiciatur, præcedere debet in crimen ſubſcriptio. quæ res ad id inventa eſt, ne facile quis proſiliat ad accuſationem, cum ſciat multam ſibi accuſationem non futuram. Seneca, a tali ſubſcriptione, videtur hic totum libellum ſubſcriptionem appellaſſe.

Occiſos Senatores 30.] Vide Sueton. cap. 29.

Ὅσσα ψάμαθός] Homeri hemiſtichium Iliad. I.

Οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε:

Neque ſi mihi tantas opes daret, quantum pulveris eſt & arenæ.

Claudiana lingua diſertus] Tam balbus & ἀσαφής, quam ipſe Claudius.

Poſtulat advocationem] Defenſionem & patrocinium Claudii: ſive, ut cauſſam ejus adverſus accuſatorem Pedonem Pompeium defendere ſibi liceat.

Εἴκε πάθοι] Alium plane verſum ex ſemeſis codicis ſui litteris deformat nobis Junius. At Faber in quodam veteri diſerte ſcriptum reperit:

Αἴκε πάθοις τά κ' ἔρεξας, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Quo nihil ad ſenſum melius dici poteſt: ſignificat enim legem talionis juſtam eſſe, & ut is qui alios altera tantum parte audita ſolitus condemnare, ſimilem etiam ſententiam ſubeat. Noſtra tamen lectio idem ſonat, & metri leges melius ſervat.

Quam novum] Quia ipſe quoque ſolitus erat *dicere cauſſas una tantum parte audita, ſæpe & neutra*, ut nænia paullo ante cantabat.

Uni Dii laturam feciſſent] Ita etiam Fabri & Junii codices. Alii, *ſi minus Dii latura feciſſent.* Rhenanus poſt multos cogitationum fluctus facit, *Semidii larvam faceſſeret*, id eſt, abjiceret, inquit, nempe *Claudius*. Quam emendationem *larvarum præſtigiis ſimilem* dicit Junius. Itaque legit ipſe, *ſi uni dilaturam feciſſent.* Alciatus vero in Parerg. *ſi ullam dilaturam feciſſent.* Sed Curio clamat, *dilaturam*, vocem ſordidam eſſe, & ne quidem in Grammaticorum fecibus inveniendam. Fingit igitur, *niſi unius diei jacturam feciſſent.* Locus, ſine dubio, vocibus quibuſdam exeſis mutilus, cujus ſententia clarior, quam verba. Manifeſte enim Deorum quidam cenſent, Tantalum, Siſyphum, Ixionem aliquando relevandos, & interea mittendum in eorum labores Claudium. Itaque ſimile quidpiam à Seneca ſcriptum fuerit: *ſi minus immortalem Dii naturam feciſſent*, &c.

Sufflaminandum] Lepide B. Rhenanus: Quid ſi legas, *ſublaminandam*, inquit, à lamina deducto verbo? Rem deridiculam fecerim, Beate. Nam propriiſſime ſufflaminantur rotæ, cum injecto unco aut alio retinaculo impediuntur, ne nimis expedite circumagantur & devolvantur in præceps.

Miſſi nem dari] Verbum Arenæ & gladiatorii ludi, ubi *miſſi* dicebantur veterani, aut alii commeriti, qui ludo & obligatione in Arena depugnandi abſolvebantur. Non placet autem, Tantalum, aut ullum ex veteranis Inferorum cruciariis mitti, ut ſignificent pœnas ibi æternas, nec ulla umquam quietis interpolatione ſufflaminandas eſſe.

Alicujus cupiditatis ſpecies] Ita correctum à Curione. Vulgo, *alicujus cupiditatis ſpes ſine fine effectus.* Rhenanus *propemodum ſe certum* ait, Senecam, *& alicujus cupiditatis ſpecimen ſine effectu*, ſcripſiſſe. Super omnia allubeſcit, ut vocula, *ſine* (ex, *ſine*, perperam geminata) expungatur, legaturque, *alicujus cupiditatis ſpes ſine effectu.*

Colaphis vapulantem] Ut ſervi ſolent. Aulæ enim ludibrium ſub C. Caligula & Tiberio Claudius fuerat: qui etiam *ſtultitiam ſimulatam à ſe ex induſtria ſub Caio, quod aliter evaſurus perventuruſque ad ſuſceptam ſtationem non fuerit, quibuſdam oratiunculis teſtatus eſt*, ait Suetonius cap. 38.

Adjudicatur C. Cæſari] Aliter paullo vetus Junii codex: *Adjudicatur, C. Cæſar illum Æaco donat.* Quod probat Junius, & ego omnino adprobem, ſi Menander Æaci, non Caii libertus ſit.

Menandro liberto ſuo tradidit] Si vulgatam lectionem retineamus, Menan-

drum Caji fuiſſe libertum ſignificat; quod etiam putant Rhenanus & Curio. Si enim Æaci libertus erat, dicere Seneca Latine debuit, *Is* (Caius) *Menandro liberto ejus tradidit*, non, *ſuo*. De Menandro tamen Caji liberto nihil mihi uſpiam lectum recordor. Lipſius noſter lib. 4. cap. 21. Antiquar. Lect. Æaci potius libertum eſſe judicat. Quod niſi falſum, tota lectio ad exemplum Juniani codicis ſic concinnanda erit: *Adjudicatur* (nempe C. Cæſari) *C. Cæſar illum Æaco donat. Is* (Æacus) *Menandro liberto ſuo tradidit.*

Ut à cognitionibus ei eſſet] Libri vett. *abeſſet*. Unde *proculdubio Caium notat*, inquit Rhenanus, *ut qui cognoſcendi provinciam ſæpe libertis ſuis committeret, quo magis à curis liber altiori otio frueretur.* Nec interpretamentum diſplicet Curioni. Sed lectio noſtra verior & concinnior. A cognitionibus enim quiſpiam alteri eſſe dicitur, quomodo ab epiſtolis, aut à ſtudiis: quibus muneribus ſub Rom. Principibus fungi ſolebant liberti. Sic enim Polybius à ſtudiis, Narciſſus ab epiſtolis, Pallas à rationibus Claudio noſtro fuere. *Itaque irridens Seneca temeritatem & imperitiam Claudii in cognoſcendo & judicando, ait εἰρωνικῶς*, inquit Lipſius lib. 4. cap. 21. Antiquar. lect. *illum traditum Menandro liberto Æaci, ut ſcilicet homo prudens illi à cognitionibus eſſet.* Addo etiam, liberto potiſſimum traditum fuiſſe, quia libertis ſervire aſſuetus; quorum toto Principatu non Princeps, ſed mancipium fuerat.

Sic Seneca Claudium Cæſarem è cœlo, quo eum, in lib. Conſolat. ad Polybium, viventem adulatione evexerat, mortuum ad Inferos detraxit: omnibus fatuis Principibus exemplum daturus, non parem eos famam ſecuturam poſt funus; & adulatorum linguas, ubi ſpe aut metu liberæ, non fingi amplius in virtutes, ſed vitia ex vero loqui.

LIBERTI FROMONDI
AD
L. ANNÆI SENECÆ NATURAL. QUÆSTIONUM
LIBRUM PRIMUM
EXCURSUS.

A.

CUm illud libri 1. cap. 6. (pag. 691. lin. 10.) legerem; *Littera quamvis minuta, per vitream pilam aqua plenam majores clarioresque cernuntur*; cogitavi, an illo forte Senecæ ævo ſcientia & uſus noſtrorum perſpicillorum fuerit. Nam experimentum illud litteras minutas *per vitream pilam aqua plenam* augendi, & obſcuritatem enubilandi, noſtrorum perſpicillorum operationi tam prope alludit, ut facile Senecam & illos veteres uſque ad ſcientiam & artem conficiendi adjumenta iſta ſenilis viſus perducere valuerit.

Apud Plinium quoque lib. 37. cap. 5. lego, *Neronem Principem gladiatorum pugnas ſpectaſſe ſmaragdo*. An forte in formam perſpicilli fabre facto, & rerum imagines ampliante? Non credo tamen; ſed ſmaragdo Neronem uſum fuiſſe propter viroris gratiam. *Aſpectu enim ſmaragdi recreatur acies*, ut experientia & Plinius ibidem docet. Specilla deinde ſenum convexa, quæ imagines diffundunt in majus, inutilia Neroni futura fuiſſent, qui juvenis, anno ætatis ſecundo & trigeſimo, interiit. Nec ipſe Plinius, rerum mirabilium tam curioſus & dicax, mentionem ſpecillorum frequentare omiſiſſet, ſi ætate ejus uſus aut ars eorum fuiſſet. Plutarchus etiam, qui cum Plinio, & ultra ſub Trajano & Hadriano vixit, cum lib. 1. quæſt. 8. Sympoſ. moviſſet quæſtionem, Quare ſenes ex longinquo melius quam ex propinquo litteras legant; ne gry quidem de ſpecillis mutit: ubi tamen bellior occaſio, ſi ulla famæ eorum aura undecumque ad eum ex Orbe Latio aut Græco aſpiraſſet?

Sed neque poſterioribus SS. Patrum ſæculis in tot & tam variis eorum ſcriptis aliud invenire potui, quam ejus rei profundum ſilentium, uſque ad æræ Chriſtianæ annum M. & ultra. Si S. Fulgentii ævo (qui circa annum Chriſti DXXX. imperante Juſtiniano, vivere deſiit) notitia & uſus perſpicillorum in Africa fuiſſet, numquam etiam in tantillum vitam ſuam aſperam & anachoreticam remolliviſſet; & olera, quæ juvenis cruda & ſine oleo eſitare ſolebat, lautius & unctius ſenex eſitaret; *perſuaſus ſuperfundere oleum* (ait coætaneus & diſcipulus ejus, qui Magiſtri vitam ſcripſit) *ne caligo prævalens oculorum officium lectionis impediret*. Licet enim olei calor & perſpicuitas permixta oleribus ad digerendas oculorum caligines aliquid fortaſſe conferre valeat; modicum tamen & tardum hoc eſt, ſi ad magnam & ſemper paratam perſpicillorum commoditatem comparaveris. Nuper in libris noſtris de Anima, Problem. 5. & 6. de viſu hanc quæſtionem iterum retractans, conjectavi, circa ann. Chriſti MCC. aut MCCC. cum ſcientia Optices reflore-

floreſcente artem limandi & fabrefaciendi perſpicillorum primulum natam eſſe. Nam Alhazenum Arabem, præclari illius Optici operis fabrum, cum Averroe & Arabibus aliquot aliis Philoſophis circa ann. M C C. in Hiſpania floruiſſe docti exiſtimant: plures deinde circiter ann. M C C C. ut Vitello Polonus, Joannes Cantuarienſis, Rogerius Bacon, Angli, eum ſecuti ſunt; ex quorum Theorematibus artem cryſtallinas aut vitreas lentes, ad perſpicilla ſenum conficienda, deducere facile & in proclivi fuit. Clariſſimus deinde Academiæ noſtræ Profeſſor Medicus D. Vop. Fortunatus Plempius mihi nuper aſſeveravit, nullam ſe apud Medicos ſuos potuiſſe perſpicillorum memoriam reperire, niſi anno M C C C. citeriorem.

* J. Lipſius noſter, quamvis omniſcius, ſuam hic etiam fatetur ignorantiam. ad Carol. Cluſium ſenem enim ſcribens: *Illud*, inquit, *in clauſula epiſtola tua jucundum, de vigore oculorum tuorum in hac ætate, mirando mihi & invidendo. Heu, ubi ego ſum? Quatuor luſtris minor cæcutio; & niſi vitrea auxilia ſublevent, vix legam aut ſcribam. Pæne indignor: & magis, quia veteres hac allevatione uſos non lego. Atqui & illi nonne aſſidui in ſtudiis? Quid dicam neſcio, niſi ſortem ſic noſtram eſſe: ferendum igitur.*

* *Centur. 3. Miſcell. Epiſt. 36. Annorum 54. tunc erat J. Lipſius.*

Ecce vir tot veterum memoriarum callens, & quem nihil fere Latinæ aut Græcæ antiquitatis fugit, nihil tamen in ſæculis olim præteritis de ſenum perſpicillis legiſſe confitetur & indignatur.

Cum igitur Seneca in hoc Nat. Quæſt. lib. 1. dixit, *per vitream pilam aqua plenam litteras majores clarioreſque cerni*; ſolum credidit, aquæ, non figuræ vitri beneficio, illam litterarum ampliationem claritatemque poſſe obtingere: agit enim ibi de Iride, & radii viſualis refractione in aqua, aut alio humido denſiori aëre. Quod & cætera ejus experimenta dicunt. *Poma*, inquit, *formoſiora quam ſint videntur, ſi innatant vitro.* Item poſtea: *Si poculum impleveris aqua, & in id conjeceris annulum; cum in ipſo fundo jaceat annulus, facies ejus in ſummo aqua redditur.*

Sed quomodo igitur ſenes & vetuſti illi Philoſophi olim legere & ſcribere ſine perſpicillis potuerunt? In primis, ad legendum, Anagnoſtis ſeu Lectoribus, ad ſcribendum, Amanuenſibus utebantur. Deinde pro ſenibus majores & decumanos characteres in papyro pingebant, vel in cera exarabant. Frequens etiam illis temporibus erat collyriorum uſus, quibus oculorum lippitudines ſiccabant, aut dolores leniebant; quæ hebetem aciem pauliſper acuere, aut caligines detergere, non tamen ſenili viſui officium perſpicillorum præſtare, poterant.

LIBERTI FROMONDI
AD
L. ANNÆI SENECÆ NATURAL. QUÆSTIONUM LIBRUM TERTIUM.
EXCURSUS.

A.

VErba quædam Senecæ lib. 3. cap. 25. non tam levi & volante oculo prætereunda: *In Syria*, ait, *eſt ſtagnum, in quo natant lateres, & mergi projecta non poſſunt, licet gravia ſint.* Miraculi hujus cauſſa in Ariſtotelis Philoſophia ſatis impedita eſt. Si enim lateres & lapides in ſtagnum projecti corpora gravia ſint; cur à gravitate ſua per aquam ſtagni non peſſum eunt? Et tamen olim duo Imperatores Rom. Veſpaſianus & Traianus, in duobus hominibus experimentum fecerunt, qui ligatis manibus & pedibus ſtagnum injecti, rejecti ſunt illico in aquæ ſuperficiem. Stagnum vero iſtud eſt quod Scriptura ſacra vocat *mare ſalſiſſimum*, aut *mare mortuum*, Scriptores profani *Aſphaltum*, à copia bituminis, quo aqua illa pingueſcit & incraſſatur.

Seneca vero in ſua Philoſophia cauſſam miraculi ait manifeſtam eſſe & palam: *Hujus rei*, inquit, *palam cauſſa eſt.* Qui ſic Seneca? *Quamcumque rem expende*, ait, *& contra aquam ſtatue, dummodo utrinſque par ſit modus: ſi aqua gravior eſt, leviorem rem, quam ipſa eſt, feret, & tanto ſupra ſe extollet, quanto erit levior; graviora deſcendent. At ſi aqua, & ejus rei, quam contra penſabis, par pondus erit; nec peſſum ibit, nec extabit, ſed æquabitur aquæ: & natabit quidem, ſed pæne merſa, ac nulla eminens parte. Hoc eſt quod quædam tigna ſupra aquam pæne tota efferantur, quædam ad medium ſubmerſa ſint, quædam ad æquilibrium aquæ deſcendant. Namque cum utrinſque pondus par eſt, neutraque res alteri cedit, graviora deſcendunt, leviora geſtantur. Grave autem & leve eſt non æſtimatione noſtra, ſed comparatione ejus quo vehi debet. Itaque ubi aqua gravior eſt hominis corpore, aut ſaxi, non ſinit id, quo non vincitur, mergi.*

Veriſſima, & Archimedea Philoſophia. Eadem enim res ſolida, ut homo, vel ſaxum, gravis aut levis appellatur comparatione humidi in quo demergitur, aut à quo ſuſtentatur. Unde ovum crudum, quod ad fundum aquæ fluvialis demergitur, reſpectu talis humidi eſt grave; reſpectu vero aquæ marinæ, à qua geſtatur, leve appellatur. Sic in exemplo Senecæ, homo eſt levis in aqua craſſa & bituminoſa ſtagni Aſphalti, ſive mortui maris, in quod mergi non poteſt; gravis vero eſt in aqua fluviali, in quam peſſum it. Imo (quod magis miraberis) globus ex ferro, argento, aut alia materia minus gravi quam plumbum, levis eſt, & geſtatur ac natat, ſi in cacabum plumbo liquefacto plenum injicias. Veriſſimum quippe & compertum eſt quod Georg. * Agricola ſcribit,

Qqq 3 *Gra-*

* *Agricol. lib. 5. cap. 17. de Ortu ſubterran.*

Graviſſima quæque pondera metallis liquefactis innatare : Indicio ſunt, inquit, *recrementa admodum gravia, quæ cum à fornace defluxerunt in catinum, ſupernatantia de metallis verriculo detrahuntur.* Ratio eſt, quod quamvis pondus ſuum habeant, minus tamen eſt pondere liquidi in quo natant. Eadem cauſſa eſt, cur omnia metalla, excepto auro (fatente etiam cum Agricola Plinio) hydrargyro, ſive argento vivo, ſupernatent tamquam graviori. Ordo enim elementorum & elementarium à conditore conſtitutus ſic habet. Gravitas in corporibus ſequitur denſitatem, levitas raritatem. Nam *πύκνωσις ϗ μάνωσις, ἀρχὴ βαρύτητος ϗ κουφότητος, denſitas & raritas ſunt principia gravitatis & levitatis*, ut lib. 8. cap. 7. Phyſic. Ariſtoteles definit. Denſa minus ſpatii occupant; ideo loca viciniora mundi centro, ubi majores locorum anguſtiæ ſunt, iis debentur; corporibus vero raris, quæ amplius ſpatii requirunt ut ſe expandant, loca viciniora circumferentiæ mundi petunt. Denſa igitur ſua gravitate appropinquant centro, ſive medio, quantum poſſunt; rara vero ſua levitate in circumferentiæ propinquiora ſe levant, & ſimul à gravioribus extruduntur. Pulchre S. Auguſtinus lib. 13. cap. 9. Confeſſ. *Ponderibus ſuis aguntur, loca ſua petunt. Oleum infra aquam effuſum ſupra aquam attollitur: aqua ſupra oleum fuſa, infra oleum demergitur. Ponderibus ſuis aguntur, loca ſua petunt. Minus ordinata, inquieta ſunt: ordinantur, & quieſcunt.*

Hinc intelligimus Theophraſti legem, præcipientis, in mixtione vini & aquæ, vinum prius in cyathum infundi, deinde aquam ſuperfundi. Sic enim aqua, tamquam gravior, deſcendit, ac in tranſitu diſcerpit vinum, mixturamque perfectiorem efficit; ubi ſi vinum poſt aquam affunderetur, loco ſuperiori, quia levius, permaneret. *Contra eos invehimur*, ait Jo. à Porta, *qui bibentes, prius aquam, poſtea vinum infundunt. Nam quia vinum levius eſt, aqua gravior, vix miſceri poſſunt.* Atque natura tam in liquidis, quam in corpore ſolido natante, aut peſſum eunte in liquido, perpetuo eamdem legem obſervat: ut ubi *par eſt modus*, ut loquitur Seneca, ſive corporum quantitas & extenſio æqualis; ſolidum corpus (ut homo, aut lapis) in aquam, aut in aliud liquidum demergatur, ſi ſit ipſo gravius; aut eouſque intra ipſum deſcendat, donec inveniat liquidi partem majoris aut æqualis ſecum ponderis. Unde ovum crudum, ut experientia, & Jo. Bodinus libro ſecundo Theat. Nat. teſtantur, in aqua dulci tam diu deſcendit, quouſque aquam forte marinam infra repererit: ibi enim ſuſpenſum hæret. Prorſus, ſicut lignum per aërem cadit, & cum ad aquam aëri ſubjectam pervenerit, natat. Sic cadavera, quamdiu pondere vincunt aquam, uſque ad fundum peſſum eunt; deinde aliquot diebus poſtea ſe relevant; ubi raritas nempe & laxitas carnium major acceſſerit, & totum cadaver levius factum ſit aqua paris molis, ſive extenſionis. Non oportet tamen in cadaver imputare carnes tantum & oſſa, ſed etiam quidquid viſceribus ejus univerſim comprehenditur, ut humores, ſpiritus, aërem, &c. Iſta quippe univerſa volumen quoddam unum, ut Statici loquuntur, efficiunt, ac pro uno corpore reputantur. Hinc, quia in putreſcentibus cadaveribus pulmones plurimum aëris concipiunt & inflantur, juvantque ut facilius in aquæ ſuperficiem cadavera reſpuantur; memini me apud Pancirolum, in Novis repertis, legiſſe, fuiſſe quemdam latronem, qui hominibus à ſe trucidatis, ac in flumina lacuſve projectis, ſoleret, ne ex aquis reſurgerent, pulmones exſecare. Hæc doctrina nudat illud arcanum, quod S. Auguſtinus lib. 21. cap. 5. Civit. miratur: *Lignum cujuſdam ficus Ægyptiæ*, inquit, *non ut ligna cetera in aquis natat, ſed mergitur, &, quod eſt mirabilius, cum in imo aliquamdiu fuerit, inde ad aquæ ſuperficiem rurſus emergit; quando madefactum debuit humoris pondere prægravari.*

Cauſſam hujus miraculi ſuggerit Plinius lib. 13. c. 7. *Cæſa* (ficus illa Ægyptia) *ſtatim*

ſtatim ſtagnis mergitur. Hoc eſt ejus ſiccari. Et primo ſidit, poſtea fluitare incipit: certoque fugit eam alienus humor, qui aliam omnem rigat. Manifeſtius dicam: Pori ejus ligni ſucco ponderoſo turgent, qui aqua ſtagnorum leviore, aliquanto temporis ſpatio eluuntur; ut jam univerſum volumen ex ligno & aqua poris concepta, levius ſit quam aqua ſtagni ejuſdem molis. Unde primo, tamquam gravior, fundum aquæ petit; poſtea, tamquam facta levior, attollitur.

Eadem cauſſa ſuſpendit in media aëris regione nubes, non autem ſuſpenduntur à Sole, ut comminiſcitur Scaliger: quia, inquam, nubes leviores ſunt infima aëris regione; ſicuti trabs lignea levior eſt aqua fluminis in quo natat, etſi opacior. Valde enim opacitas à denſitate & gravitate corporis, tranſparentia à raritate & levitate diſtinguendæ ſunt, ut olim adhuc notavi in Meteorologicis. Vapor nubium etſi opacior, rarior tamen atque levior eſt aëre infimo qui terram ambit: veluti etiam aqua denſior & gravior eſt vino rubro, quod opacius, rarius & levius eſt, ideoque aquæ innatat. Diſtinguenda quoque ſoliditas corporum à denſitate, & liquiditas à raritate. Nam ſolida ſive conſiſtentia metalla non ſunt denſiora aut graviora liquidis; nec liquida rariora, aut leviora, ſenſibili diſcerniculo, ſolidis.

Veriſſima igitur ſunt iſta Theoremata Archimedis in libro περὶ τῶν ὀχουμένων, *de iis quæ inſident aut vehuntur humido*; ex quo Seneca ſuam philoſophiam ſumpſiſſe apparet.

THEOREMA I.

Solida corpora, quæ æqualem gravitatem cum humido, ſive liquido, paris molis obtinent, merguntur ſic, ut extra humidi ſuperficiem nulla pars extet; nec tamen ad fundum uſque demerguntur.

IStud ipſum eſt, quod Seneca ante dicebat: *Si aqua, & ejus rei quam contra penſabis, par pondus erit, nec peſſum ibit, nec extabit, ſed æquabitur aquæ: & natabit quidem, ſed pæne merſa, ac nulla eminens parte.*

Periculum feci in globulo cereo paris ponderis cum aqua ejuſdem molis. Superficies ceræ ad contactum uſque aëris ex aqua emergebat, nec ultra; & cum ſuperficie aquæ in eamdem ſuperficiem ſe componebat.

THEOREMA II.

Corpus ſolidum, levius liquido paris extenſionis, non mergitur totum, ſed pars ejus aliqua extra liquidi ſuperficiem extabit.

Archimedi conſentienter noſter Seneca: *Si aqua gravior eſt, rem leviorem quam ipſa eſt feret, & tanto ſupra ſe extollet, quanto erit levior.*

HAc ratione maximæ & ponderoſiſſimæ trabes fluitant, & parte aliqua extant ex aqua fluminis: ſi enim ad bilancem vocarentur, pars aquæ fluvialis, paris longitudinis, latitudinis & craſſitudinis cum ligno trabis, trabi præponderaret. Sic etiam navis bellica, armata quinquaginta aut pluribus tormentis majoribus, ac tot aliis gravata oneribus, natat tamen in aqua marina; quia ſi vacuata iſtis oneribus navis aqua marina impleretur, aquæ iſtius gravitas omnibus illis univerſim oneribus præponderaret.

Naves vero ſic onuſtæ licet ab aqua marina facile geſtentur; ubi ex mari flumina intrant, non raro oneri ſuccumbunt, & demerguntur; quia univerſa onera navis in unum volumen compacta pondere ſuperant gravitatem aquæ fluvialis, qua impleretur navis.

B.

EX illis Archimedis & Senecæ noſtri Theorematibus alia quædam eliciuntur, quæ plus admirationis habent.

Digitized by Google

THEOREMA III.

Solidum materia levioris quam liquidum eouſque demergitur, donec tanta partis liquidi locum occupet, quæ æqualem cum toto ſolido gravitatem obtineat.

Vel certe, ut Simon Stevinus lib. 4. Hydroſtatic. exprimit: *Corpus ſolidum materia levioris, quam aqua cui innatat, ponderitate æquale eſt tantæ aquæ moli, quanta ſui parte demergitur.*

UNde ſi globus ligneus ſit duplo levior aqua, in qua natat, dimidia pars ejus demergetur intra aquæ ſuperficiem, & altera dimidia extra aquam in aëre extabit. Ratio eſt, quia dimidius globus aqueus, cujus locum dimidia pars globi lignei immerſa occupat, æqualis ponderis eſſe ſupponitur cum toto pondere lignei globi. Ergo, ſecundum naturales æquilibrii leges, globus ligneus, premendo ſubjectam aquam, tantum aquæ loco dimovebit, donec perveniatur ad ſpatium ponderis aquæ, quæ integrum pondus lignei globi adæquat; hoc autem eſt hemiſphærium, ſive dimidium aquei globi, quod tantumdem pendit, ut ſupponitur, atque integer globus ligneus. Demonſtrationem hujus Theorematis aliorumque petere potes ab Archimede, aut Fred. Commandino, vel à Davide Rivalto Fleurantio, Ludovici XIII. Regis Chriſtianiſſimi Mathematico, qui novam & elegantibus Commentariis explicatam Archimedis editionem nobis nuper dedit.

THEOREMA IV.

Solidum liquido gravius ad fundum uſque demergitur, & in liquido tanto fit levius, quanta eſt gravitas partis liquidi æqualis in mole.

RAtio prioris partis eſt lex naturæ, quæ vult levius cedere graviori in lapſu deorſum, attollique ſurſum depreſſo graviori; ut in bilance & alibi experimur. Cum igitur ſolida moles, per liquidum levius cadens, in tota liquidi profunditate ſemper inveniat partem liquidi æqualis molis ſe leviorem; & hæc, quia liquida eſt, facile ei de via decedat; ſolida moles jure ſuo, ut ſic dicam, ubique utitur, & loca omnia ſerie quadam à ſumma ſuperficie liquidi uſque ad fundum occupat, ibique tandem conquieſcit. Nec aliud voluit, opinor, Ariſtoteles, de cujus ſenſu tanto calore rixantur Peripatetici, cum lib. 4. cap. 4. Cœli dixit, *Lignum centum librarum in aëre gravius eſſe plumbo unius libræ; in aqua vero eſſe levius.* Quia videlicet plumbum unius libræ ad fundum aquæ ſubſidit, trabs vero centum librarum in aqua natat. Staticæ enim Archimedis & naturalis æquilibrii leges ſequendo, libra una plumbi gravior eſt aqua ejuſdem magnitudinis, cujus locum occupat per aquam cadendo; trabs vero lignea centum librarum levior eſt aquea trabe, ſive aqua paris magnitudinis cum lignea trabe: componantur enim in bilance, aquea trabs ſine dubio ligneæ trabi præponderabit.

Ex illo autem Archimedis Theoremate ſequitur, quod ipſemet Archimedes, Jo. Bapt. Benedictus, Jo. Bapt. à Porta aliique docent; corpus ſolidum gravius per liquidum deſcendens tantum gravitatis, ut loquuntur, aut potius gravitationis ponderiſque amittere, quantum eſt pondus liquidi per quod decidit. Ut ſi lapis ſit duplo gravior quam aqua ejuſdem molis, & lapis fuerit gravis v. g. ut 4. aqua vero ut 2. lapis in aqua amittet duos gradus gravitatis, & per eam movebitur, caderque in fundum à gravitate ut 2. depreſſus; ac proinde tardius quam per aërem, aut per aliud liquidum aqua rarius.

Hinc conſectaneum eſt, quod ignari admirantur, lances in aëre *ἰσοῤῥόπους*, *æquilibres*, ſæpe diſcordare, cum in aquam demittitur bilanx: ut ſi in una lance libram auri, in altera libram argenti colloces; in aqua enim libra auri, quæ in aëre libræ argenti æquiponderabat, lancem ſuam detrahet, & præponderabit. Ratio eſt, quia libra argenti

argenti eſt majoris molis quam libra auri; & proinde plus gravitatis ſive ponderis in aqua amittit quam libra auri, quæ minorem molem habet. Quia ergo libra argenti majorem locum in aqua occupat, & tantum gravitatis amittit, quantum eſt pondus aquæ cujus locum occupat; ſequitur manifeſte, libram argenti in aqua plus ſui ponderis amittere quam libram auri, quæ minorem in eadem aqua locum occupat: amittit enim pondus aquæ paris molis cum argento aquæ immerſo. Hæc autem aqua major & conſequenter ponderoſior eſt quam aqua minor, paris molis cum auro, cujus locum in aqua aurum occupat.

G.

CONſectarium aliud ex ſuperiori doctrina naſcitur; nempe, corpus ſolidum liquido innatans, aut per illud cadens, amplius gravitatis ſive ponderis ſui amittere, quo liquidum iſtud gravius fuerit. Unde plumbum per aquam maris ad fundum decidens minoribus viribus utitur, quam ſi per aquam fluvialem decideret; ideoque caſus per aquam marinam tanto tardior & magis lentus eſt, quanto marina fluvialem gravitate ſuperat. Ut ponatur plumbum eſſe grave ut 8. aqua marina ut 6. aqua fluvialis ut 4. plumbum in marina ſex gradus ſui ponderis, in fluviali vero quatuor tantum gradus amittet: unde conſequens eſt, ut per gravitatem ut duo per marinam, per gravitatem ut quatuor per aquam fluvialem cadat. Nam otioſa eſt, nec plumbum deorſum trahit illa pars gravitatis, quam in liquido, Archimedis phraſi, dicitur amittere. Sicut ergo in aliis agentibus naturalibus ſimile non agit in ſimile, ſed actio ſequitur, ut loquuntur Peripatetici, à proportione majoris inæqualitatis; ita plumbum in aqua non movet ſe, & aquam loco ſuo dimovet cadendo, niſi ſecundum exceſſum, quo plumbum aquam, per quam cadit, gravitate antecellit.

Nec difficile jam miraculi * Pliniani cauſſam intelligere; *Cur entra facilius in aqua moveantur*; item, *Cur inania vaſa haud facilius quam plena aqua extrahantur.* Ratio enim eſt, quia onera in aqua tantum ſui ponderis, quantum eſt pondus aquæ, in qua verſantur, amittunt. Et ſitula plena æque facile ac inanis è fundo putei uſque ad aquæ ſuperficiem extrahitur; quia aqua ſuperior in puteo inferiorem, quæ in ſitula eſt, non gravat; nec ea pars aquæ quæ ſitulam implet, nititur ſe ſupponere aquæ ejuſdem ponderis, qua undique involuta eſt. Solum ergo vi extrahendus eſt ille gravitatis exceſſus, quo volumen ex ſitula & aqua ſitulam implente compoſitum nudæ aquæ pondus ſuperat: qui exceſſus valde modicus eſt, & modica vi attolli poteſt.

Nunc quoque intelligere incipimus, Cur piſces in aqua minore labore natare, quam aves in aëre volare valeant: nam piſces plus ſui ponderis in aqua graviore, quam aves in aëre leviore amittunt; adeoque reliquum pondus, quod levare & regere pinnis piſces debent, levius eſt quam pondus quod aves pennis attollunt & gubernant in aëre: ut v. g. cyprinus, ſive carpio piſcis, & perdix avis, ſint æqualis ponderis, & duas libras ſinguli pendant; aquæ vero gravitas ſit unius libræ, aëris gravitas dimidiæ libræ ſit. Archimedes quippe & Mathematici aëri aliquam gravitatem & niſum in univerſi centrum donant; nec Peripatetici de aëre ſaltem inferiori vaporibus intexto, in quo aves volant, abnuunt. Cyprinus ergo in aqua libram unam ponderis ſui abjiciet; quantum videlicet eſt pondus aquæ, cujus locum occupat; & alteram libram pinnis movendam retinebit: perdix vero in aëre dimidiam ſolum libram ponderis ſui perdet; & proinde libra una cum dimidia ei reſtat; quod alis ferre volando in aëre debet: unde difficilius & majori labore volat, quam cyprinus natet.

Qqq 5 In

* *Plin. lib. 2. cap. 103.*

In elementi aquei liquiditatem conferendum etiam eſt illud Dei beneficium, quo tanta celeritate naves hominibus aut mercibus onuſtas de Provincia, aut de parte una Orbis terræ in alteram trajicimus.

Quo modo aqua terrenum nautam exiguo ligno & vento ducit non admiraris aſpiciens? ait S. Gregor. * Nazian. *Non mens tua extra ſe rapitur, cum cernis, ut terra & mare commoditatibus & commerciis inter ſe devinciantur; eaque quæ natura inter ſe adeo diſſident, ad hominis uſum conjungantur?*

Plinius tamen lino, unde texuntur navium vela, gloriam iſtam tribuit: *Quod miraculum majus,* inquit, *herbam eſſe, quæ admoveat Ægyptum Italiæ? In tantum, ut Galerius à freto Siciliæ Alexandriam ſeptima die pervenerit, Babilius ſexta, ambo Præfecti; æſtate vero proxima Valerius Marianus, ex Prætoriis Senatoribus, à Puteolis nono die, leniſſimo flatu.* Narratque deinde, Gadibus ſeptimo die Oſtiam, è citeriore Hiſpania quarto, è Provincia Narbonenſi tertio, ex Africa altero die, molliſſimo flatu naves trajici. A noſtri quoque Oceani & maris mediterranei nautis accipimus, ſingula quaque hora onuſtam navem tumente velo terna circiter milliaria Belgica, id eſt Italica novem, ſolere emetiri. Sed præcipua pars horum miraculorum non tam in vela & ventos, quam in liquentis elementi mobilitatem debet conferri. Hæc aquarum commoditas vicinos Hollandos egregie adjuvit toto tempore belli, quod adverſus eos nuper geſtum eſt: Oceano enim ſuo cincti, & tot fluminum canalibus diſſecti, minimo labore ac impendio militem, commeatum, tormenta machinaſque bellicas, ſine veterinis & longo jumentorum protelo, incredibili ferme velocitate, è Provincia una in aliam trajiciebant: imo Oceani beneficio cum Indis & Orbe toto, tamquam admotis & vicinis, commercia exercent.

* *Naz. Orat.* 34.

D.

PLurima alia ſunt hujus doctrinæ Staticæ miracula; quæ pleraque in iſto cardine vertuntur: quod ſolidum gravius liquido tantumdem ponderis in eo amittat, quantum eſt pondus liquidi, in quo verſatur; ſive uſque ad fundum liquidi decidat, ſive in eo natet, aut quocumque alio modo, natura vel arte ſuſpendatur.

Ut, ſi libra plumbi per vas aqua plenum decidat; quamdiu eſt in motu verſus fundum, non pendit libram plumbi, aut libram aquæ, ſed præciſe tantum, quantum aqua ſuæ molis, ſive, cujus locum intra aquam occupat: unde geſtans illud aquæ vas in capite ſuo magis ſe gravari ſentiet, ubi plumbi libra fundum vaſis attigerit: plumbum enim in fine caſus totum pondus ſuum in fundum vaſis deponit.

Item, ſuſpende plumbum *quantivis* ponderis in aqua, non augebit aquæ pondus, niſi quantum aqua altera paris cum plumbo extenſionis. Unde ſive plumbum, ſive lignum, ſive etiam veſicam vento inflatam teneas intra aquæ corpus, tantumdem adjicient ponderis, ſi mole, id eſt extenſione corporis, paria ſint: ponderabunt enim quantum aqua, cujus locum ſibi vindicant.

Hujus miraculi cauſſam multi ſubtiliter inveſtigantes, extra oleas prope, aut longe abiverunt. Quidam in compreſſionem corporis aquei circumſtantis, propter naturalem amorem quo aqua aquæ continuari appetit, retulerunt. Unde inferunt aliqui, quod idem eveniret, ſi loco corporis penduli intra aquam Deus interponeret vacuum.

Sed compreſſionem illam aquæ, & niſum, quo ſe alteri aquæ conjungere nititur, ſenſus ipſe ſatis refellit. Sint enim in trutina binæ lances aqua ejuſdem ponderis & molis æquilibres; in alteram earum intrude & ſuſpende digitum tuum, lanx iſta inclinabitur, & propenſior fiet, perinde ac ſi tantulum aquæ

aquæ huic lanci infudiſſes, quanta contineri poteſt loco quem digitus occupat intra aquam: nullam vero in digito tuo ab aqua circumſtante experieris compreſſionem, aut niſum, quo aqua nitatur digitum tuum loco ſuo depellere, & pervenire ad alterius aquæ, quæ trans digitum eſt, conjunctionem. Simili prorſus experientia urinator, aut natator, non ſentit circa ſe ullam aquæ nixantis compreſſionem.

Sed nec tacitum etiam abire debet hoc grande urinatoris miraculum. Urinator enim aliquis ad Ormutium in India Orientali, vel ad Panamam in Occidentali, ad piſcationem gemmarum ultra vicenos pedes ſe demittit infra maris ſuperficiem; nec ullum tamen ſub tanta aquarum mole ſuperne ſentit pondus, nec inferne, aut à lateribus ullam compreſſionem, aut reniſum. Ad hujus rei admirationem accipiamus Simonis Stevini calculum.

* *Humani corporis planum*, inquit, *occupet pedes* 10. *Is intra aquam* 20. *pedes demerſus, aqua pede cubico,* 65. *libr. æſtimato, ſuſtinebit per* 10. *&* 11. *propoſ. Elem. Hydroſtat. libras aquæ* 13000. *Quamobrem*, ait Stevinus, *qui poteſt, ut tanto pondere preſſus non opprimatur?* Jo. Craſſotius, inſignis Peripateticus Academiæ Pariſienſis, lib. 4. art. 7. de Cœlo, reſpondet, *Aquam facile fornicari; fornicata autem ſe ſuſtinent per Mechanicorum leges.*

Verum, ſi aqueæ aut materiæ alterius fluxæ eſſet Eccleſiæ noſtræ fornix, non diu ſe profecto ſuſtineret, ſed illico ſolveretur, & univerſus difflueret defluereque. Non igitur fornix aqueus circa hominem aquis immerſum ſe compreſſione partium & viribus ſuis ſuſtinet, ut lapideus fornix arcuato compreſſu lapidum ſe ſuſtentat; ſed natatori incumbit, & difficultas integra manet, cur eum non opprimat.

Igitur aliud ſubtilius Stevinus meditatus, non premitur, angitur, aut luxatur corpus natatoris ſub aquam demerſum, ait; *Quia membrum quod luxaretur, in alium locum concedat neceſſe eſſet. Atqui locus ille non eſt extra corpus hominis, cum aqua undique æquali preſſu circumfuſa ſit: neque item intra ipſum corpus concedit, cum iſthic corpore omnia oppleta ſint: unde ſingulæ partes ſingulis partibus æqualiter reſiſtunt. Namque aqua undequaque eadem ratione corpus totum circumſtat. Quare cum locus ii nec intra nec extra corpus ſit; abſurdum, imo impoſſibile fuerit, partem ullam ſuo loco emoveri; ideoque nec corpus hinc afficietur ullo dolore.*

Quæ Stevini, hominis doctiſſimi, verba aliquanto plus ingenii & ſubtilitatis, quam judicii mihi habere videntur. Nam licet aqua natatorem undique circumſtet, ſuperne tamen magis premere deberet, quam inferne, aut à lateribus reſiſtat. Atque ita ab ea parte inferiori locus eſt ſatis apertus extra corpus, quo aqua ſuperior partem corporis detorqueat & exprimat. Deinde locus etiam intra corpus eſt (videlicet mollium viſcerum capacitas) intra quem partes corporis exteriores oppreſſu aqueæ molis compelli poſſunt; cur igitur id non accidit? Nam ſi hominem ſub ingenti arenæ aut tritici acervo ſepelias, mentior niſi decem modiis eum oppreſſeris, & latera ejus intra cavitatem thoracis impuleris: quod tamen ſub aqua, toto etiam Oceano non facies.

Alii fortaſſe in aquæ lubricitatem & mobilitatem referent. Sed hæc præcipua cauſſa eſſe non poteſt. Nam fac aquam & corpus immerſum perfecta quiete compoſitum & prorſus immotum eſſe, omniaque puncta ſuperficiei concavæ aquæ ambientis, iiſdem punctis ſuperficiei convexæ urinatoris perpetuo incumbere, putaſne ſentiet evidenter majus pondus? Non faciet.

Itaque veram hujus admirandæ rei cauſſam nemo, quem vidi, attigit propius quam doctus ille Hero Alexandrinus in Præfat. Spirital. *Homo*, inquit, *ejuſdem fere gravitatis eſt cum aqua.* Sicut igitur aqua ſuperior aquam inferiorem non premit, nec ſuo loco movet; ita neque illam partem gravitatis corporis humani, aqueæ gravitati parem, ad loco pel-

* *Stevin. lib. 5. Static. prop. 3.*

pellendum & deprimendum ſollicitat. Illa enim eſt pars gravitatis quam Archimedes dicit perdi in humido, quæ nec aquam movet, nec movetur ab aqua ejuſdem ponderis. Exceſſus vero ponderis, quo homo aquam ſuperat, hominem deprimit ad aquæ fundum, aut natator arte ſua eum portat, ut fit in piſcibus & ranis. Liquiditas porro hoc aquæ præſtat, ut ſecundum omnes aquæ partes, uſque ad minima naturalia, diffluendo hac illac, quærant locum propenſioni & ponderi ſuo convenientem, atque undique involvendo corpus ſolidum aquæ immerſum, ſuam gravitatem cum ejus gravitate quaſi penſiculent, & ſecundum leges æquilibrii, quibus unicuique corpori gravi aut levi locus in univerſo aſſignatur, moveantur aut conquieſcant. Hac vero liquiditate ac lubricitate arenæ aut tritici acervi carent; unde hominem ſubmerſum obruunt, nec pondus ejus, velut in trutina, cum pondere ſuo ſuſpendunt ac perpendunt. Poſtquam vero æquilibrium & æquamentum inter partes humidi, aut inter humidum & ſolidum, quod in humido natat, poſitum eſt; conquieſcunt, nec amplius ſe invicem trudunt, quia omnia locum ſuum naturalem, ſecundum ponderum exigentiam, adepta ſunt.

E.

CÆtera excurſu D. propoſita miracula ex eadem Archimedis philoſophia explicanda ſunt.

Ut, plumbea moles cadens per aquam, aut intra aquam ex alto ſuſpenſa, tantum ponderis aquæ adjicit, quanta eſt gravitas aquæ paris molis; reliquus autem exceſſus ponderis plumbi ſupra aquam detrahit plumbum ad fundum aquæ, aut in aqua violente ſuſpenditur, ſi vi impediatur, ne ad fundum uſque cadat. Partem vero ponderis plumbi, ponderi aquæ æqualem, aqua quodammodo abſorbet, & ponderi ſuo miſcet: unde licet in proximam & contiguam aquam non ſic gravitet, ut loco moveat; cum toto tamen corpore aqueo in aëre gravitat; & ſi ponatur plumbum in aqua bilancis ſuſpenſum, lancem inclinabit tanto pondere, quantum eſt pondus aquæ, paris cum plumbo magnitudinis.

Hinc ſequitur (quod ſæpe expertus & miratus ſum) ſi detur corpus paris circiter ponderis cum aqua; tantumdem gravitati aquæ adjiciet, ſive in aqua ſuſpendatur, ſive in ea libere natet. Ut cera eſt fere ponderis ejuſdem cum aqua communi, & ideo globus cereus aquæ ſic innatat, ut nihil extet, ſed ſuperficies ceræ ſuperficiei aquæ coæquetur. Si vero cereum globum digito tuo, aut aliter in aqua ſuſpenſum teneas, tantumdem ponderat, & lancem aqua plenam æque inclinat ac deprimit, atque ſi globum illum liberum dimitteres, ut in lance aquaria nataret.

Hoc quoque mirum; quod licet aqua ſuperior in ſitula *aquaria* aquam inferiorem non ita premat & *ei incumbat*, ut loco cedere cogat; caput tamen geſtantis ſitulam in capite toto pondere aquæ premat, & carnem comprimat, locoque per iſtam compreſſionem cedere compellat. Unde gravitas aquæ in ſitula imitatur cætera agentia naturalia; quæ licet in proximum ſimile non agant, ſibi tamen illud aſſociant, ut conjunctis viribus in proximum diſſimile ſimul vires exerant. Sic enim, licet pars ignis in proximam partem ignis agere ob ſimilitudinem non valeat, omnes tamen partes ignis ſimul proximum aërem calefaciunt.

Si tamen homo cum ſitula plena, quam capite geſtat, in flumen deſcendat, illico ut ſitula flumen intraverit, pondere ſuo caput geſtantis premere deſinet; nec homo ille onus ſitulæ magis percipiet, quam natator onus ponderoſiſſimæ navis quam ſubnatat, & cujus carinam dorſo diſtringit.

Atque hinc apparet vera cauſſa cujuſdam miraculi * Statici, cujus falſam Stevinus ſubſtituit. Miratur enim Stevinus, qua ratione ligneus orbis, è mate-

* *Lib.5. Prop.2. Exempl.3. Stat.*

materia leviori quam aqua, non reſurgat è fundo vaſis aqua pleni, ſi fundus pertuſus ſit, & orbis ille foramen operiat. Imo tantum abeſt, ut orbis iſte aqua levior ſurſum elevari & in ſuperficiem aquæ redire valeat, ut potius tanto preſſu foramini vaſis innitatur, quantus eſt nixus & gravitatio totius aqueæ columnæ, quæ orbi uſque ad ſuperficiem aquæ incumbit. Et alterum miraculum inde conſectarium accumulat Stevinus: *Unam* ait *aquæ libram, per canaliculum orbi illi ligneo ſuffuſam, majorem efficientiam exercere parte inferna preſſando orbem, quam centies millena aquæ libra quæ forte inſident ligneo orbi: nam orbis ex aqua emerget. Cujus*, ait, *ſi cauſſa ignota eſſet, naturæ arcanum meritiſſimo dici poſſet.*

Quo etiam exemplo cauſſam ſe manifeſto demonſtraſſe exiſtimat, cur urinatorem tota aqua maris opprimere non poſſit: quia videlicet paucula aqua inter ipſum & fundum alvei maris interpoſita tam valide à parte inferna ſurſum eum reprimit, quam integra moles aquæ marinæ, quæ ſuperſtat, deprimit. Unde urinator ſic preſſus & conſtrictus undique, non eſt unde dolorem perſentiſcat, cum nulla pars corporis ejus eluxetur & loco ſuo cedat.

Sed non eam eſſe cauſſam, cur urinator aut natator onus aquæ ſuperſtantis non ſentiat, *excurſu D.* oſtendimus.

Nec etiam veram cauſſam, cur aquæ libra per ſiphonem vel canaliculum inferne ſuffuſa faciat ligneum orbem è fundo vaſis aſcendere, Stevinus attigit: quaſi modicum illud aquæ, quod fundo vaſis ſuffunditur, tanta vi polleat, ut pondus ſuperioris & incumbentis aquæ vincere poſſit, & contra ejus depreſſionem orbem ligneum ſurſum reprimere, ac in ſuperficiem aquæ ejicere valeat. Sed quia, quando aqua fundo vaſis ſuffunditur, fundus & orbis ligneus foramen fundi operculans, ſuperne & inferne aqua jam involvitur; ac proinde cum aquæ gravitate jam incipit penſiculari, & quaſi in bilance trutinari; & quia lignum eſt levius aqua, ligneus orbis ab aqua ſuperiori, non ab inferiori, ut putat Stevinus, ſurſum exprimi.

Vis veritatem iſtam ſine opera canaliculi Stevini oculis videre? Situlam illam pertuſi fundi, cujus foramen, ne effluat aqua, ligneus diſcus ſuperne operiat, imple aqua: deinde fundum ſitulæ alteri aquæ etiam ad digiti tantum latitudinem immerge; illico cernes diſcum aut aſſerem ligneum ſurſum in ſuperficiem aquæ emicare & natare.

LIBERTI FROMONDI

AD

L. ANNÆI SENECÆ

NATURAL. QUÆSTIONUM

LIBRUM QUARTUM

EXCURSUS.

A.

NUlla umquam fortaſſe ætas vetuſtatis minus reverens, & novitatis magis pruriens fuit quam noſtra. Tam enim in ſacris quam profanis plurimæ undique χόρδαι ἀκίνητοι, *chorda non-movenda*, ut eſt in proverbio, motæ ſunt; & perperam tentata quæ antiquitate & ratione ſua firmiſſime ſtabant.

Poſt cæcos illos infantis adhuc Philoſophiæ Auctores, qui terram aut cubi, aut tympani, aut alia delirante à ſphærica figura eſſe dixerunt, ſtatim ratione certa & experimentis reperta eſt ejus rotunditas; manſitque penes Philoſophos inconcuſſa hujus rei fides, donec Franc. Patricius nuper in Italia conatus eſt labefactare: ſed conatus tantum; nam præter unum Ottonem Caſmannum, aut pauculos alios ignobiles Philoſophos, vix invenit quibus ſuam perſuaderet imaginationem.

Sed quis ferat, inquit Patricius, *altiſſimos Norvegiæ montes, montem ſub polo Sletum, mundanorum omnium eminentiſſimum, ejuſdem eſſe cum ſubjecto mari ſuperficiei? aut Lunæ montes cum ſubjecto lacu, unde Nilus exit?* Nemo ſane rem tam abſurdam ferat Patrici. Sed audi quid * Seneca noſter tibi reponat: *Quomodo in pila*, inquit, *nihil intervalla officiunt ad ſpeciem rotundi; ſic in univerſo Orbe terrarum editi montes, quorum altitudo totius Mundi collatione conſumitur.*

* *Seneca lib. 4. cap. 11. Natur.*

Nonne enim omnes pilam luſoriam rotundam appellamus? Verruculæ tamen quædam in iis, ſi attente aſpicias, ſe offerunt, quæ corpuſculi pilæ, cui inſident, comparatione altiores ſunt altiſſimis terræ montibus, ſi hi ad terreſtris globi molem comparentur. Quænam enim pilæ luſoriæ verrucula non facile milleſimam ſeptingenteſimam diametri ſuæ pilæ partem adæquat? Ecce tamen editiſſimi ſub cœlo montes (quos vix 4000. paſſ. à terra ſurrigi nuper in Meteorolog. dicebamus) tantula una tantum particula ſunt terreſtris diametri. Igitur montes illos altiſſimos totius Orbis terræ collatione conſumi, ac pro nihilo duci, Seneca veriſſime dixit. quod ante ipſum magnus ille Eratoſthenes: Σφαιροειδὴς ἡ σύμπασα, οὐχ ὡς ἐκ τόρνου δὲ, ἀλλὰ ἔχει τινὰς ἀνωμαλίας: *Univerſa terra ſphæralis eſt, non tamen tamquam ad tornum facta, ſed inæqualitates quaſdam habet.*

Sed tota Polonia eſt planiſſima, nullo exaſperata monte, inquiunt. *Et in omnibus inhabitati & deſerti Orbis partibus*, inquit Caſmannus, *inveniuntur plurimæ ingentes & immenſæ planities; quæ ſane non ſunt dicendæ vix eſſe ſenſibiles reſpectu totius terreni globi.*

Sed

Sed falleris oculorum, Caſmanne. Nam veluti parvum maximæ circumferentiæ circuli ſegmentum lineæ rectæ ſpeciem habet; ita ingentis ſuperficiei ſphæralis modicam partem ſi videas, planam eſſe putabis. Partem vero terreſtris ſuperficiei non magnam (deterſo etiam omni montium, collium, arborum, ædificiorum obſtaculo) ſimul à nobis aſpici, Matheſis & experientia docet. Nam oculus hominis moderati, ſive ſex pedum altitudine à terra elevatus, non ultra tria milliaria Italica, ſive unicum Belgicum, aſpicere valet, ſi Jo. Keplero definienti credimus. Igitur ſi ſtans pede in uno homo ille ſe in orbem convertat, circulum ſuperficiei terræ tantum videbit, cujus diameter bina ſolummodo milliaria Belgica horaria implebit: quod enim ultra eſt, devergens terræ curvatura abſcondit.

Verum iterum inſtat Caſmannus: *Si tanta*, inquit, *regiones planiſſima non eſſent, ſed in medio ad rotunditatem ac tumorem ſurgerent, Beriſthenes, Tanais, Volga, Nilus, Niger, Danubius tanta terrarum ſpatia non decurrerent, aut in aſcenſum, deinde in deſcenſum currerent. Non enim flumina ulla prius aſcendunt, poſtea deſcendunt; ſed totus eorum curſus, ex Geographico & Ariſtotelico axiomate, deſcenſus eſt ad decliviora.*

Quaſi vero, Caſmanne, per longiſſima terrarum ſpatia in orbem, ſive per circuli ſegmentum, labi non poſſint flumina. Quod duplici ratione evenire poteſt. Primum, ſi alveus fluminis æquali ubique à centro terræ intervallo ſine ulla devexitate diſtet. Tunc enim ſi origo fluminis altior ſit (ſicut eſſe debet) quam alveus; aqua in alveum ex fonte decidens aquam antecedentem, etiam per alveum circularem, & undique à centro terræ æquidiſtantem, aget & propellet. Quo caſu flumen non lapſu gravitatis, ſed impulſu undæ poſterioris, à tergo priorem urgentis, per alveum ibit. Prima tamen unda è ſcaturigine in alveum gravitate excidit. Perperam vero talis fluvii aquam aliquando aſcendere; aliquando deſcendere imaginatur Caſmannus. Quod enim circulariter, obſervata æquali à centro terræ diſtantia, fluit, aſcendere aut deſcendere dici non poteſt. Secundo, & fere ſemper, per alvei inclinationem à propria gravitate delabuntur flumina. Et quidem in deductione fontium per anguſtos tubos, in centenos quoſque pedes unum pedem inclinationis dat Salomon Cauſius; & in majori tuborum laxitate pedem dimidiatum. Ad lapſum vero fluminum Daniel Barbarus, Albertum ſecutus, in mille paſſus alvei fundum uno pede deprimit. Ut tamen curſus ſit aliquanto torrentior, major inclinatio fieri debet. *Quod ſi tamen*, ait Barbarus, *ad mille paſſus ſex pedes declinaverit, tam rapidus fiet aqua curſus, ut navibus ſit incommodus & periculoſus.*

Igitur ſi ſcaturigo & fontes Nili circa Tropicum Capricorni, quod recentes Indicarum Hiſtoriæ firmant, conſtituantur, & in millenos paſſus pedem unum devexitati alvei tribuamus, fontes 3240. circiter pedibus oſtio forte Canopico, quo ſe Nilus in mare Mediterraneum evomit, altiores erunt. Quamquam nec hoc affirmare eſt neceſſe: quia devexitas & inclinatio alvei Nili non eſt perpetua; ſed cataractæ & præcipitia plurifariam occurrunt, quæ aquam ſuſtinent, & retro accumulant, præcipitantque deinde torrenti, etiam ſine inclinatione, alveo. Quod Patricium & Caſmannum dicere nobiſcum oportet, etiamſi Nilum per plana labi, non per devexam Orbis terræ globoſitatem, imaginentur.

B.

SImilibus argumentis, quibus terram, etiam maris ſuperficiem, complanare nititur Franc. Patricius. Et primo probat experimentis: *Anno*, inquit, 1562. *nos in Cyprum navigaturi, è navi magna adhuc ad Venetum littus anchoris alligata, ſub Solis ortum, ſupra maris ſuperficiem montem, in Liburnia, Anſero imminentem, clariſſime conſpeximus*

imus nigricantem. Diſtat autem à Venetiis paſſ. millibus 200. & amplius. Orto Sole non amplius eſt viſus. Modo, ſi tanto ſpatio maris ſuperficies in medio tumida fuiſſet, vel totum montem, vel maximam ejus partem noſtro viſui ademiſſet. At diluculo totus conſpiciebatur; poſt Solis ortum nullus eſt conſpectus.

Aliud deinde gemellum experimentum jungit. *Anno 1574. Genua in Hiſpaniam navigabamus. Ultra Telonem in Gallia ſub aurora velo ibamus. Inde Corſicæ Inſulæ montes, imo ipſa tota Inſula nigricans conſpiciebantur. Diſtabat autem à nobis, ex longitudinis littorum computo, millibus paſſ. plusquam 300. Sole orto ex oculis evanuit. Neque tamen ante ortum mare planum fuit, & poſt ortum in tumorem eſt auctum in medio.*

Falli igitur Geographos exiſtimat in rotunditate maris. Verum fallitur ipſe. Et iſthæc experimenta ejus manifeſte in eum redeunt, etiamſi non retorqueamus. Si enim mare Adriaticum planum eſt, cur ſub diluculum & auroram conſpicuus ille Liburniæ mons orto Sole evanuit? Mediterraneum ſimili planitie ſtratum eſt, cur Corſica ante ortum Solis in oculos venit, poſt exortum illico diſparuit? Lux enim Solis per planam maris ſuperficiem effuſa, ubi nullus obex, in quem offenſet viſus, occurrit, rem in aſpectum profert, non abſcondit.

Quod ergo mane ex tanto intervallo Liburniæ & Corſicæ montes viderit Patricius, qui ſtatim exoriente Sole evanuerint; non planitiem interjecti maris, ſed curvaturam potius & tumorem arguit. Nihil enim aliud quam tumor quidam & gibbus excogitari poteſt, qui oriente Sole & interdiu viſui medium, ne montes illi videri poſſint, ſe objiciat. Primo vero diluculo montes ſupra gibbi tumorem attolli videntur, propter ingentem ſpecierum & luminis auroræ in vaporibus ſuperficiem maris obſidentibus refractionem; quæ ſurgente aut adulto Sole evaneſcit, fugientibus, aut rareſcentibus tepore diei vaporibus, ut quotidiana experientia nos docet.

Necdum tacet tamen Patricius: *Si mare*, inquit, *inter littora in rotunditatem ſurgeret, navigia dum à littore altero ſolvunt, primo aſcenderent, atque ideo tardius moverentur. Sequerentur etiam impoſſibilia alia non pauca. Si enim inter bina littora mare in medio attollitur, inter Inſulas frequentes, ut ſunt in Dalmatia ad Jaderam & ultra Epidaurum, ut ſunt in mari Ægæo, ut ſunt in India ad Maldivarem; frequentes etiam eſſent inter eas quaquaverſum rotunditates, ſibi ipſis interdum contrapoſitæ, ut acutius ponderanti patebit. Atqui hac tam varia rotunditate nihil magis ridiculum.*

Certe tu mihi magis ridiculus; & ridere videris, Patrici. Nec enim navis è portu ſolvens, & in altum navigans (ſic loquimur oculorum ſenſum ſecuti) non aſcendit, ſed in orbem circuit. Mare vero longius ab oculo diſſitum apparet altius; ſicut longum pavimentum extrema ſua parte videtur excelſius, & cœlo vicinius; quia acutioribus angulis, & ſuperioribus oculorum radiis aſpicitur. Segmenta deinde circuli aquarum inter Cyclades Ægæi, aut inter Oceani Indici Inſulas Maldivas, non totidem diverſarum ſphærarum, ſed unius ſphæræ, ex terræ & aquæ elementis compoſitæ fragmenta ſunt; quorum ſuperficies æquali intervallo à centro gravitatis globi ex utroque elemento conflati diſtant. Patricius vero imaginatur, quod ſicut duo globi in ſuperficie terræ jacentes diverſas partes & centra habent; ita partes maris Ægæi, quæ quaſlibet duas Inſulas Cyclades proximas interluunt, eſſe diverſarum aquearum ſphærarum fragmenta. Quæ imaginatio vana eſt & puerilis.

Sed fortaſſe etiam cum Grammaticorum natione pugna nobis hic erit. Mare enim ideo *æquor* appellant, quod æquale ſit & planum. *Æquor mare appellatum*, ait M. Varro, *quod æquatum, cum motum vento non eſt.* Cicero tamen magis circumſpecte: *Quid tam planum videtur quam mare? Ex quo etiam æquor*

illud

illud Poëta vocant. Sed *videtur* ait: & hoc ad nomenclaturam ſuffeciſſe ſignificat.

C.

Terram enormiter projectam Seneca dicere eſt auſus: fallitur, & æternæ Sapientiæ normam, & divini opificii, quo hunc Orbem gyravit, tornum ignoraſſe videtur. *Si corporis humani partes, naſum, aures, mentum, brachia, crura ſeorſim inſpicias*, ait Nazianzenus, *inæquale aliquid & enorme reperies; ſi ſingularum uſum, & cum aliis ſymmetriam, operis pulchritudinem, & artificis ingenium obſtupeſces. Simile quid aſpera illa montium, humilia vallium, plana camporum in Orbe terrarum habent. Si ſingula videas, abnormia & neglectim ſine lege projecta putabis; compone inter ſe, uſum & decorem admirando fatigaberis, & divino Pſaltæ acclamabis, Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis.*

Tertio quippe creationis Mundi die à divina Sapientia extuberati ſunt montes, depreſſæ valles, explanati campi, ad terreſtrium animalium commoditatem. Nec ſolum ex terræ ſuperficie evecti in altum montes, ſed etiam ex imo alvei marini fundo. Quid enim aliud Inſulæ, quam marini montes? Quid aliud maris Ægæi Cyclades, quam multa unius magni montis juga? Unde una terræ motu tremefacta, vicinæ fere concuti ſolent; tamquam totidem ſcopuli eidem lapideo fundo impoſiti. Sic Caucaſo aut Atlanti ſuppoſita exhalatio omnia univerſim eorum juga & diſcontinuos vertices eodem impetu tremefacit.

Utilitas quoque montium ad frangendas vires, & compeſcendam petulantiam ventorum, qui in planis ſæpe intolerabiles ſunt. Frigore etiam, quod lapidei montes largiter fundunt, vaporum & exhalationum condenſationem adjuvant. Et hinc nullibi tam frequentia nubila, pluviæ, nives, tonitrua, fulmina, quam in montanis.

Ad fontium deinde ac fluminum ſcaturigines evidens montium neceſſitas. In montium quippe capitibus ſubterraneus vapor, ut in alembicorum capitellis diſtillatitius humor, refrigeſcit, & in aquam denſatus, in ora fontium decidit.

Sed præcipua & evidentiſſima montium, collium, ac univerſim omnium ſine fine aſperitatum ac inæqualitatum in ſuperficie terræ neceſſitudo, ad calefactandum hunc in quo vivimus infimum aërem, quantum ad animalium & plantarum generationem & incrementum, ad frugum & fructuum omnium maturitatem ſufficit. Audeo enim dicere: Si terra undique rotunda & deterſa ſuperficie eſſet, inutilis nobis & intoleranda ejus habitatio foret.

Quis igitur Divinæ providentiæ & numinis ſapientiam non obſtupeſcat, ubi conſiderat, quod id quod Epicurei & Athei in univerſo tamquam caſu & perperam poſitum maxime accuſant (videlicet Orbis terræ inæqualem ſuperficiem) hoc non tantum utile eſſe deprehendit, ſed neceſſarium? In quo igitur, inquies, tanta neceſſitas aſperitatis terreſtris globi? Ad multiplicandas, inquam, luminis cœleſtis reflexiones, quæ calorem & teporem illum vitalem nobis gignunt, ſine quo nullæ plantæ, nullæ animantes diu vitales eſſe poſſunt. Nam veluti in ſpeculo æqualiter deterſo unica fit, & ad angulos incidentiæ æquales, reflexio; ita ſi terræ convexitas glabra foret, radii Solis incidentes in Belgii v. g. glabram ſuperficiem, mane omnes verſus Occaſum, meridie verſus Septemtrionem, veſperi verſus Ortum reflecterentur: nec terra & inferior aër incaleſcerent, quantum vitæ animantium & maturitati fructuum ſatis eſt. Nunc vero tantum æſtum Sol fundit, quia infinitis modis exaſperata terræ ſuperficies infinita quaſi ſpecula Soli objicit, quæ horſum, illorſum & quaquaverſum lumen rejiciunt, & qualitate calorifica ſalutari omnia complent. Cum enim radii in oppoſitum ad angulos angulo incidentiæ æquales ſemper reſiliant, pro varia obliquatione & aſpectu ad Solem ſuper-

Digitized by Google

perficierum reflectentium, neceſſe eſt in varias & contrarias Mundi plagas lumen retorqueri. Quia igitur in quolibet etiam pedali ſpatio ſuperficiei terræ innumeræ ſunt tales parvæ in omnem cœli plagam diſtortæ ſuperficies, ideo ſine fine multiplicantur reflexiones, & à diverſis ſuperficiebus undique radii in quodvis idem vicini aëris punctum conjecti ſe interſecant, & focos ad accendendum calorem concinnant. Atque hæc eſt cauſſa fere unica diſcriminis temperiei æſtatis & hiemis. Ideo, inquam, æſtas æſtuoſior quam hiems; quia æſtate, ubi Sol vertici noſtro propinquior eſt, plures terræ ſuperficies in idem quodlibet aëris punctum radios Solis reflectunt quam menſibus hibernis, ſidere obliquiore & in Auſtralem plagam inclinato. Hinc etiam in vallibus, quæ montibus Soli objectis præcinguntur, maxime ardent æſtivi fervores. Plurimi enim radii à ſuperficiebus montis contra Solem erecti, recto angulo, & eadem vel proxima via, qua venere, reſiliunt. Quo autem radius reflexus propius in directum replicatur, eo lumen eſt uberius, & ad calefaciendum validius.

Sic in qualibet terræ plaga, ait Dominus Cameracenſis cap. 1. Sphæræ, *quædam in vallibus generantur, creſcunt, & conſervantur, quæ in montibus minime fierent, & contra. Voluit ergo natura ille optimus Gubernator rerum & temporum atque regionum viciſſitudines alternare, ut omni ex parte ſufficiens eſſet hominibus proviſio, atque infinitam ejus ſapientiam ex tot rerum diverſitatibus miraremur.* Faciamus igitur, & cum pio Rege clamemus, *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!*

Denique ex ſimili luminis ſolaris à corpore lunari verſus terram undique in orbem reflexione quidam, fortaſſe ἐκ ἀςόχως, conjectant, corpus Lunæ non eſſe glabrum & quaſi ad tornum factum, ſed montibus & vallibus inæquale. Quæ conjectura etiam valet in Venere, & quocumque Planeta creſcente & decreſcente ad imaginem Lunæ.

L I-

Digitized by Google

LIBERTI FROMONDI AD L. ANNÆI SENECÆ NATURAL. QUÆSTIONUM LIBRUM SEXTUM EXCURSUS.

A.

OCcaſione diſputationis Senecæ lib. 6. Nat. cum Thalete Mileſio, qui Orbem terræ Oceano ut navem innatare, & idcirco quandoque fluctuare & tremere aiebat, in hanc amœnam de vacillatione Orbis terræ philoſophiæ partem libuit paullo longius excurrere. Ariſtoteles olim vetuſtiores Philoſophos circa terræ *ἀσφάλειας*, *ſtabilitatem*, delirantes, ubi ſatis deriſit (Thales enim, Democritus, Empedocles, Anaximander, aliique aliquod undique firmamentum terræ quæſierant contra lapſum; Xenophanes vero in profunditatem quamdam imaginariam infinitam cum toto Mundo perpetuo ſubſidere & delabi dixerat) ipſe tandem *in medio immobilem ſtare* docuit: & eum ingenioſus Poëta ſecutus,

Vi ſtat terra ſua, vi ſtando Veſta vocatur.

Igitur è centro gravitatis ſuæ ponderibus librata ſuis & hemiſphæriis invicem renitentibus pendula ſuſtinetur. Sed itane immobilis eſt, ut tota nutare leviter & titubare numquam poſſit? Ptolemæus & Aſtronomi paſſim poſt ipſum, ſuam terræ aſſerentes ſtabilitatem, ſatis habent Pythagoricum, ſive Copernicanum motum, tam circa ſuum centrum quam circa Solem confutaſſe; vacillationem illam, ſive itum reditumque ultra & citra centrum pro nihilo ducentes. Ariſtoteles tamen, Archimedes, & quicumque elementa in loco naturali gravitare docent, vix negare poſſunt, quin unum terræ hemiſphærium oppoſito hemiſphærio, ut lanx lanci in bilance, contranitatur. Audiamus lib. 2. cap. 14. Cœli Ariſtotelem: *Oportet prævalere*, inquit, *quod majus eſt, donec ſuo medio medium univerſi acceperit: huc enim uſque inclinationem habet.* Addit deinde, ſive partem, ſive totam terram naturaliter uſque ad illud univerſi centrum conniti; *donec æqualiter undique accipiat medium, coactis minoribus à majoribus partibus per impetum propulſionis.* Hoc tamen intelligendum non de centro elementi terræ ut ab aqua diſtinguitur, ſed de centro unius globi ex utroque elemento complexi. Terra enim & aqua permixtis ponderibus pro menſura ac propenſione gravitatis in idem Mundi commune centrum connituntur & procumbunt. Unde inter medii ævi Philoſophos, Albertus Saxo, Tartaretus, Bricotus affirmare audent, *faba unica, vel palea in terram cadente, totum ex terra & aqua globum nunc in Ortum, nunc in Occaſum, aut in Septemtrionem, vel in Auſtrum, ultra centrum Mundi titubare & moveri.* Nam veluti quando lances in bilance ſunt æquilibres, minimum pondus alteri lanci additum æquilibrium turbat; & in eam partem onuſtiorem lancem inclinat: ita imaginantur fieri, cum unum Orbis terræ hemiſphærium alteri præponderare contigerit.

Inter nuperos Theologos Gabriel Vaſquez 1. 2. d. 81. cap. 3. hujus imaginationis eſt manifeſtus: *Nam impoſſibile eſt*, inquit, *terram quieſcere, niſi punctum centri ſua gravitatis penetret, &*

reſpondeat puncto totius Orbis; alioqui ſurſum maneret: ſurſum enim eſſe, idem eſt quod ſupra centrum magnitudinis univerſi quieſcere. Mutato igitur centro gravitatis, quantumvis parva mutatio ſit, terra movebitur motu quodam trepidationis, ut aliud punctum gravitatis reſpondeat, & penetret centrum totius Orbis; ut ita rurſus ponderibus ſuis aque ex omni parte librata quieſcat.

Unde infert, lapide, & quolibet gravi in terræ ſuperficiem recidente, adverſum Orbis terræ hemiſphærium propelli, & ſurſum undare; ac deinde contrario reditu noſtri hemiſphærii, impetum, quem lapis in terræ ſuperficie jacens per aërem cadendo collegerat, remitti, & tandem evaneſcere. Addit denique, *Hanc doctrinam, ſuo judicio, mathematica demonſtratione evidenter oſtendi.* Quod tamen non credo. Nimis enim fortiter & intrepide aſſerit, qualibet minimi ponderis acceſſione univerſum terræ globum motu illo trepidationis vacillare. Ne in bilance quidem æquilibri minimum pondus, ut v. g. grani milii, in alteram lancem conjectum, titubare facit æquilibrium. Ut enim lanx oneratior deprimatur, non ſatis eſt, ut lancem oppoſitam pondere vincat, ſed inſuper aëris, lanci ſuppoſiti, reſiſtentiam vincere ac frangere debet. Hinc, ut hemiſphærium noſtrum antipodum hemiſphærium ultra Mundi centrum protrudat, neceſſe eſt, ut tam grave pondus hemiſphærio noſtro accedat, quo & ſuperari oppoſiti terreni hemiſphærii pondus, & totius aëris ei incumbentis reſiſtentia frangi poſſit. Hoc autem non minimo unius fabæ, aut paleæ pondere adjecto, ſed ingenti fortaſſe totius maris in nos exundatione & diluvio fieri valet.

B.

CUm magni * Prophetæ verba iſta expendo, *Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in ſtatera?* imaginor ſapientiſſimum Mundi Conditorem, tertio creationis die ita terras, maria, montes, Inſulas, valles, metallicas venas, univerſa mineralia, abyſſum ſubterraneam, cæteraque terræ & maris onera diſpenſaſſe, ut partes centro terræ & ſuperfuſi aquei elementi undique efficerentur æquilibres;

> * *Ut circumfuſo penderet in aëre tellus*
> *Ponderibus librata ſuis.* ———

Tunc quoque plurimis ſparſim locis, miniſterio forte ſubterraneorum ignium, ſubito percoctæ metallorum venæ, lapideſque ceu oſſa terræ ad firmamentum mollioris carnis durati. Labentibus tamen annis, ubi maria effractis carceribus terras irruperunt, & ſubterraneus ignis ſulphuris ac bituminis, avaritia metallorum venas plurifariam exhauſerunt, ac infinitis aliis modis primæva illa terræ & aquæ moles mutata eſt; primum illud centrum gravitatis variatum eſt. *Magis enim credo*, ait doctus ille Albertus Saxo, *quod terra ſemper moveatur. Nam imaginor, quod cum medietas una terræ ſit gravior, moveatur pellendo aliam tam diu, donec centrum totius gravitatis fiat medium Mundi.* Addit quoque hoc ſubtile à Joanne Suiſſero, vulgo Calculatore, excogitatum. *Quod ſi aliquod grave, uniforme in gravitate, habeat medium ſuæ gravitatis extra medium Mundi, omni impedimento extrinſeco amoto, nihil ei addendo, nec aliquid ab eo removendo, nunquam medium ejus ad centrum Mundi perventurum. Quia priuſquam medium gravitatis ipſius fieret medium Mundi, deſcenderet aliqua tarditate, & deinde dupla ad iſtam, & poſtea quadrupla ad illam, & ſic in infinitum; & ideo ſi perpetuo duraret illud corpus, perpetuo deſcenderet.*

Quæ ſpeculatio ſupponit cum Ariſtotele & Mathematicis, magnitudinem & tempus coaleſcere ex partibus proportionalibus infinitis; ac proinde, corpus mobile tardius tardiuſque ſine fine, per tarditates proportionales, duplo ſemper prioribus ſegniores, poſſe per ſpatium finitum infinito tempore moveri. Fiet autem iſtud, ſi prima hora pertranſeat pedale ſpatium, ſecunda hora ſemipedale ſpatium, tertia hora me-

* *Iſaia 40.*

* *Ovidius.*

medium ſemipedalis ſpatii, ſive quartam pedis partem, quarta hora octavam pedis partem, & ita per partes magnitudinis proportionales procedendo in infinitum; nam tale mobile etiamſi infinito tempore duplo ſemper ſegnius ſegniuſque moveatur, ne quidem tota æternitate ſic reptando bipedale ſpatium emetietur.

Unde ſequetur quod Calculator, Saxo, Lud Nunnus Coronel, aliique philoſophantur. Quia enim partes corporis, ſtatim atque tranſierint Mundi centrum, incipiunt retro reniti verſus centrum, & partibus ſequentibus verſus centrum adhuc deſcendentibus reſiſtere; fieri poteſt, ut partium poſteriorum tarditas ſit dupla ad tarditatem præcedentium, & æquali tempore duplo minus ſpatii conficiant. Si deinde tertio tempore æquali adhuc duplo ſegnius tale corpus deſcendat, ac ita deinceps; tempore finito numquam medium ejus punctum ad centrum Mundi pertinget. Sic etiam Index horologii, qui lineam horæ primæ indicat, ſi tardius & tardius per partes ſpatii proportionales incederet, nullo tempore finito ad lineam horæ ſecundæ pertingere valeret.

C.

SI vero Orbis terræ ultro citroque, etiamſi tardiſſime, nunc eat ultra, nunc redeat citra centrum Mundi; quomodo igitur vere dicere potuit divinus Pſaltes, *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi.* Pſal. 103. Ubi verbum Hebraicum, quod Interpretes 70 verterunt, οὐ κλιθήσεται, *non inclinabitur*, nutationem & vacillationem ſignificat: attamen nutationem, qualis in veteribus ædificiis, quæ nutando minantur ruinam deorſum. Tali igitur inclinatione graviſſimum Mundi elementum *non inclinabatur in ſæculum ſæculi*, quia non habet locum inferiorem quo ruat.

Et ἀσφάλεια, ſive *ſtabilitas*, ſuper quam fundata eſt, quies eſt in loco centrali: quæ etiam vocantur baſes & fundamenta terræ. *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt?* Job. 38. *Quando ponebam fundamenta terræ.* Ibid. Et quia tamen nullum inferius eſt corpus, à quo Orbis terræ ſuſtentetur, ait alibi, *Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum.* Job 26. Nihilum iſtud, ſive centrum Mundi, ingenioſo D. Aquinatis interpretamento, *lapis angularis* Job. 38. appellatur; quia ſicut lapis angularis in ædificio duos parietes, ita centrum duo oppoſita terræ hemiſphæria, & univerſas eo concurrentes univerſi lineas quaſi in unum nodum conſtringit.

Sed de penſili iſto *ſuper nihilum* terræ globo, verumne eſt quod multifaria & miſcella eruditione nobilis Theologus, Marin. Merſennius, in cap. 1. Geneſ. imaginatus eſt, ictu majoris tormenti in rupem exploſi circulari motu mobilem eſſe? *Terra*, inquit, *non magnam habere videtur reſiſtentiam reſpectu motus circularis: unde nec magna requiritur activitas, ut poſſit moveri. Itaque ſi bombardas bellicas diſpoſueris, quæ globos in praduram rupem ita mittant, ut incidant ad angulos rectos lineæ perpendicularis, fiet ut terra circulariter contorqueatur. Faciunt enim globi vibrati, quod facerent homines muti, ſi extra terram cum inſtrumentis adeſſent. Magno ſiquidem impetu in oppoſitam partem rupem impellunt: nec ipſi globi terræ innituntur, ſed vel à qualitate impreſſa, vel ab aëre condenſato & rarefacto propelluntur.*

Quod igitur Archimedes pancratio, ſive omnipotenti ſua machina facturum ſe minabatur, ut terram univerſam centro emoveret, aut circumageret, ſi ei locus daretur, ubi inſtrumentum ſuum defigere poſſet; hoc forte etiam valebit baſiliſcus ille nobilis Mahometis II. Turcarum Imp. qui 700. librarum ſphæras cum cœli terræque tremore excutiebat. Vel ſi unicum tale tormentum non ſufficit, plura onerentur, & à Septemtrione in rupem aliquam duriſſimam Auſtralem explodantur; ecce hoc admirabile, ſi Merſennio credimus, videbimus, poli Arctici depreſſam elevationem, & Belgas

 in

in cœlum Hiſpanicum expulſos, Nortwegos in Belgicum, ictibus tormentorum adactos fuiſſe. Ut mirum ſit, nihil hactenus ſimile ab algentibus illis Septemtrionis populis eſſe tentatum. Imo cum venti, tempeſtates, & fluctus marini, toto anno ſcopulos, rupes & clauſtra maris alliliant, & impreſſius quam ullæ tormentum pilæ arietent; ubivis regionum poli altitudo, latitudines & longitudines mutatæ & confuſæ fuiſſent; quod nimiſquam vanitatis eſt compertum.

Igitur imaginationi Merſennii reponendum eſt, quod circulari motui telluris reſiſtat ipſa tellus pondere illo immani quo centro ſuo incumbit, & *ſupra ſeipſam fabricata eſt*, ut loquitur Theodoretus: hoc enim pondere ſeſe ad quietem & veluti ad ſomnum circa ſuum centrum componit; à quo non niſi maxima vi & validiſſimo impulſu excitari valet.

Non eſt igitur, quod Jo. Craſſotius, inter Peripateticos ſane non infimus, lib. 4. cap. ult. Cœli, tam valde metuat, ne ventus quandoque univerſum terræ Orbem circumagat; niſi à ventis forte eodem tempore in contrarium reſtantibus, aut à cæli influentiis terram deprimentibus opem petat. *Non eſt incredibile*, inquit, *à cæleſtibus magno impetu in terram vim evibrari, quæ per antipathiam propellat gravitatem: impetus autem rectus lateralem impedire ſolet.*

O quam hoc tamen mihi incredibile Craſſoti! Ut enim infinita alia omittam; nos etiam capiti noſtro & humeris vim talem cœleſtem incumbentem ſentiremus.

Sed juxta Mechanicorum leges, ait Craſſotius, *globus penſilis, aut ſuſpenſus, quo major eo facilius circumagitur. Et certe apud nos*, inquit, *globi ingentes & uniformis gravitatis ſi ſuſpendantur ad æquilibrium, minimo flatu, minima vi deprehenduntur in orbem agi, etiamſi nixus, quo deorſum tota moles tendit, obnitatur ac impediat converſionem.*

Legem illam Mechanicorum, credo, Craſſotius à Monantholio accepit, qui Mechan. Ariſtotelis q. 9. de globo planum tangente dixit, *Majorem facilius moveri, quia angulum acutiorem cum plano facit; idéoque propinquiorem eſſe caſui.* Verum talem globum penſilem, aut planum in puncto tangentem cum terræ globo comparare non oportet; quia hemiſphæria in penſili, aut planum in puncto tangente globo, non ſibi invicem obnituntur, ut fit in terreſtri globo; ſed utrumque hemiſphærium eodem impetu in univerſi centrum vergit & connititur.

Igitur ut ſemel finiam, Deus tanti ponderis Orbem terrarum videtur molitus eſſe, quantum nullæ creatæ, niſi inſolentiſſimarum virium, cauſſæ valeant in orbem circumagere: quod fieri non poſſet ſine evidenti animantium pernicie. Si enim Hiſpanos aut Æthiopas in Zonam frigidam vertigine terræ transferas, omnes congelabis, aut obrigeſcere facies: Nortwegos aut Iſlandos ſi in Zonam torridam revolvas, torrebis, aut calore diſſolves. Inter bruta deinde & plantas quædam alſioſa ſunt, alia tolerantiſſima frigoris; ideoque naſci & vivere amant, imo debent, ſub diverſis cœli climatibus. Sapientiam igitur Magni Opificis hic admirari oportet, & exclamare, *Quam magnificata ſunt opera tua Domine! Omnia in ſapientia feciſti.*

I N-

Digitized by Google

RERUM ET VERBORUM
IN
L. ANNÆO SENECA
MEMORABILIORUM
INDEX CERTISSIMUS.

ABATON petram non niſi antiſtites calcant 749.b
Abnoctare 566.a
Abſcondita multa in rerum naturâ 841.b
Abſolvere timoris 627.a
Abſtinentia animalium cur inducta à Pythagorâ & Sextio 534.b
Abſtinentia quorumdam animalium, ſuperſtitionis argumentum 535.b
Abſtinentiæ laus 540, 547,613,614.b
Academia 791.a
Academicus incerta omnia dicit 254.b
Academici veteres & minores nullum antiſtitem reliquerunt 812.a
Academicorum veterum opinio improbatur 266.b
Academicorum nova ſcientia, nihil ſcire 394.b
Acceptorum oblivio unde ſit 330.b
Acceſſio 629.a Acceſſio & morbus 97.a
Accidunt nobis plura mala quàm contingunt 545.b
Accipere & dare, contraria 758.a
Accipere in aſpero & probo 72.b
Accuſandi rabies ſub Tiberio Cæſare 679.a
Acetabula & calculi præſtigiatorum 151.b
Achæis libertas cum immunitate data 768.a
Achaia terræ motu agitata 685.b
Achaiæ civitates Ponticis littoribus impoſitæ 176.a. urbes terrarum motibus prorutæ 219, 840.b
Acheruſius lacus 189.b
Achilles 43.a. 726.a. Achilles Homericus 345.a
Achillis & Patrocli anni 384.b
Acilius Aviola coſ. 815.b
in Acta beneficum non mitto 624.a
Actio ex conducto & locato 659.a
Actio ingrati 658.a
Actioni genuit nos natura 577,578.a
Actiones in foro ſeparantur 786.a
Actiones omnes vitæ totius, honeſti ac turpis reſpectu temperantur 295.b
Actiones virtutum omnes pares ſunt 234, 237.b
Actuarii vice fungi 126.b
Actuoſa vita 352.a
Actuoſus ignis 64.a
Actuoſior animus 136.b
Actus vitæ facilis 407.b
Acuta quædam inefficacia ſuâ ſubtilitate 339.b
Adamas ſecari vel teri nequit 395.a
Addicere, in auſpiciis uſurpatum 511.a
Additamentum 63.b
Adexpetendum & expetendum 577.b
Ἀδιάφορα, indifferentia 333.b
Adjicialis cæna 613.b
Adjiciales cænæ tricies HS. conſtiterunt 467.b
Adjutorium 18,24,55, 640.a. 102.389.b
Adjutorium mutuum 12.a
Admirator, incitamentum eſt ambitionis & luxuriæ 454.b
Admiſſarius 655.b
Admiſſionis interioris prima cohors 444.a
Admiſſiones primæ & ſecundæ 816.a
Admonendine ſint omnes promiſcuè 108.b
Admonere, genus adhortandi eſt 443.b
Admonitio verecunda eſſe debet 860.a
Admonitiones in beneficiis

Digitized by Google

ficiis vitandæ 621, 626.a
Adoleſcens ſecreto ambulans monetur ne ſolitudine malè utatur 31,32.b
Adoleſcens triſtis hilari & amabili præfertur 130.b
Adoleſcentis & ſenis corrigendi via diverſa 96.b
Adoleſcentium frequens vitium 608.b
Adrumentum obſeſſum 626.a
Adverſa non ſunt metuenda 42.b. pro iis ſunt quibus eveniunt 309.a
Adulandi certamen apud principes & reges 811.a
Adulatio amicitiæ ſimilis 151.b. Pernicioſa 340, 341.a
Adulationibus minimè credendum 212.b
Adulatores fugiendi 741, 742.b
Adulatorum voces excludendæ 615.a. vide *Aſſentatio*.
Adulterium Clodii cum Cæſaris uxore 478.b
Adulterium, ſponſaliorum genus decentiſſimum 603.a
Adulterii pudor nullus 669.a
Advocare 443.a. Advocatio 110,737.a
Advocatio ambitioſior 33.a. petita 114.a. tacita 350.a
Advocationem dare 79.a 825.b. petere 33.a. 83.b. poſtulare 859.b
Advocatus 49,59,442.a. 444,450,542.b
Advocatus bonæ mentis 452.b
Advocatus idoneus 533
Æacus, homo juſtiſſ. 859.b. Ejus tribunal 859.b
Ædificia veterum qualia 404 b
Ædificiorum luxuria 562,570.b
Ædilem metuentia loca 533.a
Ædilium officium 366.b
Ædituus 141.b
Ægæum mare 400.b
in Ægæo mari inſula ſurrexit 678.b
Æger medicinam, non regionem, quærit 517.b
Ægro aſſidere 663.a
Ægrum maximè reficit amicorum affectus & ſermo 307.b
Ægialus diligentiſſimus pater familiæ 368, 370.b
Ægii terræ motus Patris non fuit auditus 808.b
Ægle Gratiarum maxima natu 593.a
Ægritudo in ſapientem non cadit 478.a
Ægroti conſolatio 690.b
Ægyptus 491.a.628.b. inſida 184.a. Nili incremento dilatata fuit 808.b. quamvis nunquam tremuiſſe tradatur, movetur tamen *ibid.* quando inundetur 747.b
Ægypti fertilitas ad menſuram Nili reſpondet 750.b. præfectus Babillus *ibid.* & avunculus Senecæ 205,206.a. ſacerdotes & præfecti ſtipem & aurea dona in ora Nili jaciunt 749.b
Ægyptiæ arenæ 570.b
Ægyptius carnifex 285.a. miles 268.a
Ægyptii alioquin ſtudioſi ſiderum obſervatores, nil de Cometis tradiderunt 820.b. latrones Philetas vocant 176.b. quot elementa fecerint, & quomodo ea diviſerint 714.b
Æneatores 351,856.b
Æneæ pietas in parentes 692,820.a
Æquinoctium 717.b
Aer an ex atomis conſtet 664.b. cur turbidus & inconſtans 668.b. frigidus per ſe & obſcurus 667,668.b. inter ea corpora eſt à quibus unitas 662,665.b. mas & femina 714.b. naturalem vim ſe movendi habet. 767.b. numquam immobilis 764.b. quomodo ſit pars & materia mundi 663.b. quò terris propior, eò craſſior 759.b. unde accendatur 668.b
Aëris & venti diſcrimen 768.b
Aëris partes tres 668.b. natura *ibid.* vis 664.b. vitia 809.b
Æruſcans civis 480.a
Æs alienum quis habere dicatur 763.a
Æs grave 658.b
Æs leve & grave 73.b
ad Æs exire 382.b
Æſchines pauper Socratis auditor, cum nihil haberet, ſeipſum donat præceptori 601.a
Æſchyli opinio de Nili incremento 751.b
Æſopei logi 219.a
Æſopi nobilis patina 462,463.b
Æſtate qui loca ſub terrâ refrigeſcant 754.b
Æſtus æquinoctialis omnium maximus 735.b
Æſtus ordo *ibid.*
Ætas ad bonam mentem aptior

Digitized by Google

aptior 251.b. nihil confert beatæ vitæ 436.b. tota partibus conſtat 40.b. quorum breviſſima ſit 515.a
Ætatis humanæ brevitas 487.b. partes 40.b
Ætatum omnium ſemina nobis inſita 704.a
Ætatum quæ jucundiſſima 39.b
Æterno nil noxium 199.b
Æthiopia ferventiſſima caret nivibus 751.b
Æthiopiæ ſolitudines cur ſiccæ 709.b
Æthiopiæ, in plurali 628.b
Æthiops mimus 362.b
Æthiopis color inter ſuos inſignitus non eſt 137.a
Æthiopes Macrobii Cambyſen ob libera reſponſa irritant 127.a
Ætiologia ſeu cauſſarum inquiſitio 473.b
Ætna 820.a. Siciliæ mons, unicus à Meſſallâ dictus 172.b. conſumaturne & ſubſidat, an verò ignis minuatur 314.b. ingentem vim arenæ urentis effundit 681.b. Lucilio ſalivam movet 316.b
Ætnæ incendium 693.a
Ætnam plures deſcripſerunt poëtæ 315.b
Affectio naturalis rationi inexpugnabilis 197.b
Affectus indicia falsò exiſtimata 44.a
Affectus, & morbi animi, quid differant 290.b.
Affectus quid, & affectibus præludentia principia 44.a. Stoicis corpora ſunt 525.b. an ut vult Ariſtoteles, virtuti pro armis ſint 31.a. omnes diſciplinâ domari poſſunt 57.a. omnes ſui ſigna dant 3.a. quemadmodum creſcant vel efferantur 32.a
Affectus habere modicos, an nullos, utrum ſatius 574.b
Affectuum mediocritas impugnatur 17,18.a
Affectuum prænuntia 111.a
Affectibus carent muta animalia 7.a. prorſus careat ſapiens 354.b. facem ſubdunt carmina 571.b. honeſtis indulgendum 514.b. incipientibus reſiſtendum 575.b
Affligere pocula 35.a
Affuiſſe ſibi nemo dicitur 755.a
Africa 184.a
Africæ deſerta 453.454.a. ſolitudines 521,570.b
Africam & Hiſpanias mare ſejunxit 812.b
Africam incolunt Tyrii 177.a
in Africâ cur pauci fontes 709.b
Africus ventus, Græcis λίψ 776.b
Agamemnon 237.b
Agatho 856.b
Agi jubere 30.a
Agitatorum lætitia ſeptimo ſpatio palmæ appropinquantium 115.b
Agnus nubibus immolari ſolitus 757.b
Agricolæ votum annonæ caritas 822.a
Agricolæ boni imitandi ſapienti 483.a
Agriculturam Poſidonius ſapientum inventum ait 408.b
Agri donari Reip. poſſunt 836.a
Agro non datur beneficium colendo, ſed agri domino 770.a
Agrippa Attici gener 78.a ab Auguſto deſideratur 815.a
Agrippæ laus 687.a
Ajacem in mortem egit furor 91.a
Alas vellere 563.b
Albanum 235.a. 613.b
Albula circa canales ſuos duratur 722.b
ad Album ſedere 165.b
ad Album verba dirigere 209.b
in Album cenſus & equeſtris hereditas mittit 661.a
Alcibiades ab Æſchine victus 601.a
Alcibiades Socrati objectus fuit 568,569.a
Alexander Macedo à Corinthiis civitate donatus 609.a. à pueritiâ latro, hoſtium & amicorum pernicies 610.a. nepos Antigoni 132.a. à nullo ſe beneficiis victum glorians, à Diogene victus fuit 751,752.a. Babylonis muros intravit 401.a. Clitum cariſſimum ſibi inter epulas transfodit 121.a. 344.b. Darium occidit 805.b. falſum geſſit cognomen 422.b. Geometriam diſcere cœpit *ibid.* lætatur ſe Herculi æquari 609.a. lanceam in convivas torſit 132.a. Liberi Herculiſque veſtigia ſecutus 609,610.a. Lyſimachum ſibi familiarem leoni objecit 121.a. monitioni matris de veneno Philippi medici locum non dedit 69,70.a. poſt Darium

rium & Indos pauper eſt 591.b. quid ſit ultra mare magnum, quærit 779.b. victor ab Oriente in Oceanum uſque, affectibus ſuccubuit 557.b. vulneratus hominem ſe fatetur, non Jovis filium 213.b. Xenophonte canente manum ad arma miſit 44.a
Alexandri cuidam urbem donantis vox ſtultiſſima 631.a. crimen æternum Calliſthenes 805.b. crudelitas 465.a. cupido inſatiabilis 834.a. faſtus 609,610.a. furor & cupiditas 452.b. latrocinia 453.b. ſuperbia 751,752.a. reſponſum cuidam civitati dimidium rerum omnium promittenti datum 184.b
Alexandro Macedoni felix temeritas pro virtute fuit 610.a
Alexandro locupletior fuit Diogenes 750.a
Alexandrum bibendi intemperantia & Herculaneus Scyphus condidit 345.b
Alexandria 507.b
Alexandriæ bibliotheca combuſta 363.a. nives non cadunt 752.b. totum licet 852.b
Alexandrina perfidia 510.a
Alexandrina marmora 364.b
Alexandrinæ naves, & earum inſigne 301. & *ſeqq.* b
Alica 611.b
Alienatio & ſtupor 308.b
Alienatum corpus 399.b
Alimenta antiqua, ilex & quercus 731.b
Alipilus 192.b
Aliptes 191.b
Allobrogicus Fabius 571.a
Allobrogum cohors 765.a
Alogias excutere 850.b
Alpes 173,759.b
Alpheus poëtis celebratus, in Achaiâ mergitur, & in Siciliâ fontem Arethuſam effundit 729,792.b
Amantium affectus, inſana amicitia 28.b. prava deſideria 807.a
Amare & amicum eſſe diverſa 128.b
Amari uſque in delicias 700.a
Amaritudo vini delectat 219.b
Amatorium 218.b
Ambitio 40.a. inſatiabilis 643.a
Ambitio ex aſpero vitæ genere vitanda 12.b
Ambitionis reprehenſio 83,276,351,454.b
Ambracii ſinus 737.b
Ambulationis definitio controverſa inter Cleanthem & Chryſippum 555.556.b
Ambulationes apertæ 386.a
Amicitia ſolùm inter ſapientes 848.a omnia facit communia 162.b propter ſe, non ob aliud expetenda 26, 27, 28.b
Amicitiâ quidam caruerunt, non amico 15.b
Amicitiæ appetitio naturalis 30.b
Amicitiæ fidelis laus 357.a. vis 7.b
Amicitiæ temporariæ 27.b
Amictus ad legem compoſitus 89.a
Amicus quis à potentibus cenſeatur 816, 817.a quomodo citò fiat 26.b. quomodo eligendus is cui arcana committas 6.b. verus quis 818.a
Amicus ſibi, amicus omnibus 17.b
Amici amiſſio quomodo ferenda 218.b
Amici nomen duplicis notationis 5, 6.b
Amico an quidquam donari poſſit 836,848.a
Amicum facere quàm habere jucundius 27.b
Amici primi & ſecundi à quibus inſtituti 817.a
Amicorum abſentia æquo animo ferenda 190.b. delectus habendus 357.a. amiſſione non affligitur ſapiens 286.b
Amicorum omnia communia eſſe, quo pacto intelligatur 836, 837, 848.a
Amiſſio rerum quomodo ferenda 434.b
Amiſſionis filiorum & amicorum conſolatio *ibid.*
ad Ammonem miſſus Cambyſis exercitus 681.b
Amnis ſubita eruptio aras habet 142.b
Amnium origo 726.b. vide *Flumina*.
Amor animos in cupiditatem formæ accendit 28.b
Amoris & amicitiæ differentia 128.b
Amphæus Claudii libertus 858.b
Amphitheatrum 666.b
Ampliùs cenſeo 715.b
Anacreon libidinoſior, an ebrioſior 392.b
Anarcharſis invenit figuli rotam 412.b

Analogia

Digitized by Google

Analogia verbum à Latinis civitate donatum 594. b
Analectæ grammatici 104. b
Anapæſti 856. b
Anaxagoras 755. b
Anaxagoræ opinio de igne nubium 669. b. de terræ motu 793. b. opinio de Nili incremento refellitur 751. b
Anaxagoræ viſum in cælo lumen magnitudine trabis 821. b
Anaximandri opinio de tonitruo & fulmine 674. b
Anaximandri opinio de tonitru *ibid.*
Anaximenis opinio de ſono fulminis 673. b. de terræ motu 793. b
Anci pater nullus, Numæ nepos dicitur 538. b
Ancillula 160. b
Ancillariolus 603. a
Angina præceps morbi genus 498. b
Anguillæ, cibus gravis 721. b
Anguſtare 189, 222. a
Anhelitus 186. b
Animalis diviſio 620. b
Animalia igne generantur 767. b. optima ſintne iracundiſſima 62. a. quomodo moveantur 622. b. quomodo ſuæ conſtitutioni primùm concilientur 603. b. ſunt pars mundi 663. b. unde nomen traxerint 551. b
Animalia muta carent affectibus humanis 7. a. boni malique capacia non ſunt 619, 620. b. in hominum uſum à diis data 700. a. nimiâ ſævitiâ jugum detrectare coguntur 455. a. proſunt, ſed beneficia non dant 771, 772. a. recens nata intellectum habent ſalutaris aut mortiferæ rei 604. b
Animalia ſubterranea 717. b
Animalia ne ſint virtutes 551. b
Animalium cum hominibus comparatio iniqua 645. a
Animalibus cur Pythagoras & Sextius abſtinuerint 534. b
Animalibus ſitne omnibus ſuæ conſtitutionis ſenſus 601. b
Animalibus nihil debetur, etſi proſunt 788. a
Animalibus multis nulla futuri temporis cognitio eſt, licet ſit aliqua præſentis & præteriti 621. b
Anima hominis magno pondere extriti an permeare non poſſit, ut Stoici volunt, & ſtatim ſpargatur ob exitum negatum 198. b
Animæ remeantis curſus 329. a
Animam ebullire 848. b
Animæ in antiqua elementa vertentur 300. a
Animarum æternitas conſenſu hominum probari ſolet 577. b. in dubio eſt apud Senecam 515. b
Animadverſionis duo ſcopi 36. a
Animadverſionum parcitas magis mores corrigit 462. a
Animus à voluptatum blandimentis procul abſtrahendus 173. b. ad contemptum mortis componendus 8, 9. b admonendus eſt 136. b ſic aſſuefaciendus, ut externorum ſtrepitu non moveatur 194. b. contemptor omnium eſt, & corporis procurator, non amator 432. b. divinis delectatur 629. b. dominus omnium eſt 519. b exſulare numquam poteſt 189. a. faciliùs ſequitur quàm ducitur 464. a. flexibilis eſt & omni humore obſequentior 779, 780. a. formam dat rebus 599. a. in motu eſt, eò actuoſior, quò vehementior 136. b. invictus 747, 748. a. liber & Deo cognatus 189, 190. a. invulnerabilis aut extra omnem patientiam poſitus, id eſt, ἀπαθὴς 25. b. labore exercendus, ſic tamen ùt ei intervallum aliquod detur 55, 56. b. modò rex eſt, modò tyrannus 566. b. nobilem facit 148. b. non fœdatur corporis deformitate 231. b. nullos niſi communes & cum Deo terminos ſibi poni patitur 507. b quid ſit, ignoratur 836. b. ſideribus velocior 646. a. ſolus mirabilis 23. b. ſpiritus eſt quodammodo ſe habens 172. b. ut quietus eſſe poſſit 103. a
Animus boni viri depingitur 568, 569. b
Animus animal eſt Senecæ, ſed non actiones ejus 556. b. item corpus 525. b
Animus divinus origini ſuæ hæret 143. b

Digitized by Google

Animus æger & in divitiis & in paupertate malè habet 64. b
Animus impatiens, ſummum bonum 25. b
Animus magnus mediocribus contentus eſt 136. b. etiam in privato lare ſe explicare poteſt, non ſolum in rep. 347. a
Animus malus & bonus 482. b
Animus mutandus, non cælum 105. b
Animus rectus, bonus, magnus, Deus eſt in humano corpore hoſpitans 120. b
Animus ſanus quis 273. b
Animi & corporis ſeparatio non ægrè ferenda 508. b
Animi libertas quæ 228, 229. b. motus qui ſaniſſimi 89. a. origo divina 175. a. 432, 597. b. partes 208. b. pondus & pœna, corpus 228. b. robur unde oſtendatur 100. b. virtus una, ſed multæ hujus ſpecies 233. b
Animi excellentis notæ 277. b
Animi motus fortuiti, non ſunt affectus 44. a
Animi pars irrationalis duplex 425. b
Animi tranquillitas, non externorum, comparanda 194. b. vide *Tranquillitas*
Animo quædam inevitabilia ſunt 197. b
Animum ſurſum vocant initia ſua 317. b
de Animo quàm variæ ſint quæſtiones 391. b
Animi citius carmine, quàm ſolutâ oratione feriuntur 532. b
Animorum inquietudo & volutatio 343, 344. a
Animis remiſſio danda 383, 384. a
Annæum Serenum immodicè flevit Seneca 221. b
Annales Tamuſii 437. b
Annulus in poculum aquâ plenum conjectus 646. b
Annulis plus creditur quàm animis 667. a
Annus 40. b
Annus ſeptimus ætati ſignum imprimit 831. a
Anni totius villa 189. b
Annum novum faciunt carycæ 371, 372. b
Anno novo quid fieri ſolitum 341. b
Anni nihil faciunt ad beatam vitam 434, 435. b
Anni non conſulum, ſed maritorum numero computati 668. a
Annorum ſuorum partem paratum ſe dare, quàm benè dicatur 498. a
in Anteceſſum accipere 20. b
in Anteceſſum dare 584. b
in Anteceſſum reponere 734. a
Antelucanum quorumdam 606. b.
Antenor Patavii conditor 178. a
Antigonus belli præmium patri defert 693. a. Cynici petitionem cavillatur 632. a. quàm miti animo tam ſuorum quàm hoſtium maledicta tulerit 130, 131, 132. a
Antiochus Demetrii Syriæ regis F. 829. b
Antiochi victor Scipio 518. a
Antipater refellit ſophiſma per omnes dialecticorum ſcholas jactatum 380. b
Antipatri opinio de rebus fortuitis 425. b
Antipodes 606. b
Antiſthenis reſponſum cum ei mater Barbara objecta eſſet 422. a
Antonius Ciceronem occidit 43. a. cum muliere Auguſto timendus 492. a. ingratus in ſuum dictatorem 767, 768. a
Antonii defectio per Nilum ſignificata 751. b
Ἀνυπαρξία Latinum verbum non habet 381. b
Ἀπάθεια quomodo Latinè dicatur 25. b
Apenninus 559. b
Apes in legendo & ſcribendo imitari debemus 348. b
Apum rex cur ſine aculeo 458. a. ſubtilitas 605. b
Apibus mellis non faciendi, ſed colligendi ſcientia eſt, ſecundum quoſdam 349. b
Ἀφηλιώτης 775. b
Apicius 598. b. luxuriæ deditus 539. a. 467. b
Apicii popinæ ſcientiam profeſſi triſtis exitus 187, 188. a
Apicium cænis provocant quidam 598. b
Apollo 842. b
Apollodorus tyrannus 46. 855. a
Apollonius Myndius, naturalium inſpiciendorum periti ſſimus, quid de Cometis ſtatuerit 820, 831. b
Apollonio Pyctâ longior 742. b

Apologare

Digitized by Google

Apologare 158. b
Appiæ viæ curator 845. b
Appion grammaticus quàm curiosè ſcripſerit de Homero 393. b
Appius cur cæcus 322. a
Appius Silanus Claudii ſocer 856. b
ad Appium redire 563. b
Apuliæ deſerta 373. b. ventus Atabulus 776, 777. b
Apyrina 354. b
Aquâ & polentâ ſatiari quis poteſt 67, 68, 548. b
Aqua viva 710. b
Aqua elementum primum, & mundi primordium 713. b. an terræ motus ſit cauſſa 789, 790. b. animalia edit ratione ſui motus 767. b. cur luxuriantibus nulla ſatis frigida 761. b. dura molliens 725. b. ſulphurata duratur circa tubos 722, 723. b. virilis & muliebris 714. b. noxia in Theſſalia circa Tempe 725. b
Aquæ emptio 761. b. inſtitores 762. b. vitia 810. b. intenſio ſine ſpiritu fieri non poteſt 666. b
Aquæ dejectus cuidam genti cauſſa unica transferendi urbem 193. b
Aquam haurire an permittendum ingrato 729. a. per Aquam viſa longè majora apparent quàm ſunt 646. b
Aquæ quomodo fiant 706, 713. b. certis intervallis ſe retrahunt & reddunt 717. b. cur quædam caleant vel ferveant 724. b. fecunditatem afferentes 707, 727. b. miræ naturæ 723. b. mortiferæ 725. b. quædam furorem vel ſoporem inducunt 723. b. ſubterraneæ 791. b
Aquarum diviſio 724. b. medicamina unde 722. b. ſapores varii, & horum cauſſæ 721. b varia diſcrimina 707. b vitia unde 715, 728. b. utilitates 707. b
Aquarum ſub terrâ naſcentium cauſſæ 710. b
Aquarum quoddam genus cum mundo cœpit 723. b
Aquarum tantum unde exeat ad fluminum continuationem 708. b
Aquis certis injecta cur non mergantur 726. b
Aquatius medicamentum 640. b
Aquileges 716. b
Aquilo ventus 775. b. nubes in Africam rejicit 777. b
Aquilonis indicium 635. b
Aquilone flante minutæ pluviæ ſunt 756. b
Araneæ textura 605. b
Arar fl. 850. b
Aratrum vetuſtis urbibus inducere 468. a
Aratus poëta 651. b
Arbiter & judex 660. a
Arbitrum adigere 124. b
Arbitra bonorum & malorum ratio 239. b
Arboretum trimum aut quadrimum 368, 369. b
Arbores ſolidæ & fragiles 322. a
Arborum cacumina, ventris explementum 547. b
Arborum corticibus gentes quædam corpora tegunt 406. b
Arbuſtum quamvis vetus transferri poteſt 368. b
Arbuſta, pars mundi 663. b
Arcadia Cretæ urbs 712. b
in Arcadia Styx mortifera 725. b
Arcadum regna in Tiberis ripâ collocavit Evander 178. a
Arcana ebriis mandata 342. b
Arceſilaus oblatam à filio familias pecuniam non accepit 638. a. pulvino ægri pauperis & ignorantis ſacculum ſubjecit 622, 623. a. vino indulſit 386. a
Archelaus ſole deficiente regiam cluſit, & filium totondit 753. a
Archelaum regem rogantem Socrates adire recuſat 752. a
Archelai antiquarii opinio de terræ motu 794. b
Archidemus 599. b
Architectones 404. b
Arcus cæleſtis quid ſit 640, 645. b. cur ſole major appareat 646. b. quando, & quomodo fiat 637. b. quid prænuntiet 645. b
Arcus colores 637, 638. b. cur ſaltem dimidia pars videatur 645. b
in Arcu ſubſitne corporis aliquid certi necne 653. b
Ardea 422. b
Ardeatinum 522. b
Ardores 632, 651. b
ad Aream ſpectare 603. b
Areæ ſiderum 635. b
Arei philoſophi oratio quâ Liviam conſolatus eſt 250, 251. a
Arethuſa fons 274. a. 792. b. quintâ quâque æſtate purga-

Digitized by Google

purgamenta ejectat 729. b
Argentum antiquis artificum nominibus nobile 189. a. factum ſignatumque 368. a. grave, ſine ullo opere & nomine artificis 335, 336. a.
Argenti paucæ lamellæ, cenſorium crimen erat 556. a
Argeſtes ventus 767. b
Argis imperans, poſteà ſervus quinque modios accepit & quinque denarios 221, 222. b
Argolicæ urbes 515. b
Argumentatio ab habitu animi proficiſcitur 449. b
Argutiæ 409. a
Aridæus rex 731. a
Arietare 45, 98, 262, 339, 536, 512. a 766. b
Arietata arma 195, 196. b
Arietatio 771. b
Ariopagos religioſiſſimum judicium 352. a
Ariſtà nihil acutius 339. b
Ariſtarchi notæ 392. b
Ariſtides 726. a
Ariſtidis ad ſupplicium ducti dictum ad magiſtratum 194. a
Ariſtippi unguento delectati dictum 861. a
Ariſto propter Platonem notus 667. a
Ariſto Chius quas partes philoſophiæ ſtatuat 397. b
Ariſto philoſophus in geſtatione diſſerebat: & in eum aliquot joci 108. b
Ariſtogiton & Harmodius tyrannicidæ 852. a
Ariſtophani jocorum materiam præbuit Socrates 567. a
Ariſton adoleſcentem triſtem, quàm hilarem & amabilem turbæ mavult 130. b.
Ariſto luxurioſos pueris ſimillimos ait 570. b
Ariſtonis Stoici opinio philoſophiæ decreta præceptis præferentis refutatur 438, 441, 442. b
Ariſtoteles 387. a. 513. a. Alexandri præceptor 121. a. an benè affectus pro armis eſſe dicat 31. a. citatur 387. a. 821. b. iræ defenſor 97. a. ne damnaretur ab Athenienſibus, fugit 582. a. plus ex moribus quam ex verbis Socratis traxit 16. b. quam Cometis tribuat ſignificationem 839. b. quoddam ignium genus Capram nominat 631. b
Ariſtotelis diſcipulus Theophraſtus 795. b. egregium dictum 840. b. expoſtulatio cum naturâ 485. a. iræ finitio 6. 7. a. opinio de iræ neceſſitate oppugnatur 17, 18, 97, 98, 99. a. opinio de arcu cæleſti, & tempore arcus 639. 648. b. ſententia de nubium igne 669. b. de terræ motu 795. b. de meteoris igneis 632. b.
Ariſtoteli cauſſa quadruplex 225. b. homo, ſpecies eſt 201. b. objectum, quod pecuniam acceperit 568. a
Arithmetica quid doceat 385. b
Arma luſoria & decretoria 582. b
Armamenta 82, 362. a 772. b
Armamenta demitti 797. a
Armamentarium 349. a
Arruntius Punici belli ſcriptor, Salluſtianus fuit 564. b
Arruntius teſtamentorum captator 823. a
Ars imitatio naturæ 225. b. non caſu ad effectum venit 101. b
Artes ἐγκύκλιοι 388. b
Artes liberaliſſimæ & decreta & præcepta ſua habent 457. b
Artes multæ ſupervacuæ, ad luxuriam excogitatæ 405, 406. b
Artes vulgares non ſunt à Philoſophiâ inventæ 403. b
Artes alit laus, corrumpit laudatio 507. b
Artium quatuor genera 388. b
in Artibus excuſatius eſt voluntate peccare quàm caſu 457. b
Artemidori Pariani ſententia de arcu cæleſti 641. b. opinio de ſtellis, cælo, & Cometis, exploditur 828. b
Arteriæ ſpiritus receptacula 715. b
Articulus caput collumque committens 329. a
Articuli, dolorum ſedes 308. b
Articulorum depravationes ex libidine 93. b
Artifex 721. a
Artificis finis 226. b
Artificis divini ingenium mirabile unde appareat 554. b
Artifici triplex operis ſui fructus eſt 649. a
Artificum antiquis nominibus argentum nobile

Digitized by Google

le 189. a
Artificum exquiſita nomina. 467. a
Artificiorum inſtitoribus corollarium datur 799. a
Aſcendentium & deſcendentium diverſus habitus 616, 617. b
Aſclepiadis ſecta 457. b
Aſclepiodotus Poſidonii auditor 679, 799. b. citatur 804. b
Aſclepiodoti liber de quæſtionum naturalium cauſſis 799. b. judicium de tonitru 681. b. hiſtoria allegatur 773. b
Aſellius ait, Vinicium tractim dicere 140. b
Aſia 491. a. vindicat ſibi Tuſcos 177. a. XII. urbes ſimul perdidit 785. b
Aſiæ molles bello viri 20. a. rex Attalus 411. a. urbes terræ motu concuſſæ 419. b. Aſiæ Europæque terminus 790. b
in Aſiâ Athenienſis turba eſt 176. a
Aſiaticus Valerius 420. a
Aſilus, qui Græcis œſtrus 199. b
Aſinii Galli amicitia 188. b
Aſinii Auguſti clementiæ participes 445. a
Aſinius Marcellus 844. b
Aſpernatio 43. a
in Aſpero & probo accipere 72. b
Aſpis ad umbram exſurgit 141. a
Aſſario 855. b
Aſſentatio quoſdam offendit 107. a
Aſſentatores vitandi 68. a. vide *Adulatio.*
Aſſentio 324. a
Aſſeſſoris verba 348. a
Aſſignati 545. b
Aſthmatis deſcriptio 184. b
Aſtrapoplecta 651. b
Aſtronomiæ placita 457. b
Aſturcones 374. b
Atabulus ventus Apuliam infeſtat 776. b
Atalanta inſula ſuperfuſa 807. b
Aterius teſtamentorum captator 823. a
Athenodorus negat ſe ad cœnam ejus iturum qui ſibi nihil pro hoc debiturus ſit 355, 356. a. reip. tractationem & civilia officia commendat 346, 347. a. reprehenditur 350. a
Athenodori dictum 33. b
Athenæ Socratem in carcere occiderunt 352. b
Athenarum ventus Sciron 777. b. potentia ubi fracta 275. a
Athenas tacere juſſit Alexander 452. b
Athenis pænè ignotus Epicurus 317. b
Athenis dimidium licet, Alexandriæ totum 852. b
Athenienſis turba in Aſiâ eſt 176. a
Athenienſes Harmodium & Ariſtogitonem tyrannicidas vocant 852. a
Athenienſium fines 836. a. legatus procax in Philippum 132. a. reſp. an ſapienti eligenda 582. a. urbs miſerrima ſub triginta tyrannis 352. a
Athletæ 60, 347. a. plagas ferunt gloriæ cupiditate 310. b
Athletæ noviſſimi 505. a
Athletarum exercitium 45. a. fatum 196. b.
Atilius Buta prætorius vitam in contrarium ceteris circumegit 609. b
Atlanticum mare 752, 753. b
Atomi 664, 765. b
Atomi & micæ Epicuri 719. a
Atrienſis 613. a
Atrum nihil abſque tenebris 118. b
Attalus Aſiæ rex 411. a. eo regnante Cometes viam lacteam adæquavit 830. b
Attalus Stoicus philoſophus quomodo fulminum doctrinam diviſerit 693. b. culcitram corpori reſiſtentem laudat 536. b. Etruſcorum diſciplinam Græcâ ſubtilitate miſcuit 694. b. quæ de divitiarum contemptu dixerit 547, 548, 549. b Senecæ præceptor 530. b
Attali Stoici philoſophi dictum de amico 27. b. dictum, caſtra deliciis fortunæ præferenda 248. b. dictum de diſcentium propoſito 530. b. dictum de jucundâ defunctorum memoriâ 219. b. dictum, malitiam ipſam maximam partem veneni ſui bibere 329. b. efficacia in docendo 533. b. imago de cane miſſa fruſta ore aperto captante 273. b
Atterranea fulmina 693. b
Atteſtata fulmina *ibid.*
Attiacum mare 446. a
Atticus clarus ob epiſtolas Ciceronis 78. b
Attici gener, progener & pronepos

Digitized by Google

pronepos *ibid.*
Atticum, quod in buccam venerit, ſcribere jubet Cicero 584. b
ad Atticum Ciceronis epiſtola flebilis 493.a.
Attilii Reguli rus Senatui publicè curari placuit 191. a
apud Attium multa verba ſitu occupata 200.b
Attonat ſumma, id eſt attonita habet 71. b
Attoniti qui vocentur 680. b
Avaritia 39, 40.a. 252.b. concitatior in magnarum opum congeſtu 643. a
Avaritiæ pœna 572. b. vituperium 845,846.a. 414, 451, 452, 774. b
Auctoramentum 846, 847.a. 133, 252. b
Auctoramenti verba 133. b
Auctoramenta ſervitutum 522. b
Auctorati novi 852. b
Auctoris incerti dictum 21. b
Auctores integri viris legendi, non ſloſculi carpendi 123. b
ex Auctoribus ſemper pendere, turpe 125. b
Auctoritatis fulmen 688. b
Aucupia peregrina 311. a
Audaciter 318. a
Audax non ſine timore 726, 727. a
Auditores philoſophorum quàm varios ſcopos habeant 531, 532.a
Ave, vulgare & publicum verbum 817. a
Aventinus mons duabus de cauſſis extra pomœrium eſt 511. a
Aufidius Baſſus, vide *Baſſus*
Augiæ cloacas purgare 851. b
Augurale 371. a
Augurales libri 538. b
Augurini fuſus 847. b
Auguſta avia Claudii 853. b
Auguſtus avunculus major Claudii & Meſſalinæ 230. a. 855. b. Appiâ viâ ad deos ivit 845. b. Hoſtium impudicum à ſervis occiſum, indignum vindictâ putavit 654. b. in conſilium à T. Ario de filio cognituro advocatus 453, 454. a. in juventâ crudelis, in principatu & ſenectute mitis. 440, 445, 446. a. liberorum & nepotum mortem fortiter tulit 269.a. L. Cinnam ex inimico amicum ſibi lenitate & clementiâ facit, uxoris Liviæ conſilium ſecutus 440, 441, 442. a. L. Piſoni ebrio ſecreta mandata dedit 343. b. multorum inſidiis petitus 491.a. ob clementiam Deus & parens dictus 445.a. patienter Timaginem inimicum & hujus hoſpitem Pollionem tulit 133. 134. a. publicatæ filiæ impudicitiæ verecundiâ ductus, Mæcenatem & Agrippam amiſſos deſiderat 814. a. quo die urbem ex Apolloniâ reverſus intravit, viſus circulus circa Solem 634. b. ſanguine junctus Claudio 853. b. templum in Galliâ Circio vento vovit & fecit 777.b. Vedii Pollionis ſævitiam caſtigat 154, 155.a. ultra Rhenum, Euphratem, & Danubium terminos movit 491. a
Auguſti filia impudica & adultera 491, 814. a. inſidiatores 440. a. liberalitas in Ruſum clementiæ conjuncta 680, 681. a. luctus varii 230.a. nepos Caius Cæſar *ibid.* ſoror Octavia 230, 245. a. verba ex ejus epiſtolâ ad Senatum 490.a. votum de otio 490, 491. a. uxor Livia 245. a
Auguſti acta continentes libros Timagines combuſſit 133, 134. a
Auguſti pater Octavius filione dederit an acceperit majus beneficium 687. a
Auguſti tempore verba non quidem periculoſa, ſed moleſta 680. a
Auguſti judicium, Claudii beneficium malo 614. a. circa Auguſti exceſſum prodigium 631. b
Auguſto timenda cum Antonio mulier 491, 492. a
Auguſtum Cæſarem quomodo Furnius demeruerit 641. a
de Auguſto iniqua Lentuli Auguris querela 642, 643. a
Auguſtorum cognomen honori datum 452. a
Aviditas ingratos facit 642. a
in Aulâ quomodo quidam ſenectutem ſit conſecutus 85. a
A. Cremutii Cordi collocutio

locutio cum Marciâ 298, 299, 300. a. laus 241, 242. a. libri *ibid.* mors per inediam 242. 290, 291, 292. a. *παρῥησία* 290. a
Auræ matutinæ cauſſa 768. b
Aurei ſæculi deſcriptio 414. b
Aurem pervellere 738, 755. a. 450. b
Aures ſapienti claudendæ 117. b
Aurium dolor acutiſſimus 308. b. faſtidium taxatur 147, 148. a
Auribus cenſum locupletis domus gerit uxor 549. a
Auriculam tangere 853. b
Auri odium non eſt frugalitatis indicium 12. b
Auri uſus, fructuſque quomodo gratior fiat 53. b
Auſcultatio, vitium tetertimum 376. a
Auſpicium dextrum & ſiniſtrum 683. b
Auſter Græcè Notus 775, 776. b. ventorum calidiſſimus 751. b. nubes in Italiam impellit 777. b. Siculo pelago infeſtus 50. b
Auſtro flante imber improbior 756. b
ab Auſtro nubes ingraveſcunt 651. b
Αὐτοχειρία à Seneca approbatur 256. 257, 258. b. animo ſæpe præſumpta 306, 307 b
Auxiliaria fulmina 694. b

B Aba 57. b
Babæ fuſus 847. b
Babillus Ægypti præfectus in omni litterarum genere rariſſimus 750. b
Babylonis muros Alexander vicit 401. a
Babylonem oppugnaturus Cyrus 128. a
Bactri 799. b
Bactriani 411. a
Baiæ 189. b. Baiæ, vitiorum diverſorium, fugiendæ 172. b
Baliſtæ 673. b
Balliſtis peti 466. a
Balnea blattaria 365. b
Balnea plebeia & libertinorum, tempore Senecæ *ibid.*
Balneorum ſuſpenſuræ ætate Senecæ inventæ 410. b
Balnearia 363. a
Balnearia minora 759. b
Balnearia ſine igne caleſiunt 724. b
Balneolum ex conſuetudine antiquâ tenebricoſum 363. b
Barbam ſubmittere 236. a
Barbam vellentes aut intervellentes 565. b
Barbari iracundi 95, 96. a
Barbarorum exitium eſt ira 19, 20. a
Baſilicæ judiciorum fremitu reſonant 145. a
à Baſilicâ occupatos ejiciunt canes immiſſi 503. a
Baſſus Aufidius quaſſo quidem corpore, ſed firmo animo, nullo mortis metu tenetur 112. b
Batilli domus 843. b
Beata vita quid 530, 531, 532, 533. a. Una eſt 357. b. bonum in ſe perfectum habet *ibid.* in quo poſita ſit 424, 456. b
Beatæ vitæ adjuncta 318. a. cauſſa & firmamentum 117. b
ad Beatam vitam ſufficiantne philoſophiæ præcepta 455, 456. b
Beatus quis 152, 424, 623. b
Beatus eſt etiam in ſummis cruciatibus poſitus 430. b
Beati hominis deſcriptio 531, 532. a
Beatiſſimuſne eſſe poſſit, naturalibus bonis deſtitutus 427. b
Βιζίωνι, βιζίωνι 41. b
Bellerophontes pœnas dat in fabulâ Euripidis 572. b
Bellonæ ædes 448. a
Beneficiaria res 402. b
Beneficium quid 599, 600. a. quemadmodum dandum 615, 630, 631. a. quomodo repetendum 778. a. quomodo dicatur creditum 799. a. ſuâ cauſſâ nobis qui dat, vel ſuâ & noſtrâ, quo loco habendus 793, 794. a. à quo detur, non opus eſt ut ſciatur 622, 623. a. ingratum quod 615. a. an ab impudico accipiendum 630. a. an aliquando ſit repetendum 773, 774. a. an debeatur ei qui invitus prodeſt 788. a. an debeatur principi civitatem omnibus Gallis danti, vel Hiſpanis immunitatem 801. a. an detur, ſi frater inviſus fratre altero invito ab aliquo ſervetur 772. a. an domino dari poſſit à ſervo 672, 673. a. an eripi poſſit 782. a. an ingrato vir bonus daturus ſit 725. a. an reddideris qui omnia fecis ut

eit ut redderet 850. a. an ſibi ipſi dari poſſit 755,756. a. an tyranno aut malo dandum 856. a. à ſapiente acceptum an reddendum, ſi ille ſapiens eſſe deſinit 854. a. filio datum, an etiam ad patrem pertineat 770, 771. a. ut referri poſſit, an rectè incommoda optentur iis quibus quis obligatus eſt 818. a. qui id animo benigno accepit, an conſummaverit officium ſuum 647, 648. a. an detur ab eo qui gratis per flumen quempiam vehit 800. a

Beneficium à beneficii materiâ multum differt 597, 598. a. aliquando & invito accipiendum eſt 635. a. in animo conſiſtit, non in eo quod fit vel datur 599. a. injuriæ contrarium 675, 715. a. mercenarium 795. a. mora corrumpitur 619. a. non eſt id quod ſub oculos venit, ſed beneficii nota 599. a. non negligenter, nec contumelioſè dandum 587. a. non tangitur manu, animo cernitur 729. a

Beneficium opera utilis eſt, ſed non contrà 729. a. quibuſlibet datum, nulli gratum 611. a. venale eſſe non debet 725. a. verecundè & parcè repetendum interdum 860. a. unum altero majus eſſe nequit: ea per quæ beneficium datur poſſunt eſſe majora & plura 849. a

Beneficium ab injuriâ quid diſtinguat 790. a

Beneficium duæ res complent 729, 792. a. infitiari, an repetere turpius 585. a. jucundum facit tribuentis voluntas 615, 616. a. qui libenter accepit, reddidit 647, 651. a

Beneficium dare an res per ſe expetenda 696. *& deinceps*. a. dare ſcit ſolus ſapiens 325, 326. b

Beneficium dare, & prodeſſe, differunt 771, 772. a

Beneficium debere non minoris animi quàm dare 827. a

Beneficium ubique jactanti quid reſponſum 625. a

ad Beneficium ſitne injuriâ veniendum 807. a

Beneficii duplex ſignificatio 651. a. triplex fructus 649. a. lex inter duos 624. a. pars optima perit, ſi actio ingrati detur 659. a. proprium de reditu non cogitare 648. a

Beneficii dati quomodo quis non meminiſſe debet 859. a

Beneficii & crediti diverſa conditio 741. a

Beneficii gratiam intercidere pejuſne ſit an memoriam 645. a

Beneficii gratiam noſmet corrumpimus 586. a

Beneficii, officii, & miniſterii diſtinctio 672, 673, 674, 675. a

Beneficii reddendi debito an nos ſolvat, qui cùm prius profuerat, plus poſteà nocuerit 324, 325. b

Beneficii quàm pecuniæ creditor diligentius quærendus 635. a

Beneficio accepto quid debeamus 599. a

Beneficio accepto ſtatim de reddendo cogitandum 641. a

in Beneficio dando qualis ſit eligendus 607. a. ſenſus communis, tempus, locus, perſona obſervanda 609. a

Beneficia à quibus accipienda 634. a. an Deus det 699. *& deinceps*. a. an majora quàm acceperint parentibus liberi dare poſſint 683, 684. a. an non patent amicitias 72. b. qualia ad malos perveniant 761. a. quouſque obligent 770. a. accepta augenda ſeu extollenda ſunt 644. a. aſperitate verborum & ſupercilio in odium adducuntur 618, 620, 621. a. cum judicio danda 613. a. danda ſunt neceſſaria, utilia, jucunda, utique manſura 606. a. data non ſunt jactanda 626. a. hilari animo accipienda 639. a. impetrantibus nocitura, neganda ſunt 629. a. in turpitudinem noſtram reditura, non tribuenda 630. a. nec delicatè, nec ſubmiſsè & humiliter, nec ſupinè, nec faſtidioſè accipienda 640, 641. a. non ſunt ſuperbè accipienda 633. a. quædam palam, quædam ſecretò danda 622. a. quædam tempore magna fiunt 662. quædam majora ſunt, etiamſi

Digitized by Google

etiamſi minùs apparent *ibid.* a. quædam triſtia & aſpera ſunt 773. a. ſatis comparantur 625, 625. a. ſilentio aut loquendi tarditate corrumpuntur 617. a. ſuperbe data, ingrata & invila 626. a
Beneficia gratiſſima 615, 616. a. illibata 618. a. inæqualia 662, 665. a. viſcata 22. b
Beneficia vocantur etiam quæ beneficii ſpeciem habent 762. a
Beneficia Dei nobis præſtita 645, 646. a
Beneficia non niſi ſecretò accipere nolentium reprehenſio 639. a
Beneficiorum auctor plus delectat quàm res ipſa 614. a. exprobratio odioſa 626. a. fructus non eſt ſpectandus, ſed ipſa 588. a. initia & exitus ſpectanda 629. a. novæ tabulæ 597. a. oblivio unde 655. a. ſacratiſſimum jus 635. a
Beneficiorum & debitorum diverſa ratio 741. a
Beneficiorum erga dominos exempla 676, 677, 678. a
Beneficiorum reddendorum occaſiones obſervandæ, non manu faciendæ ſunt 825. a
Beneficiis gratiam non referre, turpe 653. a
Beneficiis vinci an turpe ſit 747, 748. a
à Beneficiis non debet abſterrere ingratorum turba 587. a
In Beneficiis accipiendis quomodo ſe homines gerere debeant 634, 639, 640. a
in Beneficiis dantis & accipientis perſona conferenda 631. a
in Beneficiis tribuendis ſola accipientis utilitas ſpectanda 706, 707, 713. a
Benignitas 620. a
Beroſi, qui Belum interpretatus eſt, opinio de mundi fine 736. b
Beſtiarius a leone protectus 736. a
Beſtiariorum ludus 258, 259. b
Betilienus Baſſus, quæſtor, à C. Cæſare animi cauſa flagellis cæſus 123. a
Bibentes jejuni arguuntur 607, 608. b
Bibere & ſudare, cardiaci vita eſt 55. b
Bibliotheca Alexandrina quot librorum fuerit 663. a
Bibliothecarum oſtentatio reprehenditur *ibid.*
Bilis nigra in furioſo curanda 441. b
Bilis luridæ ſuffuſio 459. b
Bilem cur maximè moveat fatigatio 110. a
Bionis argumenta modò omnes ſacrilegos eſſe colligentia, modo neminem 839. a
Bionis dictum 381. a. elegans dictum 358. a
Blattaria balnea 365. b
Bocchus rex 510. a
in Bœotiâ amnes duo gregem inficientes 726. b
Boleti 462, 533. b
Boleti ardentes 762. b
Bonitas Dei, cauſſa mundi faciendi 226. b
Bonitas non eſt, peſſimis eſſe meliorem 316. b
Bonitas pertinax malos vincit 867. a
Bonitas ſæva 630. a
Bonitatis pars magna, velle fieri bonum 127 b
Bonum in arte muſicâ 375. b
Bonum hominis proprium 294. b
Bonum honeſtum nec intendi, nec remitti poteſt 266, 267. b
Bonum & honeſtum apud alios diverſa ſunt, apud Stoicos tantùm diviſa 593, 594. b
Bonum precariò dicitur in arboribus & animalibus 621. b
Bonum ſenſibilene ſit an intelligibile 618. b. ſitne aliquod contra naturam 239. b. ſitne omne optabile 245. b. verum unde ſubeat 87. b
Bonum unum eſt, quod honeſtum eſt, cetera falſa bona ſunt 262, 279, 295, 356. b
Bonum an ex malo naſcatur 377. b
Bonum eſt unica virtus 117. b
Bonum nihil eſt Stoicis quo quis malè uti poteſt 494. b. Stoicis corpus eſt 576. b. corpus eſſe probatur 525. b
Bonum omne animal eſſe ridet Seneca 556. b
Bonum ſummum quid 530, 536. a. 119, 240. 262. b. nec augetur, nec minuitur 266, 267, 285. b. non poſitum eſt in voluptate 532 a. ſeipſo contentum eſt 29. b. ubi ſit 536. a. externis an augeatur 425. b. ſitne in mutis animalibus & infantibus 618. b
Boni ſummi locus quis 283, 377. b

Digitized by Google

283, 377.b.
Boni variæ definitiones 586, 587.b. proprietas 588.b. boni honeſtique differentia 587.b. boni honeſtique prima notitia quomodo ad nos pervenerit 594.b. boni nullius ſine ſocio jucunda poſſeſſio eſt 15.b boni ſenſus etiam peſſimis ſubeſt 480.b
Bona quæ ſint 118.b. omnia paria 263.b. quomodo paria eſſe poſſint 232.b
Bona corporis & fortunæ, non ſunt bona 279, 280, 281, 282, 298.b. commoda & producta nominanda 283.b. quo loco habenda 270.b. fugienda 20.b
Bona inſidioſa 58.b. quædam ſecundùm naturam, quædam contra naturam, quænam media 239.b. præterita certiora ſunt præſentibus & futuris 656.a. triplicia 761.a ut etiam Stoicis 232.b. Epicureis duplicia 241.b. vera & falſa 238.b. vera tam omnium quàm ſingulorum 277.b. vulgaria omnia caduca 483, 484.b. bonane ſint futura 582.b
Bonorum diviſio Epicurea 241, 242.b
Bonorum & commodorum diverſa ratio 380.b
Bonorum vulgarium poſſeſſio ſollicita 299.b
Bonus quis 127.b
Boni etiam farre ac fritillâ religioſi ſunt 600.a
Boni inter ſe proſunt 540, 541.b
Bonorum virorum exitu malo non debemus contriſtari 381, 382.a. vide *Vir bonus*.
Bonis miſericordia vitanda eſt 476, 477.a
Boreas 775.b
Boryſthenes 752.b
Botularius 192.b
Bracteata felicitas 570, 571.b
Bracteatus leo 143.b
Brevia 83.b
Breviarium, olim ſummarium 135.b
Brigantes 857.b
Britannia 726.a. 269.a. in Britanniâ Claudii templum 852.b
Britanni 857.b
Britannos togatos videre conſtituerat Claudius 846.b
Bruma 736.b
Brumâ lilium exprimunt 609.b
Bruttii ſaltus 345.a
Brutus regem Romanis capitibus dejecit 271.a
Bruti turpis & erubeſcenda mors 234.b. vide *M. Brutus*.
Bubulcus 160.b
Buris merſa 805, 808, 809, 815, 821, 830.b
Burrus præfectus Neronis 471.a
Buſta Gallica 765.a

CÆca vitium oculorum in domum tenebroſam confert 170.b
Cæcilius fenerator 585.b
Cæcilianum dictum 557.b
Cæcinna tria fulminum genera ſtatuit 688.b quæ fulminibus nomina poſuerit 693.b
Cæcinnæ facundiæ Ciceroobfuit 697.b
Cælator 203.b
Cæleſtia ſemper in motu ſunt 175.a. deſitura ſunt 264.b. effectus rerum aut movent, aut notant 386.b
Cæleſtium obſervatio nova eſt 820.b. ſtata magnitudo 316.b
Cæleſtibus corporibus quid debeatur 802.a. 804.a
Cælibatus viduus 603.a
Cælius orator iracundiſſimus, etiam aſſentatione offendebatur 107.a
Cælum ardere viſum 653.b
Cæli alimentum è terrâ eſt 698.b. circuli 676.b
Cæli receſſus 651.b
Cæpio 441.a
Cæpionis inſidiæ Auguſto ſtructæ 441, 491.a
Cæſar quo pacto omnia habeat 893.a
Cæſaris reſponſum uni ex cuſtodiarum agmine mortem roganti datum 305, 306.b
Cæſaris abſentis partibus Mæcenas functus eſt 561.b
Cæſari Deo fiebat quotidianum ſacrum 379.a
Cæſari quidam proſcriptione triumvirali ſervatus reddi cupit 624.a
Cæſarum funera 269.a
Cæſareum atrium 228.a
Caianæ cuſtodiæ 574.a
Caianæ cladis magna portio Canius Iulus 378.a. 380.a
Caius Cæſar Auguſti nepos Lucii fratris mortem piiſſimè tulit 230, 231.a
C. Cæſar Caligula flagris & ferulis vapulans 860.b. cen-

860. b. centies ſeſtertio cœnavit uno die 185, 186. a. contumeliarum faciendarum cupidiſſimus, ferendarum impatiens 421. a. generum occidit 856. b. in exitium opprobriumque generis humani editus 235. a. iratus cælo, Jovem ad pugnam vocavit 39. a. cur Julium Græcinum occiderit 638. a. juſſit Lepidum Decimo trib. cervicem præbere: ipſe Chæreæ præſtitit 9, 10. b. optavit ut pop. Rom. unam cervicem haberet 126. a. Paſtorem eo die ad cœnam invitavit, quo filium ejus duci juſſerat 85, 86. a. Pompeio Penno de vitâ datâ gratias agenti ſiniſtrum pedem oſculandum porrexit 626. a. probrum judicabat ſe Caligulam nominari 421. a. ſoccatus de capite conſularis viri audit 627. a. villam in Herculanenſi ob matrem ibi olim cuſtoditam diruit 130. a. Xerxem ſecutus pontes navibus junxit 520. a. humani ſanguinis avidiſſimus cur orbi terrarum præfectus 731. a

C. Cæſaris Caligulæ ambitio notatur 453. b. deformitas 420. a. dementia à Demetrio ridetur 848. a. furioſus luctus ob Druſillam ſororem amiſſam 235, 236, 237. a. nefanda ſævitia 123, 124. a. pater Germanicus 731. a. ſuperbia 626, 627. a. exitii cauſſæ 420, 421. a. ſub C. Cæſare myrmillo de raritate munerum queſtus 317. a. ſub C. Cæſaris morte, pop. Rom. fame laboravit 520. a

C. Julius Cæſar 521. b. Corfinium obſedit, & Domitium ſervavit 678. a. epiſtolas ad Pompeium miſſas combuſſit 70. a. Mitylenas prætervectus Marcellum exſulem videre non ſuſtinuit 184. a. montibus Bajanis villas impoſuit 174. b. per decem annos patriâ caruit 184. a. Pompeii hoſtis ac victor, ingratus 767. a. victoriâ clementiſſimè uſus eſt 70, 767. a

C. Julii Cæſaris cædes credita fuit Tullio Cimbro 342. b. caſtra in circo Flaminio poſita 767. a. conjunctio cum Rep. 433. a. dictum, ſe neminem niſi armatum occiſurum 767. a. luctus ob filiam amiſſam brevis 269. a. vires in Siciliâ fatigatæ 746. b. vox, Oderint dum metuant, exagitatur 38, 448, 474. a. cum Cæſaris uxore adulterium à Clodio commiſſum 478. b. Cæſari Cato oppoſitus 315. a. de Cæſare dictitatum, in incerto eſſe, utrùm illum magis naſci Reip. profuerit, an non naſci 778. b. vide quoque *Julius Cæſar*.

C. Caſſius abſtemius 342. b

Caius Getulicus 745. b

Caius Gracchus 271 a. primus turbam ſuam ſegregare inſtituit 817. a

C. Marius ingratus, ad conſulatum à caligâ perductus 765. a. villas in regione Baianâ exſtructas jugis montium impoſuit 174. b. unum conſulatum accepit, ceteros rapuit 453. b. vide *Marius*.

C. Silius Coſ. deſig. 858. b

C Vettius prætor Marſorum à ſervo cæſus 678. a

Calabriæ ventus Iapyx 777. b

Calamitas, virtutis occaſio 318. a

Calamitatum mollimentum, conſuetudo 365. a

Calcem quid dixerint antiqui 538. b

Calda 340. b

Caldarium 357. b

Caldum 363. b

Calidum nihil abſque adjutorio ignis 118. b

Caliga gregariorum militum 518, 765. a

Caligula vide *C. Caligula*.

Callimachus citatur 751. b

Calliſthenes nobili ingenio fuit, & furibundi regis Alexandri impatiens 805. b. citatur 821. b

Calliſthenis libri de Helices Butiſque ſubmerſione 805. b

Calliſtratus exſul reditum abominatus, ſi Athenienſibus neceſſitas exſules reſtituendi eſſet 821. a

Calliſtus ſervus quam gratiam domino retulerit 155. b

Calones 548. b

Calor in quibus corporibus diu-

Digitized by Google

bus diutiùs conſervetur 758.b. hieme ſub terris major non eſt 753.b
Caloris æſtivi vitandi rationes 407.b
Calviſii Sabini divitis compendiaria ad memoriam firmandam, ut eruditus haberetur 103, 104.b
Calvi ſententia in Vatinium 443.b
Cambyſes furioſus, ac furore feliciter uſus 362.b
Cambyſis vinolenti crudelitas in Præxaſpis filium 116, 117.a. exercitus ad Ammonem miſſus, arenis obrutus 681.b. inexplebilis cupiditas 835.a. ira in Æthiopas vix fame domatur 127, 128.a
Camera 364.b
Camillus 726.a. exſul à Republicâ factus 768.a
Campania 345.a. 166, 198.b
Campaniæ fomenta Hannibalem enervarunt 173.b
Campaniæ quidam renuntiarunt ob terræ motus 784.b
in Campaniâ ingens terræ motus 782, 795, 796, 807, 808, 809, 812, 813 b
Campanorum fines 836.a
Cancer cæleſtis 737.b
Candaviæ deſerta 119.b
Candidatus 562.a
Candidatus ſacerdotiorum 865.a
Candidato vocem & manum commodare 23.b
Candidati, boni viri 6.b. ſolliciti vocem præconis exſpectant 585.b
Canendi peritus 721.a
Canentium ordo per vias olim 350.b
Caniculæ rubor 632.b
Canis bona 294.b
Canis cathenarius 150.a
Canis nomen ambiguum 650.a
Cani miſſa fruſta ore aperto captanti, hominum deſideria comparantur 273.b
Canes ejiciunt homines à baſilicâ 503.a
Canii Iuli à Caio duci juſſi admiranda tranquillitas, & ad mortem uſque philoſophantis conſtantia 378, 379.a
Cannæ 44, 47.a
Canopus 172.b
Cantabri 179.a
Canterio vectus Cato 373, 374.b
Cantibus imbres attrahi & repelli credebantur 758.b
Canticis diſcendis operati 38.b
Cantorum plus in comeſſationibus Rom. quàm olim ſpectatorum in theatris 350.b
Capillorum cultus 623.b capillorum cura qualis apud veteres 658.b
Capitolium dedicavit Pulvillus 266.a
Capitolii vectigal ſingulis comeſſationibus hauſtum 187, 188.a
in Cappadociâ flumen equos albos faciens 726.b
Capra, ignis globus Ariſtoteli 631.b
Capreæ 301.b
Capricornus 736.b
Captivus an ſe ab impuro patiatur ſervari 638.a
Captivis & pretio partis æqui bonique natura parcere jubet 456.a
Captos cives decem ex magno captivorum numero redimenti, quid debeant redempti 794.a
Caput dirâ imprecatione defigere 819.a
Capitis dolor 308.b. ſanguine emiſſo levatur 257.b
Capite demiſſo vivere 229.b
Carcer nobilis 275.a
Carceris alimenta 68.b
Cardiaci vita, bibere & ſudare 55.b
in Cariâ unda cum piſcibus è terrâ emerſit 720, 721.b
Caricæ annum novum faciunt 371, 472.b
Caricæ cum pane, pro pulmentario *ibid.*
Carmen veneficæ 26.b
Carminis modo incluſa faciliùs hærent 125.b
Carmini inſerta præcepta multum habent ponderis 444.b
Carminum efficacia in præceptis animo tradendis 532.b
cum Carneade dubitare 512.a
Carthago 47, 209, 229.a. 746.b
Carthaginis horror Scipio 364.b. mœnia unâ manu capta 401.a
ad Carthaginienſium remp. an ſapienti accedendum 582, 583.a
Caſpium mare 737.b
à Caſſandro Gallorum gens obſeſſa 712.b
Caſtigatio aliquando neceſſaria 12.a. quomodo ac-

Digitized by Google

do accipienda 75.a
Caſtigatio ſceleratorum iræ expers eſſe debet 27.a
Caſtor & Pollux 633.b
ad Caſtoris negotiantes 411.a
Caſtrorum primores 477.b
Caſus non obſtat philoſophiæ ſtudio 60.b
Caſus ſex 776.b
Catægis ventus Pamphiliæ 777.b
Cataractæ Nili 748.b
Cathedrarii philoſophi 500, 501.a
Cathena in ſiniſtrâ levior 366.a
Cathenæ fortunæ 364.a
Catilina L. Syllæ miniſter 122, a. ingratus 765.a
Catilinæ tres 286.a.
Cato ædilis 366.b
M. Cato Cenſorius, proavus Catonis, minus quàm hic poſſedit 556. a. imperator triumphalis uno caballo contentus erat, & ne quidem toto 374.b. citatur 605. b. ejus dictum 755.a. 589.b. equus ab ipſo defricatus 374.b
M. Cato junior an modeſtè philoſophatus ſit, ſimul Cæſarem & Pompeium laceſſens 51.b. animam ſibi manu extraxit 308.a. 358.b. plebis contumelias perpeſſus 391.a. Cæſarem & Pompeium provocavit 521.b. certius ſapientis viri exemplar quàm Ulyſſes & Hercules 391, 392.a. Deorum alumnus 308.a. in Clodii judicio teſtimonium dixit 478.b. injuriam in balneo factam non agnoſcere maluit quàm ignoſcere 84, 415.a. malivolentiæ expoſitus 551.a. mortem ferro adactam vicit 484.b. obrutus ſputis, & è ſenatu in carcerem ductus 52.b. quadragies ſeſtertiûm poſſedit 556.a. repulſæ die pilâ luſit, mortis legit 264.521.b. ſimul Pompeio, Cæſari & Craſſo oppoſitus, Vatinio poſtpoſitus 315.a. vincatur, an vincat in Pharſalicâ acie, nihilne interſit 263.b. vino laxavit animum fatigatum 383.a. virtutum viva imago, gladio incumbit 382.a. vulnus ſuum iteravit *ibid.* ut intelligi poſſet, malis & bonis opus erat 358.a
Catonis conſtantia in fortunæ varietate 475, 521.b. duo in rebus extremis inſtrumenta, Platonis liber & gladius 90.b. εἰκονισμὸς 474.b. exemplum ſemper intuendum 37, 98.b. felicitas 315.a. laus 382, 391.a. mors deſcribitur & oratio ante mortem habita 290, 307, 308.a. 90, 247, 336.b. prætura & repulſa eo eodem loco habenda 263, 264.b. pectus transfixum 290.a. repulſa duplex non fuit ignominia 193, 194.a. ſciſſum manu ſuâ vulnus 246. 475.b.
Catonis Utica 175.b
Catoni cauſſam agenti in frontem mediam inſpuit Lentulus 152, 153.a
Catoni ebrietas objecta 386.a
Catonem diu civitas ignoravit 317.b. in libertatem gladius aſſeruit 307, 308.a. 90.b. in Catonem ingratus pop. Rom. 768.a
Catone ſedente negatur populus permiſiſſe poſtulare Florales jocos 479.b
Catones quidam ſunt alternis diebus 598.b
cum Catonibus vivendum 518.b
Catoniana ætas bonorum, & malorum ferax 358.a
Catoniana præcepta 444.b
Catuli verba ad judices Clodianos 479.b
Caucaſus 752.b
Caudex quid antiquis 509.a
Caudicariæ naves *ibid.*
Cavea æneatoribus cincta 350.b
ad Caveam ſummam ſpectantia verba 370.a
Cavillationes, Græcis ſophiſmata 594.b
Cauſſa quotuplex Stoicis, Ariſtoteli, & Platoni 225, 226.b
Cauſſæ bonæ conditio quando melior 660.a
Cauſſæ aut nimis multæ, aut nimis paucæ ab Ariſtotele & Platone ponuntur 227.b
Cauſſarum inquiſitio 473.b
Cauſſariæ partes 250.b
Cauſſidicus 150. Cauſſidici 851. 856. 857.b.
Cautiones 846.a
Cautionibus prolatis controverſiam

troverſiam tollere 661.a
Caystrus 752.b
Celer Aſinius 858.b
Cella laxior 360.a
Cellæ pauperum 66.b
Cenſeo hoc amplius 529.a
Cenſorium crimen, paucæ argenti lamellæ 556.a
Cenſus in album mittit 661.a
in Cenſum deferre 596.a. 472.b
Centauri 202.b
Centeſimæ ſanguinolentæ 846.a
Centiceps bellua 858.b
Centurio ſupplicio præpoſitus, à Piſone duci juſſus 34.a
Centurio periturorum agmen trahens 379.a
Ceraſtæ 857.a
Cerberus 93.b
Cereus & fax 370.a
ad Cereos & faces funera ducenda 513.a
ad Cereos & faces vivere 609.b
Cernere ferro 200.b
Cernulat fortuna quos 23.b
Cernulare ſe 353.a
Ceroma 196.b
in Ceromate ſpectator puerorum rixantium ſedet 504.a
ad Ceronem fl. oves ut nigreſcant, appelluntur 726.b
Certamina ſacra 406.a
Ceryx 350.a
Ceſtu decernere vetantur Lacedæmonii 748.a
Chæreas tribunus militum ob exprobratam mollitiam Caium Cæſarem occidit 421.a
Χαλαζοφύλακες, ſpeculatores futuræ grandinis 717.b
Chalcidis terræ motus 799, 807.b
Chaldæi 839.b. quid de Cometis cenſuerint 820.b
Chaldæorum obſervatio 683.b
Chamelæontis color cur varietur 643.b
Chaos inane Epicureum 274.b
Χαρακτηρισμὸς 474.b
Charimander librum de Cometis compoſuit 821.b
Charino magiſtratu 67.b
Charis Heſiodo, quæ Homero Muſa 596.a
Charites Jovis filiæ *ibid.*
Charondæ leges 403.b
Charybdis 50, 119. 149, b. fabuloſa 274.a. an reſpondeat fabulis, ſcire cupit Seneca 314.b
Chaſmata 651.b
Chaſmata terræ 793.b
Chelidon, unus ex Cleopatræ mollibus, patrimonium grande poſſedit 375.b
in Cherſoneſo fons purgamenta ejiciens 729.b
Chimæra 553.b
Chiragra quomodo inquietat 308.b
Chirographum 640.a
Chirographum reformare 450.b
Chlamydati 527.a
Chorus veterum philoſophorum ex multorum vocibus conſtabat 350.b
Chriæ 125.b
Chryſippus à Senecâ in ordinem cogitur 596.a. etſi à republicâ remotus, multa tamen præſtitit 338, 339. 580. 581.a. fingit Gratias Jovis & Eurynomes filias 595.a. librum ſuum de beneficiis ineptiis replevit *ibid.* citatur 418.a
Chryſippi viri magni, ſed Græci, acumen ſæpe retunditur, interdum pungit, non perforat 596.a. diſtinctio de ſapientis αὐταρκείᾳ 29, 30.b. præceptum de reddendo beneficio 641.a. ſimilitudo de pilæ luſu 632.a. ſubtilitas & brevitas in ſcribendo 595.a. Chryſippi diſcipuli & Cleanthis diſſenſio de ambulatione 555, 556.b.
Chryſippi lege vivere otioſo licet 582.a
Chryſippo quid ſit ſervus 675.a
Chryſippum aſſidua ſalutatio ad mortem perducebat 193.b
cum Chryſippo vivendum 518.b
Cibaria 675.a
Cibi opportunitas in ægris 617.a
Ciborum copia animo obeſt 55.b
Cicatrix quomodo placeat 807.a
Cicatricoſa 90.a
M. Cicero ætatem ſuam complorat 452, 493.a. Atticum quod in buccam venerit, ſcribere jubet 584.b. cavillationum verbo pro ſophiſmatibus uſus 549.b. citatur 369.a. clientibus ſuis præbet cervicem 369.a. gradarius fuit in orando 140.b. negat ſe habiturum tempus ut Lyricos & dialecticos legat, etſi ætas duplicetur 167.b. vocis eſſentiæ auctor 200.b. Romanæ eloquentiæ

Digitized by Google

quentiæ auctor. 140.b
Ciceronis calamitates 285, 286.a. compoſitio qualis 495, 496. 564. b. conſulatus non ſine cauſſâ, ſed ſine fine laudatus 492.a. epiſtolæ nomen Attici perire non ſinunt 78.b. epiſtolarum argumenta 584. b. flebiles voces in quadam ad Atticum epiſtolâ 493. a. libri ad philoſophiam pertinentes 496. b. libri de Rep. 538.b. poſt Catilinam exſilium 768.a. verba 61, 62. 478.b
Ciceronis libri etiam Dori eſſe poſſunt 838.a
Ciceronis exemplum ſecutus eſt Seneca 529.b
Ciceronis urbanitatem quomodo effugerit Vatinius 419.a
Ciceronis umbra Cæcinam preſſit 697.b
Ciceronem expellens Clodius, Antonius occidens 43.a
Cicero F. conſul propter patrem 730.a
Cicerones Auguſti clementiæ debentur 445.a
Ciconum flumen potum ſaxea reddit viſcera 722.b
Cimbri à Mario cæſi 765, 766.a. 453.b
Cimbrorum cladis cauſſa, ira, 19, 20.a
Cimbricæ cædes 765.a
Cincti altè 123.b. 434.b
Cinerarius 413.a
Cinna conſul 730.a
Circenſe tomentum 562.a
Circenſium clamor 341.b
Circius ventus Galliæ peculiaris 777.b. ei templum fecit Auguſtus ibid.
Circulanti vis dicendi rapida, aptior 138.b
Circulator 791.a
Circulatores philoſophi 109.b
in Circulo aliquo tempus terere 323.a
Circulorum cæleſtium numerus 776.b
Circumagitur 24.b
Circumlitio 364.b
Circumſcriptiones 52, 95.a. 338.b
Circumſcriptores 359.a
Circumſtantia, Græcis περίστασις 665.b
Circus 50.a
in Circi certamine interiùs flectendum 362.a
Circi vitia commendant nobis 572.a
Ciſium 271.b
Ciſterna in uſum exercitus ſufficiens 363.b
Ciſternina aqua 370.b
Civicam mereri 468.a
Civilia officia geſturus quid ſpectare debeat 352, 353.a
Civis boni opera numquam inutilis eſt 351.a
Civi nocere nefas 82.a
Civitatis captæ imago 863.a
Civitatis mores magis corrigit parcitas animadverſionum 462.a
Civitatis rector quomodo caſtigare debeat 13.a
Civitatulas vendere 852, 853.b
Clamor theatri & ſcholæ 179.b
Clamores varii non turbarunt Senecæ animum 190, 341.b
Clamoſus 10.a
Claranus condiſcipulus Senecæ, ſenex & deformi corpore, ſed animo viridi 230, 231.b
Claritas quid 509.b
Claritas quæ poſt mortem contingit, ſitne bonum 503.b
Claritatis & gloriæ diſcrimen 507.b
Claſſicum & ſymphonia 175.b
Claſſico concio convocatur 29, 30.a
Claudianus Cometes 834. 840.b
Claudius Cæſar mitiſſimus 217.a. animam agere cœpit 846.b fratrum mortem æquo animo tulit 230, 231.a. in cælum ire viſus 844.b. inducitur conſolans Polybium 228. a. plures intra quinquennium culeo inſuit, quàm omnibus ſæculis inſuti leguntur 463.a. quando exſpiraverit 848.b. quantum Polybio præſtiterit 214, 216.a. ſexaginta quattuor annos cum animâ luctatus eſt 846.b. templum in Britanniâ habet 852.b
Claudii amici 858.b. avia 853 b. avus M. Antonius 231.a. avunculus Auguſtus 230.a. 855.b. cædes 851, 855, 859.b. clementia 227, 232.a, fuſus 847.b. generi 856.b. liberti 858, 857.a. manſuetudo 225, 226.a. pater 231.a. patruus *ibid.* patria 848.b. pœna apud inferos 859, 860.b. præfecti 858.b. ſocer 856.b. ultima vox 848.b. uxor 856.b
Claudii beneficium, Auguſti judicium malo 614.a
in Clau-

In Claudium jocorum plena eſt Apocolocyntoſis 845. b
pro Claudio Cæſare votum Senecæ 225, 226, 227, 234. a
Claudius Caudex primus Romanis perſuaſit navem conſcendere 509. a
Claudii Quadrigarii duodevicesimus annalium 676. a
Cleanthes 224. b. aquam traxit & hortulos rigavit 148, 149, b. præcepta cum decretis philoſophiæ conjungi vult 438. b. utilis fuit generi humano, etſi in otio vixerit 338. 581. a. Zenonem expreſſit 16. b
Cleanthes & Chryſippus diſcipulus ejus diſſentiunt de ambulationis definitione 555. 556. b
Cleanthis dictum 794. a. doctrina de ingrato 762, 763. a. egregia ſimilitudo 532. b. exemplum de duobus pueris Platonem quærentibus 791. a. verſus à Senecâ Latini facti 529. b
Clemens quis 461. a
Clementia homini maximè convenit, regi tamen & principi præcipuè 430, 431, 447. a. reges ſecuriores reddit 439, 447. a. an non pertineat ad innocentes 429. a
Clementiæ fama 87. a. opera 482, 483. a. plures definitiones 475. a
Clementiæ contraria crudelitas *ibid.*
Cleonis publicè prarpoſiti χαλαζοφύλακες fuerunt. 757. b
Cleonis puniti tempeſtatis obſervatores, cùm vineæ vapulaſſent, aut ſegetes 758. b
Cleopatræ amor Antonium perdidit 346. b
Cleopatræ & Antonii defectio per Nilum ſignificata 94. b
Cleopatræ mollium unus Chelidon 375. b
Clepſydra 94. b.
Clidemi opinio de fulguratione 696. b
Clitus ab Alexandro inter epulas transfoſſus 121. a. 344. b
Clodius adulterii reus judices corrupit 478. b Ciceronem expulit 43. a
Clœlia equeſtri ſtatuæ inſidens 271. a
Cloſtrum 859. a
Clotho 846. b
Clypei flagrantes 833. b
Clypei ignei 634. b
Cn. Lentulus augur maximum divitiarum exemplum 641. a
Cn. Lentuli ex paupere divitis facti ſumma erga Auguſtum ingratitudo 643. a
Cn. Lentuli tanta ſermonis inopia, ut citiùs pecunias avariſſimus emitteret quàm verba 642, 643. a
Cn. Piſonis rigor, tres ob unius innocentiam duci jubentis 34. a
Cn. Pompeius 163. a. 236, 520. b. ingratus in Remp. 767. a. villas circa Baias exſtructas montibus impoſuit 166. b
Cn. Pompeii cupiditas & ambitio notatur 453. b. mors 258. a. nepos L. Cinna 440, 441. a. ſocer Scipio 91. b. vide quoque *Pompeius*
Cocceii 444. a
Codices, tabulæ publicæ 509. a
Codicilli 453. a
Codicillos, non epiſtolas ſcribere 190. b
Cœnâ peractâ reliquiæ circumſtantibus dividuntur 303. b
Cœnæ adjiciales tricies H S. conſtiterunt 467. b
Cœnæ modicæ, vel potius Timoneæ 66. b
Cœnarum luxuria 362. b
in Cœnaculo dormire 322. b
Cœnare cum ſervis turpe exiſtimantes reprehenduntur 155. b
Cœnatio 312. b. populi capax 570. b. velis ac ſpecularibus munita 762. b
Cœnationes 404. b. Cœnationes ſubditus & parietibus circumfuſus calor temperat 319. a
Cœnationum faſtigia 182. a. laquearia verſatilia 406. b. ornamenta 363. a
Coërcitio 51. a
Cognitio 777. b
Colaphis percuſſo ſapienti quid faciendum 415. a
Collectio & vomica 250. b
Collectio, id eſt, ſyllogiſmus 163. a. 151. 353. b
Collina porta 766. a
Colluſor 633. a
Color animalium cur variabilis 643. b
Color cæleſtium non unus

unus 632. b
Colores quidam vim ſuam ex intervallo oſtendunt 644. b
Colorati 410. a
Coloſſus 300. b
Columbarum colla cur varii coloris 643. b
Columbatur labris 560. b
Columnæ flagrantes 833. b
Comæ cura exprobrata 505. b
Combibendi & convivandi peritiſſimus 617. b
Comere capillum 658. b
Comeſſatio fulminibus tertia 39. a
Commeatum dare 285. b
ex Commentario ſapere 125. b
Cometa an ſit ſidus erraticum 820, 834. b
Cometes apparuit ſub Helices & Buris everſionem 821, 830. b. cur non ſtet, ſed procedat 834. b. lacteam viam extentus æquavit 830. b. non eſt ſubitaneus ignis, ſed inter æterna opera naturæ, ſive ſtella eſt 835, 838, 841. b. non minor Sole ante Achaicum bellum effulſit 829. b. Paterculo & Vopiſco coss. apparens fecit quæ ab Ariſtotele & Theophraſto prædicta fuerunt 840. b. ſex menſes durans 825, 834, 819 b. Sole deficiente viſus *ibid.*
Cometæ an in ſe terreni quid habeant 840. b. an tardè eant *ibid.* cur non citò extinguantur 834. b. in quâ parte cæli aſpiciantur 825. b. multi non videntur 832. b. quomodo fiant 819. *& deinceps* b ſub Auguſto, Claudio, Nerone Cæſare, & poſt necem divi Julii apparuerunt 831. &c. b
Cometarum curſus cur ignotus 820. b. genera 653. b. duo genera Epigeni 822. b. natura nondum perſpecta 836. b. forma 825 b. ſignificationes 818, 839. b. de Cometis quæ conſideranda 819. b
Comici dictum 619. a
Comiſſationibus ſingulis quantum Apicius conſumpſerit 187. a
Comitia conſularia 865. a. conſularia aut prætoria 585. b
Comitia fortunæ 586. b
Comitiale vitium 111. a
Commiſſum & continuum 662. b
Commoda ſeu producta 283. b
Commoda & incommoda extra nos ſunt 428. b
Commodorum & bonorum diverſa conditio 380. b
in Commune, dicere ſolent aliquid invenientes 589. b
Communia pluribus modis 848, 849. a
Communio rerum quomodo cum proprietate ſingulorum conſiſtat 836. a
Comœdiarum ſales in Socratem 422. a
Compediti 364. a
Compendiariò 278. b
Compendiaria 104. b
Compendiaria ducere 589. b
Compendium 476. a
Comperendinatio 478. b
Complanare 325. a
Componi ad dicendum 45. a
Componi ad rumorem 526. a
Componi cum inferiore 310. a
Compoſitio alia aliis in oratione placet 485, 496. b. non nimis anxia eſſe debet 568. b
Compoſitionis genera depravata 563, 564. b
Comprehenſiones 536. a
Computatio ſordida 707. a
Computationes 846. a
Conceptus inchoati 381. a
Conchylia ſuperi & inferi maris 311. a
Conchyliati 217. b
Conciliaturas exercere 479. b
Concio imperatoria 764. a
Concitamenta 109. a
Conclamandi ceremoniæ 566, 567. a
Concurrit os 118, 616. a
Concurſatio circumcidenda eſt 174. a
Conditio omnis verſabilis eſt 372. a
Conditivum 215, 332. b
Conditura 118. a
Conducta domus, & mea, & alterius 838. a
Conflagrationis mundi tempus 735. b
Congiarium 290, 728. a. 277. b
Congiaria 187, 356. a. 108. b
Congiaria Alexandri urbes 631. a
Congiaria annua 497, 498. a
Conjectura fallaciſſimum irritamentum, ex animo tollenda 70. a

Digitized by Google

Conjugem vetare in ſellâ proſtare & vulgo admiſſis inſpectoribus vehi undique perſpicuam, rusticum & inhumanum 602,603.a
Conlatrare philoſophiam 548.a
Conon defectiones Solis collegit, ſed non meminit Cometarum 820.6
Conqueſtiones 309.b
Conſalutari 563.a
Conſcientia bona 480.b. bona & mala 147.b
Conſcientia grati 720.a
Conſcientiâ flagellantur facinora mala 481, 524, 525.b
Conſenſus publicus, veritatis argumentum 577.b
Conſiliarium fulmen 688.b
Conſilium futuri ex præterito venit 340.b. ſub die, ſeu ſub manu naſci debet 261.b. an ingrato dandum 729.a
Conſiliorum rerumque diſſimilitudo unde 74.b
Conſolatio Marulli de filii morte 486.b
in Conſpicuo mortem habere 523.a
Conſtitutio animalium quid 602.b
Conſuetudo omnia pati docet 364, 365.a
Conſul factus & refectus 515.b
Conſul nummulariolus 852.b. ordinarius 143.a. poſtmeridianus 852.b
Conſuli quis honor exhibitus 224.b
Conſularia comitia 865.a
Contacti 105.a
Contemplationi rerum naturam nos genuiſſe docetur 577, 578.a
Contemplativæ artes ſua habent decreta 457.b
Contemnenda mirari ſolemus 570, 571.b
Contemnere quæ oporteat 328.a
Contemptus vitandus 50.b. quomodo vitandus 522, 523.b
Contemptus malorum 327, 328.a
Contextus operis 525.b
Continuatio quid 662.b
Continuum & commiſſum *ibid.*
Contractio & torpor letalis 332.b
Contumelia quid 406.a. unde dicta 408.a
Contumeliâ ſapiens affici non poteſt 407.a
Contumeliæ & injuriæ diſcrimen. 396.a
Contumeliæ videntur quædam, quæ tamen non ſunt 412, 417, 418.a
Converberare vitia 600.b
Converſatio multorum perniciosa 17.b. virorum bonorum utilis 447.b. mores immutat 105, 106.a
Converſatio & ſolitudo miſcenda ſunt 483.a
Conviciator 135.a
Convictus magnorum virorum efficacior oratione 15.b
Convivæ deligendi 72.b
Convivarum cenſura ſervo permiſſa 157.b
Convivator 151.a
Convivii ſermo qualis 222.b
in Convivio jacere, & torqueri, pariane ſint 235, 267.b
Convivia tempeſtiva 78.a
Convulnerari 369.a
Corbulo jocatus in FidumCornelium 418.a
ad Cordubam verſus Senecæ 164, 165.a
Cordus, vide *A. Cremutius Cordus*
CorfiniumCæſar obſedit 678.a
Corinthia 363, 504.a
Corinthii Alexandrum Macedonem civitate donant 609.a
Corinthus 209.a
Coriolanus ingratus 765.a
Corium apud Lacedæmonios formâ publicâ percuſſum 763.a
Corium petere 414.a
Cornelia Gracchorum mater fortiter liberorum mortem tulit 199.a
Corneliæ duæ liberorum ſuorum obitus magno animo tulerunt 199, 271, 272.a
Cornelia lex de ſicariis 859.b
Corneliam legem Sylla tulit 313.a
Cornelius Senecio eques Rom. 498.b
Cornelius Severus, vide *Severus.*
Cornicines 856.b
Cornua an quis habeat, interrogantes reprehenduntur 151.b.
Corollarium 800.a
Corona principe digna 468.a. non honor, ſed honoris inſigne 599.a. navalis 687.a
Corona circa ſidera halo Græcis quomodo fiat 634.b
Coronæ, virgæ & arcus differentia 649.b
Coronæ etiam interdiu, licet raro, fiunt 636.b
Coronis ſubſitne aliquid corporis certi necne 653.b

Digitized by Google

ne 653.b
ad Coronam venire, relicto judice 22.a
Coronas mittere 86.a
Corpus non eſt ſaginandum, nec athletarum modo curandum 54.b
Corpus, animi pondus & pœna 228. b. hoſpitium animi 597. b. velamentum animi 427.b. cuſtodia & vinculum animi 190.a
Corporis & animi ſeparatio infantis ex utero materno emiſſioni comparatur 598.b
Corporis & animi bona, corpora eſſe probatur 525.b
Corporis humani & terræ ſimilitudo 715.b
Corporis potiùs quàm ingenii exercitatio pluribus curæ eſt 319.b
Corporis temperatura tolli nequit 36.b
Corporis tegumenta varia 406, 407.b
Corporum diviſio 262, 504.b
Corpori non eſt ſerviendum 48, 433.b. quantum indulgendũ 23.b
de Corpore quid fiat hominem egreſſurus animus non eſt ſollicitus 433.b
Corrotundari 555. b. 755.b
Corſica, Græcis Cyrnus 161.a. ejus deſcriptio 161. a. cultores 178.a. horridus ſitus 178.a
ad Coruncanum redire 563.b
Coruncanium laudabat Cato 556.a
Corus an rectè à quibuſdam Argeſtes dicatur 775, 776.b
Corycus mons 712.b
Coſſi 443.a
Coſſi urbis præfecti, viri gravis, ſed vino merſi, fides in ſecretis continendis 344.b
Coſura 174.a
Cothurnati, & elati 299.b
Cothurnati, & excalceati 24.b
Cothurno, non tantùm ſipario fortiora dicta 370.a
Cotta Tectus 858.a
Cottam filium in exſilium ſecuta eſt Rutilia 200.a
Craſſus 520.b. dives 556. a. 590.b. multis nimis cultus & recens 563.b
Craſſo Cato oppoſitus 315.a
Craſſum Parthis avaritia dedit 779.b
de Craſſo inſolens Parthus ſententiam tulit 9.b
Craſſus Magnus à Claudio occiſus 855.b. ſocer filiæ Claudii 856.b
Craſſi F. Magnum vocari vetuit C. Cæſar 855.b
Craſtinus ſine ſollicitudine expectandus 41.b
Crates Stilponis auditor quid præceperit adoleſcentulo ſecretò ambulanti 31, 32.b
Credere omnibus, & nulli, utrumque vitium eſt 7.b.
Crediti nomen quomodo beneficio tribuatur 719.a
Crediti & beneficii diverſa conditio 741.a
Creditor beneficii quàm pecuniæ diligentius quærendus 635.a
Creditor ſæpè debitori damnatur 785.a
Creditori etiam prodigo pecunia reddenda 853.a
Creditori præter ſortem extra ordinem numeratur 327.b
Credulitas plurimum mali facit 70.a
Crepax focus 560.b
Crepitus 193.b
in Cretâ inſulâ fons ſubſtitit, cùm terra coli deſiit 712.b
Cretici ſinus 737.b
Crimina pleriſque voluptati ſunt 480.b
Criſin eamdem habere 340.b
Criſpare 560.b
Criſpulus 237.b
Criſpus amicus Senecæ 163.a
Criſpi Paſſieni egregium dictum 614. a. ſubtilitas, & dictum de adulatione 742.b
Crocodili à delphinis & Tentyritis vincuntur 750, 751.b
Crocus latentibus fiſtulis in altitudinem expreſſus 405.b
Crœſus rex rogum ſuum & eſcendit, & exſtingui vidit 373.a. ſervit 159.b
Crucibus ſe refigere 552.a
Crudeles qui dicendi 476.a
Crudelitas acerbiſſima 619.a
Crudelitas quid 575.a. quid peſſimum habeat 450.a. fere vinolentiæ comes 346.b
Crudelitas regia inimicorum numerum tollendo anget 440.a
Crudelitatis exſecratio 465.a. exitus *ibid.* regnum quale 467.a
Crudelitatis & feritatis diſtinctio 476.a
Cruſtularius 192, 193.b

Crypta

Crypta Neapolitana 196, 197. b
Cryſtallina 844. a
Cryſtallina Vedii fregit Auguſtus 154, 155. a
Cubicularii ſupercilium 413. a
Cubiculatæ naves 857. a
Cubile humi poſitum 12. b. in ambitionem compoſitum 335. a
Culcitra 371. b. 536. b
Culina patrimoniorum exitium 605. a
ad Cultrum vel ad gladium locare 374. b
Cumæ 188. b
Cuneare 588. b
Cupiditas hominum infinita 862. a
Cupiditas novorum, vetera obſcurat 655. a
Cupiditatis vituperium 834. a. 275, 276, 399, 400. b
Cupiditates terminandæ 366, 367. a. 79, 80. b. ubi terminandæ 60, 61. b
Cupiditatum finis, timoris remedium eſt 13. b
Cupiditatum ſeries infinita 70, 71. b
Curio nonnullis nimis cultus & recens 563. b
Curioſitas vitanda 112. a
Curius Dentatus primus in triumpho duxit elephantos 509. a
Curii Dentati dictum 354. a
Curius quibuſdam parum ſeverus 598. b
Curium laudabat Cato 556. a
Currus non honor, ſed honoris inſigne 599. a
Curſor 374. b
Curſores rarò hieran faciunt 340. b
Curſorum agmen 614. b
Curva corrigere 852. b
Cuſtodiæ 13. b. 260. b
ex Cuſtodiarum agmine unus mortem rogat Cæſarem 305. b
inter Cuſtodias quidam ad ſpectaculum miſſus cervicem ſibi rotæ circumactu frangit 259. b
Cutyliarum inſula natans 727. b
Cyclades ſparſæ 733. b
Cyllenius 856. b
Cymbala cur ſonent 681. b
Cynicus nummos poſcens & contemnens arguitur 632. a
Cynici petitio Antigoni cavillatione deluditur *ibid.*
Cynici an rectè obvios quoſque monuerint 107, 108. b
cum Cynicis excedere hominis naturam 512. a
Cypariſſiæ 653. b
Cyprus 287. a. terræ motu agitatur 809. b. ſæpiùs terræ motu vaſtata 419. b
Cypri imperium Antigonus patri tradidit 693. a
Cyrenaici 397. b
Cyrnus, i. Corſica 161. a
Cyri Babylonem oppugnaturi furor in Gynden fl. 128, 129. a. cupiditas 834, 835. a

DAcus 628. b
Dædalus ſerram commentus eſt 405. b
Dahæ 271. b
Danubius 628, 732. b. Europam Aſiamque diſterminat 790. b. ſimilem Nilo naturam habere à philoſophis, ſed falsò, traditur 747. b
Dare quid 758. a
Date benè emenſum 755. b
Dare, duos exigit 757. a
Dare & accipere contraria 758. a
Darius 591. b. primus Perſas obtinuit 120. a
Darii crudelitas in Oebazi liberos *ibid.* ejus mater ſerviit 159. b
Darium occidit Alexander 805. b
Debeaturne aliquid ei qui invitus profuit 788. a
Debeaturne aliquid ei qui ſua cauſâ nobis profuit 793, 794. a
Debere, ubi locum habeat 756. a
Debitoris vaſa 585. a
Debitori ſuo ſæpè creditor damnatur 785. a
in Debitum ſolvere 20. b
December menſis luxuriæ & Saturnalibus dicatus 64, 65. b
Decempeda 385. b
Decimo tribuno Lepidus cervicem præbuit 9. b
Decius 726. a. ſe pro rep. devovit 246. b
Decii patriam ſervarunt morte 820. a
Decoctor 726. a. 324. b
Decollationis remedium 30. a
Decrepitus ad oſtium admotus 38. b
Decrepiti & extrema tangentes 99. b
Decretum quid 468. b
Decreta philoſophiæ 438. 458. b
Decreta ſapientiæ neceſſaria eſſe 472, 473. b
Decretoria arma 582. b
Decretoria hora 508. b
Decretorius ſtilus 451. a
Decuria prima in quâ vocem præco experitur 158. b
Decurrere ſine hoſte 66. b

Digitized by Google

Deductio 619.a
Defectio ſolis perfecta 650.b
Deformare, i. deſcribere 834.a
Defricare boves 794.a
Dehoneſtamenta 423.a
Delator 49.a
Delegatione & verbis perfecta ſolutio 786.a
Delegationem recipere 102.b
Delicatus quidam interrogat, an ſedeat 507.a
Deliciæ ad rabiem incitant 161.b
Deliciarum rabidarum vox, Quouſque eadem 346.a
Deliciolum 39.b
Delos immota credita tremuit 805.b
Delphinorum & crocodilorum pugna 650.b
Demades an meritò damnaverit funeribus neceſſaria vendentem, indeque lucrum optantem 822, 823.a
Demaratus Lacedæmonius à Xerxe præmiis afficitur, quia ſolus verum dixit 813, 814.a
Demetrius & Antiochus Demetrii Syriæ regis liberi 829.b. poſt Demetrii Syriæ regis mortem effulſit Cometes non minor Sole *ibid.*
Demetrius Cynicus magni judicii vir 830.a. non virtutis ſcientiam, ſed egeſtatem profeſſus eſt 551.a. nudus ſtramentis incubans, veri teſtis, non præceptor 75.b. eodem loco imperitorum voces habet, quo ventris crepitus 423.b. vitam ſecuram mari mortuo comparat 248.b.
Demetrii laus 841, 842.a. ejus dictum à Cæſare ducenta donata rejicientis 847, 848.a. oratio quâ naturæ opes repudiat 842, 843.a. præceptum utrâque manu proficienti tenendum 830, 831, 832.a. verba ad quemdam potentem libertinum 742.b. unica de diis querela 324.a. vox magnifica 310.a
Demetrium ſecum circumfert Seneca, & ſeminudum admiratur 217.b
Demetrius Pompeianus locupletior Pompeio 359.a
Demetrius Poliorcetes 30.b. Stilponem interrogat, num quid perdidiſſet urbe captâ 398.a. 30.b
Demetrio quid reſponderit Stilpon interroganti num quid perdidiſſet 30.b
Demochares Parrheſiaſtes ob procacem linguam appellatus 132.a
Democritus 513.a. antiquorum omnium ſubtiliſſimus 820.b. diu futere viſus 317.b. divitias, uti onus bonæ mentis, projecit 326.a. ſemper in publico riſit 54, 380.a
Democriti dictum 20.b. inventa 413.b. præceptum de tranquillitate vitæ 376.a. opinio de vento 766.b. opinio de ſtellis 820.b. ratio 758.b. ſententia de terræ motu 801.b. volumen περὶ ἐυθυμίας 342.a
Democrito objectum, quòd pecuniam neglexerit 568.a
Denarius à ſervo imputatus 145.a
Dentium dolor cur acutiſſimus 308.b
Dentium puerilium lapſus 703.a
Denuntiatio 446.b
Depoſitum non ſemper redditur 707.a
Deprecanea fulmina 695.b
Depudere 419.a
Deſcriptio virtutis cujuſque neceſſaria 167, 168.a
Deſiderium ſuorum modicum, naturale eſt 253.a
Deſideria ex vitio nata, inſatiabilia ſunt 188.a
Deſideria rerum omnium quomodo deponenda 252.b
Deſignatores 823.a
Deſpumare 66.a. 251. 492.b
Deſtillationes crebræ & longæ 306.b
Deſtricti pili 156, 157.b
Devorare verba 117.a
Deus à morte defendit etiam quæ mortalia ſunt 206.b. an det beneficia 699. *& deinceps.* a. an futura ſignificet 682.b. cogitatione viſendus eſt 841.b. fata quidem ſcripſit, ſed ſequitur 324. 325.a. idem cum naturâ 704.a. in homines venit 278.b. in viris bonis habitat 142.b. magiſter ex occulto producit ingenia 704.a. mala omnia à bonis viris removit 326.a. maximus potentiſſimuſque vehit omnia 119, 120.b. nihil habet, nudus eſt *ibid.* omnium

Digitized by Google

mnium rerum ideas in ſe habet 226. b. quid ſit 629. b. quos probat, exercet 318. a. quomodo rogandus 33. b. ſine murmuratione comitandus 528. b. ubique & omnibus præſto eſt 469. b. undique in ſe totum redit, licet in exteriora tendat 5[illegible]. a. univerſi arbiter & rector 60. b

Deus Epicureus 851. b. ordinarius, & inferioris notæ 544. b. Stoicus 851. b

Deus & materia, cauſſæ rerum 226, 227, 229. b

Deus in humano corpore hoſpitans eſt animus 126. b

Deus undique conſalutabor 563. a

Dei variæ appellationes 704, 705. a. varia nomina 691. b. propoſitum in optimorum caſtigatione 318, 319. a. vox 835. a

Dei & boni viri amicitia & neceſſitudo 304. a

Dei omnia plena 705. a

Deo Stoici rotundam formam tribuunt 555 b

Deo quis ſit dignus 68. b

Deum inermem facit Epicurus, & extra mundum projicit 719. a

Deum nemo novit 119. b

Deum ſequere, vetus præceptum 546, 547. a

Deorum immortalium munus philoſophia 401. b

Deorum erga nos benignitas 646, 700, 701, 725. a. cultus quis 469. b

Deorum in homines beneficia contra Epicurum aſſeruntur 699, 700. a

Deorum licet omnia ſint, iis tamen donum poſitum, & ſtips jacitur 832. a

Deorum omnia eſſe, quomodo intelligatur 840. a

Deos eſſe, ex publico conſenſu probatur 577. b

Deos conſilii primi non pœnitet 804. a

Deos nemo ſanus timet 719. a

Deos quis placatos habeat 544. b

Deos tacitè & intra noſmetipſos precamur 616. a

Deos vota & officia admonent 778. a

Deos auctores vitiis inſcribere, illa incendere eſt 516. a

erga Deos ingrati reprehenduntur 805. a

in Deos querimonia quorumdam arguitur 645, 646. a

per Deos fictiles olim jurabatur 187. a

Dii duodecim à Jove in conſilium vocantur 690. b. ſuperiores & involuti *ib.* gratuiti 725. a. beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perſeverant 867, 868. a. etiam ingratis multa tribuunt 725. a. etiam malis benefaciunt 587, 588. a. excuſantur quòd malis imperia permittant 731 a. futura omnia norunt 733. a. injuriam nec accipere queunt, nec facere 469. b. hominibus nec volunt obeſſe, nec poſſunt 74. a. nudi ſunt 359. a

Diis nulla coactio, ſed voluntas æterna pro lege eſt 803. a

Diis præter voluntatem nihil præſtare poſſumus 832. a

Diis quæ cauſſa benefaciendi 469. b

Diis quæ objici ſoleant 533. a

Diis nullius rei indigentibus nihilominus gratia referri poteſt 647. a

Diis aliter viſum eſt, Di melius, in diverſis dici ſolet 482, 483. b

à Diis quæ petenda 33. b

cum Diis verecundè agendum 840. b

Dextro Tribuno Lepidus cervicem præbuit. 9. b

Diadumenos 225. b

Διαλεκτικὴ in duas partes dividitur 399. b

Dialecticæ interrogationes exturbandæ ſunt 337. b

Dialectica lex *ibid.*

Dialectica animalia 602. b

Dialectici ſolùm curant Non & hoc 153. b

Dialecticorum libri à limine ſaltem ſalutandi, nec in iis tempus terendum 176. b. interrogationes & captiones reprehenduntur 163, 167. b

Dialecticorum ſcholis jactatum ſophiſma 380. b

Dialecticorum veterum diſtinctio inter ſapere & ſapientiam 578. b

Dialogorum altercatio 772. a

Dicendi celeritas in philoſopho improbatur 136, 137. b

Dicendi genus corruptum ex corruptâ vitâ naſcitur 558, 559. b

Digitized by Google

Dicta perdere 133.a
Dictator olim magiſter populi dictus 538.b
Dicturi apud populum varie afficiuntur 35,36.b
Didymus grammaticus quattuor millia librorum ſcripſit 392.b
Dies quid 40.b
Dies unus quomodo par ſit omni *ibid.*
Dies ater 563. a. feſtus ſervorum 160. b. muneris 437. b. nivalis 756. b. rerum agendarum 65. b
Diei gyrus anguſtiſſimus 40 b
Diei noctiſque officia commutantium reprehenſio 606.b
Dies quibuſdam longi videntur, noctes breves 515. à
Dierum feſtorum cauſsâ veſtis mutatur 65.b
Diebus feſtis & voluptati dicatis quomodo ſapientiæ ſtudioſus ſe gerat. 65.b
Dieſpiter Vicæ Potæ F. 852.b
Diffuſio animi 531.a
Digitus ad caput relatus, impudici indicium 179.b
Digiti ſanguine litatum nubibus 757,758.b
Digitis ſummis ambulare 550.b
Digitulos ducere 243.b
Dignatio 79,98.b
Dignitas faciliùs creſcit quàm incipit 498.b
Diligentia quorumdam ſupervacua 507,508 a.
Diluvii tempus 736. b. fatalis cauſſæ deſcriptio 730,734,735.b
Diodorus Epicureus ſibi gulam præſecuit 551.a
Diogenes à puero cavâ manu bibente doctus, calicem frangit cum ſui objurgatione 405. b Alexandrum vicit 751, 752.a. an rectè obvios quoſq; monuerit 107, 108.b.regias opes calcavit 750.a.ſerviit 159. b
Diogenis dictum, cum ſervus unicus ei aufugit 360.a. felicitas 395. a
Diogenis Apolloniatis opinio de fulmine & tonitru 674. b. opinio de Nili incremento examinata 753.b
Diogeni Stoico de irâ diſſerenti adoleſcens protervus inſpuit 152.a
Diomedes 178.a
Dionyſius major jure multis regibus præferri poteſt 447.a
Dionyſius tyrannus 276.a
Diplomata 446,846.a
Diſcendi cupiditas quomodo dirigenda 530.a
Diſcendum non ſemper, ſed & præcipiendum 125,126.b
Diſcendum quàm diu ſit 292.b
Diſcenti quod debeat eſſe propoſitum 530.b
Diſceſſionum more reſpondere 527.a
Diſcingere 434. b
Diſertus 721. a
Diſpectus rerum 446.b
Diſplicentia ſui unde 343.a
Diſputationes quid ſint 507.b
Diſputationes dialecticorum improbantur 163, 164. b
Diſputatiunculæ inanes arguuntur 581.b
Diſtillatio una tuſſim, aſſidua & vetus phthiſin facit 290.b
Ditis janua 858.b
Dives quomodo quis celerrimè fieri poſſit 64, 589.b
Divitis & pauperis comparatio 321.b
Diviti cuidam tandem panis & aqua defuit 372, 373. a
Divitem quem vulgo exiſtiment 173.b
Divites an animoſiùs detrimenta ferant 358.a. cur magni videantur 300.b. mendicis miſeriores 411. a. ſæpè pauperibus ſimiles ſunt 190,191.a
Dividere ſententiam 529. a. 80.b
Divinatio è fulmine, avibus & animalibus irridetur 682,683.b
Diviſio nulla & nimia idem vitii habet 395.b
Divitiæ quæ ſint 105.b bonum non ſunt 322, 561.a. licet utiles & habendæ ſint, non tamen in bonis numerantur 561.a. naturales 590. b. quæ ſint magnæ 10. b. quo loco apud ſapientem ſint 558.a. quomodo certæ fiant 783,784.à
Divitiæ tenent illum,non divitias habet ille, dicendum 592.b
Divitiarum contemptus 76,547.b. inſtabilitas 743.a. maximum exemplum Lentulus augur 642.a. modus quis 5.b. vituperatio 358, 359.a. latentium in ſummâ terrâ ſigna diſpoſita 701.a
Divitiis quis maximè fruatur 53.b
Divitiis incommoda non rectè imputantur 179.b
Divitias laudantes poëtæ facem ſubdunt affectibus

bus 571. b
Divitias paraſſe, multis non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio 64.b
Divitias quomodo & ſtultus & ſapiens poſſideat 564. a
D. Julius, vide *Julius Cæſar.*
Diurnum accipere 302. b
Docenti & diſcenti idem debet eſſe propoſitum 530.b
Doctrinæ exemplaris efficacia 16. b
Δόγματα, decreta, ſcita, placita 457. b
Dogmata ſapientiæ non eſſe ſuperflua 472.b
cum Dolabrâ ire piſcatum 718. b
Dolendi decor ſapienti ſervandus 490.b
Dolendi finem qui conſilio non facit, tempore invenit: quàm benè ab omnibus dicatur 220. b
Dolendum quomodo ſit ob amicos amiſſos 218. b
Dolentium verba querula 309. b
Dolor omnis aut tolerabilis eſt, aut brevis 308.b. citò in odium venit 221.b. futurorum non eſt præoccupandus 45. b. qui extenditur, nec magnus eſſe, nec qui magnus eſt, extendi poteſt 439. b
Doloris contemptus 328. a. 310, 311, 312. b. contumacitas 200. a. oſtentatio 498.b. ſolatia & remedia 210, 211, 219 a. 308.b.
Doloris opinione vexamur 396.a
Dolore doloris ſenſus amittitur ob duas cauſſas 308.b
Dolorum maximorum ſedes in macerrimis corporis partibus *ibid.*
Domina ſervorum beneficio ſervata 677. a
Dominus, olim pater familiæ dictus 160.b.
Dominus ejuſdem rei quomodo duplex eſſe poſſit 838.a
Dominis ſola ſervorum corpora obnoxia ſunt 674. a
Dominorum in ſervos ſuperbia reprehenditur 155. b
Dominorum injuriis in ſervos poſitus judex 675, 676. a
Dominos obvios ſalutamus, ſi nomen non ſuccurrit 6. b
Domitius à ſervo ſervatus 678.a
Domitii clementiæ Auguſti debentur 444, 445. a
Domus puſilla reſpublica 160. b
Domus recta 495. b
Donarine quid amicis, ſapienti, regi, reip. poſſit 835, 836.a
Donare, res difficilis 559. a
Donatio & munus diverſa 782.a
Donatio inconſulta 707.a
Dorica lingua 304.b
Dorus librarius 838.a
Doryphoros 215.b
Doſſenni monumento inſcriptus titulus 396.
Dracones 724.b
Dracones inter pocula ſinuſque innoxii 82.a
Druſus Cæſar pronepos Attici 78.b
Druſus Germanicus pater Claudii Cæſaris 231.a
Druſus Libo adoleſcens nobilis conſilium ab amitâ Scriboniâ petiit, mortemne ſibi conſciſceret an exſpectaret 256.b
Druſi Liviæ F. res geſtæ & mors 246.a
Druſilla in cælum ire viſa 845.b
Druſillæ ſororis mortem quàm acerbè tulerit C. Cæſar 235.a
Duci victor jubet 10.b
Duci jubere 34, 130, 378.a
Duillius primus navali prœlio vicit 508, 509.a
Duillii 444. a
Dupondio ſatur 66.b
Duramentum 334.a

EARINUS puer 340. b
Ebrietas 24. a. Ebrietas interdum utilis 24, 386. a. unius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat 213. b. voluntaria inſania eſt 344.b
Ebrietatis accuſatio 344, 345. b. effectus 93.b
Ebrietati honor habitus 605.a
Ebrietate devinctus animus non eſt in ſuâ poteſtate 343.b
ab Ebrietate quomodo deterreant Zeno & Poſidonius 342, 344.b
Ebrius duobus modis dicitur 344.b
Ebrius & ebrioſus differunt 342.b
Ebriis an committendus ſecretus ſermo 342, 344.b
Ebucii Liberalis laus 746. a
Ebullire animam 848.b
Echini 463.b
Ἐκνεφίαι venti ut fiant 771.b

Ectypa

Ectypa imago 679.a
Edictum, eſſatum & enuntiatum idem 579.b
Editio publicavit monumenta ingeniorum, etiam ad indignos perventura 728.a
Educationis vis 63.a
Effatum & enuntiatum idem 579.b
Effectus quibuſdam præſtandus eſt, quibuſdam pro effectu eſt, omnia attentaſſe ut efficerent 480.a
Effligere 27,83.a
Effocari bonis 487.a
Effractarius 249.b
Effricare rubiginem 466.b
Egere neceſſitatis eſt 29.b
Egeſtas & paupertas 199.b
Egeſtas non obſtat philoſophiæ ſtudio 62.b
ad Egeſtum venter corpora exhaurit 738.b
Ἐγκολπίας ventus 768.b
Ἐγκύκλιοι artes 388.b
Egnatii Auguſto inſidiantur 441,491.a
Εἶδος quid Platoni 204.b
Εἰκονισμοὶ 474.b
Ejuratio bonæ ſpei 565.a
Electio vi & metu petit 635,636.a
Elementa mundi 581.b. prima 690.a. quattuor 713.b. & totidem eorum poteſtates 63.a
Elementorum diviſio ſecundum Ægyptios 714.b
Elementorum alterni recurſus ſunt 712.b
Elementarius ſenex 130.b
Elephantem in genua ſubſidere & ambulare per funem jubet mimus Æthiops 362.b
Elephantes porcina vox terret 56.a
Elephanti cxx. ante currum ducti 511.a
Elephantorum gregem excelliſſimus ducit 400.b
Elephantorum jugo colla ſubmiſſa 82.a
Elephantorum duodeviginti pugna cum noxiis hominibus 510.a
Elephantos quis primus in triumpho duxerit 509.a
Eleuſis 841.b
Elleborus 347.b
Elleboro ſtultos curare 651.a
Ellius leno 322.a
Eloquentis votum litium numerus 823.a
Emi quæ putamus 145.b
Empedoclis ſententia de naturali aquarum fervore 724.b
Empta precibus, omni re cariora 616.a
Empta quædam pluris ſunt quàm vænierunt 796.a
Emunire 459.a
Enervata felicitas 318.a
Ennius Homerum imitatus 539.b
Ennii verſus ex Ciceronis libris de Rep. *ibid.*
apud Ennium ſitus multum verborum occupavit 200.b
Ἐποπίζαιος 806.b
Ens, vide *Quod eſt.*
Entia in ſex modos Plato partitur 202.b
Enuntiativum, enuntiatum, eſſatum, edictum 579.b
Epheſtios regio herbida, innoxia ab igne circumeunte 31.b
Epheſus 507.b
Ephorus hiſtoricus non religioſiſſimæ fidei, ſæpè decipitur, ſæpè decipit 830.b. hiſtoriis componendis utilior ab Iſocrate judicatus eſt 357.a
Epicurus an meritò reprehendat Stilponem & eos qui dicunt ſapientem ſeipſo eſſe contentum 25,30.b. cum Metrodoro ſuo Athenis ignotus, & Græciæ penè inauditus 317.b. dolorem etiam appetit 582.a. dulce eſſe torqueri dicit 235, 248.b. duo bona agnoſcit 241.b. exulcerati ventris dolore tortus beatiſſimum & ultimum ſe diem agere ait 242,432.b. fortis eſt, licet manuleatus ſit 123.b. honeſtè vivendum eſſe docet 80. immeritò mollia præcipere putatur 416.a. objurgat & eos qui concupiſcunt mortem, & eos qui timent 95.b. Senecæ judicio, ſancta & recta præcipit 542.a. ſervos amicos vocat 500.b. Stilponis objurgator 30.b. Stoicis conſentit 326.b. tria proficientium genera facit 177.b. voluptatis magiſter certis diebus famem experiri ſolitus 67.b
Epicuri angelus Seneca 76.b
Epicuri dicta 42.47,53.60, 64, 68, 69, 72, 75, 84, 87, 95, 97, 101, 105, 107.b. egregium dictum 21, 480.b. dictum de philoſophiæ ſervitute 24.b. dictum omnibus philoſophis commu-

Digitized by Google

commune 11. b
Epicuri dicta cur commemoret Seneca 79,80. b. inepta diſtinctio de beatitudine ex virtute & voluptate 156. b. epiſtola 25,27,30,318. b
Epicuri epiſtolæ ad Idomenea 78. b. epiſtola ad Idomeneum de occaſione obſervandâ 82. b. epiſtolæ ad Polyænum 67.b. objurgatio quod Deum inermem faciat, & tamen colat 719.a. præceptum 36. b. opinio de terræ motu 802. b. ſententia nobilis ad Idomeneum 79. b. ſententiæ ejus cur notentur à Senecâ 123. b. ſententiæ de paupertate 5. b. ſecta non otioſa eſt 581, 582. a. & immeritò malè audit 542. a. voluptas ſicca & ſobria eſt 541. a. vox virilis 416, 417.a. voces, publicæ ſunt 24, 79. b
Epicuri non ſchola, ſed contubernium magnos viros fecit 16.b
Epicuri hortulis quid inſcriptum 80. b
Epicuro objecta vitæ & doctrinæ diſſenſio 550. a. objectum quòd pecuniam conſumpſerit. 578. a
Epicuro quæ ſit Dei felicitas 699. a
Epicuro teſtimonium redditum 656.a
cum Epicuro quieſcere 512. a
Epicurum compilat Seneca 24. b
Epicurea bonorum diviſio 241. b
Epicurea cantilena de vano inferorum metu 93. b
Epicurea voluptatis laudatio cur pernicioſa 541. a
Epicureæ voces 251.b
Ἐπικούρειος θεὸς 851. b
Epicurei duas philoſophiæ partes ponunt 397.b
Epicureorum delicata & umbratica turba voluptatem virtuti præferentium arguitur 697. a. opinio, voluptatem à virtute diduci poſſe negantium, refutatur 532,533,538.a
Epicureorum vituperatio 713. a
Epicureorum & Stoicorum diſſenſio de ſapientis otio 574.a
Epicureum chaos 274.b
Epigenes duo Cometarum genera facit 822. b
Epigenis opiniones de meteoris & Cometis refutatæ 820,821,822, 823. b
Epiſtola non debet ſiniſtram manum legentis implere 153. b
Epiſtolæ præmittere, Si vales, benè eſt, mos antiquis fuit 54. b
Epiſtolæ amicorum imagines ſunt 137. b
Epiſtolæ clarorum obſcuros alioqui homines notos faciunt 77, 78. b
Epiſtolæ Senecæ quales ſint 288
Epiſtolæ & codicilli 190. b
Epiſtolarum commercium utile 134. b
Epiſtolis adſcribendæ voces gravium auctorum 123. b
Epiſtomia argentea 365, b
Epulæ funereæ 41. b
Eques Romanus 147. b. nomen ex ambitione natum 120. b
Equeſtria & locus in Equeſtribus 848.849.a
Equeſtris hereditas 661.a
Equum empturi, nudum adſpiciunt 322, 323.b
Equi albi regium currum trahere ſolebant 129.a
Eraſinus fluvius abſorptus tandem rurſus emergit 729. b
Eretrici 394. b
Ergaſtulum 118,143.a
Erixonem equitem Rom. populus, ob *filium flagellis occiſum, graphiis* confodit 452. a
Errori non iraſcendum 52.a
Errorum amor cum errandi neceſſitate conjunctus 53. a
Eſcendere 373,387.a
Eſſedæ tranſcurrentes 193. b
Eſſedarius 109. b
Eſſentia vox à Cicerone & Fabiano uſurpata 200. b
Eſt, i. *edit.* 99. a 541. b
Eſtur 118. a
Eteſiæ à nautis ſomniculoſi & delicati vocantur 770. b. an cauſſa ſint incrementi Nili 752. b. in Italiâ nubes conſiſtere non patiuntur, at Indiam & Æthiopiam continuis aquis irrigant 777.b
Eteſiarum cauſſa & tempus 770. *& deinceps* b.
Etruſci & philoſophi in quibus de fulminibus conveniant & diſſentiant

Digitized by Google

tiant 689.692.b
Etruſcorum diſciplinam Attalus Græcâ ſubtilitate miſcuit 694. b
Evander in Tiberis ripâ regna Arcadum collocavit 178.a
Evaporatio è terris varia 632.b
Eudoxus primus ab Ægypto in Græciam aſtrorum ſcientiam transtulit 820. b
Euphrates 491,683.a. 628,779.b
Euphroſyne Gratiarum media 594.a
Euripus 341.b. Euripi 405.b
Euripidis opinio de Nili incremento 751.b
Euripidis verſus recitati populum ad ejiciendum tragœdiæ actorem concitant 572.b
Euronotus 676.b
Europæ Aſiæque terminus 790. b
Eurus 765. b. Latinis Vulturnus *ibid.*
Eurynome mater Gratiarum,& cur 595. a
Euthymenis Maſſilienſis teſtimonium de Nili incremento 752.b
Εὐθυμία 342.a
Exarmare 112.b
Exauctoratus 122.b
Excalceari 299,300.b
Excalceati & cothurnati 24.b
Excarnificare 455.a. 92.b
Excarnificatus animus 99.a
Exceptiones nigræ 164, 165.b
Excerpta 123.b
Excuſatiſſimus 573.a
Exemplar, inſtrumentum eſt cauſſæ neceſſarium 227.b
Exemplar, Platonis Idea 226. b
Exempla plus proſunt quàm præcepta 16.b
Exempla quàm efficacia ſint 36,37.b
Exequias immaturas fax cereuſque præceſſit 370. a
Exerceri ad palum 67.b
Exercitationis finis 340.b
Exercitationes quæ conveniant,quæ non 55, 56. b. quæ deligendæ 386. a
Exercitus in centurias deſcribi ſolet 395.b
Exitus bonorum mali non debent nos contriſtare 381,382.a
Exoleti 506. a
Exoletorum agmina per nationes coloreſque deſcripta 462. b. plauſus 41. b
Exoletis articulos malacisſandos præbere 243. b
Expetendum & adexpetendum quid 577.b
Expeti propter ſe quid dicatur 719.a
Expiationes quid proſint, ſi fata immutabilia 616. b
Exportatio 371.a
Exprobratrix memoria 859. a
Exſanguia ſcripta 222.b
Exſecrantium voces nocent 450.b
Exſibilare 99.a
Exſilium quid ſit 172.a
Exſilii metus ut demendus 866. b. remedia 179.a
Exſpuere ſpiritum 159.a
Exſulis paupertas nullum incommodum habet 188,189, 190.a
Exſurdatus clamoribus 452. b
Extraordinaria imperia 688,767.a
Extrinſecus auſcultantes 125.b

FABELLA, i. *hiſtoria* 303,382.b
Faber inquilinus 193.b
Fabrilia ferramenta non eſſe à ſapientibus excogitata 404. b
Fabianus arcus 391.a
Fabianus Papirius à Cicerone, Aſinio & Livio ſaltem vincitur 496.b. dubitabat, an ſatius eſſet nullis ſtudiis admoveri, quàm his implicari 511. a. diſertus & elegans 200. b. philoſophus verus & antiquus contra affectus impetu pugnandum ait 500, 501. a. populo diſſerebat, ſed modeſtè audiebatur 179. b. citatur 295. a
Fabiani viri & vitâ & ſcientiâ & eloquentiâ egregii diſputatio expedita, non concitata 140. b
Fabiani Papirii libri ad philoſophiam pertinentes 496. b. libri de civilibus 193. b. opinio de fine mundi 731. b. oratio qualis 494.b
Fabiani pudor in ſenatu decens 36. b
Fabius cunctator 726. a. cunctando imperii vires recreavit 20.a
Fabius Eques Rom. 858. b
Fabius Maximus 443.a. 366 b
Fabius turpiſſimam imperatori aiebat excuſationem, Non putavi 81. a
Fabius Perſicus impurus in ſa-

in ſacerdotium propter majores receptus 731. a
Fabii Perſici pecunia à Julio Græcino repudiata 638, 639. a
Fabii Verrucoſi dictum 620, 621. a
Fabii 337. b. trecenti 731. a
Fabii ccc. non victi, ſed occiſi dicuntur 749. a
Fabricius divitias imperator rejecit, cenſor notavit 485. b. Pyrrhi regis aurum repulit 595. b. Pyrrhum monuit ut inſidias medici vitaret *ibid.* quibuſdam parum pauper eſt 598. b. triumphalis ſenex radices & herbas cœnat quas in agro repurgando vulſit 316, 311. a
Fabricii paupertas 310. a
Fabulæ vita ſimilis 306. b
Fabuloſum fretum 149, 150. b
Facere, i. parare, exercitum 564. b
Faces, vide poſt *Fax*.
Fallacia fulmina 693. b
Fama 505, 506. b
Fama multos non excipere, ſed eruere ſolet 317. b
Famas petere 565. b
Familia periculum adit, cùm incertum eſt an mors domini voluntaria fuerit 303. b
Familiæ nomina in primâ parte ædium collocantur 681. a
Familiares olim dicti, qui nunc ſervi 160. b
Fames ambitioſa non eſt 592. b. malum panem ſiligineum reddit 613. b. parvo conſtat 62. b
Fames & ſitis ſedatu facilis 11. b
Fames exercitus Perſici 128. a
Fax cereuſque immaturas exequias præceſſit 370. a
Faces diurnæ 633. b
Faces igneæ 631. b. quomodo fiant 821. b
ad Faces & cereos funera ducenda 523. a
ad Faces & cereos vivere 609. b
Fanum 840. a
Faſces duodecim 143. a. honoris inſignia 599. a
Faſciam ſolve 323. b
Faſtos occupare uno nomine 40. a
Fatigatæ allocutiones 244. a
Fatum quid 704. a. 686. b. idem cum Deo 704. a. 691. b
Fatum rerum commune 300. a. 419. b
Fatum unum eſt, nec fulmine mutari poteſt 685. b
Fatum non tollit philoſophiæ ſtudium 60. b
Fati lex prima 686. b. circuitus 785. b. objurgatio quotidiana 434. b
Fato tam divina quàm humana reguntur 324. a
Fata an ita immutabilia ſint, ut expiationibus & votis averti non poſſint 686. b
Fata Deus quidem ſcripſit, ſed ſequitur 324. a
Favere, ac plaudere 758. b
Favete linguis, in ſacris dici ſolitum 566. a
Favonius idem cum Zephyro 775. b
Favonii indicium 635. b
Febriculæ longas deſtillationes ſequuntur 306. b
Febris dea Claudium comitatur 849. b
Febris præcordia torrens 311. b. viſcera torrens 49. b
Febris peregrinatione diſcutitur 513. b
Febris natura 797. b
Febrium genera innumerabilia unde 459. b
Febrem habere dicimur, cùm illa nos habeat 592. b
Febres quædam valetudinem levant 162. a
Februarius 370. b
Felicio Senecæ oſtiarius 39. b
Felicitas avida eſt & alienæ aviditati expoſita 71. b. bracteata 570. b. enervata 318. a. iracundiam nutrit 68. a
Felicitas divitum perſonata 322. b
Felicitas vera ubi poſita ſit 548. a. Deo proxima 75. b
Felicitatis immoderatæ incommoda 510. a. 136. b. inquietudo 129. b. intemperantia periculoſiſſima 319. a. reprehenſio 327. a
Feliciter, quod agis 248. b
Felix nemo fiat alienâ infelicitate 454. b
Felix vulgi, voluptatum ſervus eſt 545. a
Felicis cognomen honori datum 452. a
Felices ad ſimilitudinem ſuorum parietum extrinſecus culti ſunt 327. a. cujus rei inopiâ laborent 811. a
Felicium exclamatio, quod vivere non liceat 496, 497. a
Felicium gaudia & tempora miſera 516, 517. a
Feminæ equo donatæ 271. a.

271.a. podagricæ & calvæ medicorum maximum mendacem faciunt 461.b. per liberos ambitioſæ 195.a quædam non conſulum numero, ſed maritorum, annos ſuos computant 668.a
Feminarum adulteria 669.a. luxuria & libido 198.a. 460.b. voluntas mobilis & vaga 868.b. fecundas facientes aquæ 707.b
Feminis annus ad lugendum conſtitutus 221.b. luctus ſpatium decem menſium datum 197.a
Fenerator quando malè audiat 633.a
Fenerator valetudinarius 145.a
Feneſtella 538.b
Fenus quid 846.a
Feræ nullum eſt beneficium 636.a
Feræ primæ formæ 311.a
Feræ hominis convictu manſueſcunt 106.a. irâ carent, ſed non impetu 7.a
Ferarum domitores 361.b
Ferarum venatio & poſſeſſio periculoſa 545.a
Fercula multa multos morbos fecerunt 459.b
Ferculum alienum 563.a
Fercula pro congiariis numerare 356.a
Ferias menſtruas certis diebus ſibi quidam dederunt 545.a
Feritas quid 475.a
Feritatis origo & deſcriptio 47.a
Ferrum cur effoſſum 846.a
Ferrum in igne eſt 853.b
Feſti dies cur inſtituti 383.a. quomodo philoſopho agendi 65.b. vide *Dies.*
Fictiles 121.b
Fictiles dii 187.a
Fictilia 13.b
Fides 390.b
Fides hominum impreſſis ſignis creditur 667.a
Fides penes auctores erit, dictum hiſtoricorum 754, 848.b
Fidiculæ 97.125, 284.a
Fido Annæo longior 740.b
Fidus Cornelius ob Corbulonis contumelioſum dictum lacrymatus eſt 418.a
Figuli rotæ inventor 412.b
Figura 625.a
Filiæ malè conſulens 727.a
Filius quantum patri debeat 684, 685.a
Filio datum beneficium, an ad patrem pertingat 770.a
Filiorum exempla patres beneficiis vincentium 692, 693.a. exempla patres illuſtrantium 687.a
Fines Athenienſium aut Campanorum quos vocemus 836.a
Finita fulmina 692.b
Finitio 6.a
Finitor ſeu finiens ὁρίζων Græcis 777.b
Fiſcus 839.a. tanti eſt, quantum habet 376.b
Fiſci in angulo jacentes 144.a
Fiſtulæ plebeiæ 365.b
Fitillâ religioſi 600.a
Flacci mors 218.b
Flamma ingentis pilæ ſpecie viſa 631.a
Flaminius circus 767.a
Flavi cur iracundiſſimi 65.a
Flectendum interius in curſu, circi certamine, & vitæ ſpatiis 362.a
Flendi jus ab Homero præſcriptum 218.b
Flendi larga & aſſidua materia 213, 214.a
Fletus primum naſcentium omen *ibid.*
Fletus naſcentium cauſſa 509.b
Florales joci nudarum mulierum 479.b
Floſculi non ſunt viro ex auctoribus captandi 125.b
Fluctus quid 76.b
Flumen in idem bis non deſcendimus 204.b
per Flumen gratis vehens an beneficium det 800.a
Flumina in uſum hominum à Deo tributa 701.a. cur aliquando ſiccentur, aliquando nova emergant 712.b. cur quædam æſtate augeantur 728.b. cur quædam certis menſibus magna, certis anguſta 717.b. cur quædam in ſpecum palam decidunt, quædam paullatim intercidunt, eademque ex intervallo revertuntur 728, 729.b. quædam cum ipſo mundo cœperunt 723.b. ſubterranea 773, 774, 792.b
Fluminum curſus quomodo continuetur 708, 709, 713.b. quorumdam vis mira 726.b
Fluminum magnorum capita veneramur 142.b

Fluminibus gratiæ non aguntur 788.a
Focale 762.b
Focos cum obſoniis transferre luxuria commenta eſt 312.b
Folliculi 777.b
Fontem monſtrare ſitientibus, beneficium eſt 662.a
Fontes certo tempore purgamenta ejectantes 729.b. cur aliquando ſiccentur, aliquando novi emergant 712.b. cur quidam ſenis horis pleni, ſeniſque ſicci ſint 716, 717.b. quidam ſacri 142.b
Fontium perpetuæ cauſſæ 721.b
Forati animi 502.a
Forma Ariſtoteli Idos 225.b
Forma non cauſſa eſt, ſed pars 226,227.b
Formido noxia 811.b
Formido nimia multos ad mortem coëgit 9.b. vaticinantes & attonitos reddit 811.b
Formidoloſa 322.a
Formulâ cadere 165.b
Formulâ excidere 475.a
de Formulâ diſputare 765.b
ad Formulam ſpectat 684.b
ad Formulam vivere 369.a
Fortis 721.a
Fortis quis abuſivè 650.a
Fortis vir quis 404.a
Fortis ſine timore eſt 358.b
Fortes naturâ iracundi ſunt 61.a
Fortitudo quid 650.a. 359, 389, 557.b. tam in Perſas quàm in altè cinctos cadit 123.b. Stoicis eſt animal 553.b
Fortuita non ſunt bona 375.b
Fortuitorum metus inanis 279,280.b
Fortuitorum præmeditatio & contemptus 23, 418,557.b. remedia 864.b
Fortuitis omnes ſubjecti ſunt 9,10.b
Fortuna neque boni neque mali aliquid nobis tribuit 482.b. non habet longas manus 332.b. quos ſibi adverſarios aſſumat 258.a relinquenda eſt 333.b
Fortuna magna, ſervitus magna 217.a
Fortunæ contemptus 328 a. jus nullum in præteritum 501.a. ludus 281.b. momentanea varietas 10.b. munera philoſopho vitanda 22.b. potentia 418,421.b. regnum 260.a. inſtabilitas 704.b
Fortunæ bona non excluduntur à ſapiente 556.a
Fortunæ certamen fortiores reddit 320.a
Fortunæ indulgentiâ opus eſt ad virtutem tendenti 548.a
Fortunæ manus ſunt homines potentes 404.a
Fortunæ nihil intactum 233.a
Fortunæ omnes copulati ſunt 365.a
de Fortunæ fide nihil ſibi promittendum 376 a
de Fortunæ iniquis præmiis quid ſentiendum 382.a. cum Fortunâ expoſtulatio 211,212.a
Fora trina 52.a
Frenos mordere 387.
Fragor 680.b
Frater, alterius frater eſt 758.a
Fratrum diſſidentium alter ſi ſervetur, an alteri fratrem non periiſſe moleſtè ferenti beneficium detur 772.a
Fratrum morte ſeparatorum exempla 229.a
Fraudator beneficiorum 726.a
Frendens 35.a
Frigidum nihil ſine aëre 118.b
Fritillus 857,860.b
Fritinnire 164.b
Frontis infirmitas 616.a
Frugalitas quid 62.b. commendatur 361.a. ſenectutem producit 206.b
Frugalitatis indicium non eſt auri & argenti odium 12.b
Frumentum publicum 728.b
Frumentum vendenti quantum emens debeat 795,796.a
Frumenti publici cura 521.a
Fucinus lacus 708.b
Fugit dies Virgilio 536.b
Fugitivi divites in Mimo 561.b
Fulgere mediâ correptâ dicebant antiqui 697.b
Fulgetra 696.b
Fulgor 697.b
Fulgores quomodo fiant 652, 697.b
Fulguratio quid 696.b
Fulgurationis & fulminis diſcrimen 672,673.b
Fulgurationes, fulmina & tonitrua ſimul fiunt 669.b
Fulgurationum cauſſa 632.b

Digitized by Google

Fulguris cauſſa, nocte tranquillâ 679.b
Fulguritus 134.a
Fulguritus odor ſulphureus 676.b
Fulguritorum capita ad exitum fulminis ſpectant 682.b
Fullo 637.b
Fullonius ſaltus 56.b
Fulmen cur, igneum cùm ſit, terram petat 677.b. cur obliquè feratur 698.b. cur ſubitum appareat & ſine ignis continuatione 697.b
Fulmen placabile, & pernicioſum 690.b.
Fulmen & fulgor quid differant 797.b
Fulminis mira opera 682.b
Fulminis & fulgurationis diſcrimen 672,673.b
Fulmine cur montes plerumque feriantur 698.b
Fulmine icta verminant 682.b
Fulmini vis ineſt peſtifera 695.b
Fulmina an à Jove mittantur 689,690,691,692.b. cur æſtate plurima 697.b. futurorum prænuntia 682.b. privata & publica 692.b
Fulminum ars triplex 684.b. auctoritas in auguriis & auſpiciis 685.b. cauſſa 632.b. diviſio juxta Attalum 693, 694.b. diviſio juxta Etruſcos 692.b. tria genera juxta Cæcinnam 688.b. genera vera *ibid.* metus eximitur 698.b. metus ad quid proſit 690.b. nomina 693.b. procurationes & expiationes quid proficiant 686.b. vis 694.b
Fulminum ſcientiâ valent Tuſci 682.b
Fulminant inferiora 102.a
Fulminatio 669.b
Fumus, hoſpitum indicium 222.b
Funebris laudatio, non laus, dicitur 506.b
Funerare 168.a
Funerari 191.a
Funeſtare 232.a
Funus tacitum 340.a
Funera quomodo deflenda 490.b
Funeribus neceſſaria vendens damnatus Athenis 822.a
Fur deprehenſus 192.b
Furem ſignata ſollicitant 249.b
Furant 462.b
Furentium indicia 3.a
Furiæ inferûm 90.a
Furimus 464.b
Furnius quomodo patri Antonianas partes ſecuto veniâ impetratâ Auguſtum demeruerit 641.a
Furor ex irâ 91.a. ut curandus 441.b
Furtum quomodo ſapienti fieri poſſit 840.a
Furtiva ſcelera 51.a
Futuri cur homines avidi 122.b
Futura, bona non ſunt 582.b. proſpiciendo molliuntur 369.a
Futurorum metus taxatur 287,483.b

GALATIÆ fluvius colorem animalibus mutans 726.b
Gallia cur fluminibus abundet 709.b. ſalubritatem cæli Circio vento debet 777.b
Galliæ populi truces & inconditi 179.a
Galliæ 628.b
Gallus in ſuo ſterquilinio plurimum poteſt 850.b
Galli in Græciâ 177.a
Galli Germanos ceciderunt 20.a
Gallorum gens à Caſſandro obſeſſa 712.b
Gallis omnibus civitatem ſi princeps dederit, quantum ſinguli debeant 801.a
Gallos togatos videre conſtituerat Claudius 846.847.b
Gallio Senecæ frater 525.a. adulationis oſor 743.b. in Achaiâ febricitans, navem adſcendit ut morbum evitet 513.b
Gallio citatur 770.b
Ganea 843.b
Gaudium invectitium 86.b. verum 482.b
Gaudium ſecurum ſola virtus præſtat 102.b
Gaudium ex conſulatu, ex nuptiis, &c. percipere, an benè dicatur 209.b
Gaudii & voluptatis diſcrimen apud Stoicos 209.b
Gaudio vero ſoli ſapientes fruuntur 86.b
Gaudia mala impropriè dixit Virgilius 209.b
Gaudia occupatorum trepida 516.a
Gaudere non poteſt niſi bonus & ſapiens 214.b
Gauſapatus 181.b
Geminus Varius Vinicium tractim dicentem, diſertum negat 140.b
Gemmâ miniſtrare 315.a
Gemmea ſupellex 547.b

Digitized by Google

Generoſus quis 148.b
Genius ſingulis adſignatus 544.b
de Genu pugnare 306.a
Genus generale, & genera ſpecialia 201,202.b
Genus ſummum, Quod eſt *ibid.*
Genus Stoicis ſummum quodnam 202.b
Genus eſſe aliquod probatur 201.b
Generis humani convitium 763.a
Geometres quid doceat 385.b
Geometrarum rationes cogunt 641,646.b
Geometria non facit virum bonum 383.b. ob ſubtilitatem lubrica 657.a
Geometriæ placita 457.b. pulvis 392.b
Geometriam diſcere cœpit Alexander 422.b
Germania 227,231,247, 767.a. 628.b. cur fluminibus abundet 709.b
Germanicus C. Cæſaris pater 731.a. frater Claudii Cæſaris 231, 232.a
Germanici mors non fuit ſine denuntiatione 631.b
Germanus puer protinus haſtile vibrat 131.b
Germani cujuſdam ad ſpectaculum ducti mors fortiſſima 259.b
Germani, avida belli gens 791.b. capillum nodo vinciunt 622.b. iracundiſſimi 20,61.a
Germanorum animoſitas & patientia 20,321.a
Germanorum tranſitus non inhibuit Pyrenæus 177.a
Germanis iracundia cladis cauſſa 20.a
Germanis rufus crinis & coactus in nodum 137.a
Geruli 682.a
Geſtatio exercitationis ſpecies 187.b. commoda eſt 56.b
Geſtationum horæ 507.a
Gigantes 202.b
Glacies 755.b. potui miſta 762.b
Glacie rigorem potionis renovare 312.b
Gladiator ignominiam judicat cum inferiore componi 310.a
Gladiatorem in arenâ capere conſilium, vetus proverbium 81.b
Gladiatores 369,417.a
Gladiatores ira denudat 19.a
Gladiatoribus ignavis populus iraſcitur 5.a
Gladiatorius ludus 50.a
Gladiatorii muneris dies 515.a
Gladius bonus 296.b
ad Gladium vel ad cultrum locare 374.b
Globi ignei 631.b
Gloria quid 617.b. ex ſcriptis & converſatione eruditorum comparatur 77.b. multorum conſenſum requirit 505.b. umbra virtutis eſt, aliquando ſequens, aliquando præcedens 317.b
Gloriæ & claritatis diſcrimen 505,507.b
Gorgonius 368.b
Grabatus 66,75.b
Gracchana mala 493.a
Gracchus quibuſdam nimis cultus 563.b. vide *C. Gracchus.*
Gracchorum mater Cornelia 199.a
Gradarius 140.b
in Gradus quatuordecim deducere 662,663.a
Græca quo modo in Latina vertenda 342.a
Græcæ linguæ gratia 211.a
Græcæ ineptiæ 333.b
Græcæ urbes in mediis Barbarorum regionibus 176.a
Græcia major 177.a
Græcia admiratur patrem ſacra rite peragentem, filii morte nuntiatâ 266.a. Epicurum & Metrodorum pænè inauditos habuit 317.b. ſtellis numeros & nomina fecit 837.b
Græcus poëta 387.a. tibicen 293.b
Græci in Galliâ 177.a
Græci nominibus in ſpecies iram diſtinguunt 10.a
Græci quidam dicaces in Antigonum 131,132.a
Græcorum inutilia ſtudia 508.a. proverbium 558.b
Græcos hiſtoriæ coarguunt 636.b. togatos videre cupiebat Claudius 846.b
in Græcis dicendi celeritas fertur 140.b
Græcinus Julius vir egregius à C. Cæſare occiſus 638.a
Græcini Julii, ob non acceptam à Fabio Perſico & Rebilo infamibus pecuniam, objurgati reſponſa 638,639.a, vide *Julius Græcinus.*
Graii Maſſiliam incolentes, diu in Corſicâ conſederunt 178.a
Graius mons 119.b
Grammatica 375.b
Grammaticus circa curam ſermonis, hiſtorias & carmina verſatur 382.b.

Digitized by Google

182. b. non erubeſcit ſolœciſmum, ſi ſciens facit 457. b. quo animo Virgilium legat 536. b. & Ciceronem 538. b
Grammatici analectæ 104. b
Grammatici cuſtodes Latini ſermonis 473. b
Grammatici oculi 537. b
Grandiſcapiæ arbores 370. b
Grando quid 755. b. cur non hieme cadat *ibid.* cur rotunda *ibid.* quomodo fiat *ibid.*
Grandinis venturæ ſpeculatores nubibus immolant 757, 758. b
Graphio pungere *ibid.*
Graphiis confodere 452. a
Gratiane referenda iis qui inviti proſint 788. a. apud paucos poſt rem manet 608. a. per quæ etiam felicibus referri poſſit 810, 816. a
Gratiam referre beneficiis an res per ſe expetenda 696, 715. a
Gratiæ tantum demitur, quantum moræ adjicitur 619. a
Gratiam an retulerit beneficium grato animo accipiens 649. a
Gratiam an ſibi quis referre poſſit 754. a. referre ſcit ſolus ſapiens 326. b
Gratiam referre, & non reddere, dicimus 325. b
ad Gratiam reddendam quæ requirantur 655. a
Gratiæ non ſunt furtivè agendæ, in angulo, & ad aurem 639. a
Gratias ago mihi cùm dicimus, quid velimus 759. a
Gratiæ Jovis & Eurynomes filiæ, ætate minores quàm Horæ 595. a. cur tres, cur ſorores, cur manibus implexis, ridentes, juvenes, virgines, ſolutâ veſte 591. a. Veneri comites datæ 595. a. apud quemdam poëtam præcinguntur 594. a
Gratiarum nomina 593, 594. a
Gratiis cur Mercurius adſtet *ibid.*
Gratuita quæ vocemus 145. b
Gratus ſine impendio qui meminit 655. a. gratus eſſe poteſt ſolâ voluntate 647. a
Grati & ingrati comparatio 658. a
Grato animo nihil honeſtius 330. b
Gratine videantur qui incommoda precantur iis quibus obligati ſunt 806. a
Gratorum duo genera 720. a
Gravia an ſint quæ tardiùs moventur 840. b
Gregalia poma 609. a
Gregale tectorium 366. b
Gregibus maxima corpora vel vehementiſſima præſunt 402. b
Gryllus propter Xenophontem notus 687. a
Gubernator deteriorne fiat tempeſtate 359. b. duas perſonas habet 360. b
Gubernator etiam qui in ſicco 721. a
Gubernator nauſeabundus 539. b
Gubernatoris temerarii & cauti comparatio 50. b
Gulæ libido inſatiabilis & luxuria 185. a. 400, 401, 567. b.
Guloſi oculis 720. b
Gyarus 174. a
Gylippo Syracuſas petenti viſa eſt ſtella ſuper lanceam 633. b
Gymnicum certamen 60. a
Gyndes fluvius à Cyro in CCCLX. rivos diſperſus 128, 129. a

HABENT, & non habentur 32. a
Habere dicimus febrem, cùm illa nos habeat 592. b
Habitus qualis conveniat 12. b
Habitus animi rectus 471. b
Hadrianum mare 400. b
Hadriaticum æquor 737. b
Hædi 631. b
Hæmus aliquando aquarum inops fuit 712. b
Hallucinationes 566. a
Halo quomodo fiat 634.
Hannibal 21, a. 703, b
Hannibalis crudelitas 47. a. victor Scipio 518. a
Hannibalem fomenta Campaniæ enervarunt 173. b
Haphe 196. b
Harmodius & Ariſtogiton tyrannicidæ 852. a
Harpago liberi epulandi appoſiti 118. a
Harpaſte Senecæ uxoris fatua, ſe cæcam eſſe neſciens 169. b
Harpocras Claudii libertus 858. b
Haruſpices 436. a
Haſta civilis 4. b. prætoris 503. a
Haſtulæ contra fulmina 682. b
Haterii oratoris celeberrimi celeritas in dicendo improbatur 140. b

Hecaton 595,634.a. 13, 16.b. reprehenſus 638.a
Hecatonis dictum 26.b. exemplum de Calliſtrato 821.a. quæſtio 672.a
Hecuba minor an Helena 384.b
Hecuba ſerviit 159.b
Hederæ idoneæ eliciendis ignibus 676.b
Helena an Hecuba minor 384.b
Helice merſa 805,808, 809,815,821,830.b
Helis urbs 807.b
Helviæ Senecæ matris infelicitas 167,168.a. laus 196,197,198.a. pater 203.a. ſoror 204.a
Hemina ſanguinis 377.a
Heminam propinare 85.a
Heracleoticum oſtium Nili 750.b
Heracleto cognomen fecit orationis obſcuritas 40.b
Heraclitus in publicum procedens flebat 54, 380.a
Heracliti dictum 204.b. dictum de dierum paritate 40.b. opinio de fulguratione 696.b
Herba flaveſcit, & ad aream ſpectat 603.b
Herculanenſis oppidi pars terræ motu corruit 782,809.b
in Herculanenſi villa à C. Cæſare diruta 130.a
Herculaneus nodus 380.b
Herculaneus ſcyphus 346,347.b
Hercules 392.a. minimè vafer 849.b. ſolus à Corinthiis civitate donatus 609.a. totum orbem peregravit 609.a. vivus uſtus 802.a
Herculis laus 609,610.a. templum 851.b. veſtigia 834.a. 453.b
Herculis appellatio Deo aptari poteſt 705.a
Hereditas equeſtris 661.a
Hereditatem juriſconſulti negant uſucapi poſſe, ſed ea quæ in hereditate ſunt 786.a
Herennius Macer 421.a
Hermachus 124.b. ex tertiâ ſorte ingeniorum 177.b
Hermachum magnum virum fecit Epicuri contubernium 16.b
Heſychia, quies 425.b
Heſiodus major ætate, an Homerus 384.b
Heſiodus quæ nomina, & cur Gratiis impoſuerit 593.a
Heſiodo Thalia Charis eſt, Homero Muſa 596.a
Hiemantibus aquis 564.b
Hiemavit tempeſtas, annus, aquilo *ibid.*
Hieme calor ſub terris non eſt major 753.b
Hieme cur putei & ſpecus caleant 795.b
Hieronymi dictum 35.a
Hieran facere 340.b
Hippias tyrannus 69.a
Hippocrates in mendacio deprehenditur ob feminarum intemperantiam 460.b
Hippocratis medicorum maximi exclamatio 485.a. ſecta 457.b
Hippoperæ 374.b
Hiſpana machæra 777.a
Hiſpania 184.a. 628.b
Hiſpaniæ incolæ Pœni 177.a
Hiſpanias à contextu Africæ mare eripuit 812.b
Hiſpani Corſicam coluerunt 169.a. Germanos cædunt 20.a
Hiſpanis immunitatem ſi princeps dederit, quantum ſinguli eo nomine debeant 801.a
Hiſpanos togatos videre Claudius conſtituerat 847.b
Hiſtriones non irati ſunt, ſed iratum agunt 62, 63.a
Hiſtoriæ ingentis, minutiſſimè ſcriptæ & arctiſſimè plicatæ, recitator 456.b
Hiſtorica lingua 651.b
Hiſtoricus juratus 844.b
Hiſtorici 704.a. parelia ſoles vocant 649.b. vel falſa, vel incredibilia referre ſolent 830.b
Hiſtoricorum mos, cùm multa mentiti ſunt 754.b
Homerus 137.b. citatur 808.b
Homerus majorne ætate fuerit an Heſiodus, quæſtio inutilis 384.b. Neptunum ἐνοσίχθων vocat 806.b. non fuit philoſophus, quòd modò Stoicus, modò Epicureus, modò Peripateticus, modò Academicus dicatur 383.b. Odyſſea & Iliade conſummatâ, principium operi ſuo adjecit 393.b. poëtæ nomine innuitur 203.b. rotæ figuli meminit 412.b. uni Gratiarum nomen mutavit, & in matrimonium produxit 594.a
Homeri carmina à Polybio converſa 218,224.a
Homero Muſa, quæ Heſiodo

Digitized by Google

ſiodo Charis 596.a
Homero unus ſervus fuit 191.a
Homericus Achilles 345.a. ſacerdos 778.a. verſus 39.a. 849.b
Homo quid 262.a. 143.b. in adjutorium mutuum generatus eſt 12.a. non eſt tumultuarium opus 805.a. non ex veſte aut conditione æſtimandus 161.b. nudus, ratione & ſocietate munitus eſt 718.b. rationem proprium bonum habet, cetera communia cum animalibus 294, 295.b ſaccus eſt 305.b. ſacra res, per luſum & jocum occiditur 465.b
Homo, ſpecies eſt Ariſtoteli, Senecæ genus 201.b
Homini ex homine periculum vitandum 512.b
Homines cur futuri avidi 122.b. mali ſunt, fuerunt & futuri ſunt 605.a. proximi à diis 646.a. quàm curæ ſint Deo 804.a. quomodo æſtimandi ſint 300, 321, 322.b
Homines non ſunt qui ventri obediunt 215.b
Hominum fraus ac perfidia notatur 667, 668.b
Hominibus quomodo ſit utendum 470.b
Homunciones 575.b
Honeſtamentum 230.b
Honeſtum, verum & unicum bonum 279, 281, 295.b. per ſe expetendum 697, 706, 716.a
Honeſtum omne voluntarium 235.b
Honeſtum & bonum apud alios diverſa ſunt, apud Stoicos tantum diviſa 594.b
Honeſtum & jucundum idem eſſe nequit 545.a
Honeſti amor etiam malis innatus 717.a
Honeſti comes ratio 707.a
Honeſti & boni diſcrimen 587.b
Honeſti & boni notitia prima quomodo ad nos pervenerit 594.b
Honor conſulis & prætoris 224.b
Horæ majores ætate quàm Gratiæ 595.a
Horatii Coclitis egregium facinus 595.b
Horatius Flaccus quomodo infamem deſcribat 367, 368.b
Horatii verba 592.a. verſus 592, 598.b
Hoſpitalia fulmina 693.b
Hoſpitari 535.b
Hoſpitis ingrati pœna 740.a
Hoſtes tot, quot ſervi, proverbium 156.b
Hoſtius quidam nefandæ obſcœnitatis 654.b
Humanæ ſortis iniqui æſtimatores culpantur 645.a
Humanas res videri in deterius labi, ſtare tamen eodem loco 604, 605.a
Humani officii formula 470.b
in Humanis rebus quid præcipuum ſit 704.b
Humanitas 390.b
Hydra 553.b
Hyperbole 860.a
Hypocriſis notatur 11, 12.b
Hyrcani ab Alexandro vaſtati 557.b
JANUS pater 852.b
Japyx ventus Calabriæ 777.b
Idea deorum mater 422.a
Ideæ Platonis 203, 226.b. quid utilitatis adferant 205.b
Ideæ definitio & explicatio 203.b
Idos Ariſtoteli forma 225.b. quid ab ideâ differat 203, 204.b
Idomeneus ex epiſtolis Epicuri clarus 77, 78.b
Idomeneo ſcribitur de occaſione captandâ 82.b
ad Idomenea nobilis ſententia Epicuri 79.b
Ignis an terræ motus cauſſa 693.b. quædam etiam creat 767.b. exitus mundi eſt Stoicis 714.b. maſculus, & femina *ibid.* mirabilis in Lyciâ 314.b. naturâ adſcendit, violentiâ deſcendit 677.b. non deſcendit 670.b. quemadmodum fiat 676.b. quomodo è nube gignatur 678.b
de Igne, ſitne in nubibus, an ad tempus fiat, & unde proferatur, variæ opiniones 669, 670, 678.b
Ignes terris operti 668.b
Ignium plura genera 651.b
Ignium in aëre multæ variæque facies 631.b. in aëre viſorum cauſſæ *ibid.*
Ignominia nihil detrahit ſapientis virtuti 193.a
Ignoſcere quid ſit 482, 483.a
Ilias an Odyſſea prior ſcripta, ineptè quæritur 508.a

Illittera-

Illitteratus quis 762. a
Imago obſcœnis admota 679. a
Imago, i. ſimile 429. b
Imago Attali 273. b
Imaginem ſuam quidam ubique vident 639. b
Imagines in atrio poſitæ 681. a
Imagines veterum, incitamenta animi 223. b
Imagines non ſolis poëtis conceſſæ 210. b. cur adhibendæ in orationibus 211. b
Imaginaria paupertas 76. b
Imaginarius honor verborum 394. a
Imbres an amnibus continui curſus cauſſæ ſint 709, 710. b
Imbres bonis & malis communes 728. a
Impatientia quid 25. b
Impedimenta 375. b
Impendium ſentire 661. a
Imperandi varia genera 455. a
Imperare ſibi, maximum eſt imperium 557. b
Imperare, medicorum eſt 29. a
Imperatoris Romani vox laudata 840, 841. a
Imperatoris Scipionis glorioſa mors 91. b
Imperatori etiam victo quando laus debeatur 850. a
tamquam Imperatorem videre 798. a
Imperia penes quos eſſe ſoleant 61. a
Imperioſus 683. a
Imperioſus pater 693. a
Imperitorum voces 300. b
Imperturbatus quis Peripateticis 353. b
Implere argumentis 535. b
Impluere 645. b
Impingere epiſtolam ingentem 456. b
Impingere in litem 576. b
Impingere laqueum 364. a
Impingere naturæ munus ſuum 328. a
Importuoſum mare 178. a
Imprecatio quæ graviſſima 545. b
Improbi argumentum 179. b
Impudici indicia *ibid.*
ab Impudico an captivus ſe patiatur ſervari 638. a
Imputat pereuntis dies 157. a
Imputatores 633. a
Inædificare 245. a
Inagitabilis 767. b
Inagitati terroribus 291. b
Inane aëri quidam permiſcent 665. b
Incauti 62. a
Inclinatio, terræ motus ſpecies 804. b
Incomitata lectica 83. b
Incommoda ſuo jure bona vocari poſſunt 262. b. quædam pro his ſunt quibus accidunt 309. a
Incomprehenſibilis amor 446. a
Inconſtantia animorum 343. a
Inconſtantia hominum in ſuis actionibus 569, 570. b
Incontinens ſui 739. b
Incurvat injuria 101. a
Indeclinabilis 286. b
Indefatigabilis vigilia 58. a
Indepravata virtus 297. b
Indi 176. a. 591. 779. b. ab Alexandro domiti 557. b
apud Indos mel in foliis arundinum invenitur 349. b
Indicum mare 748. b
Indifferentia 333. b. alia aliis potiora 577. a
Indigere & opus eſſe differunt 29. b
Indignatio quorumdam dementiſſima 488. a
Indolentia 241. b. bonum non eſt 376. b
Indoleſcere 38. a
Indormire 537. a
Indulgentia patrum & matrum diverſa 306. a
Inemendabilis 525. b
Inemendabiles quid faciat 479. b
Inermis 256. a
Inertes & inepti vocantur philoſophi 293. b
Inexercitata *mens* 444, 445. *b*
Inexſuperabile 357. *b*
Infamia 505. b
Infans caret ratione 603, 619. b
in Infantibus non eſt ſummum bonum 618. b
Infatigabile 533. a
Infatuare 213. b
Infector gratuitus 726. b
Infelicitas conſummata 136. b
Infelix arbor 119. a
Inferna fulmina 693. b
Infernus carcer 336. b
Inferorum metus vanus Epicureis. 93. b
Inferos terribiles fabula facit 281, 282. a
Inferûm furiæ & monſtra 90. a
Infitiationes 52. a
Infitiator 671. a
Infracta ætas 491. a
Infrunita mulier 670. a
Infrunitus animus 559. a
Infulæ 194. a
Ingemiſcere 558. a

Digitized by Google

Ingenium beatiſſimum ſub qualibet cute latere poteſt 230. b
Ingenium nullum magnum ſine dementiæ mixturâ 387. a
Ingenii publicandi gloria 20. 6
Ingenia quò illuſtriora, eò breviora 295. a
Ingenia Deus producit 704. a
Ingeniorum dignatio numquam interit 79. b
Ingeniorum monumenta etiam indignis publicavit editio 728. a
Ingeniorum triplex genus 176, 177. b
Ingratus animus omnium vitiorum maximum 605. a
Ingratus quis 640, 720, 744, 824. a. quam injuriam inferat 605. a
Ingrati actio an juſtè detur 658. a. huic actioni nemo judex ſat idoneus 661. a
Ingrati animi vitium cur tam frequens 585. a
Ingrati hoſpitis pœna 740. a
Ingrato cur nulla lex poſita 716. a
Ingrato noto an vir bonus beneficium dare debeat 725. a
Ingrato ſitne conſilium dandum, aquam haurire permittendum, & via monſtranda 729. a
Ingratum neminem eſſe probatur 760. a
Ingrati publicè ſumus omnes 768. a
Ingrati etiam de ingratis queruntur 653. a. omnes miſeri 329. b. quemadmodum ferendi ſint 862. a. quomodo poſſint grati efficì 590, 591. a
Ingratorum duo genera 725, 726. a. multa genera 654. a. plurima exempla 765, 766. a. pœna 761. a
Ingratorum cauſsâ non ſunt omittenda beneficia 323. b
Ingratorum turba non debet tardiores ad benè merendum facere 587. a
Ingratos ipſi facimus 586. 633. a
Ingratos quid maximè faciat 642. a
Ingratitudo an impunita eſſe debeat necne 658. a
Ingratitudinis mala 717. a
Inhabilis intentioni 54. b
Iniqua quæ judicari ſoleant 81. a
Initia rerum in poteſtate noſtrâ ſunt, exitus fortunæ eſt 52, 53. b
Initiamenta 411, b
Initiati tantùm ſanctiora ſacrorum norunt 473. b
Injuria alicui fieri poteſt, nec tamen ille accipere 402. a
Injuria beneficio contraria 675, 715, 754. a
Injuriâ ſapiens non poteſt affici 393, 394, 395, 397, 651. a
Injuriæ & contumeliæ diſcrimen 396. a
Injuriæ opinioni non facilè credendum 69. a
Injuriæ pœna 137. a. vindicandæ tres ſcopi 462. a
Injuriæ altiùs quàm merita deſcendunt 587. a. quomodo nos moveant 81. a
Injuriarum materia latiſſimè patet 405. a
Injurias injuriis repenſare honeſtum non eſt 83. a
Injurias ſapienti tolerabiles eſſe, Epicurus; injurias non eſſe, Stoicus dicit 416, 417. a
Injuriis dominorum in ſervos poſitus judex 675. a
Innocentem quomodo ſe quiſque dicat 25. 26. a
Inobſequens arti 630. b
Inobſervatum tempus 730. b
Inobſervatus curſus 141. b
Inoperta veritas 574. a
Inoperto capite luxuriari 542. a
Inopiæ metus 48. b. remedium 549. b
Inquilini philoſophorum 531. b
Inquiſitio publicorum, ſecretorumque, teterrimum vitium 376. a
Inquiſitor 778. a
Inſania 476. a. ex irâ naſcitur 91. a
Inſania publica & quæ medicis traditur, nihil differunt 441. b
Inſaniæ hilare genus 109. 213. b
Inſaniam hilarem inſanire 540. a
Inſaniæ & iræ vicinitas 69. b
Inſanis ſuffragium & juriſdictio committitur 651. a
Inſanos, quibus mens mota eſt, non erepta, denuntiatio & caſtigatio coërcuit 446. b
Inſecabile 588. b
Inſeparabilis 356, 587. b
Inſpuere diſſerenti 152, 153. a
Iſtitores artificiorum 799. a

Inſtitores

Digitized by Google

Inſtitores delicatarum mercium 823.a
Inſolentia hominum exagitata 683.a
Inſula in Ægæo mari ſurrexit 678.b
Inſulam ſuſpendere 797.a
Inſulæ an certioris ſoli 809.b. natantes 727.b novæ in mari enatæ 803.b. quædam ex ſe concepêre flammam 672.b
Inſularum parietes ruinoſi 148.a
Intabeſcere dolori 214.a
Intelligibilene an ſenſibile ſit bonum 618.b
Intemperantia litterarum 526.b
Intemperantiæ vituperium 760,761.b
Intenſionis cauſſa 664.b
Intentatio 46.a
Interceſſor 589.b
Interemptor ſui à quibuſdam damnatur, à Senecâ laudatur 257.b
Interitui omnia obnoxia 420.b
Interjungere 385.a. 341.b
Interpretes, numquam auctores 125.b
Interpungunt, Latini, dum ſcribunt 140.b
Interquieſcere 97,154, 308.b
Interrogatio, i. *ſyllogiſmus* 333, 337, 342, 375, 380.b
Interrogatiunculas nectere 338.b
Intervellere barbam 565.b
Invaletudinario robuſtior 626.b
Inveſtitium gaudium 86.b
Inventa multa cur oblitterentur 843.b
Inventa inventuris non obſtant 315,316.b
Inventa ſapientiæ ampliora facienda ſunt 223.b
Inventio cujus rei difficilis 832.a
Inventis priorum nova addenda ſunt 126.b
Inveſtire 560.b
Invidere 656.a
Invidia, perniciosſum optimis telum 280.b. ingratos facit 642.a. vitanda 367.a. 50,51.b. quomodo vitanda 522,523.b
Inviſior vox 90.a
Invitum nihil faciendum 216,217.b
Involutiſſima res 789.b
Invulnerabile 594.b
Invulnerabilis animus 749.a. 26.b
Joculare convitium 409.a
Ionium mare 400.b
Iphicratis reſponſum, cùm ei mater barbara objecta eſſet 422.a
Ira quid 43,45.a. affectus ex omnibus maximè rabidus 2.a. voluntarium animi vitium 43.a. an ſit ſecundùm naturam 11.a. an quia utilis ſæpè fuit, aſſumenda ſit 14.a. brevis inſania 2.a. cur vitanda 69.b. feritatis & crudelitatis procreatrix 46,47.a. judicione an impetu incipiat 42.a. muliebre maximè & puerile vitium 38.a. perniciosa ſervientibus 119.a. quomodo excidenda, vel certè refrænanda ſit 93.a. ſitne ad fortitudinem neceſſaria 17,18,37,61.a. ſitne neceſſaria adverſus hoſtes 13.a. ſitne pœnæ cupiditas 6.a. ſitne virtutis calcar 96.a. ſitne utilis 55.a
Ira aliena quomodo lenienda ſit 153.a
Irâ carent omnia præter hominem 7.a
Iræ cauſſæ 63,64.a. *& deinceps.* comites 59.a. comparatio cum ceteris affectibus 94.a. contentio cum luxuriâ 101.a. definitio 6,7.a. definitio Ariſtotelica 7.a. deformitas & periculum 89,90.a. effectus & damna 3,60,94, 95, 128, 129, 154, 155.a. fœditas 96.a. incitamenta varia 43, 44.a. inconſtantia 32, 33.a. *ineptitudo* ad judicia & ſententias ferendas 35,36,37.a. irritamentum primum reprimendum 16.a. locus 64.a. pertinacia in judiciis & ſententiis ferendis 33.a. rabies 34,35,36,97.a. remedia duo 53.a. remedium maximum mora 78,113.a
Iræ & inſaniæ vicinitas 69.b
Iræ & iracundiæ diſcrimen 11.a
Iræ & præpotentum exempla 116,117.a
Iræ ſitne aliqua voluptas 83.a
Iram ſupprimi poſſe, exemplis demonſtratur 117,118.a
Iræ fœminarum & puerorum acres magis quàm graves 64.a
Irarum differentiæ 10, 11.a
Iracundia numquam admittenda,

mittenda, interdum ſimulanda eſt 60.a. ſimplicitatis indicium 99.a
Iracundiæ leviſſima initia 140,141.a. ſolertia ad fingendas furoris cauſſas 34.a
Iracundiæ quinam opportuni ſint 63,64.a
Iracundi ſimplices dicuntur 62.a
Iracundis quæ ſequenda, quæ vitanda ſint 100, 106,109,112.a
Iracundiſſimi qui 24,25.a
ne Iraſcamur, quomodo præcavetur 100.a
Iraſcanturne qui in innocentes ſæviunt 46.a
Iraſcendumne ſit malis & peccantibus 25.26.a
Iraſcentium verba minacia ſunt, mens trepidiſſima 38.a
Iraſcine debeant boni viri pro ſuorum injuriis 22.23.a
Iraſcine debeat ſapiens 37,38.a
Iraſci punientem non decet 25,26.a
Iraſci quibus ſoleamus, & quàm rectè 73,74.a
Irati deſcriptio 3.102.a
Irati an voces emittant quæ magno emiſſæ videantur animo 38.a
Iratorum habitus qualis 98,99.a
Iris, vide *Arcus*.
Irrationalis animi pars bipartita eſt 425.b
Irremediabilis 560.b
Iſocrates Ephorum à foro ſubduxit 357.a
Iſter fl. 623,752.b. cum mundo cœpit 724.b. circa Iſtrum vagatum gentium tolerantia 321.a
Italia præpotens 178.a. cur rivis abundet 709.b
Italiæ latus quod infero mari alluitur, major Græcia fuit 177.a
Italiæ locis quibuſdam peſtilens vapor exhalatur 816.b
in Italiâ virga aquæ immerſa lapideſcit 722.b
Italico agro acquiſito mos erat pomœrium proferre 511.a
Ithacæ ſaxa 237.b
Iter ingredientibus quid adclamari ſolitum 814.b
Itinera urbana ac peregrina 119.b
Juba rex 264.b
Juba & Petreius ſe mutuò interemerunt 308.a
Jucunda ut nobis ſint ſola honeſta, quid faciendum 616.b
Judex & arbiter 660.a
Judex ex turbâ ſelectorum 661,662.a
Judex litigati actioni nemo ſat idoneus *ibid.*
Judex quomodo in puniendo affectus eſſe debeat 25, 26, 27. *& deinceps.* a
Judices ex longinquis regionibus evocati 145.a
Judicio favor officit 340.a
Judicium accipere 599.b
Jugurtha 373.a. 453.b
Juliæ duæ pronepotes Auguſti à Claudio occiſæ 855.b
Julius latum clavum Sextio dedit 485.b
Julius Cæſar victoriâ liberaliter uſus eſt 142.a
J. Cæſari quomodo beneficia veteranus quidam in memoriam revocaverit 776,777.a
J. Cæſari talus in Hiſpaniâ tortus *ibid.*
à D. Julio an vitam accipere debuerit M. Brutus 637.a
D. Julium plures amici confecerunt quàm inimici 142.a. vide *C. Julius.*
Julius Græcinus de Ariſtone philoſopho rogatus quid reſponderit 109.b. vide *Græcinus Julius.*
Julius Montanus, vide *Montanus Julius*
Jumenta fortia dorſo 294.b
Junior 706,743.b
Junius menſis 369.b
Junius Prætorius 858.b
Juno ſingulis adſignata 544.b
Junoni ſpeculum tenere 469.b
Jupiter an fulmina mittat 689.b. & qualis Jupiter 691.b. an fulminibus interdum levioribus utatur 690.b. Capitolinus 187.a. 691.b. opt. max. quis 704.a. poëtarum ineptias fert 566.a. quo antecedat virum bonum 278.b. quod mittit fulmen ſolus, cur placabile 696.b. retrogradus 837.b. uni Vulcano crus fregit, & uxorem ſuſpendit 855.b. voluptate delinitus noctem duplicavit 556.a
Jovis allocutio 329.b. color 633.b
Jovis & Eurynomes filiæ Gratiæ 595,597.a
Jovis vita reſoluto mundo 29.b

Jovi lintea & ſtrigiles ferre 469. b
Jovi tres manubiæ 689. b
Jovi de felicitate controverſia facienda 548. b
Jovem ad pugnam vocavit C. Cæſar 39. a
cum Jove de felicitate quis contendere poſſit 97. b
cum Jove reponi 518. a
Jurabatur per fictiles deos 187. a
Jurandi modus 680. a
Juriſconſultus 772. a
Juriſconſulti negant quidquam publicum uſucapi 316, 386. b
Juriſconſulti pallidi, graciles 856. b
Juriſconſultorum acutæ ineptiæ 786. a. verbum 661. b
Juriſconſultorum reſponſa valent etiam non redditâ ratione 444. b
Juriſdictio inſanis committitur 651. a
Jus fori 729. a
Juſſo, pro juſſero 209. b
Juſtitia Stoicis animal eſt 555. b
Juſtus Catonius præfectus Claudii 858. b
Juventutis ingratitudo 769. a. ſtudia 387. b
Juventuti magiſtratus domeſtici impoſiti 465. a
Ixion 57, 93. a. 859. b

K

ΚΑΙΚΙΑΣ 773. b
Kalendarium quid 846. a
Khlendarium verſare 531. b
Kalendarii liber magnus 273. b
in Kalendario nemo beneficia ſcribit 596. a
Kalendis Januariis, in anno novo, legere, ſcribere, dicere aliquid, & in Virginem deſilire ſolitus Seneca 340, 341. b
Κατὰ στίμαστν, per oſcitationem 381. b
Κρύσταλλος quid Græcis 728. b

L

LABERIANUS verſus totum in ſe populum convertens 56. a
Labor, neque bonum, neque malum 117. b
Labor optimos citat 323. a
Labra concutiunt dicturis 35. b
in Labris primis animam habere 706. b
Lac retinet pabuli ſaporem 723. b
Lacedæmona ſervire juſſit Alexander 452. b
Lacedæmonii cur ſuos cives pancratio aut ceſtu decernere vetuerint 748. a. liberorum indolem publicè verberibus admotis experiuntur 320. a. unguentarios urbe expulerunt 762. b
Lacedæmoniis corium uſum pecuniæ præſtitit 763. a
Lacertæ coloris improbi 565. b
Lacertoſus 237. b
Lacheſis 847, 848. b
Lacon impubes, ne ſerviret, illiſum parieti caput rupit 304. b
Laconea 812. a. 357. b. trecenti 812. a
Lacrymæ juſſæ & injuſſæ 490. b
Lacrymarum oſtentatio 581. a
Lacrymandum quomodo ob noſtrorum amiſſionem 489, 490. b
Lactea plaga cæli 830. b
Ladæ velocitas 353. b
Ladon fl. terræ motu effuſus 807. b
Lælius Sapiens 224. b. ad exemplum eligendus 36, 37, 90. b
Lælii Sapientis dictum ad quemdam ſexagenarium 815. b. ſapientia 475. b
cum Lælio vivendum 518. b
Lamellæ æruginoſæ 504. a
Lamellæ argenti 556. a
Lamina utriuſque materiæ 845. a
Lampades 653. b
Laniſta 794. a
Lapides cur in quibuſdam aquis non peſſum eant 727. b
Lapideſcere facit quædam aqua 722. b
Laquearia verſatilia 405. b
Larvis dedi 852. b
Laſſare fundamenta 177. b
Laſſitudo corporis cavenda 109. a
à Laſſo rixam quæri, vetus dictum 110. a
Latebra 70. b
Latrunculi 507. a
Latrunculis ludere 379. a. 526. b
Latruncularia tabula 583. b
Latifundia 185, 400. b
Latina via 206. b
Latinæ linguæ potentia 212. a
Latini ſermonis egeſtas 200. b
Latini interpungere ſoliti dum ſcribebant 140. b
Latoç 355. a
Latro quis 762. a

Laconea

Latrones Phileræ 176. b
Latronum inſidiæ 868.
Latrocinia inter togatos 405. a
Laturam facere 859. b
Lavandi qualis mos apud veteres 376. b
Laudandi licentia aliquando datur 179. b
Laudati an Laudantis bonum ſit claritas 505, 506, 507. b
Laudationis commodum & incommodum 67. a
Laus & laudatio differunt 506. a
Laude dignus ibid.
Laurea in Capitolini Jovis gremio repoſita 187. a
Laureatæ fores 233. b
Laurus idonea eliciendis ignibus 676. b
Lautitia ad cœnas tranſlata 562. b
Laxamentum 800. b
Lecti quam premas partem, nihil intereſt 151. a
Lectica formoſis impoſita calonibus 548. b
Lecticarius 412. a
Lectio omnis generis voluminum improbatur 4. 5. b. varia delectat, certa prodeſt 149. b. cum ſtylo temperanda eſt 348. b
Legere oſſa 309. a. vide *Oſſa*.
Lex juſti injuſtique regula 709. a
Lex naturæ 20, 97. b
Lex à L. anno militem non cogit, à LX. ſenatorem non citat 233. a
Leges cum prologo improbantur 447. b. quando cœperint 403. b. quid ſint 447. b
Legum auctores ſapientes 403. b
Legum præſes quam caſtigandi rationem ſequatur 13. a
Lentulus factioſus & impotens in frontem Catoni inſpuit 152, 153. a
Leo magiſtrum ſuum beſtiarium à feris protexit 636. a
Leo manſuetus & incultus 143. b
Leones roiæ moto terrentur 56. a. ſoluti & alligati in circo dati 509. 510. a
Leones mappa protitat 141. a
Leonidas quàm fortiter allocutus ſit Leonas 327. b
Lepidus 441. a. Auguſto inſidiatur 441, 491. a. ſuum exercitum fugit 747. b
Lepidus Domno tribuno cervicem præbuit C. Cæſaris juſſu 9. b
Lepidum principis ornamenta tenentem per multos annos tulit Auguſtus 445. a
Libarii exclamationes 192. b
Libellum amici bonis ſuſpenſum dejicere 709. a
Liber inventor vini cur dictus 386. a
Liberi currus 563. a. veſtigia 612, 834. a, 453. b
Liberi patris appellatio Deo convenit 704, 705. a
Liber patrimonii 846. a
Libri Ciceronis, quomodo Doti vocentur 838. a
Librorum multitudo improbatur 362, 363. a
Librorum multorum lectio pernicioſa 4. b
Libris non multis, ſed bonis opus eſt 149. b
Liberalis triſtis ob Lugdunum exuſtum 417. b
Liberalis Ebucii laus 746. a
Liberales multi ob frontis infirmitatem 616. a
Liberalia ſtudia non numerantur in bonis 382. b. vide *Studia*.
Liberalitas unde dicta 560. a. non debet negotiari 613. a
Liberalitatis materia invenitur etiam in anguſtiis paupertatis 601. a
Liberalitatis materia quæ ſit ſapienti, cujus ſunt omnia 834. a
Liberi majorane beneficia parentibus dare poſſint, quàm acceperint 683. a
Liberorum vera laus 695. a. amiſſio uti ferenda 486, 867. b
Liberorum amiſſione nō affligitur ſapiens 286. b
Libertas 421. a. 174, 229. b. abſoluta quæ 291. b. juſta & inter amicos data 560. a. vera 24. 321. b
Libertatis pars magna 613. b
ad Libertatem quod iter 119. a
Libertinus quid 120. b
Libertinorum balnea 365. b. virguncula 658. b
Libido 40. a
Libidinis effectus 93. b
Libidinis deteſtandæ exemplum 654. b
Libidini dediti quàm turpiter vivant 494. a
Libitinarii 823. a
Libra tardiſſimè emergit 838. b

Libramentum 753,803. a. 650,737. b
Libo Druſus 256. b
Libonotus 776. b
Licinius multos annos Lugduni regnavit 849. b
Licinus dives 591. b
Licinum divitiis provocant quidam 598. b
Lictor ſenitâ dejicit 452. b
Ligures Corſicam incoluerunt 179. a
Liminis introitus pro honore habetur 817. a
Linea pennis diſtincta 56. a
Lineas admoveri 167. b
Lineis & pinnâ clauſæ aves 449. a
Linguarium dare 738. a
Linteatus ſenex 567. a
Λίψ, Latinis Africus 776. b
Litare 247. b
Liternum 463. b
Literni Scipio exſulabat 174. b
Litigare 756,760. b
Litis ordinator 542. b
Litium numerus, eloquentium votum 822, 823. a
Litteræ ſerviles 363. a
in Litteram ſenes orbos digerere 251. b
Litterarum inutilium ſtudia reprehenduntur 308. a
Litteratura prima 388. b
Litura 535. a
Livia uxor Auguſti 245. a. Areo philoſopho ſe conſolandam præbuit 250. a
Liviæ conſilium Auguſto datum 441,442. a. filius Tiberius 250. a. luctus ob Druſi mortem 247,248. a
Livius Druſus primus turbam ſuam ſegregare inſtituit 817. a. queritur, quòd nullæ ſibi, ne puero quidem, feriæ contigerint 493. a
Livii Druſi immatura ambitio, & mors 272.493,494. a
Livius Alexandrinam bibliothecam laudat 362. 363. a. dialogos & libros philoſophicos ſcripſit 496. b. Eurum, Vulturnum vocat 775. b
Livii viri diſertiſſimi dictum improbatur 38. a. vide *T. Livius.*
Loculamenta librorum tecto tenus exſtructa 363. a
Loculis integris argentum fulmine conflatum 682,695. b
Locus moribus ſalubris quis eligendus, & quis vitandus 172,173. b
Locus non multum ad tranquillitatem confert 139. b. non multum confert ſtudiis 515. b
Loci commutatio, gravis non eſt 172. a
Locorum mutatio vitanda 3. b. mutationibus nihil proficiunt vitia ſecum circumferentes 105. b
Loryma urbs 720. b
Lucani ſaltus 345. a
Lucifugarum turba 611. b
Lucis ictus & calor 769. b
Lucis & ſplendoris diſcrimen 77. b
Lucilius clarus redditus epiſtolis Senecæ 77. b. diſtillationibus & febriculis vexatus 307. b. Siciliæ procurator 740, 747. b
Lucilii carmen de Ætna 315. b. laus 69, 70, 71,745,746. b. poëma 729. b. verſus 24, 94. b
Lucius C. Cæſaris frater 230. a
L. Bibulus uno die duos filios, conſulatum anno luxit 268. a
L. Cinna Cn. Pompeii nepos inſidiis Auguſto ſtructis veniam conſequitur 442,443. a
L. Piſo urbis cuſtos, arcana ab Auguſto commiſſa, quamvis ebrius, continuit 344. b
L. Silanus gener Claudii 851, 856. b. à Claudio occiſus 854. b
L. Sylla tam felix, deorum crimen 265,266. a. Corneliam legem tulit 313. a. ingratus, quia patriam durioribus remediis quàm pericula erant, curavit 766. a. meritò tyrannus ob crudelitatem appellatur 447. a. primus in circo leones ſolutos dedit 509, 510. a. quomodo filii mortem tulerit 265,266. a
L. Syllæ crudelitas in Marium 121,122. a
L. Syllæ tyrannis 312, 313. a. vide *Sylla.*
L. Vinicii comes Varus 610. b
Lucretia 271. a
Lucretii verſus 346. a. 458,546. b.
Lucrinæ oſtrea 322. b
Lucrum ſupputaturum 504. a
Luctator magnus quis 830. a
Luctator ter abjectus 748. a
Luctatores 387. b

Lu-

Luctus immodici improbatio 486. b. pertinacia unde 255. a
Luctus tempus feminis constitutum 197. a. 221. b
in Luctu filios tondere moris erat 753. a
in Luctu quid dici ſolitum 138. a
Luctibus frangi, naturale non eſt 253. a
Lucullorum duorum dirempta morte concordia 229. a
Lucus fidem numinis facit 142. b
Ludus beſtiarius 258. b. litterarius 440. b
Ludus litterarius philoſophorum 262, 263. b
Ludo eximere 480. a
Ludorum ordinem perlegere 583. b
Lugdunenſis colonia, provincialium ornamentum monti impoſita, centeſimo ab origine ſuâ anno exuſta eſt 417, 420, 421. b
Lugdunum 849. b
Lugendi quomodo ſint amici 218, 219. b
Lugubria 198. a
Lunæ quid debeatur 802, 804. a
Lunæ & Solis circuitus commoda 723, 724. a
Lunare ſidus æſtus marini cauſſa 304. a
Lunaris orbita irrevocabilis 825. b
Lupus 858. b
Luſcitioſi ſeu vitioſi 604. a
Luſitanus latro 165. a
Luſor malignus 633. a
Luſoria arma 582 b
Luſoriæ naves 857. a
Luſorium ſpectaculum 320, 321. b
Luxuria 39. a. 195. b. iracundiam alit 73. a. non noſtri ſæculi vitium tantùm eſt 477. b. ſcænam deſiderat 454. b
Luxuria conviviorum & veſtium corruptæ civitatis indicium eſt 563. b
Luxuriæ caſtigatio 185. a. 547, 606, 607, 719, 760, 761, 842, 843. b. commenta 312. b. exempla 468. b. gradus 562. b. incrementum 407. b. loca vitanda 172. b. miniſtri 461, 462. b. propoſitum 607. b. tormenta 592. b
Luxuriæ publicæ argumentum eſt orationis laſcivia 559. b
Luxuriari inoperto capite 542. a
Luxurioſus diligens 3. b
Luxurioſorum natura 610, 611. b
Lychnobius 611. b
in Lyciâ aquæ conceptum feminarum cuſtodiunt 727. b
in Lyciâ ſolum perforatum ignis circuit ſine naſcentium damno 315. b
Lycus fl. intercidit & renaſcitur 729. b
Lycurgus 403. b
in Lydiâ inſulæ natant 727. b
Lymphatici 811. b
Lymphatici metus 45, 358. b
Lynceo ſimilis acies 727. a
Lynceſtius amnis potus furore mentem movet 723. b
Lyrici novem 104. b
Lyricos ut legat, ſe tempus habiturum Cicero negat 167. b
Lyſimachus ab Alexandro leoni objectus fuit 121, 465. a
Lyſimachi in amicum ſuum ſævitia inaudita 121. a

MACEDONIA 491. a. terræ motu agitata 785. b
Macedoniæ opida devorata 419. b. urbes terræ motu prorutæ 840. b
in Macedoniâ fl. albas oves faciens 726. b
Macedonis querela de hoſpite ingrato 739, 740. a
Macedonum gazæ à Diogene calcatæ 750. a
Macedonicus ſermo inter Indos & Perſas 176. a
Macellum 855. a
Machæra Hiſpana 777. a
Machinatores 388. b
Macte virtute eſto, ex acie redeuntibus dicitur 242. b
Mæander fluvius poëtarum omnium exercitatio & ludus 517. b
Mæcenas vir ingenioſus, & magnum exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, niſi felicitas eum caſtraſſet 72. b. abſentis Cæſaris partibus functus eſt 561. b. ab Auguſto deſideratur 815. a. ingenium grande & virile habuit, niſi illud ipſe diſcinxiſſet 434. b
Mæcenatis dictum 739. a. dictum è libro qui Prometheus inſcribitur 71. b. infelices moroſæ uxoris repudia deflentis vigiliæ 313, 314. a. ut vita

Digitized by Google

ut vita diſcincta, ſic oratio ſoluta 559.b. verba citata *ibid.* verſus 434.b
Mæcenatis veſtitus & comitatus mollitiem præ ſe tulit 559.b. votum turpiſſimum 500,501.b. & carmen effœminatum *ibid.*
Mæcenatem quidam deliciis provocant 598.b
Magiſter equitum 538.b
Magiſter populi antiquis qui nunc Dictator 538.b
Magiſtri puerorum 780.a
in Magiſterium recepta mancipia 55.b
Magiſtratu Charino, i. ἄρχοντος Χαρίνου 67.b
Magiſtratui quando perverſa veſtis induenda 29.a
Magiſtratus domeſtici 664.a
Magiſtratuum contemptores perperam exiſtimantur philoſophi 275.b
Magnanimitas quemlibet decet 434.a
Magneſia 712.b
Magni cognomen honori datum 472.a
Magnitudinis non eſt certus modus 146.b
Magnum à bono ſeparari non poteſt 38.a
Magi Platoni defuncto cur immolaverint 207.b
Mago imperium ablatum 120.a
Majores virtutibus ſuis poſteros illuſtrant 731.a
Malacia 248.b
Malaciſſandos articulos exoletis præbere 243.b
Malefaciendi non animus, ſed vires quibuſdam deſunt 144.b
Malleuſne prius in uſu an forcipes 405.b
Malitia omni ſæculo ferè eadem, paullulum dumtaxat ultro aut citro mota 604,605.b
Malitia ipſa maximam partem veneni ſui bibit, dictum Attali 329.b
Malum unicum 397.a
Mali nullus ſenſus ad mortuum pervenit 493.b
Mala cur bonis viris accidant, cum ſit Providentia 302, 305.a fortuita præmeditando molliuntur 360.a. interdum honeſti ſpeciem offerunt 595.b. naturalia minùs terribilia quàm quæ ex aliena potentiâ pendent 48.b. opinione vulgi ſolum terribilia 172.a. plura contingunt nobis quàm accidunt 545.b. quæ optimis quibuſque accidunt, pro univerſis ſunt 322.a. omnia removit Deus à viris bonis 326.a
Malorum fortuitorum metus remedia 43,44, 91,92.b
Malorum futurorum cõtemptus & præmeditatio 520,527.b
Malorum futurorum metu torqueri, quàm ſtultum ſit 88.b
Malorum noſtrorum cauſſa 614.b
Malus nemo eſt animi cauſâ 717.a
Mali commodis fruuntur propter bonos 727.a. nullo vitio carent 726.a. qualia beneficia accipiant 761.a
Mali ſumus, fuimus, & erimus 605.a
Malis etiam honeſti aliquid ineſt 717.a
Mamercus Scaurus Coſ. ancillarum menſtruum ore exceptans 732.a
Mamerci Scauri dictum obſcœnum *ibid.*
Mancipia rejicula 158.b
Mancipia peculium pro capite numerant 320.b
Mancipia ementes vendenteſque 411.a
Mancipiorum urbanitas contumelioſa 408.a
Manes Diogenis ſervus 360.a
Mango 714.a.322.b
Manipulares duo de rege ſuo malè loquentes 130,131.a
Manlii pietas in patrem imperioſum 693,694.a
Manni obeſi 374.b
Mannus equus *ibid.*
Manubia Jovi triplex 689.b
Manuleatus 123.b
Manupretia 499.b
Manus manum lavat 854.b
Manus injectio 398.a
Manum tactumque quotidie pati 655.a
Manu facere morbos 489.a
Manu facere orbitatem 281.a
Manus pondere aliquo motæ 55,56.b
Mapalia mera facere 852.b
Mappa urſos leoneſque proritat 141.a
Marcellinus homo ingenioſus & urbanus, non facilis ad corrigendum, nec tamen deploratus

Digitized by Google

ploratus 107,108.b
Marcello reditus à ſenatu impetratus 184.a
Marcellum Mitylenis exſulantem Brutus relinquere non potuit, Cæſar videre 183,184.a
Marcelli Octaviæ filii laus, & mors ſine fine à matre deſleta 245, 246.a
Marcelli memoriæ celebrandæ carmina compoſita 246.a
Marcia Liviam Auguſtam familiariter coluit 250.a
Marciæ avus 298,299.a. filius qualis 264,265.a. laus 264.a. liberi & nepotes 273.a. pater 241.a. ſuffragatio pro ſacerdotio filii 296.a.
Marci municeps 849.b
M. Agrippa 687.a. vir ingentis animi, fatetur ſe multum debere ſententiæ Salluſtianæ de concordiâ 448.b
M. Allius prætor à Tiberio Cæſare ære alieno liberatur 621.a
M. Antonius avus Claudii fratris obitum fortiter tulit 231,232.a. fratri xx. legionum ſanguine parentavit 232.a
M. Antonii egregia exclamatio 782,783.a. conſulis latus petiit Auguſtus inſidiis 440.a
M. Antonio proſcriptionis edictum inter cœnam dictatum 441.a
M. Antonium ebrietas & Cleopatræ amor perdidit 846.b
M. Brutus an à D. Julio vitam accipere debuerit 637.a. doluit ſe reverti ſine Marcello exſule 184.a
M. Bruti liber περὶ καθήκοντος 463.b. liber de virtute 183.a. remedium adverſus locorum mutationem 179.a
M. Cato uterque 224.b, vide *Cato*.
M. Cicero, vide *Cicero*.
M. Helvius Trogus 858.b
M. Mario vicatim ſtatuæ poſitæ, & thure ac vino ſupplicatum fuit 121, 122.a. ejus crudele ſupplicium *ibid.*
Marcus Senecæ F. 164, 202.a
Mare & terra ſibi undique paria ſunt 735.b
Mare unde ſit 715.b. immunda littoribus impingit 730.b
Maris commerciũ, commune bonum 728.a
Maris nomina varia 737. ſapor dulcis Euthymeni 752.b
Maria cur non creſcant fluminum acceſſione 708.b
Marius coloniam in Corſicam deduxit 179.a
Marii ambitio reprehenditur 453,454.b
Marium ubi caliga dimiſit, conſulatus exercet 518.a. quære *C. Marius.*
Mariana clades 158.b
Marmorarius faber 408.b
Marmorarii 387.b
Maro veſtigator tempore Tiberii 679.a
Mars communis 23.a
Mars & Saturnus 386.b
Martis & Saturni congreſſus 820,821.b
Martis rubor remiſſior 632.b
Marſorum prætor 678.a
ad Marſyam concuſſus 814.a
Martius campus 857.b
Martius menſis 370.b
Martius tubarum ſonus 43.a
Marullo filium lugenti ſcripta epiſtola à Senecâ 486.b
Maſſiliæ delegatum exſilium 458.a
Maſſiliam Graii colunt 178.a
Matella 679.a
Materia quid Stoicis & Ariſtoteli 224,225.b
Materiæ & partis differentia 662.b
Mathematica 389.b
Mathematici munus *ibid.*
Mathematici 846.b
Martimonium unius adulterium 670.a
Matronæ quos deteſtentur 603.a
Maturitas imminentis exitii indicium eſt 295.a
Maximus cum Senecâ agit 371.b
Medendi ars 375,376.b
Media ac indifferentia 333.b
Medicamentum aquarius 640.b
Medicamenta oculorum 223.b
Medicamenta valetudinario non ſunt dono mittenda 608.a
Medicamentis in ſimilitudinem veri colorari 843.a
Medicamentis polluta 534.a
Medicatorim torrentium venæ 701.a
Medicina aliis in remedium, aliis in levamentum

mentum adhibetur 443. b
Medicina & decreta & præcepta habet 457, 458. b. etiam ſceleratis opem miniſtrat 728. a. quando proficiat 399. b
Medicina veterum qualis 458. 459. b
Medicinæ uſus apud ægros, honor apud ſanos 429. b
Medicus regis filiam curans 154. a
Medicus ægros perambulat 797. a. ægris prodeſt, ſed hos non obligat 714. a. bonam valetudinem non præſtat 273. b. cibi aut balnei tempus non poteſt per epiſtolas eligere 81. b. & curat & monet 441. b. quam viam teneat in curandis morbis 13. a. quando peregerit ſuas partes 850. a. quid ægro præcipiat 307. b. viam dat 691. a
Medici affectus erga ægros 410. a. infamia graviſſima 821. a
Medici boni officium 797, 798, 799. a
Medico quantum debeatur 796. a
Medicum non facit peregrinatio 517, 518. b. ſanantem, non eloquentem æger quærit 289. b
Medici antiqui multa ignorant 461. b. familiares 390. a
Medici quid mortis meditationem vocent 185, 186. b
Medicorum lacerationes 290. a. ſupellex 459. b
Medicorum genua tangentes 498. a
Medicorum maximus ob feminarum luxuriam in mendacio deprehenſus 460. b
Medicorum maximi exclamatio 485. a
Medicis gravis annus in quæſtu eſt 823. a
Medus 856. b
Medi 411. a
Medi ſoli actionem ingrati dederunt 658. a
Medorum extrema 271. b. rex 411. a
Megalepolis 807. b
Μεγαληγορία 832. b
Megara cepit Demetrius 398. a
Megarici 394. b
Megiſtanes 78. b
Mel in arundinum foliis invenitur 349. b. quomodo fiat ab apibus *ibid.* quibuſdam morbi vitio amarum 541. b
Melas fl. miræ naturæ 726. b
Membratim 502. b
Meminiſſe & ſcire quid differant 125. b
Memoria certior quæ nullum extra ſe ſubſidium habet 391. b. frequenti cogitatione conſervatur 655. a
Memoria beneficiorum cur caduca 656. a. ſubinde reficienda 640. a
Memoriæ malæ quàm compendiariam excogitarit ſibi Sabinus 103, 104. b
Memphis 749. b
Menander libertus C. Cæſaris 860. b
Menander velut ruſticus poëta in ſcenam proſiluit 746. b
Mendacia in quibus os præcidi, non oculi erui ſolent 756. b
Menenius Agrippa ære collato funeratus eſt 191. a
Mens ſine Deo nulla bona 279. b. ſui juris eſt 676. a
Mens bona à ſeipſo impetratur, non ab alio 141. b. bona non emitur, ſed mala 105. b
Mentis bonæ fundamentum & culmen 85. b. malæ indicium 59. b
Menſa per multas dominorum ſucceſſiones civitati nota 336. a
Menſtruum ancillarum ore exceptans Coſ. 732. a
Menſis 40. b.
Mercedula 57. b
Mercenarius perpetuus 675. a
Mercurius 586, 856, 858. b. cur Gratiis additus 594. a. cum Parcâ expoſtulat de Claudio 864. b
Mercurii nomen Deo aptatur 705. a
Meridianus circulus 776, b
Meritoria ſalutatio 512. a
Meritoria artificia 382. b
Meritorũ frequens commemoratio odioſa 624, 625. a. memoria ſubinde reficienda 640. a
Merſati condimento ſuo boleti 762. b
Meſſalla Ætnam Siciliæ montem, unicum dixit 172. b
Meſſallæ nominis origo 509. a
Meſſallæ Corvini diſertiſſimi viri ſententia 854. b
Meſſalla & Narciſſus diu publici hoſtes 745. b
Meſſallæ Auguſti clementiam

Digitized by Google

tiam experti ſunt 444, 445.a
Meſſallina uxor Claudii 856, 858.b. à Claudio occiſa 855.b
Meſſana capta Valerio Corvino nomen Meſſallæ dedit 509.a
circa Meſſanam mare fimo quiddam ſimile ejicit 730.b
Meta ſudans 193.b
in Metallum antiquum demiſſi, flumina & aquas ingentes viderunt 773.b
Metalla in hominum uſum à Deo data 701.a
Metalla ferri & æris non ſunt à ſapientibus inventa 405.b
Metellus cur luce privatus 322.a
Metellus fortiter tulit exſilium 89.b
Metellus triumphans cxx. elephantos duxit 511.a
Metilius Marciæ F. 273.a. ejus laus 295, 296.a
Metrodorus 124.b. ſecundæ ſortis ingeniorum 177.b. admiratur Stoicorum παράδοξα, cùm tamen ipſe ejuſdem ſit opinionis 326.b. aſſe toto paſci ſolitus 67.b. Græciæ penè inauditus fuit 317.b
Metrodori amicitia cum Epicuro *ibid.* dictum 53.b. dictum ex epiſtolâ ad ſororem 484.b epiſtola 317.b. opinio, cognatam aliquam triſtitiæ voluptatem dicentis, improbata 492.b
Metrodori Chii ſententia de terræ motu 800.b
Metrodorum magnum virum Epicuri contubernium fecit 16.b
Metronactis philoſophi mors 434.b
Metronactis domus 293.b
Metus ſceleratis perpetuus 480.b. lenocinium eſt muneri 607.a
Metus rerum inanis eſſe docetur 545.b
Metus noſtri cauſſæ duæ 117.b. remedia 44, 91, 698, 782, 783, 785, 813.b
Metu futurorum malorum torqueri, quàm ſit ſtultum 88.b
Metus lymphatici 45.b. vide etiam in *Timor.*
Miles à quinquageſimo anno non cogitur 523.a
Miles bellum optat 823.a. ex confragoſo fortior, urbanus & verna ſegnis 174.b
Miles Julio Cæſari beneficia à ſe præſtita in memoriam revocat 776. 777.a
Miletus LXXV. urbium 176.a
Milites erga hoſpitem ingrati pœna 740.a
Miliaria 724.b
Miliaria minora 759.b
Milliarii apri 547.b
Militares viri gloriantur vulneribus 317.a
Militiæ vinculum 465.b
Mindyridis mollities 72.a
Miniſterii, officii & beneficii diſcrepantia 672.a
Miniſteriis non ſunt ſervi æſtimandi 160.b
Miniſtratores 462.b
Miracula ſeptem 209.a
Mirari quæ ſoleamus 570, 818.b
Mirator ſui 535.a
Mirmillo ſub C. Cæſare de raritate munerum queſtus 317.a
Miſer quis ſit 318.a. 31.b
Miſeratio 328.b
Miſericordia non virtus, ſed vitium eſt 411.a
Miſericordiæ genus, citò occidere 619.a
Miſerum nihil eſt 476.b
Miſſilia 281.b
Miſſio 133.b
Miſſionem dare 637.a. 859.b
ſine Miſſione ad pugnam vocare 39.a
Mithridates Armeniæ rex inter Caianas cuſtodias 374.a
Mitylenæ 183.a
Mneſter Pantomimus 858.b
Mora, iræ remedium 78, 94, 144.a
Moralia non omnia bonos mores faciunt 600.b
Moralis philoſophiæ partitio 398.b
Moralibus quædam rationalia immixta ſunt 503.b
Moderatio vocatur ignavia 151.b
Modi flebiles 385.b
Modios quinque, & quinque denarios accipiens 322.b
Moleſtè fero 248.b
Mollimentum 365.a
Molliter vivit, vox vitam quorumdam laudans 332.b
Monentis auctoritas quomodo proſit 444.b
Monendi ordo quis teneri ſoleat 245.a
Moneri velle ac poſſe, ſecunda virtus 778, 779.a
ex Monetâ noſtrâ aliquid proferre

Digitized by Google

proferre 690. a
Monitiones non ſunt ſupervacuæ 443, 444, 445, 450. b
Monitionum genera 447. b
Monitares ad latus habendi 454. b
Monitorium fulmē 688, 693. b
Montanus Julius tolerabilis poëta, & amicitiâ Tiberii notus & frigore 609, 610. b
Montani Julii carmen *ib.*
Montium cacumina an calidiora ob Solis viciniam 759. b
Monumenta viam diſparia prætexunt 422. b
Morbus omnis tria gravia habet 308. b. aut longus, aut brevis 310. b
Morbi metus ut pellendus 48, 865. b
Morbi prænuntia ſigna 111. a. 287. b
in Morbo conſumat 742. a
Morbi ſupplicia luxuriæ 459. b
Morbi non extimeſcendi, ſed fortiter ferendi ſunt 308, 310. b
Morbi, vitia mentis inveterata 355. b
Morborum animi & affectuum diſcrimen 290. b
Morborum tam varia genera unde orta 459, 489, 811. b
Moroſus 11. a
Moris boni negligentia omni tempore fuit 477. b
in Mores fortuna jus non habet 331. b
Morum argumentum ex minimis interdum capitur 179. b. corruptio e turbâ & ſpectaculis 17. b. everſio quanta 464. b. corruptorum indicium oratio corrupta 563. b
Mori totâ vitâ diſcendum eſt 495. a. unum ex vitæ officiis eſt 306. b
Mori ſuâ morte, bellam rem eſſe, falſum verbum 253. b
Morimur pejores quàm naſcimur 84. b
Morimur quotidie 94. b
Morituri cur ſe gratos oſtendere velint 732. a
Moritur nemo niſi ſuo die 253. b
Mortalia omnia mortalium bona 484. b
Mortalitatis extendendæ ratio 514. a
Mors quid 230, 617. b. cur timeatur tantoperè 335. b. facilis & in proximo eſt 328, 329. a. inter indifferentia ponitur 333, 335. b. interdum in ſuorum utilitatem revocanda 514. b. naturalis eſt 115. b. naturæ lex eſt 816. b. nec bonum, nec malum eſt 282. a. numquam recuſanda, aliquando adſciſcenda 253, 254. b. omnes æquat 422. b. omnibus ex æquo communis 40. b. optimum naturæ inventum 283. a. quid mali afferat 92, 93. b. ſitne ob ſenectutem, vel morbum, vel dolorem, ſibi conſciſcenda 298. b. ſitne occupanda, an exſpectanda, cùm eam vis externa denuntiat 256. b. vitam intermittit, non eripit 132. b. omnium par eſt, ſed per quæ venit diverſa ſunt 241. b
Mortis cauſſæ variæ 263. commoda 283, 284. a. contemptores 297. a, 258, 303, 305. b. contemptus 328. a. 8, 90, 91, 132, 698, 884. b. contemptus & præparatio ad eam 112, 113. b. effugia, quæ homines quærere ſolent, refutata 304, 305. b. infamia certatim à multorum ingeniis aucta 336. b. malum nullum 133, 186. b. metus 500. b. metus remediū 864. b
Mortis moræ 18, 334. b. præmeditatio 100, 101, 257, 258, 333, 499. b. ſolatium 786, 787. b. viæ variæ 119, 328, 329. a
Mortis contemptus argumentum eſt animi ab altiore venientis ſede 597. b
Mortis genera alia præter ſenectutem, ſpei mixta ſunt 112, 113. b
Mortis meditatio medicis dicitur aſthma morbus 185, 186. b
Mortis omnes æquè timidi 84. b
Mortis timore mori ſtultitia eſt 255. b
Mortem ante oculos habere, non moleſtum ſenectuti 40. b
Mortem concupiſcentes & timentes objurgat Epicurus 95. b
Mortem cur aliquando invocent homines 515. a
de Morte, publica querela 769. a
Mortium ſigna an dii præmittant 631. b
Morticina caro 607. b
Mortuis nulla mala ſunt 281, 282. a

Mortuum

Mortuum alienum tollere 39. b
Motus affectuum triplex 45, 46. a
Motus quatiens terram 804. b
Motus animorum non omnes affectus ſunt 44. a
Motus involuntarii 42, 43. a
Mucius 726. a. dexterâ ignes premit, & erroris ſui à ſe exigit pœnas 310. a. ignem vicit 485. b. ſpectator diſtillantis in hoſtili foculo dextræ 89, 242. b. truncâ manu duos reges vicit 243. b
Mucii manus inſtar occiſi Porſenæ fuit 852. a
Mucio facilius ignovit Porſena, quàm Mucius ſibi 90. b
Muliebris in cultu inſania taxatur 845. a
Muliebria ingenia 271. a
Mulierum vituperatio 412. a
Mulio 160. b. excalceatus 372. b. perpetuarius 849. b
Mullus quinque millibus HS. emptus ab Octavio 467. b
Mullorum morientium color obſervatus 719. b
Mulſum à balneo poſcitur 611. b
Munda 777. a
Mundus muliebris 659. b
Mundus Dei nomen 692. b
Mundus deorum templum 840. a
Mundus non ſemper ſuum ordinem tenebit 264. b
Mundus non eſt cauſſa 227. b
Mundus vel anima, vel corpus 736. b
Mundi cauſſæ quinque 226. b. concordia ex diſcordibus conſtat 839. b. contemplatio 277, 278. a. conflagratio 735. b. variæ dotes 723. a. novi generatio 739. b. officium 713. a. partes 663. b
Mundum providentiâ regi, pluribus probatur 302, 303. a
Munus accipi poteſt, accipiendo quod ſuum eſt 838. a
Munus munere expungere, rejiciendi genus eſt 743, 744. a
Munera ad rogum 523. a
Munera amicorum ſæpè non differunt ab hoſtium votis 630. a
Munera duratura danda ſunt, ut memoriam excitent 608. a. ſupervacua, aut morbum exprobratura, non ſunt mittenda *ibid.*
Munerum divinorum æſtimatores reprehenduntur 645. a
Muræna 441. a. inſidiatur Auguſto 441, 491. a
Mures ferrum rodunt 850. b. molas lingunt 852. b
Mures ſubterranei 717. b
Murium tergis induuntur Scythæ 406. b
Muri uſus 797. a
Murmuratio 135, 763. a. 528. b
Murrhinum poculum 844. a. 596. b
Murrhina & cryſtallina 614. b
Muſa Homero, Heſiodo Charis eſt 596. a
Muſcam excitare non poteſt 854. b
Muſcipula 163. b
Muſica non facit virum bonum 383. b
in Muſicâ arte bonum dicitur duobus modis 375. b
Muſici munus 385. b
Muſto dolia rumpuntur 344. b
Mutuari per interceſſorem 589. b
Mycenarum nobiles muri 237. b
circa Mylas fimo quiddam ſimile è mari ejicitur 730. b
Myron Claudii libertus 858. b

NÆNIA 856. a
Nævis crebris diſtincta menſa 148. a
Nandi imperitos ferunt quidam lacus 726. b
Narciſſus 745. a. libertus Claudii 858. b. quos duci juſſerit *ibid.*
Nares totius populi in Syria R. Perſ. recidit 127. a
Naſonis gener Fidus Cornelius 418. a. vide *Ovidius*.
Natalis, in cujus ore feminæ purgabantur, heres fuit multorum 376. b
Natales veterum celebrandi 223. b
Natalium periti 683. b
Natalibus liberorum potiones vix honeſtæ 86. a
Natta Pinarius 610. b
Natura, Deus 704. a. 692. b
Natura cur vultus noſtros in cælum erexerit 451. b. dux vitæ eſſe debet 529, 534.

Digitized by Google

529, 534. a. homines ad contemplationem & ad actionem genuit 577, 578. a. paucis contenta 215. b. per conſtituta procedit 717. b
Natura rerum cur nihil dicatur perdere 756. a. eadem eſt erga omnes 422. b. ſua ſacra non ſimul tradit 841, 842. b
Naturæ lex 10, 97. b
Naturæ contemplationis uſus 705, 706, 788. b
Naturæ in nos meritum 717. a
Naturæ maxima gloria homo 805. a
Naturæ convenienter vivere quid ſit 535. a
Naturæ legibus obtemperandum 528. b
Naturæ ordinem in vitæ ratione immutantes taxantur 606, 607, 608. b
Naturæ Dei & noſtræ diſcrimen 629. b
Naturæ nihil negandum paucis contentæ 590. b
de Naturæ malignitate querela 485, 846. a
ſecundum Naturam vivendum 10, 11. b
Naturale quas proprietates habeat 254, 255. a
Naturalis philoſophiæ partis diviſio 398. b
Naturalia deſideria finita ſunt 61. b
Naturalia vitia arte vinci nequeunt 35. b
Naufragii cõſolatio 867. a
Naufrago ignoto benefacere ſolemus 708. a
Navigabilia flumina 662. a
Navigatio belli cauſâ ſuſcepta improbatur 778. b
Navigii gubernacula piſcium exemplo facta 402. b
Navigia quid natare faciat 667. b
Navis bona 295. b
Naves caudicariæ 509. a. tabellariæ 301. b
Naumachiæ ſpectaculum ſecundum 254. b
Nauſea maris 181. b
Nauſeabundus gubernator 539. b
Nauſeare 151. a
Nauſeator 182. b
Nauſiphanis opinio 394. b
Nautis in tempeſtate terra magis quàm quidquam aliud, timetur 181. b
Neapolis 285. a. 166, 196. b. terræ motu agitata 782. b
Neapolitana crypta 196, 197. b
Neapolitanorum theatrum 293. b
Nebulæ ſub terrâ 773. b
in Neceſſitate vivere, nulla eſt neceſſitas 42. b
Negotiatio 822. a
Negotiorum turba non obſtat ſtudiis 217. b
Negotiis alienis ſe offerentes 374. a
Negotiis quomodo ſe extricare debeat philoſophiæ cupidus 82. b
Nemora ſuſpendere 39. a
Nepotari 613. a
Nepotes 62. a
Nepotum juventus 461. b
Neptunus 396. a. 277. b. ἐννοσίγαιος 806. b
Neptune numquam hanc navem, niſi rectam 360. b
Nequitiæ certamen 51. a
Nero Cæſar veritatis amantiſſimus 792. b. ad inveſtigandum Nili caput miſit *ibid.*
Neronis Cæſaris cum Auguſto comparatio 446, 447. a. clementia 429, 446, 447. b. laudes 427, 428, 446, 447, 472. a. verſus 643. b
Neronis in latrones animadverſuri vox generoſa 471. b
Neronis principatu Cometes ſex menſes viſus 834, 840. b
Nervi, ſedes dolorum 308. b
Nervorum contractio 241. b
Neſciebam, imperitorum vox 301. b
Neſida 181. b
Neſtoris vita brevis naturæ reſpectu 306. b
Nicopolis nobilis terræ motu 809. b
Nilus 517, 790. b. Ægyptum *dilatat* 808. b. æſtate augetur 517, 728, 793. b. cum mundo cœpit 724. b. cur æſtivis menſibus abundet 747. b. nihil exedit, nec abradit terras 650. b. quoties non exundaverit 751. b
Nili animalia 650. b. cataractæ & fragor 748. b. inundationis cauſſa 792. b. miracula 750. b. primum incrementum & progreſſus 748, 749. b. ſeptem oſtia 650. b. caput qui inveſtigarent, à Nerone miſſi 792, 793. b. Nili fragor cadentis cauſſa urbis transferendæ 193. b
Nili venæ ſcopuli duo dicti 749. b
de Nili incremento variorum auctorum opiniones 751. b
Nilo beneficium non debetur 788. a
Nilotica aqua feminas fecundiores

Digitized by Google

candidiores facit 727.b
Nivalis dies 756.b
cur Ningat hieme *ibid.*
Nix quid 755. b. fixa & dura minùs alget quàm tenera & labefacta 757. b. ubi fiat 758, 760.a. à quibuſdam editur 762. b. emi ſolita, 760. b
Nivis reponendæ officinæ 762.b. aſſervatio & potio luxurioſa 761, 762. b
Nivem vino diluere 312. b
Nobiles quid faciat 148. b
Nobilitas turpiſſimos quoſdam induſtriis prætulit 730. a
Nobilior quiſnam altero 681. a
Nocens aliquando latendi fortunam habet, numquam fiduciam 480, 523.b
Nocens nobis: poſteaquam profuit, an nos debito ſolvat 324. b
Nocens fit etiam non nocendo 402. a
Nocitura potentibus neganda 629. a
Noctis & diei officia commutantium reprehenſio 606, 607.b
Noctes quibuſdam breves videntur 515.a
Nodus Herculanus 380. b
Nomen luſorium 756. a
in Nomen laborare 225. b
Nominis illuſtris prætextus Deus 681. a
Nomina facere 560. a
Nomina lenta 775. a
Nomina ſecum fieri quidam nolunt 640. a
Nomenclator 375, 376. a. 72. b. vetulus 103.b
Nomenclatori memoriæ loco audacia eſt 595.a
Nomenclatorum aut memoria, aut manus 816. a
Nomenculatoris ſuperbia 419. a
Nomentanum 514, 544. b
Nomentanus luxuriæ magiſter 88, 89. a
Non putavi, turpiſſima excuſatio 81. a
circa Nonacrin in Arcadiâ aqua mortifera 725. b
Noſce te 262. a
Notarius 852. b
Noti 681. a
Notorem dare 135. b
Notorem petere 850. b
Notus ventus 775. b. Latinè Auſter 776.b
Novatilla 203. a
Novit tam benè, quam pædagogos novimus 103. b
Novitas, magna pars mali imperitis 300.b
Novitas pondus calamitatibus adjicit 418.b
Novorum cupiditas, priora obſcurat 655.a
Noxiiſſimū animal 465. a
Nubes quid 682. b. reſoluta ventum facit 771. b
Nubes attritæ, cùm ſint udæ, quomodo ignem gignere poſſint 678. b. ſubterraneæ 773. b
Nubium obſervandarum periti grandinem prædicunt 757. b
Nubibus quidam immolant *ibid.*
in Nubibus unde & quomodo ignis, & quâ ratione è nubibus emittatur 769, 776, 777. b
Nucerinorum colonia 782. b
Nudus, etiam malè veſtitus 762. a
Nugatorius 129.b
Numæ nepos 538.b
Numantia 21, 209. a
Numantiæ mœnia unâ manu capta 401. a
Numeratio 68.b
Numeratio de domo fiet 100. b
Numerus perfectiſſimus 207.b
ad Numeros movere corpus 184. a
Numidæ 374.b
Numidarum equitatus 614. b
Numidicæ cruſtæ 364. b
Nummarium tribunal 604. a
Nummus malus 773. a
Nummulariolus 852.b
Nundinis lavari toti veteres ſoliti 376. b
Nutricis cur minima auctoritas 865. a

OBIRASENE 344. a
Obliti 653. a
Obrigeſcere 332. b
Obruſſa 43. b
Obruta fulmina 693.b
Obſonatores 137.b
Obſonii ſcindendi magiſter 149. a
Obſtinatio animi 197. 439. b
Obſtrigillare 560.b
Occaſio in rebus obſervanda 81. b
Occaſus quotuplex 776. b
Oceanus 724. b. terrarum vinculum 278, 279. a. ad Lunæ arbitrium exundat 304. a
Occaſus veſpertinus 336. b
Occupati qui dicantur 503. a

Occupa-

Digitized by Google

Occupatorum conditio misera 522.a. vita breviſſima 495.500.a
Occupatio deſidioſa 504.a
Occupationes novæ veteribus ſubſtitui ſolent 517.a. non tanti eſſe debent ut philoſophiæ ſtudium differatur vel omittatur 271,272.b
Occupationum præmia contemnenda occupationes fugienti 82.b
Occupationibus diſtrictus quomodo ſe explicare debeat, ſi philoſophiæ ſtudium amplecti cupiat 81,82.b
Octava regibus interdum prohibetur 613.b
Octavia ſoror Auguſti 230.a
Octaviæ impatiens luctus ob Marcellum amiſſum 254.a
Octavius Auguſti pater 687.a
Octavius quinque millibus HS. mullum emit à Tiberio Cæſare 467.b
Oculi erui ſolent in quibuſdam mendaciis 756.b
Oculi imbecilles 481.a
Oculorum amiſſio ut ferenda 867.b
Oculorum dolor cur acutiſſimus 308.b
Oculorum in rebus viſis fallacitas 640.b
Oculorum faſtidium reprehenditur 184.a
Oculos ægros non ſolum curat medicus, ſed etiam monet 442.b. defatigatos liberâ luce delectant artifices 221.b
Oculos noſtros multa fugiunt 841.b
Oderint dum metuant, verſus execrabilis. 38, 448,474.a
Odium blandum & affabile 630.a. vitandum 51.b. quomodo vitandum 523.b
Odorifera 124.b
Odyſſea 508.a
Oebaſi tres liberi à Dario occiſi 120.a
Oenopidis Chii ſententia de Nili incremento rejicitur 753.b
Oeſtrus Græcis, Latinis aſilus dictus 199.b
Offa mortifera 58.a
Offendentia nos quomodo accipienda 78.a
Offenſationes memoriæ labentis 720.a
Officii, beneficii, & miniſterii diſcrimen 672.a
Officii humani formula 470.b
Officia præceptis diſponuntur 446.b
Officia civilia an gerat virtutis ſtudioſus 547, 550.a
Officiorum quàm juris regula patet latiùs 76.a
O[illegible] 397.b
inter Oleum & vinum occupati homines 55.b
Olivetum alteri ponere 368.b
Olivetum duobus modis diſpoſitum 369.b
Olympia 729.b
ad Olympia deſcendere 393,394.a
Olympus 238.b
Olympus & Oſſa terræ motu receſſerunt 803.b
Omen triſte matribus occurrere 298.a
Omnia fiunt ex omnibus 711.b
Omnia in omnibus ſunt ibid.
Οὐ Latinè dici nequit 201.b. ſex modis dicitur ibid.
Oneſicritus præfectus claſſibus Alexandri 834.a
Opera antiquis auxilium ſignificat 538,539.b
Opera pertinax nihil inexpugnatum relinquit 171.b
Opera utilis non omnis beneficium eſt 729.b
Operati in canticis 506.a
Operatum ſupervacuis ſtudium 582.b
Opertorium 371.b
Opes non ſunt bona 375.b
Opum poſſeſſio non interdicitur 68.b
Opinio nos cruciat 280.a
Opium 347.b
Optabilia ſintne omnia bona 245.b
Optantium voces nocent 451.b
Opus eſſe & indigere differunt 29.b
Oraculo reddita præcepta 444.b
Oratio quid 506.b. animi vultus eſt 588.b. certam regulam non habet 563.b. etiam timidiſſimis audax 100.b. qualis philoſophum deceat 494.b
Oratio popularis & philoſophi multùm differt 137,138.b
Oratio talis hominibus, qualis vita 558,559.b
Orationis celeritas Græcis potius quàm Latinis permiſſa 140.b. licentia quid oſtendat 563.b. compoſitio varia 495,563,564.b
Orator iratus an aliquando me-

do meliot 62. a
Oratori quando conſtet eloquentiæ officium 850. a
Oratori qualis oratio apud Homerum data 137,138.b
Oratorius vigor 496. b
Orbatio 254. a
per Orbationem, antiqui dixerunt, quod Græci κατ' στέρησιν 381. b
Orbis in tres diviſus 392. a
In Orbe omnia æqualia 756. a
Orbitatis gratia 281. a
Orci janitor 336. b
Ordinare cupiditates 32. b
Ordinare ſpes ſuas 532. a
Ordinarii 18. b
Ordinarium officium 682. a
Organorum ac tibiarum genus ex pulpito conſonabat olim 350.b
Origo omnium eadem 681. a. 147. b
Ὁρίζων, ſeu finitor, ſeu finiens 776. b
Ornamenta ſua traducere 734. a
per Ornamenta ferire 741. b
per Ornamenta percuti 52. b
Orpheus 392. b
Ortus quotuplex 775. b
Os concurrit 118,616.a
Os moriturorum ſpongiâ vel panno occludi juſſit C. Cæſar 126. a
Os libidini non exceptum 52. a
Os præcidi in mendaciis levioribus ſolet 756.b
Oris libido 656. b
Oſſa Olympo olim cohæſit 807.b
Oſſa, firmamenta totius 42. a
Oſſa leguntur 86,290, 309,777. a
Oſtiarius 682. a
Oſtiarii difficultas 413. a. virga 414. a
Oſtiario difficili non iraſcendum eſt 151,152. a
Oſtienſis colonia 653.b
Oſtrea 463, 533. b
Otioſi qui vulgo dicantur 188. b. 504, 507. a
Otioſi ſoli ſunt ſapientes 511. a
Otium an ſapienti conceſſum 574, 575, 580. a. ſectandum, ſed non jactandum 248,249.b
Otium ſine litteris mors eſt & hominis vivi ſepultura 332. b
Otium nonnullorum occupatum 504. a
Otii ægrâ patientia unde 344. a
Otii vitia negotio diſcutienda 195. b. vota 490. a
Otii philoſophici finis 348. a
Ovidius Ætnam deſcripſit 325.b. citatur 544. b
Ovidii laus & cenſura 733. b. gener 418. a. μεταμορφώσεις 853.b
Ovidii verſus 674. 714. a. 638, 690, 706, 722, 723, 729, 733, 746, 748, 755. b
Ovium ſexcentarum grex terræ motu exanimatus 782,809.b
Ovium greges inficientia flumina 726. b
Οὐσία 200. b

PACUVIUS qui Syriam uſu ſuam fecit, à cœnâ quotidie ſe ad ſymphoniam efferri curavit 41. b
Padus fluvius 800. a
Pædagogia oblitâ facie vehuntur 614. b
Pædagogium pretioſâ veſte ſuccingitur 549. a
Pædagogii apparatus 336. a
Pædagogus 67,68. a. 214, 398,439. b
Pædagogus fatuæ 170. b
Pædagogus unicuique datus deus inferioris notæ 544. b
Pædagogi publici aſſis non faciendi 616. a.
Pædogogos noſſe 103. b
Palla 131. a
Pallor, corporis pulſus, non affectus indicium eſt 44. a
Palma in certaminibus meliorem declarat 747. a
Palmæ ſpatium ſeptimum 115. b
Palpare 108. a
ad Palum exerceri 67. b
Pamphiliæ ventus Catægis 777. b
Panætius 124. b. eleganter reſpondet adoleſcentulo quærenti, An ſapiens amaturus eſſet 575. b. quid de Cometis ſtatuerit 841. b
Pancratio decernere vetantur Lacedæmonii 748. a
Panis lapidoſus 621. a. plebeius aut ſiligineus 590. b. ſiccus 341. b. ſiligineus 613. b
Panis in fame unus, beneficium eſt 662. a
Panis olim cinere calido & fervente teſtâ percoctus 409. b
Panis quadra non eſt beneficium 729. a
Panis hordeaci fruſtum 68. b
Pantomimæ 192. a
Pantomimi 39. a

Digitized by Google

Pantomimo non neceſſe eſt de arte ſaltandi quærere 471. b
Pantomimorum mancipia 161. b
Pantomimica ornamenta 111. b
Paphus aliquoties corruit 419, 809. b
Papulas alienas obſervatis, ipſi obſiti ulceribus 568. a
Par alicui par eſt 798. a
Par acerrimum 157. a.
Deo dignum 307. a
niſi Par non pugnat 88. a
Parem rationem facere 72. b
Pares ſinguli 306. a
Paria ordinaria & poſtulatitia 18. b
Paria facere 136, 358, 647, 663. a. 26, 499, 744. b
Parabolis in ſcribendo qui uſi 210. b
Παράδοξα, inopinata omnibus 326. b
Παραινετικά 455. b
Paratii 640. a
Parariis interpoſitis nomina facere 667. a
Parcæ tres 846. b
Parciſſimus, homo puſilli & contracti animi vocatur 650. a
Parelia quid ſint, & quomodo fiant 649. b. bina quomodo fiant 650. b
Parentatur interdiu mortuis 606. b
Parentes liberos beneficiis vincunt 756. a
Parentum amor magis in ea quorum miſeretur inclinat 238. b. beneficia in liberos 806. a. caſtigatio quemadmodum accipienda 75. a. cura de infantia liberorum 806. a. exhortatio ad liberos 692. a. officium 451. a. veneratio 691. a.
Parentibus cur quædam privilegia data 664. a
Parentibus majorane beneficia liberi dare poſſint quàm acceperint 683. a
Parianus Artemidorus 641. b
Parmenidis dictum 393. b
Parricida culleo inſuitur 30. a
Parricidæ cum lege cœperunt 464. a
Pars & materia differunt 662. b
Parſimonia 650. a. ſera in fundo eſt 3. b
Parſimoniæ laus 361. a
Parthenope 180. b
Parthus de Craſſo ſententiam tulit 9. b
Parthus infans arcum ſtatim tendit 131. b
Parthi capillum effundunt 622. b
Parthos reges ſine munere ſalutare non licet 64. b
Parthici belli apparatus 231. a
Parvo adſueſcendum eſt 613. b
Paſithea una Gratiarum Homero, & nupta 594. a
Paſtor eques Rom. ut dolorem ob filii mortem apud C. Cæſarem ſuppreſſerit 85. a
Patavii conditor 178. a
Pater an beneficium accipiat ab eo qui filio dederit 770, 771. a
Pater patriæ cur princeps vocetur 452. a
Pater quidam, morte filii nuntiata, ſacra ritè perfecit 266. a
Pater familiæ olim, qui nunc dominus 160. b
Pater familias malus 727. a
Patri quantum præſtare debeat filius 184, 186. a
Patrum & matrum indulgentia diverſa 306. a
Paterculus & Vopiſcus Coſſ. 840. b
Pateſco 501. a
Patientia infelix 656. b
Patientiæ expoſitus 655. b
Patientiæ laus 321. a
Patræ de Ægio terræ motu jactato nihil audiverunt 808. b
Patria carere, intolerabile non eſt 172. a
Patria relinquendi quærendique cauſſæ variæ 177. a
Patricia 371. a
Patrimonii liber 846. a
Patrimonia bina auriculis dependent 868. b
Patrimonia, maxima humanarum ærumnarum materia 358. a
Patrimoniorum exitium culina 605. a
Patrocli & Achillis anni 384. b
Patronus 50, 496. a
Paulina uxor Senecæ 513. b
Paulinus 485. a. curæ frumenti publici præfectus 518, 519, 520. a
Paulus 443. a. Perſen victum egit in triumpho 276. a. filiorum circa ſui triumphi dies orbationem magno animo tulit *ibid.*
Paulo bellum adverſus Perſeum gerente ignis lunari magnitudine apparuit 631. b
Paulus prætorius imaginem Tiberii obſcœnis admovens à ſervo ſervatur 679. a
Pavonum cervix cur varii coloris

coloris 643. b
Pauper quis ſit 5. b
Pauper quomodo numquam fias 60. b
Pauper non eſt, cui nihil deeſt quod ſatis ſit 590, 591. b. & cui modicum ſat eſt 3. b
Pauperis & divitis comparatio 521. b
Pauperis cella 495. b
Pauperum cellæ 66. b
Pauperibus quoque licet eſſe liberales 601. a
Paupertas non per poſitionem, ſed per detractionem ſeu orbationem dicitur 380, 381. b
Paupertas imaginaria 76. b
Paupertas, parvi poſſeſſio 381. b. cur amanda 75. b. non eſt mala 321. b. non obſtat philoſophiæ 62. b. nulli malum niſi repugnanti 617. b. philoſopho contemnenda 75. b
Paupertas & egeſtas 199. b
Paupertatis commendatio 5, 62. 867. b. contemptus 328. a. 866. b. experimentum certis diebus faciendum 66, 76. b. circa initia plurima mora 498. b
Paupertatis metu philoſophandi tempus non eſt differendum 61, 62, 63. b
Paupertatem omnibus menſibus quidam ſunt imitati 66, 76. b. nemo gravem ſentit niſi qui putat 190. a. qui non ſentiat 189. a
In Paupertate nihil mali eſt 185, 190. a
Pauſanias pœnam de ingrato ſumit 740. a
Pauſarius 194. b
Pax felicior 240. b
Peccandi pudor demitur poëtarum fabulis de diis 566. a
Peccantium multitudo conſuetudinem peccandi facit 36. b. pudorem ſceleris tollit 668. a
Peccantium pœna prima & maxima peccaſſe 480. b
Peccantibus non iraſcendum 26. a
Peccati notitia, initium ſalutis 107. b
Peccata quomodo vitentur 36, 97, 98. b
Peculium mancipia pro capite numerant 320. b
Pecunia ex quo in honore eſſe cœpit, verus rerum honor cecidit 571. b. multorum malorum cauſſa 144. a. neminem divitem fecit 571. b. nihil ad animum pertinet 189. a. ſic in quoſdam, ut denarius in cloacam incidit 376. b
Pecuniæ mala 358. a. modus optimus 361. a. poſſeſſio quàm anxia 573. b. amiſſæ conſolatio 867. b. pecuniæ certæ actio ex conducto & locato 659. a
Pecuniæ contemptus verſibus traditus magis afficit animum 532. b
Pecuniæ creditæ dies dicitur 663. a
Pecuniam quando reddidiſſe dicimur 786. a
Pedo Albinovanus fabulator elegantiſſimus 611. b
Pedo Pompeius 858, 859. b
Pegmata 388. b
Peloponneſiacum bellum 807. b
Penelopa 385. b
Peneus fluvius Theſſaliæ paludes ſiccavit 807. b
Peninus mons 119. b.
Pennam tenere, non pedem 145. b
Pennis diſtincta linea 56. a
Penſionem remittere 110. b
Penulati 682. a
Perbibere 440. b
Perbibere nequitiam 28. a
Perbibere liberalia ſtudia 130. b
Percipere voluptatem & gaudium ex conſulatu, ex nuptiis, an benè dicatur 209. b
Percuſſores 729. a
Peregrinatio hominum reprehenditur 614. b
Peregrinationis utilitas 516. b
Peregrinationes quando proſint, quando non 105, 515, 516. b
Peregrinationes vagæ 345. a
Peremptalia fulmina 695. b
Perfectum quid ſit 621. b
Perfuſoria voluptas 86. b
Pericula alia non æquè pernicioſa, atque ea quæ ex homine ſunt 511. b
Peripatetici an rectè temperent affectus 574. b. minuta beneficia ad malos pervenire aiunt 807. a
Peripateticorum reſponſa ad Stoicorum argumentum 353, 375, 380. b
Peripateticis nihil intereſt inter ſapientiam & ſapere 578. b
Περίσωμα 655. b
Perlibrare 735. b
Permadere deliciis 76. b

Digitized by Google

Permadeſcunt animi felicitate 318.a
Perpeſſitius 182.b
Perpetua fulmina 692.b
Perpetuarius mulio 849.b
Perſæ 176. a. quoque fortes 123. b. ab Alexandro fugati 557.b
Perſarum rex Harpago liberos epulandos appoſuit 118. a. lacrymas fudit ob ſui exercitus fatum 516.a. ſtolidiſſimus exercitum in Græciam trajecit 779. b. totius populi nares in Syria recidit 127. a
Perſas primus obtinuit Darius 120. a
à Perſis gens ad Nilum collocata, ob fluvii fragorem ſedes mutavit 749. b
Perſes victus ante currum in triumpho actus 267.a
Perſeus 631. b
Perſica ſervitus 121,627.a
Perſici regni ſtemma totum imperii cupidum 835. a
Perſona rebus demenda 92. b
Perſonarum ac dignitatum ratio habenda 631, 632. a
Perſonata felicitas quorum 322. b
Perſonati 92.b
Perſultare 82.a
Perverſa veſtis 29. a
Pervigilare pro vallo 131. b
Peruſinæ arx & proſcriptiones 446. b
Pes, vox πολύσημος 650.a
Pedes quibus dolent, vino aut balneo abſtinent 250. b
Pedibus in ſententiam itum 856. a
Peſtifera fulmina 693.b
Peſtilens vapor exhalans in Italia 810. b
Peſtilentia à terræ motu 809. b. imbecilla robuſtaque invadit 100. a. manu facta 52. a
Petreius & Juba ſe mutuò interemerunt 308. a
Phæcaſia 858. a
Phædon citatur 447.b
Phædrus Socrati objectus fuit 569. a
Phalaris tyrannus 47, 855.a. crudelis 476. a
Phalaridis taurus 235.b
Pharos quantum abſit à continenti 808.b
Phaſis 185.a. 752.b
Pheronactes Claudii libertus 856. b
Phidias 26,361. b. triplicem fructum operis habet 649. a
Philæ inſula 748.b
Philetæ latrones Ægyptiis dicti 176.b
Philippus Macedonum rex civitates aut vicit, aut emit 453. b. plures in metallum antiquum demiſit explorandi gratiâ 774. b
Philippi Macedonum regis pœna militi ingrato illata 739. a. patientia in legati Athenienſium contumeliis audiendis 132.a. latrocinia 703.b
Philippus medicus Alexandri 70. a
Philologia 536. b
Philologus quo animo legat Ciceronis libros de Rep. *ibid.*
Philologi homines 849.b
Philoſitus villicus Senecæ 39. b
Philoſophandi tempus nō eſt differendum paupertatis metu 61,62.b
Philoſophandum eſt re & vitâ, non verbis 74.b
Philoſophari, valere eſt 54.b
Philoſophia quid 395, 447.b. jactanda non eſt 512. b. in viros tranſſcribit 8. b. inſularum loco eſt 51. b. murus inexpugnabilis 332. b. modeſtè tractanda 51. b. nec rejicit, nec eligit quemquam 147.b. nō eſt inutilis, ſive fato, ſive caſu omnia adminiſtrentur [illegible].b. primùm ſimplex, cur operoſior facta 464.b. quid præſtet 112. b. quid promittat 12,165.b. ſine virtute non eſt 396.b. ſubmiſſis verbis, non clamore docenda eſt 134. b
Philoſophia *facta eſt philologia* 536. b
Philoſophia & ſapientia quomodo differant 397 b
Philoſophiæ decreta & præcepta quid differant 445,458.b
Philoſophiæ plures diviſiones 396, 397.b. effectus 59.b. laus 183, 184, 402. b. nomen invidioſum 12.b. officium & indicium 73, 74. b. placita perquàm neceſſaria 466. b. partes duæ 457. b. partes tres 388, 396, 397.b. partium ad homines & ad deos ſpectantiū diſcrimen 625. b. pars præceptiva an ad vitam beatam ſufficiat 455. b. pars præceptiva ſolane recipienda, an, ut Ariſto vult, rejicienda 438,b. &c. *per totam epiſtolam*. regnum quale 184. b. ſervitus, vera libertas 24. b

Digitized by

tas 24. b. ſtudioſus quomodo ſe ex negotiorum procuratione expedire debeat 81,82. b. ſtudium ob nullas occupationes differendum 272.b. vis 530.b. utilitas 61.b
Philoſophiæ decreta præceptis præfert Ariſto Stoicus 438.b
Philoſophiæ inventa non eſſe artes vulgares 403, 404. b
Philoſophiæ præceptis animus penitus imbuendus, non leviter tingendus eſt 58,59.b
Philoſophiæ ſtudioſus, & philoſophiam adeptus, diverſi ſunt 561.a
Philoſophiæ deditus quomodo ſe gerere debeat diebus luxuriæ dicatis 65. b
Philoſophiæ deditos non eſſe refractarios, nec magiſtratuum ac regum contemptores 275.b
Philoſophiam clamores dedecent 179,180.b
Philoſophiam conlatrantium convicia 548, 555,567.a
Philoſophiam in opere diſcere 485.b
Philoſophiam velut venale aliquod artificium diſcentes arguuntur 539. b
Philoſophus quo animo Virgilium & Ciceronem legat 536,538.b
Philoſophus verus qualis ſit 549. b
Philoſpphi ſchola quibuſdam otii diverſorium eſt 531.b
Philoſopho fortunæ munera fugienda 22.b
Philoſophum qualis oratio deceat 137,494.b
Philoſophi cathedrarii 500. a
Philoſophi ad quid audiendi vel legendi ſint 539. b. permulta habent ſupervacua 393.a olim Româ ejecti 187. a
Philoſophorum auditores variè affecti 531.b. credula natio 808.b. defenſio contra vulgò jactatum dictum, quod aliter loquantur, aliter vivant 548, 550, 553, 555,564,567.a. familiæ cur deficiant 842.b. index 135.b. inquilini 531.b. lingua 662. b. ludus litterarius 262,263.b
Philoſophorum veterum chorus qualis 351.b
Philoſophis non ſollicitè verba quærenda 288. b. pecunia non interdicitur 558. a. quale vitæ genus deligendum 12.b
inter Philoſophos facilius quàm inter horologia conveniet 845.b
Phocis 178.a
Phœnicopterorum linguæ 547.b
Phœnix 144.b
Phreneſis 24.a
Phrenetici verba 137.a
Phrygianis auro ſpiſſis prodeunt Gratiæ 594.a
Phrygius tibicen 531.b
Phthiſis 290, 418.b
Piamentum 203.a
Pictor inter ceram opuſque facili vultu ac manu commeat 601.b
Pictores non recipiuntur in artes liberales 387.b
Pigri in os ſenatoris ingeſti 627.a
Pii ſumus ad mercedem 871.b
Piiſſimi ſenſus 218.a
Pilæ operibus ſubditæ 812.b
Pilæ proprietas 759.b
Pilæ luſus beneficia reddenda docet 648.a
Pilæ luſui beneficia comparat Chryſippus 632.a
in Pilâ omnia æqualia 757.a
Pila in caſtris ardere viſa 633.b
ad Pileum ſervos vocare 161.b
Pilicrepus 191.b
Pinarius Natta 610.b
Pindarus 809.b
Pingere quàm pinxiſſe jucundius 27.b
Pinna rubens 57.a
Pinnâ & lineis cluſæ aves 449.a
Pirenæus 628.b
Piſatio 370.b
Piſcatum ire dolabrâ 718. a
Piſces quibuſdam locis è terrâ eruuntur 717.b
Piſcium ſubterraneorum eſu homines mortui 720,721.b
Piſiſtrati Athenienſium tyranni moderatio in convivæ ebrii convitiis ferendis 112.a
Piſtrinum ſapientum inventum eſſe vult Poſidonius 409.b
Pithaules 293.b
Pithyæ 651. b. an inter Cometas ponendæ 653. b
Plancus artifex 741.b
in Planum fortunam deferre 367.a
Plagiarii 159.a
Platanona rivus dividit 189.b
Plato 224.b. à duobus pueris quæritur 791.a. citatus 387.a. iræ pœnas à

naſà ſe exigit 114. a. plus ex moribus quàm ex verbis Socratis traxit 16. b. pueris vinum negandum putat 114. a. quæcumque ſunt, in ſex modos partitur 202. b. quinque cauſſas ſtatuit 226. b. ſervi caſtigationem Speuſippo commiſit 114. a. ſerviit 159. b. Socrati de eruditione agit gratias 755. a
Platonis argumentum de irâ 14. a
Platonis dictum 294, 753. a. 146. b. dictum de animadverſione 37. a. dictum de officio portitoris ſibi præſtito 805. a. ideæ 209. b. liber à Catone lectus ultimâ nocte 90. b. navigationes 206. b. pater 687. a. teſtimonium 780. b
Platonis legibus adjecta principia improbantur 446. b
Platoni nomen latitudo pectoris fecit 206. b
Platoni objectum quod pecuniam petierit 568. a. quod aliter viveret, aliter loqueretur 550. a
Platoni tres ſervi fuerunt 191. a. unde contigerit, ut ſuo natali deceſſerit, & annum unum & octogeſimum impleverit 207. b. defuncto Magi immolaverunt *ibid.*
Platonem nobilem fecit philoſophia 148. b
apud Platonem educatus puer 68. a
Plebicola 767. a
Pluvia ultra x. pedes terram non madefacit in altitudinem 709. b
Pluviæ an quid conferant fluminibus 718. b. quando copioſæ, quando lentæ 756 b
Podagra 55. a. 182. b. ad tempus reſpondet 717. b. quomodo interquieſcat 308. b
Podagrâ diſtortus 245. b
Podagræ delinimenta magis quàm remedia componuntur 550. a
Podagricæ feminæ contra Hippocratis doctrinam 460. b
Podagricus 92, 858. b
Podagricus ſenex 86. a
Pœna omnis, remedii genus eſt 28. a
Pœna quid ſpectet 462. a
Pœnæ inferendæ duo fines 36, 83. a
Pœni 518. a. in Africa à Regulo fuſi 191. a. Hiſpaniam incolunt 177. a. in Siciliâ à Metello victi 511. a
Poëta nomen commune in Homeri notam conceſſit 203. b
Poëtæ antiqui dictum 506, 507. b
Poëtæ comici verſus 31. b
Poëtæ comici ſales ſuos in Socratem effuderunt 567. a
Poëtæ non ſolliciti de vero, id ſpectant quod bellè facit ad verſum 596. a. temporum nimis accurati deſcriptores 846. b
Poëtarum carmina, quibus divitiæ laudantur, facem hominibus ſubdunt 571. b. fabula de inferis 281. a. furor fabulis humanos errores alentium 516. a. ineptiæ de Jove 566. a
Poëtarum omnium exercitatio & ludus eſt Mæander fluvius 517. b
Poëtarum ſcopus eſt aures oblectare & dulcem fabulam nectere 597. a
Poëtarum maximi verſus 487. a
Poëtis ſollennis locus Ætna 315. b
Poëtica verba 563. b
Poëticas fores fruſtrà ſui compos pepulit 387. a
Pogoniæ 653. b
Polenta 68, 548. b
Poliorcetes 398. a
Pollionis Aſinii compoſitio qualis 496. b. amicus Timagenes 133. a
Pollioni Aſinio quid dixerit Scaurus homo obſcœnus 732. a
Pollionem Aſinium oratorem magnum nulla res ultra *decimam* retinuit 385. a
Polluta medicamentis 534. a
Pollux & Caſtor 633. b
Polyænum magnum virum fecit Epicuri contubernium 16. b
ad Polyænum epiſtolæ Epicuri 67. b
Polybius Claudii libertus 858. b. fabellas & Æſopeos logos connectit 219. a. Homeri & Virgilii carmina reſolvit & tranſtulit 218, 224. a
Polybii apud Claudium potentia 216, 217. a. laus 210, 211, 218. a
Πολυαρχίωνες enumerantur 374 a
Poma gregalia delectant, ſi provenêre maturius 609. a
Poma per vitrum aſpicientibus multò majora, ut & aquæ innatantia 640, 646. b
Pomorum ingenti ſtrue cingere

Digitized by Google

cingere primæ formæ feras 311.a
Pomaria in ſummis turribus 609.b
Pomœrium Rom. quando proferre licebat 511.a
Pompeii 166.b. 253.b. Campaniæ urbs terræ motu deſedit 781,782, 809.b
Pompeiorū fortuna 229, 230.a
Pompeius ab ultimo mancipio transfoſſus 510.a. alienum exercitum fugit 747.b. clienti præbet cervicem 382.a. primus in circo elephantorum duodeviginti pugnam edidit 510.a
Pompeii cognominis inanis jactatio 511.a. hoſtis ac victor 767.a. verecundia in concionibus 35.b
Pompeii theatrum exuſtum à Cæſare refectum 291.a
de Pompeii capite pupillus & ſpado tulère ſententiam 9.b
Pompeio locupletior Demetrius libertus 359.a
Pompeio Cato oppoſitus 315.a. vide *Cn. Pompeius.*
Pompeii exaltati ruina Pompeii Magni 730.a
Pompeio ditior 372.a
Pompeius Magnus gener Claudii 856.b
Pompeio Penno ſiniſter pes oſculandus porrigitur à C. Cæſare 626.a
Pompeiani poſt Pompeium 142.a
Pomponii ſcriptoris præceptum 7.b
Ponticis littoribus Achaiæ civitates impoſitæ 176.a
Pontificales libri 538.b
Pontificalis carminis verba ſollennia 266.a
Pontificis oculi velamento à funere arcebantur 270.a
Pons ſublicius 561.a
Pontus 737,756.b. cur in inferum mare aſſiduè fluat, non autem refluat 754.b
in Ponto quidam amnes æſtate creſcunt 728.b
Popinarum inſtitores 193.b
Populus in tribus deſcribitur 395.b. cur reges principeſque amet & protegat 431.a. vitiorum auctor 18,19.b
Populi ſcita 172.a
Populo non placeat ſapientiæ deditus 111.b
Populorum tranſportationes publica exſilia ſunt 178.a
Porſena faciliùs Mucio ignovit, quàm ſibi Mucius 90.b. Mucii gloriæ invidit 243.b
Porſenæ caſtra 767.a
Porſenæ occiſi inſtar Mucii manus fuit 852.a
Portentoſi fœtus 27.a
Portionem ferre 721.a
Portitor gratis Platonem nave tranſvehens 800.a
Portorium ſolvere 107.b
Poſidonius 320,569.b. citatur 678, 807.b. plurimùm philoſophiæ contulit 408.b. ſuaſionem, conſolationem, & exhortationem neceſſariam judicat 473.b. quattuor ait eſſe artium genera 388 b. virtutem futili carni committi ait 426.b. Zenonis cauſſam agit de ebrietate 342.b. Sidonem mari ſuperfuſam auctor 807.b
Poſidonii auditor Aſclepiodotus 679,681, 799.b. collectiones de divitiis 380.b. elegans dictum 313.b. opinio de colore arcus 643.b. de grandine 754.b. opinio de tonitru 695.b. ſententia 557.b
Poſidonio duo ſunt terræ motus genera 803.b
Poſidonio de artium inventione non aſſentitur Seneca 403,404, 408,409.b
à Poſidonio diſſentit Seneca 446.b
à Poſidonio ſcripta miracula 833.b
cum Poſidonio vivendum 518.b
Poſſeſſio rei & uſus 836.a
in Poſſeſſione ponere 15.a
Poſtmeridianæ horæ 703.b
Poſtulaticii 18.b
Poſtulatoria fulmina 693.b
Potatio extrema delectat 39.b
Potentes cur magni videantur 300.b
Potentia aliena terribilis quomodo vitanda 48, 49.b
Potio liberalior interdum conceſſa 386.a
Præceptiva philoſophiæ pars an ſatis ſit ad conſummandam ſapientiam 455.b. ſitne à philoſophia removenda 441.b. *per totam epiſtolam.*
Præceptio 473.b
Præceptor liberalibus ſtudiis quis dignior 455.a
Præceptoris beneficia 690.a. officium 722.a
Præceptoris cur nulla venera io 863.a
Præceptori quantum debeatur

Digitized by Google

beatur 796,797.a
Præceptores plus laboris ab his exigunt in quibus certior ſpes eſt 320.a
Præceptores ſapientiæ quales eligendi 178.b
Præceptorum beneficia cur intercidant 656.a. caſtigatio quomodo accipienda 75.a
Præceptorum generis humani veneratio 223, 224.b
Præceptum vetus, Deum ſequere 547.a
Præcepta carmini inſerta, aut proſâ oratione in ſententiam coartata, multum habent ponderis 444.b
Præcepta minùs proſunt quàm exempla 16.b. ſeminibus comparantur 134.b. ſine decretis nihil proſunt 472.b generalia mandari & ſcribi poſſunt, ſpecialia ex rebus ipſis pendent 81.b. ſpecialia ſeu ſingularia ſintne utilia 438,443.b
Præcipuum quid in rebus humanis 704.b
Præciſi 323.a
Præco vocem experitur in decuriâ primâ 158.b
Præcordia luxu corrupta 761.b
Præcordiorum ſuppurationes 49.b
Prædictio quam vim habeat 683.b
Prægustare voluptates 538.a
Præjudicium 738.a
Præmordere 434.a
Præneſtina arx 766.a
Præſes legum quam caſtigandi rationem teneat 13.a
ad Præſtationem ſcribere 511.a
Præſtigiatorum acetabula & calculi 151.b
Præſtitiſſe verbum ad alios ſpectat 757.a
Præſumptioni omnium hominum multum dari ſolet 577.b
Prætexta non honor, ſed honoris inſigne 599.a
Prætextatus & candidatus 562.a
Prætor urbanus 348.b
Prætori quis honor exhibitus 224.b
Præxaſpi quæ merces à Cambyſe relata fuerit ob fidele conſilium 116,117.a
Prandium ſine menſâ 341.b
Precantium voces deum beneficum teſtantur 699, 700.a
Precibus empta omni re cariora 616.a
Πρησὴρ ventus qui fiat 772.b
Pretium cujuſque rei pro tempore eſt 796.a
Priamus ut iram diſſimulaverit 86.a
Priapi ſignum 421.a
Primipilarius *ibid.*
Princeps cur pater patriæ dicatur 452.a. quibus de cauſſis punire & quomodo debeat 460, 461.a
Principis præcipua virtus clementia 431, 433, 434.a
Principe quæ digna corona 468.a
Principes cur amentur 431, 433.a. deorum exemplum imitari debent 436.a. quâ re laborent 810,816.a
Principum officium 452.a
Principale & regium, τὸ ἡγεμονικὸν 8,9.a
Principali, id eſt ἡγεμονικῷ, ineſt aliquid irrationale & rationale 424.b
Principia omnium exigua 683.a. à ſequenti magnitudine obruuntur *ibid.* longè à perfecto abſunt 789.b. totius operis dimidium 127.b
Privilegia parentum 664.a
in Probo & aſpero accipere 72.b
Procari 741.b
Procella uti fiat 771.b
Proceſſus 344.a
Proceſſus alieni 220.a
Procliva omnia 858.b
Proconſul de tribunali deſiliens & lictori faſces auferens 35.a
Procruſtes 476.a
Procurare heredi ſuo 616.b
Procuratio 70.b. Procuratio mercenaria 518.a
Procurationis otioſæ officium 740.b
Procurationes 499.b. Procurationes quorſum fiant, ſi fata immutabilia ſunt 686, 687.b
Procuratiuncula 119.b
Procurator ex domino 53.b
Prodeſſe & beneficium dare differunt 771,772.a
Prodeſſe qui dicantur 541,542.b
Prodigus non ſine avaritia 727.a
Proditor Tarpeio imponitur 30,31.a
Producta ſeu commoda 283.b
Proficientium tres claſſes 273,274,289.b

qui

qui Profuit nobis, ſi poſteà nocuit, an nos debito ſolvat 324. b
Progener 78. b
Progymnaſii, vel potiùs progymnaſtæ 340. b
Prometheus Mæcenatis liber 71. b
Promiſſa quatenus ſervanda 737,741. a
Promiſſorum dilatio arguitur 618. a
Propinatio 639. a. Propinationes 346. b
Propinationibus crebris laceſſere 86. a
Propontis 737. b
Propoſitum ſitne cauſſa rei 225. b
Prorogativa fulmina 692. b
Proſcriptione triumvirali ſervatus quidam Cæſari reddi cupit 624. a
Proſpicere mortem 2. b. Proſpicere vitam 241. b
Proſtitutæ lenonis ſunt 837. a
Protagoræ dictum 393. b
Proverbia, Aut regem, aut fatuum naſci oportere 845. b. Totidem eſſe hoſtes, quot ſervos 156. b. Gladiatorem in arenâ capere conſilium 81. b
Providentia Deus dici poteſt 691,692. b
Providentia maximum bonum conditionis humanæ 14. b
Providentiâ ſi mundus regitur, cur multa bonis viris accidant mala 302. a
Providentiæ argumenta plurima 302,303. a
Provincialium ornamentum Lugdunum 420. b
Provocatio à regibus ad populum fuit 538. b
Proxenetæ 589. b
Prudentia adhibenda in commodorum uſu 283. b
Pruina 715. b
Prytanes 350. a
Pſeudomenos 152. b
Pſychroluta 181. b
Pſychrolutes 340. b
Ptolemæus Africæ rex inter Caianas cuſtodias 374. a
Publicum ſalutationum exercere 414. a
Publius tragicis comiciſque vehementior 370. a
Publii verſus laudati 256, 370. a. 24. b
P. Claudius temp. venumdedit 191. a
P. Petronius Claudianâ linguâ diſertus 859. b
P. Vinicii tarditas in dicendo 140. b
Pudica dici quæ non poſſit 714. a
Pudor deprehenſus amittitur 865. a
Puer ſtaturâ ingentis viri 295. a
Puerorum educatio ſalubriter inſtituenda 66. a. 449,450. b. ita ut placetur 12. a. ludi 409, 410. a. diſcentium offenſationes patienter ferunt magiſtri 780. a
Puerorum infelicium greges 461. b
Pueris, quibus omne ludicrum in pretio eſt, ſimillimi ſumus 570. b
Pueros perſonati terrent 92. b
Puerilitas 409. a. Pueritia & puerilitas 8. b
Pugillares 371, 531. b
Pugillaribus imminere 56. b
Pugnare de genu 306. a
Pilleata turba 65. b
Pullus nubibus immolari ſolitus 757. b
Pulmentarium 371. b
Pulla lana 726. b
Pulpæ 806. b
Pulpitum 843. b
ex Pulpito tibiarum omne genus organorumque conſonuit 351. b
Pulverem ſolvere in quo circulus ſcriptus 285, 286. b
Pulverulenta virtus 533. a
Pulvillo Capitolium dedicanti filii mors nuntiata 266. a
Pulvinaria 232, 237. a
Pulvinus 151, 271. a
Pumilio 300. b
Punctiunculæ 182. b
Punctiunculæ dolorum 546. a
Puniendi tres cauſſæ 462. a. finis 37. a
Puniens iraſci non debet 27. a
Punire quomodo princeps debeat 460. a
Pupulus 39. b
Purgamenta 727,727. b
Purgatio ſtatum diem ſervat 717. b
Purpura conchylio ſaturata 187. a. Tyria 644. b
Purpuræ color diverſus unde 640. b
Purpurati 299. b
Puſtularum eruptiones 272. b
Puſula 159. a
Putei cur hieme caleant 795. b
Puteolanus pulvis miræ naturæ 722. b
Puteoli 180. b
Puteolorum turba 301. b
Pyladis domus 843. b
Pyrenæus Germanorum tranſitus non inhibuit 177. a
Pyrrhonis præcepta nemo tradit 842. b
Pyrrhonii 354. b

Digitized by Google

Pyrrhus certaminis gymnici præceptor 60.a
Pyrrhi regis aurum repulit Fabricius 595.b
Pyrrhum Fabricius monet, ut inſidias medici caveat *ibid.*
Pythagoras 513. a. ait, alium animum fieri intrantibus templum & oraculi opperientibus vocem 447. b. cur animalibus abſtinuerit 534 b. perturbationes animi lyrâ componebat 109. a
Pythagoræ amorem Senecæ injecit Sotion 534.b diſcipuli quinquennium tacebant 179. b. tacitus ſeceſſus 403.b
Pythagorica ſchola præceptorem non invenit 842, 843. b
Pythagoricus quidam futori etiam mortuo debitam pecuniam reddit 858. a
Pythicis oraculis adſcripta vox 262. a
Pythii filius à Xerxe occiſus 120. a
Pythocles ut locuples faciendus 79. b
Python 338. b
Pyxis & argentea & aurea 762. a
Pyxides medicorum 459. b

QUADRA panis non eſt beneficium 729. a
Quadrantaria res 366.b
Quadruplatores beneficiorum 861. a
Quæſitor eſt, ubi judex deſiit eſſe 518. a
Quæſtiones inutiles damnantur 383, 384. b
Quæſtionum liber 399. b
Quæſtionum de univerſo diviſio 661.b
Quæſtionum operoſa ſolutio quid utilitatis ferat 760. a
Quæſtores 436. a
Quæſtuaria 814, 815. a
Quæſtuoſiſſimè habere 699. a
Quæſturæ ſuffragator 865. a
Quàm diu hæc, delicatorum ſollicita cogitatio 516. a
Quartana ad horam venit 717. b. flagellis diſcuſſa 789. a
Quaſſus 111. b
Quattuordecim gradus 662. a. 147. b
Querela familiaris 617. a. publica 768. a
Querela de hominum nequitiâ omni tempore 603, 604. a
Quercus & ilex antiqua alimenta 731. b
Quies an ſummo bono adjici debeat 425. b
Quies, bonum non eſt 377. b
Quies quibus utilior negotio 354, 355. a
Quieſcentes ſemper & inquieti reprehenduntur 7. b
Quintius dictaturam properat evadere 518. a
Q. Catuli buſtum 122. a
Q. Sextii patris, magni viri & Stoici, liber laudatur 222. b. vide *Sextius.*
Quiritium jus 705. b
Quod eſt, ſeu τὸ ὄν, ſex modis dicitur à Platone 221. b
Quod eſt, ſummum genus rerum 201, 202. b
Quouſque eadem, vox rabidarum deliciarum 346. a. 96, 399. b

RADERE 109. b
Rabioſus 10. a
Rabirius poëta 782. a
Radiceſcere 370. b
Ramalia 404. b
Rapto vivere, injurioſum, rapto mori, pulchrum 254. b
Raſtrum allevare 72. a
Ratio quid 234, 240. b. arbitra eſt bonorum & malorum 239. b. bonum proprium hominis 294. b. diis hominibuſque communis 431. b. non eget affectuum armis 31. a. numquam in adjutorium affectus aſſumit 18. a. omnis honeſti comes 707. a. ubique reſpectanda 634. a
Reapſe, id eſt re ipsâ 538. b
Rationalis philoſophiæ partis diviſio 399. b
Rebili conſularis, hominis infamis, pecuniam renuit Julius Græcinus 639. a
Recalvaſter 237. b
Recens à voce 310. a
Recentes à diis 416. b
Recita quibus adclametur 456. b
Recogito 529. a
Recorrigere 171. b
Reddere quid 786, 854. a. duos exigit 757. b
Reddidit gratiam, non dicimus 325. b
Refectus conſul 515. b
Referire 88. a
Referre quid 325. b
Refigere ſe crucibus 552. a
Reformare chirographum 450. b
Refovere 184. a
Refovere arma 493. a
Refractarius 271. b
Regalia fulmina 693. b

Digitized by Google

Regalis ingenii mos 815. a
Regelari 244. b
Reges, vide *Rex*.
Regiæ potentiæ miniſtri arguuntur ſuperbiæ 619. a
Regiam ad menſam adhibitorum quale vitæ genus 118. a
Regiones à bonis moribus alienæ vitandæ 172. b
Regionum electio parum confert ſtudiis 515.b
Regnum aureo ſæculo penes ſapientes fuit 403. b
Regula 267. b
Regula lex 709. a
Regulus & Virginius Coſſ. 782.b
Regulus 247. b. à Pœnis captus eſt, non victus 749.a. clavis confixus 382. a. crucem vicit 484.b. fidei & patientiæ documentū 313. a
Reguli area 247. b
Reguſtare bilem ſuam 315. a
Rejicula mancipia 158.b
Rejiculi dies 496. a
Relativa parem deſiderant regulam 634. a
Relativorum natura 758. a
Religio primum militiæ vinculum 465. b
Religioſi ſunt boni etiam farre ac fitillâ 600. a
Remedia extrema in deſperatione tentanda 108. b
Remedia non ſunt quæ fortuitò ſanant 739. a
Remediorum compoſitiones 728,729.a crebra mutatio nocet 4.b
Remediorum qualium uſus apud veteres 458, 459.b
Remetiri dicta & facta 149. a
Remetiri vinum vomitu 315.a. 460.b
Remigare contra aquam 612.b
Remiſceri 265.b
Remiſſio animis danda 384. a
Remus auſpicans 511.a
Remus integer in aquâ fracti ſpeciem reddit 640.b
Replumbatur argentum 751. b
Reponere poſt longam diem, & in anteceſſum 734. a
Repoſitorium 312. b
Reprehenſiones in beneficiis cavendæ 620. a
Reptabundus 541,551.a
Res ab hoſtibus repetere 658. a
Rerum natura cur nihil perdere dicatur 756.a
Rerum major copia quàm verborum 650.a
Rerum potiùs quàm verborum ratio habenda 151. b
in Rebus adverſis filios tondere moris eſt 753.a
Reſalutaturus 375.a
Reſes animus 445. b
Reſp. an, quomodo & quando ſapienti adminiſtranda 347,350, 354. a. ſitne ſapienti capeſſenda, ambigitur inter Stoicos & Epicureos 574,575.a
Reſpubl. ſine Cæſare eſſe non poteſt 433.a
Reipubl. ingratitudo in optimos cives 767,768. a
Reip. qui proſint 348.a
Reſpublicæ duæ 575. a
Reſtagnare 733. b
Reſupinare 617.b
Reſupinus 321. b
Retenta ac revocata virtus 308. a
Retentare 501. b
Retentare memoriā 271. b
Retexere 454. b
Ῥητορική 399.b
Retorrida arbor 119.a
Retorridi rami 38.b
Retrahere ingenii vires 316. b
Retrò vivere 612. b
Revileſcere 383. a
Reus ſententiis paribus abſolvitur 330.b
in Reum exire 661.a
Reorū mutuæ ſordes 5. a
Rex animum latronis & piratæ habens 635.a
Rex omnis ex ſervis oriundus 148. b
Regis & tyranni diſcrimen 447. a
Regis quomodo omnia eſſe dicantur 836. a
Regi verborum intemperantia non eſt ex majeſtate 438. a
Regem maximè decet clementia 431, 433, 457. a
Regem natura commenta eſt 457.a
aut Regem, aut fatuum naſci oportet 844.b
Reges cujus rei indigi 810,817.a. cur amentur 431, 432, 433. a. multa opertis oculis donant 740. a. mali cur regnent 734. a
Reges Romani duo, quorum alter patre, alter matre caruit 538. b
Reges quid ſecuros præſtet 459. a
Reges Parthos non poteſt quiſquam ſine munere ſalutare 64.b
in Reges quid homines armet 142. a
Regum animi notantur 161,

Digitized by Google

tur 161,162.b
Regum contemptores perperàm philoſophiæ deditì cenſentur 275.b
Regum conſuetudo 817.a
Regum amicis quanti conſtent bona conſilia,exemplo declaratur 116,118.a
Regibus exemplum poſitus Jupiter 690.b
Regibus major ſecuritas eſt ex manſuetudine 440.a. eis utilis eſt iræ continentia 120.a
à Regibus provocatio ad populum fuit 538.b
Rhenus 491,683.a. 628, 732,790.b
Rhinocolura 127.a
Rhodanus 628,849,850.b
Rhodii vox effeminatiſſima 254.b
Rhodiis libertas cum immunitate data 768.a
Rhodiorum fons ex intervallis fœda fundens 729.b
Rhodos 515.b
Ridès in tormentis 310.b
Ridiculis diducta veſtimenta 637.b
Rixam à laſſo quæri, vetus dictum 110.a
Rogantis verba intercidenda 617.a
Rogo, moleſtum & onerosum verbum *ibid.*
Roma quòd tantùm ſemel capta eſt, Scipioni debet 363,364.b. tributum ſpadonibus pendit 768.a
Romæ incendia dolet Timagenes, quòd meliora ſciret reſurrectura quàm arſiſſent 421.b
Romæ puer ſtatutâ ingentis viri 295.a
Romæ aut Scipio deeſſe debebat, aut Romæ libertas 363.b
Romana eloquentia à Cicerone exſtitit 141.b
Romana pax 321.a
Romanæ pacis exitium 432.a
Romana vitia 504.a
Romani ducis verba ad milites locum occupaturos 338.b
Romani imperatoris vox notatu digna 840.a
Romani imperii exſul auctor 178.a
Romani roboris ſecta 843.b
Romani mores 20,121, 675.a. 211.b
Romanis ingeniis intentatum opus 219.a
Romanis quis primus perſuaſerit navem conſcendere 509.a
Romanorum dux coloniæ in Corſicam deductæ 179.a
Romanorum ſtudia inutilia 508.a
Romanorum ultimus Sylla pomœrium protulit 511.a
Romanus pop. ubicumque vicit,habitat 178.a. ejus fideliores ſocii 87.a
Romànus luctus 230.a
Romanus ſermo non tam præproperus quàm Græcus 140.b
Romulus periit Solis defectione 538.b
Romuli caſa 183.a
cum Romulo ferventia rapa vorare 853.b
Rorare 645.b
Roſa hieme concupita 608.b. toto lacu fluitans 175.b
in Roſâ jacere 131.b
Rubentes cur iracundiſſimi 65.a
Rubor ſubitò viris graviſſimis offuſus 35.b
Rubrum mare 737.b
Ruffus Pompeii F. 858.b
Rufillus 368.b
Rufus ordinis ſenatorii ab offenſo Cæſare gratiam & munus impetrat 680.a
Ruinoſi parietes 148.a
Ruſticitas 618.a
Rutilia Cottam filium ſecuta eſt in exſiliũ 200.a
Rutilius ob innocentiam exſul 290,768.a. malivolentiæ expoſitus 551.a. in exſilio vivit 382.a. ſolus Sullæ dictatori aliquid negavit 312.a. ſuam damnationem libenter tulit 89.b
Rutilii exſilium 310.a. 246.b. innocentia violata effulſit 317.b. exſulis animoſitas in reditus abominatione 821.a

SABBATHIS lucernam accendere 468.b
Sabianum littus 781.b
Sabinus, vide *Calviſius Sabinus*.
Saccus homo eſt 305.b
Sacerdos Homericus 778.a
Sacerdotiorum candidatus 865.a
Sacra conficere 100.b
Sacramento adacti 491.a
Sacramento rogatus 228.b
ad Sacramentum adacti 547.a
Sacramenta 470.b
ad Sacrificium acceſſuri vultũ ſubmittunt 840.b
Sacrilegium quarum rerum ſit 839.a. an ex aliquâ parte bonum 377.b

Sacri-

Digitized by Google

Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur ib.
Sacrilegi puniuntur 762.a
Sacrilegos omnes eſſe probat Bion 839.a
Sacrilegus Deo injuriam non poteſt facere 840.a
Sacrarium 512,842.b
Sacrum municipale 411.b
Sacra alienigenarum gentium mota 535.b
Sacrorum ſanctiora ſolis initiatis nota 473.b
Sæculum aureum 403, 414,572.b
Sævitiæ deteſtatio 465.a. inſtrumenta 48,49.b
Sagum 66.b
Salarium 478.b
Saliaris ſaltus 56.b
Salivam movere 316.b
Salluſtius 444,696.a
Salluſtii verba 74,215, 823.b
Salluſtii imitator Arruntius 564.b
Salluſtio vigente qualis orationis cultus ibid.
Saltus ſaliaris aut fullonius 56.b
Salvidienus 441.a
Salutare Parthos reges nemo ſine munere poteſt 64.b
Salutatio meritoria 512.a
Salutatio potentum 817.a
Salutationes matutinæ deorum 469.b
Salutationum publicum exercere 414.a
Salutator 70.b
Salutis initium, peccati notitia 107.b
Samnitum legati 187.a
Sanabilis 776.a
Sanguis, pars & materia noſtri 663.b
Sanguine nubibus litatum 757,758.b
Sanguine vitalis calor continetur 702.a
Sanitas etſi de fato, debetur tamen & medico 688.b
Sapiens quis 213.b. Deum aliquo antecedit 184.b. Deos æquat 432.b. etiam in Phalaridis tauro peruſtus exclamabit, *Dulce eſt* 235.b. exercitui pugnæ parato aſſimilatur 211.b. externa incommoda ſentit, nulla interna 272.b. incurvari & ſuccumbere non poteſt 268.b. miſer fieri nequit 431.b. nec liberorum, nec amicorum amiſſione affligitur 286.b. nihil cupit 834,835.a. non eſt dolorum expers 259,359.b. non ignoſcet, nec veniam dabit 477,481.a. non miſerebitur, ſed ſuccurret & proderit 477,480.a. non ſe indignum ullis fortunæ muneribus putat 556,558.a. non timet 359.b. nullâ injuriâ vel contumeliâ affici poteſt 391,394, 406. 407, 651. a. nullâ re indiget, & tamen multis illi opus eſt 29.b. numquam commovetur 128.b. omnibus affectibus vacare debet 354.b. ſimilis Deo, exceptâ mortalitate 404.a. ſolus ſcit referre gratiam & beneficium dare 325, 326.b. ſurdũ ſe amantiſſimis præſtare debet 117.b. tremet, dolebit, & expalleſcet 269.b
Sapiens an ad remp. accedat, controvertitur 574, a. an beatior qui diutius vixerit 429.b. an iraſci debeat 48,49.a. an lacrymari debeat 490.b. an munus accipere, debere, emere, & conducere poſſit 837, 839.a. an ſapienti proſit 540.b. colaphis percuſſus quid faciat 415.a. corpore parum proſpero uſus, an neque miſer, neque beatus habendus 428.b, cùm non accipiat injuriam, cur puniat hanc inferentes 410.a. deliberaturus ſitne aliquem in conſilium advocaturus 542.b. ſitne beatior amicorum & liberorum turbâ ſuccinctus 284.b. ſitne ſeipſo contentus, & propter hoc amico non indigeat 25, 26, 27, 28,29.b
Sapiens Stoicorum an alicubi inveniatur 401.a
Sapientis animus qualis debeat eſſe 425.b. animus talis, qualis mundi ſtatus ſuper Lunam 214.b. comparatio cum Jove 278.b. deſcriptio 834.a. fiducia quanta 368.a. inventa 412 b. partes duæ 268, b. patria, & virtutis exercendæ campus 350.a
Sapientis amicis carentis vita qualis 32.b
Sapientis omnia ſunt 835, a. quomodo hoc intelligatur 836,837,838.a
Sapientis & gubernatoris diverſa conditio 359, 363.b
Sapientis & ſapientiæ affectatoris diverſa remedia in contumeliis ferendis 422.a
Sapientis Stoici & Epicuri diſcrimen 26.b
Sapienti an aliquid donari &

ri & beneficium dari poſſit 838. a. etiam in afflicta rep. occaſio eſt ſe proferendi 353. a. furtum quomodo fieri poſſit 840. a. nec à paupertate nec à dolore nocetur 359,360.b. nihil contra opinionem accidit 376.a.non interdicitur naturæ contemplatione 228.b. potentium iræ declinandæ 50.b. ut Deo, omnia ſæcula ſerviunt 515.a
Sapientem ſe non eſſe, quomodo quis intelligat 213.b
Sapientem an numquam ſui facti pœniteat 736.a
Sapientem inter & ſtultum quid interſit, ſi uterque habere vult 564.a
Sapientes non fuerunt in ſæculo fortunato 414, 416.b
Sapientes omnes pares ſunt & æquales 316.b. quo Deum antecedant 327.a. ſoli veri gaudii participes 86,87.b
Sapientes quidquid oportet, juvat 635 a.
Sapientium in diverſum itura turba plus ex moribus quàm ex verbis Socratis traxit 16.b
Sapientium voluptates quales 540.a
Sapientia quid 529.a.74, 395.b. ars eſt 108.b. de quibus rebus ſit 395.b. non eſt in litteris 390.b. ſola, libertas 133.b
Sapientia an bonum ſit, ſapere verò bonum non ſit 576,581.b
Sapientia futura an bonum ſit 582.b
Sapientia vetus, rudis fuit 458.b
Sapientia ſumma 263.b
Sapientia & philoſophia quomodo differant 395.b
Sapientiæ effectus 214, 411.b. inventa amplificanda ſunt 223.b. præcepta pauca tenenda, ſed ita ut in promptu ſint 830.a. præceptores quales eligendi 178, 179.b. ſtudium verè liberale 382.b
Sapientiæ conſummatæ & procedentis viri quo differant 273.b
Sapientiæ alludentes 274.b
Sapientiam profeſſi reprehenduntur à Seneca 257.b
Sapientiam ſectantium magnum diſcrimen 270.b
Sappho 392.b
Sardes, Aſiæ civitas maxima 813.a
Sarmatas Danubius cohibet 790.b
Sarmatiæ rex 323.b
Sarmatica 628.b
Satagei 483.b
Satellii Quadrati divitum arroſoris, arriſoris & deriſoris conſilium Sabino datum 104.b
Satrapæ 78.b
Satrius Secundus 290.a
Saturitas etiam in aquâ & polentâ 67,68.b
Saturnalia 64,851.b
Saturnalia non ſemper erunt 856.b
Saturnius Luſcius 858.b
Saturnus & Mars 386.b
Saturni ſtella 820,840.b
Scabies fœda 345,568.a
Scapulæ nudæ ac fœtentes 562,563.a
Scapulas tegere 220.b
Scapulas verberibus præbere 114.a
Scapulis ſuum reddere 63.b
Scaurus ſenatus princeps 712.a
Scauri jocus de Ariſtone philoſopho 108, 109.b. vide *Mamercus*.
Sceleratis numquam contigit ſecuritas 480, 524.b
Sceleris in ſcelere ſupplicium eſt 480.b
Scelerum enumeratio & reprehenſio 49,50.a
Scenæ artifices 857.a. periti 601.b
in Scena elatus 299,321.b
Scenici artifices quomodo verecundiam repræſentent 36,37.b
Schola deſerta, theatrum fractum 293.b
Schola philoſophi, quibuſdam otii diverſorium eſt 331.b
Sciathus 174.a
Sciebam, ſapientis vox 300.b
Scientia rerum, bonum 118.b
Scientia quarumdam rerum inutilis 508,509.a
Scientia quæ utilis ac neceſſaria 832.a
Scipio Æmilianus eodem ferè tempore patris triumphum & duorum fratrum funera ſpectavit 229.a. à Paulo patre in adoptionem datus 276.a
Scipio Africanus ruſticitatis ab aliquibus damnatur 367.b. à Rep. dimiſſus 768.a. exſul Liternum ſe recepit 518.a. 174, 363.b. Carthaginis horror 363.b. Hannibalis victor &

Digitized by Google

ctor & Antiochi 518. a. ſine ira bellum geſſit 21.a. tripudiare ſolebat 384.a
Scipionis Africani pietas in fratrem captum, & mortuum 229. a. villa, manes, ara & ſepulchrum 362. b. balneum quale 363, 365. b. erga patrem beneficia 688. a. filia Cornelia 271. a. filiæ ex ærario dotem acceperunt 192.a. 658. b. animam in cælum, unde erat, rediiſſe credit Seneca 362,363.b
Scipio alter cunctatur circa Numantiam 21.a
Scipio Numantiam claudit & comprimit 234.b
Scipio Cn. Pompeii ſocer morte ſuâ majoribus ſe parem fecit 91.b
Scipionibus fatalis in Africâ gloria *ibid.*
Scire & meminiſſe quid differant 125.b
Scire plus velle quàm ſit ſatis, intemperantiæ genus eſt 391.b
Sciron, ventus Athenis infeſtus 777.b
Scordalus pro feroci 192, 343.b
Scorpiones 674. b
Scorteum 757.b
Scribendum & legendum ſimul ſeu alternatim 348. b
Scribonia amita Druſi Libonis 255,256.b
Scribonia ſocrus filiæ Claudii 256.b. à Claudio occiſa 855, 856.b
Scripta eruditorum hominum ignotos notos faciunt 77,78.b
Scripta quorumdam clarum nomen habent, ſed exſanguia ſunt 222. b
Scrutationem populo præbere 558.a
Scylla 119, 149, 426, 737. b
Scylla ſaxum eſt non terribile nautis 114. b
Scythæ comam ſpargunt 622.b.iracundiſſimi 61. a.tergis vulpium & murium teguntur 406. b
Scythis bellum indixit Darius 120. a
Scythia 176. a. 756. b
Scythiæ rex 323.b
Secedere & in alia parte conſidere 576.b
Secreta eloqui nulla lex vetat 775. a
Sectæ diverſæ 457.b
Secundas agere 107,108.a
Secundas ſortiri 646. a
Securitas ſecuritate mutuâ paciſcenda eſt 459.a
Securitatis pars maxima quæ 523. b
an Sedeat, delicatus interrogat 507. a
in Seductu 348.a
Segregem vitam agere 718. a
Seianus ad latus Tiberii ſtetit 270. a. Cordum Satrio Secundo congiarium dedit 290.a. ſummis honoribus functus, à populo in fruſta diviſus fuit 373. a
Seiani crudelitas 291.a
Seiani tam odium quàm amor periculoſus 188.b
de Seiano cum actum eſt, prodigium viſum 631.b
Seiani ſatellites 242. a.
Seianianum jugū 242.a
Sela 652. b
Selectorum turba 661.a
in Sellâ proſtare 603 a
in Semen relinqui 846.b
Seminum vis 683.a.664, 665. b
Semianimis 740. a
Semiliber 493.a
Seminudus 217.b
Semiorbis 648. b
Semiſomnis 606. b
Semiviri 531.b
Senatorem à ſexageſimo anno lex non citat 523.a
in Senatu poſt decimam horam novam relationem fieri, vetitum erat 385,386.a
Seneca animum animal eſſe concedit, actiones ejus animalia negat 556.b. ſedulus auditor Attali fuit 530.b. & Fabiani Papyrii 496. b. Claudio Cæſari adulatur 225,227,234. a. Ciceronis exemplum ſecutus eſt in Cleanthis verſuum converſione 529.b. decrepitum ſe vigore animi non deſtitui, nec mortis metu teneri ſcribit 99.b. cum Eatino curſu contendit 340. b. Demetrium ſecum circumferre ſolitus 217.b. diligens vinearum foſſor 709.b. diſſentit à Stoicis 551,576,577, 580.a. dormiturus facta & dicta diei remetitur 149.a. dubitat de animarum æternitate 515. b. epiſtolis ſuis clarum ſe Lucilium reddere promittit 78.b. immodicè Annæum Serenum flevit 221. a. in quantum Stoicos ſequatur 529,573,574. a. juvenis edidit volumen de motu terrarum 788. b. magnorum virorum imagines habet & natales celebrat 223.b. matrem de ſuo exſilio conſolatur 165. a. medico uſus 513.b. memi-

meminit librorum ſuorum de Beneficiis 324.b. naufragium fecit 371. b. nihil ſibi mali in exſilio eſſe probat 170.a. non turbatus fuit clamoribus 341.b. ob ſenectutem lectulo adfixus 244. b. patre rogante animalium abſtinentiam reliquit 535. b. puer apud Sotionem philoſophum ſedit 166. b. quæſturam geſſit 204. a. qualis in exſilio fuerit 207. a. quantum profecerit ex Attali auditione 534. b. Scipionis manes ad aram adorat 362. a. ſe parvo contentum ſcribit 613. a. ſenectutis ſuæ argumenta colligit 37.b. ſenex philoſophum diſputantem audit 292. b. urbis fugâ febrem fugit 513.b

Senecæ abſtinentia 533. a. 535. b. avunculus 205. a. cibus 514. b. condiſcipulus Claranus 230. b. filius 164, 168, 202.b. fratres 164, 202. a. frater Gallio 525. b. 743. b. infelicitas in navigando 180, 181, 182.b. infirmitas mentis jam ad recta, jam ad prava vergentis 333, 334, 335. a. juventa in Tiberii Cæſaris principatum incidit 535. b. libri moralem philoſophiam continentes 530, 543. b. lectus, prandium, vehiculum 371, 536.b. mala valetudo 185. b. mens inter varios clamores conſtitit 190.b. nomen, prænomen & cognomen 705.a. opus & quæſtiones de morali philoſophiâ 302.a. 524. b. ſpes de ſui reſtitutione 226, 227. a. ſomnus 241.b. vigiliæ, & de poſteris cura 22. b. villicus 38. b. uxor Paulina 513. b. uxor mortua 203. a. uxoris fatua Harpaſte 169, 170.b

Senecæ pater philoſophiam oderat 536. b. ideò Helviam minùs ſtudiis indulgere paſſus 201.a

Senecæ amorem Pythagoræ injecit Sotion 534.b

Senecam patris ſenectus in vitâ retinuit 307.b

Senectus quid 264. a

Senecio Cornelius, eques Rom. ex tenui principio ſe promovens, ſubitò anginâ ſuffocatur 498. b

Senectus & morbi conjuncti apud Virgilium 537. b

Senectus laſſæ ætatis, non fractæ, nomen 98.b

Senectus quando attentiùs conſervanda 514.b

Senectutis commendatio 39.b

Senectutis extrema an faſtidire oporteat, & finem non opperiri, ſed manu facere 207.b

Senectutem in aulâ quomodo quidam conſecutus ſit 118. a. frugalitas producere poteſt 207.b

Senex elementarius, res turpis 130. b

Senex linteatus, laurum & lucernam medio die præferens 567.a

Senis & juvenis corrigendi diverſa ratio 96, 97.b

Seni quoque diſcendum eſt 292.b

Seni turpe, ex commentario ſapere 125. b

Sene vivere incipiente nihil turpius 47. b

Senes pueris ſimiles 409. a. queruli & iracundi 94, 110.a

Senes orbos in litteram digerere 251. b

Senes puerorum vitia habere, turpe 8. b

Senum decrepitorum querela de vitâ 502. a

Senibus infantia exprobratur 84. b

Senile corpus navi dehiſcenti & ædificio putri comparatur 112.b

Senilis anima in primis labris eſt 116. b

Senſibilene an intelligibile ſit bonum 618.b

Senſus, id eſt *ſententia* 558. b

Senſus de bonis ac malis non judicat 239. b

Senſus in homine quàm in aliis animalibus tardior 619. b

Senſus conſtitutionis ſuæ an ſit animalibus 601.b

Senſus communes 31. b

Sententiam alicujus in ſenatu ſequi 240. b

Sententiam dividere 529. a. 80. b

Sententiæ abruptæ & ſuſpicioſæ 598. b

Sententiæ pueris ediſcendæ 125.b

Sententiis paribus reus abſolvitur 130. b

Sententiarum vitia 565.b

Sepelire mortuum an beneficium 773. a

Sepſe, id eſt *ſe ipſe* 538.b

Septa 50. a

Septemtrio ventus 776. b

Digitized by Google

Septemtrionalis plaga 756.b
Septimum palmæ ſpatium 415.b
Sepultura ſapienti negligenda 433.b
Sepulturæ jactura non æſtimanda eſt 865.b
Sequius 826.a
Serapio philoſophus volubilis linguæ 137.b
Serenus 341, 387, 389, 396.a
Serenus Senecâ minor mortuus 211.b
Seres 406.b
Seriphus 174.a
Sermo improborum vitandus 615.b
Serpens in Africâ ſævus 338.b
Serpens peſtifera quando tuto tractetur 144.b
Serpentes parvulæ 465.a
Serræ inventor 404.b
Serrarius 193.b
Sertoriana arma 453.b
Servator 636.a
Servientibus ira perniciosa eſt 119.a
de Servii regis matre dubitatur 558.b
Servilii 443.a
Servilii Vatiæ villa 188, 189.b
Servilius lacus 312.a
Servilium litterarum ignari 363.a
Servitus corporis ſolius eſt, non mentis 674.a
Servitus quæ graviſſima 706.b. urbana & feriata 140.a
Servitus paucos, plures ſervitutem tenent 475.b
Servitutem morte effugit Lacon puer impubes 304.b
Servus nomen eſt ex injuriâ natum 120.b
Servus an domino beneficium dare poſſit 672.a. omnis ex regibus oriundus 148.b. cœnanti ad pedes ſtat 680.a
Servus cum peculio licet domini ſit, huic tamen munus dare poteſt 836.
Servus in primam decuriam conjectus quam gratiam retulerit domino 158.b
Servi definitio Chryſippéa 675.a
Servi à pedibus domini ſtare ſoliti 104.b. coëmti ad memoriam refricandam *ibid.* etiam menſæ admovendi 155.b
Servi, olim familiares appellati 160.b. quomodo tractandi 155, 159, 160.b. colant nos potius quàm timeant 161.b
Servi ex dominis facti, & ex ſervis domini 157, 158.b
Servi omnes ſumus 160.b
Servi quot, tot hoſtes 156.a
Servis ad ſtatuam confugere licet 456.a
Servis colendi potius domini, quàm timendi 161.b
Servitus nulla turpior eſt quàm voluntaria 161.b
Servorum dies feſtus 160.b
Servorum fidelitatis erga dominos exempla 673. 674, 675, 676, 677, 638.a. & *ſeqq.* fuga non ægre ferenda 527, 528.b. varia miniſteria 156. 157.b. numerus Demetrio quotidie relatus 359, 360.a
Servorum irâ non pauciores ceciderunt quàm regum 10.b
Servos ad pileum vocare 161.b
Servos Epicurus amicos vocavit 526.b
Servos ut à liberis cultus diſtingueret, aliquando dicta in ſenatu ſententia eſt 464.a
Severitas non eſt contraria clementiæ 476.a
Severus Cornelius Ætnam deſcripſit 315.b. vide *Cornelius.*
Sextius cur animalibus abſtinuerit 534.b. dicebat, Jovem plus non poſſe quàm virum bonum 278.b. iter ad deos monſtrat *ibid.*
Sextius pater latum clavũ D. Julio dante repulit 485.b. vide *Q. Sextii.*
Sextii Græcis verbis, Romanis moribus philoſophantis imago de exercitu & ſapiente 210, 211.b. conſuetudo excutiendi totum diem 149.a. dictum 90.a
Sextiorum nova & Romani roboris ſecta inter initia ſua exſtincta eſt 843.b
Sextus Papinius flagris à C. Cæſare animi cauſſâ cæſus 123.a
Sextus Pompeius ſorori & fratri ſuperſtes 229.a. cur conſul factus 730.a
Sex. Trallus 858.b
Sicilia 491.a. 403.b. ab Italiâ inundatione ſecluſa eſt 813.b
Siciliæ circumitus 314.b. laus 747.b. in Siciliæ ſtagno quodam injecta non merguntur 726.b
Siculorum juvenum pietas in parentes 693, 820.a
Siculum æquor 737.b. pelagus auſter exaſperat

Digitized by Google

rat 50.b
Sidera ſemper ut in opere, ita in paſtu 663.b
Sidera quinque 277.a
Sidera volantia 632.b
Sidera circumnectentis fulgoris cauſſæ 634.b
Siderum defectio cur brevis 826.b
Siderum vis 728.b
Sidon mari ſuperfuſa 807.b
Signare rationem parem 825.a
Signatores 640.a
Signifer 836.b
Signum petere 697.a
Signorum deteſtatio 667, 668.a
Silentium non eſt ſtudiis neceſſarium 190.b
Silenum habeo in caſtris 132.a
Siliceus vir 106.a
Silvæ in tectis domorum ac faſtigiis 609.b
Silvæ fulmine crematæ 675.b
Silvæ tonſiles 628.b
Simplices qui 62.a
Simplicitatis indicium iracundia 99.a
Sinis 476.a
Sipario fortiora dicta 370.a
Siphonis in modum exprimere 673.b
Siremps lex eſto 423.b
Sirenes 196.b
Siſtrum concutiens 567.a
Siſyphus 93, 859.b
Sitis luxurioſorum 763.b
Smaragdi fictitii inventor 413.b
Sobrietas interdum removenda 386.a
Soccatus 627.a
Socculus aureus margaritis diſtinctus oſculandus porrigitur 626.a
Sociale animal 832.a
Societas ſalva quando ſit 83.a
Societatis appetitio naturâ innata 30.b
Societatis commoda 718.a
Sociorum garum 462.b
Socrates 224.b. ab amicis ſe coargui paſſus 115.a. ab Athenienſibus damnatus fuit 582. a. damnatus an injuriam acceperit 402 a. ad Archelaum regem cur venire noluerit 752.a. an ſibi agat gratias, quòd ipſe ſe docuerit 754.a. Ariſtophani jocorum materiam præbuit 567.a. carcerem intravit ipſi loco ignominiam detracturus 143.a. carcerem omni curiâ honeſtiorem reddidit 567.a. in carcerem conjectus 290.a. in carcere diſputat, & exire noluit 89. b. xxx. dies in carcere exegit 255. b. in carcere moritur 382.a. colapho percuſſus quid dixerit 112.a. cum pueris ludere non erubuit 383.a. facetus, deriſor omnium, maximè potentium 753. a. loquens inducitur 563. 565, 567. a. non fuit patricius 147. b. pallium verecundè ab amicis petit 860.a. perpeſſicius ſenex, per omnia aſpera jactatus 520. b. totam philoſophiam ad mores revocavit 263. b. quam ſummam dicat ſapientiam *ibid.* ſervi caſtigationem, ne iraſceretur, diſtulit 27. a. Sophroniſcum exſpirare non patitur 687. a. venenum vicit 484. b. veritatem & virtutem idem eſſe dicebat 266.b
Socratis æqualitas in fortunæ inæqualitate 520. b. calamitatum enumeratio *ibid.* idem vultus 48. a. irati ſignum 115.a. libertas & conſtantia ſub triginta tyrannis 352, 765. a. mors laudatiſſ. 315. a. patientia in comœdorum ſalibus & uxoris injuriis ferendis 422.a. reſponſum datum cuidam querenti quòd peregrinatione nihil profecerit 105, 515.b
Socratis ex moribus plus quàm ex verbis philoſophi traxerunt 16.b
Socrati Alcibiades & Phædrus objecti 568, 569.a
Socrati ſeipſum donavit Æſchines pauper 601.a
Socratem calix venenatus è carcere in cælum tranſtulit 246. b. cicuta magnum fecit 46.b. in carcere Athenæ occiderunt 352.a. vix famam recepit 317.b
cum Socrate diſputare licet 512.a
cum Socrate vivendum 518.b
Socratici fœtus proventus 357.a
Sol quibuſdam ſaxum aut fortuitorum igniũ globus 868. a. etiam ſceleratis oritur 725, 727.a. aliquando cauſſa venti 767, 768.b
Solis alimentum 798. b. area viſa 635.a. defectio perfecta 650. b. defectio quomodo deprehendatur *ibid.* quomodo fiat 753.a
Solis defectionem quantoperè Archelaus rex metue-

Digitized by Google

metuerit *ibid.*
Solis & Lunæ dotes 723.a
Solis lux & vis integra eſt etiam inter oppoſita 428.b
Solis miracula 817,818. b. officium 713.a. lux non ſine calore eſt 768, 769. radiorum duplicatio cauſſa caloris 758.b
Solis boves ubi ſtabulare fingantur 730.b
Soli quantum debeatur 802,804,868.a
Solem quidam pedalem dixerunt 640.b
Soles bini ternique viſi 649.b
Solatium maximũ mortis noſtrorum 210.a
Soleatus 125.a
Solitudo mala ſuadet 98. b. quibus vitanda 32.b
Solitudo & frequentia miſcenda ſunt 383.a
Solœciſmum ſcienter commiſſum non erubeſcit grammaticus 457.b
Solon Athenas æquo jure fundavit 403.b. vino indulſit 386.a
Solſtitiũ & bruma in quibus ſignis fiant 736.b
Solvere in debitum 20.b
Solutio omnis non idem, ſed tantumdem reddit 786.a
Solutio difficilium quæſtionum ad quid proſit 760.a
In Solutum imputo 25.b
Σοφία 396.b. apud Latinos quoque in uſu eſt *ibid.*
Sophiſmata, id eſt captiones 151.b. Latinè cavillationes dicuntur 549.b
Sophoclis opinio de Nili incremento 751.b
Sophroniſcus Socratis pater 687.a
Sorbitio 312.b
Sordes detractæ 652.a
Sordes mutuæ reorũ 12.a
Sorites inexplebilis 772.a
Sotion philoſophus 166. b. Pythagoræ amorem Senecæ injecit 534.b
Spadonibus tributum Roma pendit 768.a
Sparſio 666.b
Spata 408.b
Species 201,202.b
Spectaculum naumachiæ ſecundum 260.b
Spectaculum meridianum 17.b
Spectacula matutina 158. a. 258.b. ſcenæ ludicra 43.a. bonis moribus damnoſa 17.b. manè & meridie fiebant 17,258.b
Specularia 319.a.762.b
Speculariorum uſus Senecæ tempore innotuit 409,410.b
Specularibus latis diem admittere 367.b
Speculator 34.a
Speculum iratis opponendum 90.a. concavum qualem imaginem reddat 641.b
Speculi ratione imago redditur *ibid.*
Specula cur inventa 757. b. ex multis minutis compoſita 642.b
Speculorum variæ naturæ 644, 654.b. luxuries 658.b
de Speculis duæ opiniones 642.b
Specus veneranda 142.b
Specus ſubterranei 717.b
Spes, nomen incerti boni 32.b
Spes improborum ut vitanda 522.b
Spes longas inchoantium dementia 499.b
Speuſippus putat beatum ſolâ virtute fieri poſſe, non tamen unum bonum eſſe quod honeſtum eſt 356.b
Speuſippo ſervi caſtigationem Plato commiſit 114.a
Sphæromachia 318.b
Spiramentum 329.a
Spiramenta 797,828.b
Spiritus & ſanguis corporis humani 796.b
Spiritus ſacer intra nos ſedet 141.b
Spiritus quomodo ſubeat terram 806.b
Spiritus vitalis terræ ineſt 797,798.b
Spiritus terræ motus cauſſa ſtatuitur 794,796, 798,799.b
Spiritus vis 664.b
Spiritus & venti diſcrimen 772.b
Spiſſamentum 117.b
Spiſſiſſimum 329.b
Splendidum nihil ſine luce 118.b
Splendoris & lucis diſcrimen 77.b
Spoliarium 312.a. 837.b
Spolium 445.a
Spondere pro judicato 709.a
Spondyli 463.b
Spongia ad emundanda obſcœna 259.b
Spongiâ inſertâ os morituris incluſum 126.a
Sponſalia 742.a
Sponſaliorum genus decentiſſimum eſt adulterium 603.a
Sp. Papinii lucifugæ vita deſcribitur 611.b
Stagna quædam ſine fundo 721.b. ſacrata 142. b. ſubterranea 717, 719.b
Stamen rectum 408.b

Statilia inſcribi ſuo monumento juſſit, ſe xcix. annos vixiſſe 306. b
Stabilitor, Dei cognomen 704. a
in Statonienſi lacu natat inſula 727. b
Stator Deus 704. a
Statuarii 387. b
Status fulmen 688. b
Stella ſuper lanceam viſa 634. b
Stellæ Artemidoro innumerabiles 828. b. cur ſtare vel redire dicantur 837. b. falſo putantur decidere aut tranſilire 632. b. variæ 181. a. volantes 652. b. tranſvolantes tempeſtatis ſignum 633. b
Stellarum tranſvolantium cauſſæ 671. b
Stellarum alimentum 663, 798. b. curſus 723, 724. a. effectus 669. b. numerus & nomina quamdiu fuerint excogitata 837. b
Stellarum concurſu non fit Cometes 826, 827. b
Stellarum quinque curſus ſolùm quando notus eſſe cœperit 836. b. poteſtas à Chaldæis obſervata 683. b
Stellis duplex motus 834. b
de Stellis quæſtiones 818. b
Stemma non inſpicere docet philoſophia 147. b
Stemmatû flexuræ 681. a
Stercoroſum 730. b
Stigmata ingratum hoſpitem teſtantia 740. a
Stilponis auditor Crates 32. b. objurgator Epicurus 30. b. reſponſum Demetrio datum interroganti, num quid perdidiſſet 398. a. 30. b
Stilponi quid Epicurus objecerit 25, 30. b
Stilus & lectio conjungenda ſunt 348. b
Stipatores 450. a
Stips æris abjecti non eſt beneficium 729. a
ad Stipem manum in ponte porrigere 562. a
Stoica lingua 43. b. ſententia 82. b. ſignificatio 209. b
Stoicæ ſectæ paradoxum 647. a
Stoicæ ſectæ ſpecie quidam ad vitia hortantur 617. b
Stoicus quidam Senecæ amicus Marcellinum ad mortem ſubeundã hortatur 302, 303. b
Stoico vox communis cum Stilpone 30, 31. b
Stoici animam hominis magno pondere extriti permeare non poſſe exiſtimant 198. b. defenſi 726. a. Deo rotundam formam dant 555. b. duos ingratos ſtatuunt 725, 726. b. genus ante ſuperius ponunt 202. b. ſingulis & Genium Junonem dederunt 544. b
Stoicorum animalia infinita deridet Seneca 551, 555. b. cum Peripateticis diſputatio 359. b. decretum de perpetuo actu ſapientis 573. a. exempla & præcepta 574. a. 248. b. paradoxa aliquot 760. a. paradoxum, ſapientem numquam facti ſui pœnitere 736. a. placitum, ſapientiam bonum eſſe, ſapere bonum non eſſe, examinatur 576. b. præcepta in actu mori impetrantia 21. b. quæſtio, an ſibi aliquis beneficium dare poſſit 754. a. opinio de Cometis & ceteris cæli oſtentis 834. a. opinio de paritate bonorum probatur 232. b. opinio de rerum principiis 713. b. ſapientia à Zenone cœpit 191. a. ſecta vulgò nimis dura, ſed reipsâ lenis & benigna eſt 477, 478. a
Stoicorum ſecta de fati immutabilitate defenditur 686. b
Stoicorum & ceterorum ſapientium diſcrimen 389. a
Stoicorum & Epicureorum diſſenſio *de otio ſapientis* 574. a
Stoicorum auctorum cõtextus virilis & continuus 123, 124. b
Stoicorum paradoxorum nullum falſum eſt 371. b
Stoicis una ſaltem cauſſa 225. a
Stoicis publicà voce occurri ſolet 575. b
Stoicis præceptis quæ fidẽ detrahere ſoleant 393. a
cum Stoicis hominis naturam vincere 512. a
Stolâ indutus 542. a
Stomachicus 92. b
Stomachus intemperans 761, 762. b. moroſus 309. b. ſuſpectus 110. a
Stomachi faſtidientis eſt multa deguſtare 4. b
Stomachi morbo vitiati ſimile 761. a
Stomachoſus 10. a
Stratonis Peripateticæ philoſophiæ cultoris decretum de terræ motu 725. b
Strigare 117. b

Strophis

Digitized by Google

Strophis ac fucis remotis 100. b
Struthiocamelus depilatus 418. a
Strymo 628. b
Studia inutilium litterarum arguuntur 508. a
Studia liberalia cur ita dicta 382. b. ad alia multum, ad virtutem nihil conferunt 387. b. non cenſentur inter bona 382. b. præſidia certiſſima ſunt 201, 202. a
Studiis liberalibus non obſtant negotia 217. b
Studiorum modus tenendus 362. a
Studiis non neceſſarium eſt ſilentium 190. b
in Studiis utilia, non ſubtilia quærenda 150. b
Studioſa luxuria 363. a
Stultitia 133. b. cur nos tam pertinaciter teneat 212. b. ſemper incipit vivere 47. b
Stultus omnia vitia habet 726. a
Stulti & ſapientis quod diſcrimen, ſi uterque habere vult 564. a
Stulti res non eſt 651. a
Stulti vita qualis 57. b
Stulto nullâ re opus eſt, ſed omnibus eget 29. b
Stulti omnes mali 763. a. omnes inſaniunt, nec tamen omnes elleboro curantur 651. a
Styx in Arcadiâ monifera 725. b
Sub ictu 274. b. ſub manu 261. b
Subinfluere 738. b
Sublimia quæ dicantur 661. b
Suboles 273. a
Subrecti montes 803. b
Subrectis ire vexillis 765. a. 628. b
Subrigere plana 788. b
Subriguntur capilli 3,43. a
Subrubicundus 98. a
Subſcriptionẽ edere 859. b. componere 679. a
Subſiciva res 184. b
Subtemen 408. b
Subtilitas nimia veritati infeſta eſt 393. b
Subulâ armatus 353. b
Subulâ leonem excipere 339. b
Succuſſio terræ motus ſpecies 804. b
Sucto 776. b
Sudare & bibere, cardiaci vita eſt 55. b
Sudatoria 233. a
Sudatoria ſicci vaporis 173. b
Sudor quibuſdam etiam conſtantiſſimis in populi conſpectu erumpit 35. b
Sudorem quid aquileges vocent 716. b
Sufes 350. a
Suffilaminanda rota 859. b
Suffragatio materna 296. a
Suffragator 865. a
Suffragatores 517. a
Sulphuratio 715. b
Summa ſummarũ 141. b
Summarium 135. b
Summulæ minutæ 303. b
Superadornatæ materiæ 751. b
Superbia in beneficio dando vitanda 626, 629. a
Superbia miniſtrorum regiæ potentiæ reprehenditur 619. a
Superbiæ proprium 817. a
Supercilioſi cenſores 616. b
Superfundi 361. a. 790. b
Supermicare 688. a
Superſtitio quid 617, 618. b
Superſtitionis argumentum, abſtinentia quorumdam animalium 535. b
Supervacua ſtudia reprehenduntur 508, 511. a
Supervacuis ſuperſedendum 374. a
Supinata teſtudo 602. b
Supparum 301. b
Supplicium militare 30. a
ad Supplicium decem dies medii 378, 379. a
Supplicii verba ſollennia 30. a
Supplicia ſcripta 481. b. multa principi turpia ſunt 464. a. de ſceleratis ſine irâ ſumenda 31. a
Suppurare 504. a. 214. b
Suppurata triſtitia 321. b
Suppurationes præcordiorum 49. b
Surrentinum littus 781. b
Sus confector 158. a
Suſpectus ſui nimius ingratos facit 642. a
Suſpenſuræ balneorum 410. b
Suſpicionibus locus dandus non eſt 69, 70. a
Suſpicioſi 22. b
Suſpicando jus peccandi fit 7. b
Suſpirium, id eſt aſthma 185. b
Sutrinum 439. b
Sybaritarum civitas 72. a
Sylla coloniam in Corſicam deduxit 179. a. Romanorum ultimus pomœrium protulit 511. a. ſeptem millia civium trucidari juſſit 447, 448. a. violentiſſimus erat rubore ſuffuſus 35. b
Syllæ dictum ad ſenatum ob gementium conclamationem exterritum 448. a. crudelitas 766. a. proſcriptio 43. a
Syllæ dictatori ſolus aliquid

Digitized by Google

quid negavit Rutilius 311,312.a. 89.b. vide *L. Sylla*.
Syllanæ crudelitatis exemplum, quòd à rep. liberos proſcriptorum removit 87.a
Syllanæ proſcriptionis ſpoliatium 312.a
Syllogiſmi 533.b
Symphonia 41,615.b
Symphonia & claſſicum 175.b
Symphoniarum cantus 173.b
Syngraphæ 846.a
Syracuſæ 274.a
Syria 491.a
Syriæ molles bello viri 20.a. oppida terræ motu agitata 419.b. rex Demetrius 829.b
in Syriæ ſtagno natant lateres 726.b
in Syriâ totius populi nares reciſæ ſunt 127.a
Syrtes 119.b. Syrtium incerta vada 258.a
Syrticæ gentes in defoſſo latent ob æſtum 407.b
Syrticum mare 544.a

TABELLAM dimittere 660.a
ex Tabellâ recitare 855.b
Tabellæ fœneratorum 401.a
Tabellariæ naves 301.b
Tabernaculum in cubiculo 303.b
Tabulæ 846.a. Tabulæ novæ 336.b
Tabulæ novæ beneficiorum 597.a
Tabulæ publicæ 76.a. eædem codices dicti 509.a
Tabularum duodecim cautio 758.b
Tabulas XII. loqui 563.b
Tabularios laſſat patrimonium 385.b
Tædium rerum quomodo tollendum 346,347.a
Talaria ſeu tabularia tormenti genus 125.a
Talthybius deorum nuntius 857.b
Tamuſii annales 437.b
Tamen etſi 707.a
Tantalus 859.b
Tantò fortior, tantò felicior, laudandi formula 382.a
Tantò melior ſurge 118.b
Tantò melior, tantò felicior 269.b
Tardiloquium laudatur 141.b
Tarentum 345.a
Tarpeio proditor hoſtiſve publicus imponitur 30,31.a
Tarquinius 637.a
Tauromenitanum littus 314.b
Taurus colore rubicundo excitatur 140.a
Tauri & urſi pugnam ſus confector expectat 158.a
Tectorio gregali inducta balnea 366.b
Tectorum machinationes non excogitavit philoſophia 404.b
Tegimen 807.b
Tegula in extrema ſtare 39.b
Teleſphorus Rhodius decurtatus in cavea paſtus fuit 121.a
circa Tempe noxia pecori aqua 725.b
Temperantia 390.b
Temperatura corporis tolli arte nequit 36.b
Tempeſtatis argumenta 633,634.645,651.b
Tempeſtates an munuſculis redimantur 758.b
Templa compoſiti intramus 840.b
Templorum foribus aſſidere 469.b
Temporariæ amicitiæ 27.b
Tempus ad neceſſaria diſcenda non ſufficit 168.b
Temporis brevitas 584.b. diſpendia varia 349.a. 583.b. edacitas 164.a. fuga colligenda & ſervanda 3.b. jactura triplex *ibid.* partes tres 621.b. partes inter ſe comparatæ 501,502.a. velocitas 166,167,815.b. vilitas cur tanta 497.a
Temporis præſentis ſola ratio habetur 656.a
Temporis unius honeſta avaritia eſt 489.a
Temporis unius poſſeſſio nobis data 2.b
Temporis velocitas non patitur ſupervacua diſcere 166.b
Têpori parce 392.444.b
de Tempore quàm multæ ſint quæſtiones 391.b
Tentyritæ quomodo crocodilos ſuperent 715.b
Terentia 314.a
Terra corpori humano confertur 715.b. cum mari globum facit 735.b. mas, & femina 714.b. non eſt ſine ſpiritu vitali 798.b. puncto cõparatur 628.b. pars mundi & materia 663.b. quibuſdam animal 796.b. quibuſdam terræ motus cauſſa eſt 793.b. quomodo ad continuanda flumina ſufficiat 709.b. ſub finem mundi in humorẽ ſolvetur 737.b
an Terra mundo ſtante vertatur 819.b
de Terrâ quæſtiones 661.b
ſub Terrâ ſpecus & ſtagna 717.b

Terram

Digitized by

Terram aquæ innatare, rudis & inepta opinio eſt 714,789.b
Terræ multa habent mortifera 810.b
Terrarum orbis pila eſt 759.b
Terræ motus ingens in Campania 782.b. inſanis aliquot ſimiles diſcurrere fecit 811.b. per cc. milliaria non extenditur 807.b
Terræ motus cauſſæ 789, 790, 791.b. *& ſeqq.* effectus 788, 809. b. *& ſeqq.* genera 804.b
Terræ motu qui fiat ut loca disjiciantur & intereant 807,808.b
Terræ motum præcedit aëris tranquillitas 795. b. ſequitur peſtilentia 809. b. & ventus 799.b
Terræ motus timor demitur 782,813,814.b
Territorium 275.a
Teſſellæ in balneo ſeparatæ, iterumque commiſſæ terræ motu 813.b
Teſtamenti ordinatio quàm diligenter curetur 708, 720.a
Teſtamenti tabulis annulum imprimere 23.b
Teſtamentorum captator 720.a
Teſtamentorum captandorum artem profeſſi 823.a
Teſtes cur adhibeantur 667.a
Teſtes ſecundæ notæ 754.b
Textorium 556.b
Textricum ars malè dicitur à ſapientibus inventa 408.b
Thales Mileſius terram aquæ innatare opinatur 789.b
Thaletis opinio de Nili incremento refellitur 752. b. opinio de terræ motu improbatur 790. b. ſententia de aquæ elemento 711. b. ſententia, quòd terra aquæ innatet, exploditur 714.b
Thalia Gratiarum ultima 594. a. Heſiodo Charis eſt, Homero Muſa 596.a
Thaſius lapis, rarum quondã in aliquo templo ſpectaculum 364.b
Theatrum Neapolitanorum fractum 292.b
Thebæ non ſunt motæ in Chalcidis tremore 807.b
Themiſonis ſecta 457.b
Theodorus philoſophus quid tyranno mortẽ minanti reſponderit 377.a
Theodorus 43.a
Theophraſtus 513. a. diſcipulus Ariſtotelis 795. b. non divini, dulcis tamen eloquii vir, & nitidi ſine labore *ibid.* arguitur 22,25.a. 712.b. citatur 712,717,728,751.b
Theophraſti præcepta 6.b. ſententia de terræ motu 795.b
Theraſia inſula in Ægæo mari enata 803.b
Θυρεοφορεῖν 134.a
Thermarum fundamenta in mare jacta 609.b
Thermopylarum anguſta 813.a. 337.b
Therſites 132.a
in Theſſalia noxia feris aqua 725.b
Theſſaliæ paludes quomodo ſiccatæ 807.b
Theutonici à Mario cæſi 453. b. cladis cauſſa 19, 20.a
Thracæ incompoſiti ſtaturâ 743.b
Thraces 628.b
Thraciæ angulus 752. a. juga 752. b. præpoſitus L. Piſo 343.b
Thraſcias ventus 776.b
Thucydides allegatur 807,809.b
Tiara recta in capite, ſolis regibus data 814.a
Tiberis 341, 857.b
in Tiberis ripa regna Arcadum 178.a
Tiberius filius Liviæ Auguſtæ 250.a
Tiberius Cæſ. Appiâ viâ ad deos ivit 845. b. amicorum notitiam averſatus 778. a. Atilio Butæ prodigo paupertatem confitenti, Sero, inquit, experrectus es 609. b. à pluribus rogatus, ut æri alieno ſuccurreret 622. a. Coſſo ebrioſo & urbem & arcana multa commiſit 343.b. M. Allium prætorium à creditoribus liberat 621.a. fratris Druſi mortem æquo animo tulit 231.a. mullum ingentis formæ vendit 467.b. pro roſtris filium mortuum laudavit 270.a
Tiberii imago ectypa 679.a. oblivio 778.a. prima tempora 428.a
Tiberii amicitiâ & frigore notus Montanus Julius 609,610.b. Tiberii Cæſaris principatu alienigenarum gentium ſacra mota ſunt 535.b. ejus tempore publica accuſandi rabies 679.a
ſub Tiberio Cæſare cæli ardor viſus 653.b
Tib. Gracchus 271. a. vide *Gracchus*.
Tibiarum ac organorum genus ex pulpito conſonabat 351.b
Tibicen Græcus 293.b
Tiburtinum 711.b
Tiburtinus calix 590.b

Tigrim oſculatur cuſtos 372. b
Tigris fl. 517. b. evaneſcit, & tandem iterùm emergit 517, 729, 792. b
Tillius Cimber acerrimus Cæſarianarum partium defenſor Cæſarem poſteà interfecit 142. a. ejus jocus in ſe 343. b. Tillio Cimbro ebrioſo creditum fuit de C. Cæſaris cæde *ibid.*
Timagenes hiſtoriarum ſcriptor, excluſus Auguſti domo, in Pollionis Aſinii contubernio conſenuit 133. a. felicitati urbis Romæ inimicus 121. b
Timenda quibus depelli poſſint 48, 49. b
Timendorum tria genera 48. b
Timeri non eſt potentiæ ſignum 55. a
Timeri quàm deſpici periculoſius *ibid.*
Timidus duorum generum eſt 726. a
Timidus pro cauto accipitur 158. b
Timor acer & aſſiduus quid efficiat 449. a
Timoris reprehenſio & remedia 14, 44, 484. b
Timor, vide reliqua in *Metus.*
Tiro palleſcit ad vulneris ſuſpicionem 318. a
Tirunculorum impetus primi 536. b
Titulus ſepulchri 522. a
Titulum impingere 158. b
T. Arii liberalitas & clementia in filium parricidam 453. b
T. Manlii pietas in patrem imperioſum 693. a
T. Livius ſuos libros à Doro emere poteſt 838. a
à T. Livio poſitum dictum de Cæſare vulgò jactatum 777. b. vide *Livius.*
Τὸ ὂν Latinè exprimi nequit 201. b. ſex modis dicitur 202, 203. b
Togatæ antiquæ 396. a
Togatæ inter comœdias & tragœdias mediæ 24. b
Togati 560. a
Togati purpuratiq; 410. a
Togis inter ſe corona ſordidior & turba cultior diſtant 563. b
Tolerantia fortis aſperorũ ſitne optabilis 245. b
Tolleno 666. b
Tollutarii equi 374. b
Tomentũ Circenſe 562. a
Tonans 704. a
Tonat aliquando ſereno cœlo 634. b
Tondere filios in luctu moris erat 753. a
Tonitru quomodo fiat 663, 669, 670. a
Tonitrua, antiqui tonitruum aut tonum dixerunt 696. b
Tonitrua quædam abſque nubium concurſu 681. b
Tonitrua, fulmina & fulgurationes ſimul fiunt 669. b
adverſus Tonitrua ſubterraneæ domus excogitatæ 683, 787. b
Tonitruum diſtinctio 679. b
Tonſor 506. a
Tonum dixerunt antiqui tonitrua 696. b
Tormentorum patientia ſitne optabilis 246. b
Torqueri, & in convivio jacere, patiane ſint 253, 267. b
Torpor letalis 332. a
Torrens curſus 732. b. unde 545. a. 139. b. impetus 87. b
Tortor 49. a
Trabes igneæ 632. b. an inter Cometas ponendæ 653. b. quomodo fiant 821. b
Tractatori manum præſtare 243. b
Traductio & dedecus 13. a
Tragici 24. b
Tragici dictum 169, 506. b
Trama 408. b
Tranquillitas, Græcis ἀϑυμία 342. a
Tranquillitas Epicureorum 713. a
Tranquillitas quæ vera 149. b. quibus remediis procuretur 342, 346. a
Tranquillitatis cauſſa nō locus, ſed animus eſt 189. b
Tranquillitati infeſta vitia 377. a
Tranquillum mare 764. b
Transfigurari 14. b
Tranſlationes verborum 290. b
Traſimenus 47. a
Tremor terræ 804. b
Tremoris corporum cauſſa 801, 802. b
Triarii 351. a
Tribunal honoris inſigne, non honor 599. a
Tribunal nummarium alteri addicere 604. a
Tribunus à Manlio in ordinem impunè redactus 693. a
Tributũ principale 622. a
Tributum provinciarum unâ cœnâ conſumptum 186. a
Tripudiare virilem in modum 384. a
Triſtionia à Claudio occiſa 855. b
Triſtitiæ ſitne cognata voluptas aliqua 492. b
Tritici bonum 620. b
Triumviralis proſcriptio 624. a
Troglodytæ 751. b

Troſſuli

Digitized by

Troſſuli 374. a
Troſſuli & juvenes 292. b
Tuber tyranni gladio diviſum 636. a
Tubero fictilibus in publicâ cœnâ uſus 485. b. quibuſdam parum frugi eſt 598. b
Tuberonis lignei lectuli, hædinæ pelles & vaſa fictilia 475. b
cum Tuberone vivendum 518. b
Tubi parietibus impreſſi ad circumfundendum calorem 410. b
Tubicen 310. a
Tullius Marcellinus conſilio de morte cum amicis habito, tridui inediâ ſibi vitam ademit 302. b
Tullius Cimber acerrimus Cæſarianarum partium defenſor Cæſarem poſtea interfecit 142. a. ejus jocus in ſe 343. b
Tullio Cimbro ebrioſo creditum fuit de C. Cæſaris cæde *ibid.*
Tumultuarius miles 96. a
Turannius ſenex, procurationis vacatione acceptâ, tamdiu ſe plangi juſſit, quouſque labor illi ſuus reſtitutus fuit 522. a
Turba vitanda 17, 20, 21, 22, 31, 32. b
Turbo 821. b
Turbo igneus 772. b
Turbinis cauſſa *ibid.*
Turdilli ſeu Turturillæ. 477. b
in Turno nulla mora 826. a
Turpia quæ 118. b
Tuſcis ſumma fulminum ſcientia 682. b
Tuſcos Aſia ſibi vendicat 177. a
Tuſculanum 710. a
Tuſſis continua 311. b
Tutela ebore cælata 296. b
Tutò ut vivas, quæ obſervanda 522. b
Tympanum in manu eſt 543. a
Tympana cur ſonent 681. b
Tyrannicida conſcios tyranni amicos nominat 96. a
Tyrannus an beneficium det 635, 636. a
Tyranni & regis differentia 447. a
Tyranni tuber gladio diviſum 636. a
Tyrannone beneficium dandum 855, 857 a
Tyranni triginta Athenienſium 1300 cives occiderunt 352. a
Tyrannorum pœna 496. a
Tyria purpura 644. b
Tyrii Africam incolunt 177. a
Tyros aliquando ruinis infamis fuit 785. a. movetur & diluitur 809. b

VACATIO procurationis 522. a
Vacationem dare 167, 571. a. 972. b. petere 120. a
in Vadimonis lacu inſula natat 727. a
Vadimonium 23. a
Vade fortiter, vade feliciter 814. b
Vagellii carmen 787. b
Valdiſſimè 498. a
Valens 858. a
Valgius Ætnam unicum dixit 172. b
Valere, philoſophari eſt 54. b
Valerius Aſiaticus 420. a. conſul 678, 679. b
Valerius Corvinus ob Meſſanam captam Meſſalla dictus 509. a
Valetudinariũ 29. a. 101. b
Valetudo animi primùm, deinde corporis curanda 54. b
Valetudo felicior 240. b
Valetudine feſſi, iracundiores 65, 111, 112. a
Vapor ſiccus, humidi aliquid ſecũ habens 669. b
Varices quidam exſecandas præbens, legere librum perſeveravit 310. b
Varro citatur 851. b. quâ arte ventos ordinet 775. b. Vulturni nomen uſurpat *ibid.*
Varronis Romanorum doctiſſimi remedium adverſus mutationem locorum 179. a
Varus eques Rom. cœnarum bonarum aſſectator 610. b
Vaſa colligere 69. b
Vatiæ felicitas vulgò celebrata 188. b
Vaticinantium copia ubi 812. b
Vatinius ſcurrâ quomodo Ciceronis urbanitatem effugerit 419. a
Vatinius remp. venumdedit 391. a
Vatinio poſtpoſitus Cato 315. a
in Vatinium Calvi ſententia 443. b
Vatinii 586, 589. b
Udum plus eſt quàm humidum 678. b
Vectatio 368. a
Vedius Pollio murænas ſanguine humano ſagiginabat 456. a. ob ſævitiam in ſervos caſtigatus ab Auguſto 154. a
Vellem quæ velles 248. b
Velocitas quæ laudabilis 89. a
Velum allevatur 319. b
Velis cœnatio muniebatur 762. b

Vena ad extenuandũ corpus percutitur 257. b. medico tangenda eſt 81.b
Venæ aquarum 715.b
Venæ ſanguinis receptacula *ibid.* incertæ & naturalem turbantes modum, febris indicium 513.b, quibuſdã remedii cauſâ extrahuntur 309.a
Venarum imperturbata mobilitas, valetudinis bonæ indicium 796.b
Venas cadentes vino reficere 663.a
Venari in mari 718.b
Vendens funeribus neceſſaria & lucrum optans, an meritò à Demade ſit damnatus 822.a
Vendere quæ emeris, gentium jus eſt 604.a
Venditio quid 750.a
Veneficus 762.a
Venenata fulmine icta, venenũ amittunt 682.b
Venenum 636.a
Veneriæ 463.b
Veneris comites ſunt Gratiæ 595.a. ſignum 421.a
Veneris genitricis ludi 831.b
Venerẽ ſuã habere 644.a
Venia 481, 482.a. quàm laudabilis ſit 87.a
Venter benè moratus, magna pars eſt libertatis 613.b. parvo dimittitur 81.b
Ventris cauſâ quantum laboretur 566, 567.b
Ventri obedientes, animalia ſunt, non homines 215.b
Ventilare 345.a. 582.b
Ventus quid 713, 764.b. bonis & malis communis 728.a. quomodo fiat 765.b. ἐκνεφίαι 768.b
Venti & aëris diſcrimen *ibid.*
Venti & ſpiritus diſcrimen 772.b
in Ventum jactare brachia 828.b
Venti ἐτησίαι 771.b. Eteſiæ 770.b. ſubterranei 773.b. quidam quorumdam locorum proprii 776.b. quando & unde flent 768, 779.b
Ventorum abuſus 778.b. numerus & nomina 775.b. utilitas 777.b
Verba ad ſummam caveam ſpectantia 370.a. multa apud antiquos ſitu occupata 200.b. pauciora rebus 651.a ſollennia 30.a. philoſophantium qualia eſſe debeant 288.b
Verba aſſeſſoris prætor adeuntibus pronuntiat 348.a
Verba ex alieno ſæculo petere 563.b
Verborum cura nõ nimis anxia eſſe debet 568.b
Verborum notæ 410.b. tranſlationes 210.b. Latinorum magna paupertas 199.b
Verborum non tam quã rerũ cura habenda 150.b
Verbis opera concordare debent 74.b
Verecundia quorumdam extimeſcenda 35.b
Verecundiæ laus, & quòd nulla ſapientia eam abigat 34, 35.b
Verecundiam ſcenici artifices penitus exprimere non poſſunt 36.b
Veritas & virtus idẽ 266.b
Veritas involuta in alto latet 832.a
Veritatis argumentum eſt publicus cõſenſus 577.b
Veritatis ſimplex oratio 138, 169.b
Verminare 682.b
Verminatur 550.a
Verminatio 508.b
Verminationes cerebri æſtuantis 459.b
Vernilitas 456.b
Verniliter 625.a
Vernula rudis 335.a
Verrucoſus 731.a
Verſura domi fit 756.a
Verſuram facere 72.b
Verſus 444, 470.b
Verſus de avaritia 532.b
Verſus Græcus deteſtabilis 474.a
Verſus diſertiſſimi inter mimos jacent 24.b. multò efficaciores ſunt ſolutâ oratione 532.b
Verſuum duorum de beneficiis examen 589.a
Vervex marinus 418.a
Verum non niſi audituro dicendum 107.b
Verum dicere & audire adſueſcendum 250.b
Verum omnibus publicè dicit Seneca 399.b
Verum qui dicat, potentibus deeſt 811.a
Veriſimilitudo, non exploratio ſpectatur 735.a
Vertebrarũ dolor quomodo interquieſcat 308.b
Verticoſus 823.b
Veſtales virgines 574.a
Veſtiarium 360, 675.a
Veſtis quando mutetur 65.b
Veſtis perverſa magiſtratus 29.a
Veſtis nihil celatura 408.b. ponderibus aut tormentis ſplendere cogentibus preſſa 335.a
Veſtis ſapienti non omnis conveniens, nec quivis color 172.b
Veſtis mundæ electio appetenda homini 427.b
Veſtes è corticibus arborum, avium plumis, vulpium tergis, &c. 406.b.

Veſtes

Digitized by Google

Veſtes ſericæ exprobantur 845. a
Veſtium color 527, 528. a
Veteranus audaciter cruorē ſuū ſpectat 318. a
Veterare 244. a
Veteraria 567. b
Veternoſus animus 37. a
Veternoſiſſimi artificii nodi 337. b
Veterum opiniones parū exactæ, & rudes 789. b
Veterum præceptum de optima vita ſequenda 534. a
Veteribus mos fuit terram ſubigere 364. b
Vexillis ſubrectis urbem intrare 765. a
Via Latina 305. b. recta 857. b. ſacra 271. a. 972. b. vicinalis 777. a
Viane monſtranda ſit ingrato 729. a
Viator 229. a
Vicarii duo 360. a
Vicæ Potæ filius Dieſpiter 832. b
Victimæ quando gratæ 600. a
Viduus cælibatus 603. b
Vienna 849. b
Vigiliæ perverſum tempus arguitur 606. b
Vigiliarium 198. b
Villa totius anni 189. b
Villæ caſtris ſimiles 175. b
Villeius 741. b
Vinctorum greges in ætatum & colorum paria diducti 504. a
per Vinctos terra colenda 847. a
Vindemitor 845. b
Vindicta quando laudata, quando non 84, 85. a
Vinicii tarditas in dicendo 140. b
Vinum calentibus ingeniis & pueris ſubtrahendum 66. a. iram cur incendat 65. a. fulmine gelatum, cur potum exanimet, aut dementes faciat 695. b. fracto dolio rigidum ſtat 682. b
Vini inventor cur Liber dictus 386. a
Vini miniſter in muliebrē modū ornatus 156. b
Vini veteris amaritudo ipſa delectat 219. b
Vino deditorum vita quàm turpis 494. a
Vino interdum indulgendum 386, 387. b
inter Vinum & oleum occupati homines 55. b
Vina per ſapores & ætates diſponere 761. b
Vir bonus an beneficium ingrato noto daturus ſit 725. a. an non iraſcatur ſi patrem cædi vel matrem rapi viderit 22. a
Vir bonus duplicis notæ 144. b. non poteſt non facere quod facit 802. a. ſummæ pietatis erga deos eſt 298. b. vinci nequit 748. a
Viri boni animus qualis 568. b. exemplum ſemper intuendum 36, 97. b. ſimilitudo cum Deo 304. a
Virum bonum non faciunt ſtudia liberalia 382, 383. b
Viri boni omnes pares 239. b
Viris bonis cur mala accidant 302, 305, 306. a
Viris bonis ineſt quiddam divinum 141. b
Viros bonos, candidatos dicimus 6. b
Viri diſerti turpiſſimum principium 581. b
Viri gratioſi timendi interdum 49, 50. b
Vir fortis & ſtrenuus 83. b. ejus deſcriptio Virgiliana 474. b
Viri fortes qui 477. b
Virorum magnorum imagines & natales celebrandi 223. b. exempla ſequenda 518. b
Virorum ſapientium converſatio utilis 447. b
Virgæ aureæ 338. a
Virgarum, coronarum, & arcus differentiæ 649. b
Virgarum ſignificationes & cauſſæ *ibid.*
Viridia 363. b
Virgilius à Polybio converſus 218, 224. a
Virgilius Ætnam deſcripſit 315. b. Ennium imitatus eſt 539. b. parum propriè dixit, mala mentis gaudia 209. b. reprehenditur 369. b
Virgilii præcepta nautica 181. b. verſus duobus æternam memoriam promittentes 78. b. verſus 90, 274, 432, 701, 788, 861. a. 68, 105, 194, 200, 214, 223, 246, 278. b
Virgilium aliter grammaticus legit, aliter philoſophus 536. b
Virginius & Regulus Coſſ. 782. b
Virgo aqua 341. b
Virtus animi una, ſed multæ ſpecies 232, 233. b
Virtus à voluptatū miniſterio defenditur 697. a. ad benè beateque vivendum ſatis eſſe probatur, opinionibus contrariis breviter refutatis 548. a. 353, 375. b. cur nullo egeat 282. b. experimento innoteſcit 316, 317. a. in quocumque habitu eſt, prodeſt 351. a. major vel minor fieri non poteſt 397. a. 263, 266, 267. b. naturâ glorioſa

Digitized by Google

gloriosa 691. a. nihil in ſe habet venale 696. a. non cohoneſtatur pulchritudine corporis, nec deformitate fœdatur 230. b. non dediſcitur 171. b. non propter voluptatem petitur 536. a. omnibus patet 672. a. periculi avida eſt 317. a. quædam effugere non poteſt 197. b. quid ſit 270. b. ſuâ magnitudine omnes dolores, moleſtias, injurias elidit 236. b. ſuapte naturâ placet 716, 717. a. unicum hominis bonum 295, 296. a.
Virtutis ardui aggreſſus 325, 554. a. comitatus individuus 247. a. documentum numquam molle 320. a. duæ partes 448. b. opera omnia bona 296. b. vis 717. a
Virtutis & voluptatis diſſimilitudo 533. a
Virtutis & voluptatis ſocietatem quid prohibeat 545. a
Virtuti etiam in lectulo locus 311. b
Virtuti oppoſita nihil detrahunt 428. b
Virtutes inter ſe pares, ut virtutum opera 233. b. quædam ſtimulis, quædam frænis egent 564. a
Virtutes ſi animalia ſint, quàm multa abſurda ſequantur 552, 553. b
in Virtutes arduum iter non eſt 59. a
Virtutum humanarum unica regula 233. b
Virtutum pretium in ipſis eſt 328. b. ſemina naturâ inſita ſunt 532. b
Virtutum magnarum memoria ſacra 730. a
Vis electioni obeſt 635, 636. a
Viſcata beneficia 22. b
Viſceratio 72, 277. b
Viſus noſter in humido labitur 646. b
Viſus fallax 640. b
Vita actu, non tempore metienda eſt 435. b
Vita longiſſima 495, 503. a. cur brevis videatur 485, 490, 494, 495, 496. a. errorum plena 525, 526. a. fortunæ expers, mare mortuum eſt 248. b. ficta & oſtentationi parata 383. a. inter bonos & publicos mores temperanda 13. b. melior quàm vulgus vivit inſtituenda, non contraria 12. b. nuda, muſcarum ac vermium bonum 686. a. non ſentientibus effluit 254. b. potius deridenda, quàm deploranda eſt 380. a. punctum eſt & puncto minus 167. b. quomodo hominibus elabatur 1, 2. b. quorum breviſſima, ideoque miſerrima ſit 515, 517, 522. a. ſervitium eſt 366. a. ſupplicium eſt 221. a. ſimilis fabulæ 306. b. ſimilis civitati captæ 863. a. ſtulta 220. a. ut tuta ſit & ſecura, quæ obſervanda 522. b
Vita otioſa & ignava differunt 188. b
Vita occupatorum breviſſima eſt 494, 495, 500. a
Vita quorumdam contra naturam inſtituta taxatur 606, 607. b
Vita quorumdam formicis per arbuſta repentibus ſimilis 374. a
Vitæ amor catenæ comparatus 101. b. brevitas 287. a. 121, 306. b. conditio qualiſcumque æquo animo ferenda 527. b. conſenſus cum oratione laudatus 73. b. diuturnitas non canis vel rugis æſtimanda 497. a. exordium à fletu 213, 214. a. faſtidiũ quomodo effugiatur 349. a. forma ſana & ſalubris 23. b. genera tria; quodque ſit optabilius 581. a. genus auſterum fugiendum 13. b. jactura maxima, dilatio 497. a. inæqualitas 343. b. inconſtantia 572. a. inconſtantia unde 74. b. mendicatio fœda 502. b. mimus 321. b. opera quâ regulâ diſtribuenda 833. a. *ſpatium* ampliſſimum 436. *b. tria* tempora 501. a. tributa 476. b. vitium maximum 499, 500. b
Vitæ beatæ ſumma 149. b
Vitæ in contrarium circumactæ cauſſa 610. b
de Vitæ brevitate an juſtè mortales conquerantur 485. a
Vitæ ſuæ ſitne vis inferenda 256, 257. b
Vitam contemnere, & regere vix totâ vitâ diſcitur 550. b
Vitalia eruere 490. b
Vitalia in homine priùs ordinantur 42. a
Vitalis calor 702. a
Vitiligo & fœda ex albo varietas 728. b
Vitis ex arbuſto ſuo annoſa quoque transfertur 370. b. non qualibet inſitionẽ patitur 550. b
Vitis virtus 143. b
Vitium commune ſingulis objicere, iniquum 133. a

Vitia contactu nocent 357. a. excuſantur deorum exemplis 516. a. malè rebus, locis & temporibus adſcribuntur, cùm cujuſque propria ſint 169, 170. b. naturalia nullâ arte vinci poſſunt 35. b. non in uſum recipienda ſunt, quia aliquando boni quid effecerunt 23. a. non ſtant uno loco, ſed ſe invicem pellunt 605. a. omnia in omnibus, ſed non omnia in ſingulis exſtant 726, 727. a. ſub virtutum nomine obrepunt 151. b. virtutibus confinia 595. b
Vitia vulgi nobis ridicula videri debent, non inviſa 380. 381. a
Vitia corporis & animi cur diſſimulare ſoleamus 182, 183. b
Vitia illinunt turba & ſpectacula 17. b
Vitia non temporum, hujus vel illius ſæculi eſſe, ſed hominum 477, 478. b
Vitiorum proceſſus 842. b. remedia 547. b
Vitrarius 412. b
Vivarium 457. a. 720. b
Vivendi corrupta ratio corruptum dicendi genus producit 558, 559. b
Vivere beatè, & ſecundùm naturam, idem eſt 535. a
Vivere benè, omni loco poſitum 106. b
Vivere in neceſſitate, nulla neceſſitas 42. b
Vivere non licere multi falsò queruntur 496. b
Vivere oſtio aperto vix eſt qui poſſit 147. b
Vivere ſemper incipientium ſtultitia 47. b
Vivere ſecundùm naturam oportet 10, 11, 13. b
Vivere quidam ſemper incipiunt, quidam tum cùm deſinendum eſt; quidam vivere deſinunt cùm incipiunt 87, 88. b
Vivere totâ vitâ diſcendum eſt 495. a
Ulceribus plurimis obſiti papulas alienas obſervatis 568. a
Ulcuſcula 272. b
Ulixes 391. a. ad Ithacæ ſuæ ſaxa properat 237. b. ſociis aures cluſit 117. b. ubi erraverit 384. b. voces Sirenum niſi alligatus prætervehi noluit 616. b
Ulixis nauſeatoris naufragia 182. b. remedium adverſus Sirenas 196. b
Ultio, verbum inhumanum 84. a
Ultio duas res præſtare ſolet 461. a. improbatur 101. a
Ultionis genus contumelioſiſſimum 84. a. incommoda 138, 139. a
Ultione quomodo principi utendum 461. a
Ultrotributa 697. a
Unctio plebeia 191. b
Unctione corpus recreare 182. b
Unctus & nitidus 237. b
Unguentaria taberna 531. b
Unguentarii 287. b. à Lacedæmoniis urbe pulſi 762. b
Unguentum bis die terque renovari ſolitum 368. b
Unguentum mittere 85. a
Unici 67. a
Uniones 845. a
Unitas quid 662. b
Univerſi formator 180. b
de Univerſo quæſtio quotuplex 661. b
Univerſa ex materiâ & Deo conſtant 229. b
Vocabulum & verbum 201. b
Vocaliora ſunt vacua quàm plena 681. b
Vocator 351. a
Volaticus 145. b
Voleſi Aſiæ proconſulis crudelis exclamatio 47. a
Voluntas recta 471. b
Voluntas officii cauſſa 792. a
Voluntas tribuentis jucundiſſima in beneficio 615, 616. b
Voluntatis mutatio, cujus rei indicium 128. b
Voluptaria ſecta in actu eſt 582. a
Voluptas quid 209. b. nihil ad beatam vitam facit 532. a. pecoris bonum 425. b. quæ homine digna 833. a. ſitne aliqua juncta dolori 492. b. perfuſoria 86. b
Voluptatis laudatio periculoſa 541. a. poſſeſſio periculoſa 544, 545. a. vituperium 833. a. 86, 102, 617. b
Voluptatis & gaudii differentia juxta Stoicos 209. b
Voluptatis & virtutis diſſimilitudo 533. a
Voluptatem à virtute diduci poſſe negantes refutantur 532, 537. a
Voluptatem capere ex epiſtolâ, an benè dicatur 209, 210. b
Voluptatum duo genera 311. b

Volupta-

Voluptatum miniſtra virtus eſt Epicureis 697.a
Voluptatibus non eſt locus dandus 173.b
Voluptatibus obſeſſos plurimos malos eſſe demonſtratur 538,539.a
Vomica & collectio 250.b
Vomitores jejuni 387.b
Vopiſcus & Paterculus coſſ. 840.b
Vortex fluminum 772.b
Vota deos admonent 778.a. parciora eſſent, ſi palàm fierent 616.a. quæ ſuſcipienda 33.b. quomodo proficiant, ſiquidem fata inexorabilia 587.b
Vota hominum deos beneficos eſſe teſtantur 699,700.a
Vota inhumana 807.a
Vota negotiatorum 822.a
Vota parentum & amicorum inimica nobis 214.b
Vox quid 664,681.b. quâ ratione per parietes tranſmittatur 667.b
Vox contra Stoicos publica 576.b
Vox viva oratione efficacior 15.b
Vocis intentio, utilis exercitatio 56,57.b
Voces optantium & exſecrantium nocent 450.b
Voces imperitorum eodem loco quo ventris crepitus ſunt 423.b
Vocum genera aures in odium adducentia 190.b
Urbanitas contumelioſa 408.a
Urbis mores priſcos quidam tradiderunt 367.b
Urbes an certioris ſoli quò propiores mari 809.b
Urbium fata 265.a
Uri, vinciri, ferroque necari, auctoramenti verba 133.b
Uſura quid 846.a
Uſura haud milleſima 145.a
Utica 175.b
Utilitas accipientis ſola in beneficiis dandis ſpectanda 706,713.a
Vulcano crus fregit Jupiter 855.b
Vulgus veritatis peſſimus interpres 527.a
à Vulgo quomodo quis tutus eſſe poſſit 50.b
Vulturnus, Euri nomen, uſurpatum à Livio & Varrone 775.b
Vultus in cælum cur erecti 451.b
Vulva parum tenax 728.b
Uxoris bonæ amiſſio quâ ratione ferenda 868.b

XANTHIPPE Socratem immundâ aquâ perfudit 422.a
Xanthus 849.b
Xenocrates putat beatum ſolâ virtute fieri poſſe, non tamen unum bonum eſſe quod honeſtum eſt 356.b
Xenophanto canente Alexander manum ad arma miſit 44.a
Xenophontis pater 687.a
Xerxes Pythii filii cæde exercitum luſtrat 120.a
Xerxis ſtoliditas 395,396.a
Xerxi ſolus Demaratus verum dixit 812,813.a
Xyſtus hortorum 124.a

ZALEUCI leges 403.b
Zeno Eleates nihil ait eſſe 393,394.b
Zeno 513.a. 224.b. auctor eſt Stoicæ ſapientiæ 190.a. ſectæ ſanctiſſimæ & fortiſſimæ conditor 342.b. multum profuit, etſi non adminiſtrarit remp. 399,580,581.a. nullum ſervum habuit 190.a
Zenonis collectio ab ebrietate dehortantis ridetur 342.b. collectiones de morte irridentur 333.b. &c. dictum 31.a. dictum, cùm ei naufragium nuntiatum eſſet 377.a. ſententia de Cometis 832.b. quingentos denarios cuidam credentis excuſatio 741.a
Zenoni actionis & doctrinæ diffidentia objecta 250.a
Zenonem Cleanthes expreſſit 16.b. cum Zenone vivendum 518.b
Zephyrus 775.b. Latinis Favonius *ibid.*

FINIS.

A 21
1454 E3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXIV.
C. 35

Digitized by Google